UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum Commentario Perpetuo Explicatum

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

urn:nbn:de:hbz:466:1-62482

Visual Library

N III
23 Th 4794

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JUS CANONICUM

COMMENTARIO PERPETUO
EXPLICATUM,
ET UBERI NON MINUS AC VARIA,
QVAM
CLARA ET SOLIDA DOCTRINA
ILLUSTRATUM,
à

R.P. PAULO LAYMANNO
SOCIETATIS JESU THEOLOGO,
& SS. Canon. quondam Professore celeberrimo.

ACCESSIT,
Præter Summam singulorum ferè Juris Capitum,
Index Rerum ac Verborum copiosissimus.

TOMUS III.

SEU
COMMENTARIUS IN LIBRUM III. DECRETALIUM.

Cum facultate Superiorum.



Collegii Paderborn
Soc. Jesu
, 6 98

DILINGÆ,
Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD, Bibliopolam.

ANNO M. DC. XCVIII.

IUS CANONICUM

COMMENTARIO PERPETUO

EXPLICATUM,

ET UBERIBUS MINUS AC VARIIS

OPERAM

CLARA, ET SOLIDA DOCTRINA

ILLUSTRATUM.

R. P. PAULO LAYMANNO

SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

Præter Summam Singulorum fere Juris Capitum

Index Locuplex Verborum copiosissimus.

TOMUS III.

COMMENTARIUS IN LIBRUM III. DECRETALIUM.

DILINGÆ,

Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD, Bibliopolam.

ANNO M. DC. XCVIII.

BENEVOLO LECTORI BIBLIOPOLA.

QVem multis Viri Docti votis diu expetierunt, tandem exhibeo R. P. Laymanni in Librum III. Decretalium Commentarium: Laymanni, inquam; Viri, qui inter paucos Theologicam Sapientiam Juris Utriusque Prudentiæ ita junxit, ut eum paucorum illorum ferè plerisque aut æqualem aut ſuperiorem jure dixeris; quémque propterea non ſui tantùm Germani, ſed exteræ quoque Nationes, omnésque illi, quos penitior cognitio in Divini Humaníque Juris adyta induxit, magni

magni hactenus fecerunt. Ut verò multorum votis hæc commentaria efflagitata sunt, ita non minore mea cura & labore effectum est, ut ex ijs, quæ doctissimus ille vir in scholis prælegerat (nec enim prælo ipse paravit) magno studio & optima fide collecta, &, quàm fieri poterat, emendatissima in publicum prodirent. Operæ me pretium feciſſe, doctus, ut confido, nemo dubitabit: etsi enim ut plurimùm brevis sit & succincta commentatio, uberi nihilominus, &, quod caput est, solidâ doctrinâ genuinum sacrorum Decretorum sensum aperit & illustrat.

LIBER

LIBER TERTIUS DECRETALIUM GREGORII IX. PAPÆ.

Præmissis illis in secundo Libro Decretalium, quæ de Judicijs Ecclesiasticis, eorúmque processu, & actis probatorijs, sententiâ, appellatione &c. quæri poterant, ordo videtur exigere, ut etiam de illis rebus agatur, quæ solent in judicium adduci; & quidem in hoc tertio Decretalium Libro de Clericorum & Religiosorum, qui sunt præcipua membra Communitatis alicujus, juribus & obligationibus. De Clericorum proinde, ac Religiosorum Juribus, & Obligationibus sit

TITULUS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

CAPITULUM I.

Ut Laici.

PARAPHRASIS.

Laici, dum Sacra Mysteria Missæ celebrantur, intra cancellos prope altare stare, aut sedere non debent; ea enim pars, quæ altari proxima est, & ab alijs Ecclesiæ partibus, cancellis dividitur, Clericis psallentibus tantùm patere debet; ita tamen, ut etiam Laicis, ipsísque fœminis ad offerendum, & communicandum, & orandum accessus ad aram esse possit. Desumptus hic Canon est ex Concil. Turonensi secundo.

SUMMARIUM.

1. *Clericorum nomine simpliciter prolato in stricta quidem acceptione, nec Episcopi veniunt, nec alij in dignitate constituti Prælati, neque etiam Ecclesiarum Cathedralium Canonici, neque Monachi, aut Religiosi; ob peculiarem tamen rationem, tam hoc, quàm alijs sequentibus hujus Libri Titulis, Clericorum nomine, omnes illi veniunt, qui Clericorum privilegijs gaudent.*
2. *Triplex Locus in Ecclesia distinguitur.*

ADvertendum primò, præmitti hunc Titulum, quòd velit Ecclesia, ut Clerici, sicuti gradûs dignitate, & multorum privilegiorum prærogativis &c. Laicos præcedunt, ita morum etiam, & vitæ honestate, velut in sortem Domini vocati, non tantùm præluceant laicis, sed gradu suo, 1

& suis se privilegijs dignos faciant, habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus, ut ait Trident. *sess. 22. de refor. c. 1.* nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præseferentes, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Et quamvis Clericorum nomine simpliciter prolato, in stricta acceptione, & prohibitoria, nec Episcopi veniant, nec alij in dignitate constituti Prælati Ecclesiastici, neque etiam Ecclesiarum Cathedralium Canonici, neque Monachi, sive Religiosi. *c. Quia periculosum 4. de sent. excom. in 6. cap. sedes Apostol. 15. de rescript. prout etiam post Abbatem & plures alios notat Felinus in c. Non dubium 5. de sent. excom. n. 1.* quia tamen morum, ac vitæ honestas, aliaque plura, quæ tam hoc, quàm sequentibus Titulis statuuntur, omnibus in Clero constitutis, ac potissimùm Ecclesiarum Prælatis, aut Dignitate Ecclesiastica conspicuis &c. conveniunt, hinc in hoc etiam Titulo Clerici nomine omnes illi veniunt, qui Privilegijs Clericorum fruuntur, quamvis primâ tantùm tonsurâ initiati forent, prout *cum, & post Abbatem, in rubricam hujus Tituli communiter* advertunt AA.

2 Advertendum secundò, tres communiter locos juxta antiquam consuetudinem in Ecclesia distingui. Unus est propinquus altari, in quo stant, aut sedent Sacerdotes, & qui Missæ sacrificio inserviunt: de hoc sermo est *in prima par. hujus Canonis, & in Can. 13. Concil. Braearensis primi tom. 2. Concil.* Alter locus est, qui in choro includitur, plerumque cancellis, de quo sermo est in altera parte Canonis, quòd videlicet intra chorum, dum divina mysteria peraguntur, Laici manere non debent, sed Clerici tantùm psallentes. Sicuti etiam habetur *in c. Sacerdotum. 30. dist. 2. de consecratione.* Verùm extra celebrationem officiorum Laici non prohibentur orandi causâ chorum ingredi, sed & sub Missæ sacrificio communicandi causâ, vel ad altare offerendi; imò etiam propter consuetudinem cohonestari potest, ut Laici, præsertim viri, tempore sacrorum officiorum in choro sint, ita tamen, ut Clericos psallentes confabulatione, aut risu non interturbent. Tertius denique locus est extra chorum, qui Ecclesiæ navis dicitur, in hoc Laici manere debent, dum sacra mysteria celebrantur.

CAPITULUM II.

Clerici.

SI Clericus arma portet, vel usurarius sit, excommunicari debet, (ita tamen, ut hæc excommunicatio ferendæ tantùm sententiæ sit, si post admonitionem contumacia accesserit) consuetudo tamen permittit, ut, dum iter faciunt, arma defensoria deferant.

CAPITULUM III.

Ut quisque.

Paraphrasis.

Unusquisque Parochus, seu curatus, Clericum suum habere debet, qui cum ipso cantet epistolam, aut lectionem legat, qui & scholas habere, & Catechismum, seu Fidei Christianæ fundamenta juventuti tradere possit.

Summarium.

1. *Curati reditus etiam pro ministro alendo sufficere debent.*
2. *Evangelium, aut epistolam, sub sacrificio Missæ solemniter, & in vestibus officio tali proprijs, ad cavendam irregularitatem cantantes, ordinem ad has functiones requisitum habere debent; & quamvis aliqua circa hæc immutare possit consuetudo, non omnia tamen sine difficultate approbari possunt.*
3. *Curati obligantur, ut per se, vel per alios idoneos, fidei rudimenta juventutem, & rudem populum doceant.*

Notan-

1 NOtandum primò : Curatus tantam reddituum fundationem habere deberet, ut Ministrum Clericum alere posset, sicuti etiam annotatũ est *in c. proposuit. 6. de filijs presbyterorum, & sumitur ex c. 1. can. 1, q. 2.*

2 Notandum secundò : Evangelium, Epistolam, aut lectiones sub Missæ sacrificio solemniter cantantes in pulpito, & sacris vestibus induti, debent esse Clerici ad hoc ordinati. *c. 3. dist. 92.* alioquin irregularitas contrahitur. *c. 1. & 2. de Clerico non ordinato ministrante*: vide, quæ docui *lib. 1. tra. 5. p. 5. c. 3. n. 2.* Porrò tametsi per consuetudinem multis in locis obtentum sit, ut officium cantandi & altari ministrandi absque vestibus solemnibus, & ordinatorum proprijs, etiam Laici subeant : tamen is Germaniæ nostræ mos, ut sacerdotes in pagis absque ministro respondente missas dicant, difficulter cohonestari potest, cùm ex antiquissima traditione aliquis loco ac vice populi sacrificanti respondere debeat, *teste Inno. 3. lib. 2. de Mysterijs Missæ c. 25. S. Tho. 3. p. q. 83. a. 5. ad ult. & alijs apud Suar. eadem parte disp 87. q. 1.* Quare in Concilio Basileensi ante annos 200. *sess. 21. c. de his, quæ in missa &c.* inter Ecclesiarum non tolerandos abusus numeratur, si sacerdos missam privatam sine ministro celebret, & in *Concilio ultimo Moguntino Provinciali, quod habitum est anno 1549. c. de Missæ officio*, ita decernitur : veterem canonem instaurantes prohibemus, ne quis sacerdos missarum solennia publica celebrare præsumat, nisi ad minus, duobus (tanquam ministris) præsentibus. Quòd si in privata Missa commodè fieri id non potest, ad minus, adsit unus, qui respondentis locum suppleat, sed ita, ne sit proles illegitima, quam omninò patre celebrante, altari adstare prohibemus ; multò minùs concubina, siquam habuit.

3 Notandum tertiò : Curati secundùm sacros canones obligati sunt per se, vel per alium fidei Christianæ fundamenta, orationem dominicam, symbolum Apostolorum, præcepta Dei, & Ecclesiæ &c. juventuti, & rudi populo tradere.

CAPITULUM IV.

Si quis.

PARAPHRASIS.

Canon iste sumptus est ex Concilio Romano sub Gregorio secundo cap. ulti. ubi ita legitur : siquis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit. Responderunt omnes tertiò anathema.

SUMMARIUM.

Præcipi debet Clericis, qui in sacris sunt, sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, ut convenientem suo statui tonsuram deferant.

NOtandum. Clericis, qui in sacris sunt, maximè verò Religiosis, præcipi debet, ut tonsuram Ecclesiastico suo statui convenientem ferant : qui si admoniti non pareant, excommunicandi sunt, ita enim intelligi debent verba ista, anathema sit, id est, fiat per judicis sententiam, sicuti Gl. *hìc monet, & Innocentius in c. si quis ex Clericis. 23. dist. 23. & dixi lib. 1. tra. 5. p. 1. c. 2. in fine.* Porrò, quæ dicta sunt de tonsura, simili ratione intelligi debent de habitu Clericali, prout docui *lib. 5. tra. 9. c. 12. n. 2.*

CAPITULUM V.

Clericus.

NOn est concessum Clerico, ut comam aut barbam nutriat ; sumptum id est *ex Concilio Carthaginensi 4. can. 44.* nam olim in occidente Clerici tonsi esse debebant, neque licebat ipsis comam nutrire, aut barbam, sicuti annotavi *lib. 5. tra. 9. c. 12. n. 2.*

CAPITULUM VI.

Clericus.

SI Clericus non in sacro ordine constitutus, nec religionem professus, tonsu-

râ dimissâ uxorem duxerit, eam retinere cogatur : si tamen virginem acceperit, & monogomus sit, atque Ecclesiæ serviat, iterum tonderi debet, ut canonis & fori Clericalis privilegio gaudere possit. De qua re dixi *lib. 1. tra. 5. p. 1. c. 3. n. 2.* & dicetur infra *c. Ioannes, 7. de Clericis conjugatis.*

CAPITULUM VII.

Clericus.

SI Clerici comam, vel barbam nutriant, ab Archidiacono etiam inviti tonderi debent. Ita rescripsit Alex. 3. Papa ad Cantuariensem Archiepiscopum, & consentit *Capitulum Clericus. 5. h. tit.*

CAPITULUM VIII.

Monasteria.

Paraphrasis.

Qui sanctimonialium Monasteria absque rationabili, & manifesta causa frequentare præsumpserit, per Episcopum prohibeatur : si verò non destiterit, & Clericus sit, ab officio Ecclesiastico suspendatur ; si Laicus sit, excommunicetur.

DE hac re agit Bonifacius VIII. *in c. 1. de statu Regularium in 6.* quam constitutionem innovavit, & additâ censurâ auxit *Trident. sess. 25. c. 5. de. regularib.* ita, ut hodie nemini sub excommunicationis censura ipso facto incurrenda, cujuscunque conditionis, aut sexûs fuerit, intra septa Monasterij Monialium ingredi liceat, absque facultate, in scripto impetrata, ab Episcopo, aliôve superiore, cui Monasterium subjectum est, quam licentiam ipse mutare non possit, nisi in casibus necessarijs. Explicavi hanc constitutionem *lib. 4. tra. 5. c. 12.*

CAPITULUM IX.

Quoniam.

Paraphrasis.

Intellexit Gregorius VIII. Clericos quarundam Ecclesiarum Collegiatarum dissolutè vivere, ideò auctoritate Apostolica statuit ; quòd Episcopi eorum, Ecclesiarum facultatibus, proventibus, & expensis diligenter inspectis, ponere possint in ijs sacris Collegijs certum numerum Clericorum, & decernere, ut bona eorum in communi possideantur, in una domo degant, ac vescantur ; siqui verò contradictores fuerint, liceat ipsis Episcopis, per suspensionem ab officio, & beneficio, vel si opus fuerit, per graviorem pœnam, Clericos ad observationem compellere, remotâ appellatione. Concedit quoque eisdem Episcopis, ut si quisquam eorum, qui in communi vivunt, ob manus injectionem in socium Clericum, Canonis excommunicationem incurrerit, talem absolvere, & reconciliare possint, nisi facti atrocitas aliud exposcat.

Summarium.

1. *Quòd olim sæculares etiam Canonici sub uno superiore in communi vixerint, hic & alibi habetur.*
2. *Certus numerus in Ecclesia statuendus est, juxta proportionem reddituum.*
3. *Percutientes se invicem sic in communi viventes Clerici, ab Episcopo proprio absolvi possunt, nisi atrox sit percussio.*

NOtandum primò, olim etiam sæculares Canonici, in collegijs simul sub Præposito, & Decanis degebant, certâ ipsis vivendi regulâ constitutâ, unde & Canonici, id est, regulares dicti sunt. Constat hoc ex *Concil. Turonensi 3. sub Leone 3. tempore Caroli Magni celebrato. c. 23.* Ubi de Clericis civitatum, qui in Episcopijs 1

pijs conversantur, decernitur, utiin claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, & in uno reficiantur refectorio &c. *In Concil. Moguntino circa idem tempus celebrato videlicet anno 813. c. 9.* decernitur, ut Canonici Clerici canonicè vivant, & nihil sine licentia Episcopi, vel Magistri eorum agere præsumant in unoquoque episcopatu, & ut simul manducent, & dormiant &c. & in suo claustro maneant, & singulis diebus manè ad lectionem veniant, & audiant, quid eis imperetur; ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundùm Canones suis Magistris exhibeant. Veruntamen ab hac eos vivendi ratione postea deflexisse constat, ita tamen, ut per Episopos ex causa justa in ordinem redigi possint, prout *ex hoc cap.* colligitur.

2 Notandum secundò: numerus Canonicorum in Ecclesijs institui debet secundùm facultates & reditus singularum, spectatis etiam expensis, & oneribus, *ita hic, & in c. 1. Concilij Hispalensis sub Gregorio I. tom 2 Concil.*

3 Notandum tertiò: si Clerici in communi viventes unus alterum percutiant, & idcirco Canonis excommunicationem incurrant, ab Episcopo suo absolvi possunt, nisi percussio atrox sive enormis sit. Vide, quæ docui *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. 5. n. 10.*

CAPITULUM X.

Cum ab omni.

Paraphrasis.

Intellexit Innocentius III. de Prælatis & Clericis Lambardiæ, quòd, cùm ipsis à Sede Apostolica causæ delegarentur, sequentes judicum sæcularium consuetudinem, de decima, aliáve parte litis, præter victualium expensas, cum litigantibus paciscerentur, receptis etiam pignoribus: perpendens verò Pontifex, quòd Clericis Ecclesiastici reditus assignati sint, ex quibus se honestè sustentare possint, ideóque ad turpia lucra, & iniqua munera, non deceat ipsos extendere manus suas, mandat eis, ut ab ejusmodi exactionibus inposterum abstineant, & processum judiciarium litigantibus gratis exhibeant, non obstante, quod aliqui prætendere solent, ea postulari pro assessoribus judicum, cùm judici ne justum quidem judicium vendere liceat, & sententiæ judicium venales ab ipsis quoque legibus sæcularibus reprobentur.

Summarium.

1. *Judex Ecclesiasticus à summo Pontifice delegatus non potest accipere à partibus munus seu salarium pro actu judicandi; nisi modica & liberaliter oblata, & esculenta aut poculenta talia sint, quæ paucis diebus absumi possint; vel extra domicilium abire debeat Iudex talis ad cognoscendam causam; quo in casu expensas integras à partibus accipere potest, nisi pauperes essent.*
2. *Judici ordinario nec de Iure Civili licitum est pro munere judicandi, munera accipere, quamvis sponte offerantur, & sint esculenta tantum, aut poculenta.*
3. *Ita ut si in causis civilibus munera accipiat, peccet contra justitiam; Simoniam verò committat, si pro jure Ecclesiastico sponte quid accipiat.*
4. *Consuetudine tamen in quibusdam casibus introduci potest, ut judici sæculari, & assessoribus, à partibus moderatum aliquid solvatur.*
5. *Quæ consuetudo facilius cohonestari potest in judice delegato.*
6. *Quæ sit differentia inter xenia, & sportulas?*
7. *Notarijs tamen, Scribis, Pidellis, Advocatis & Procuratoribus &c. laboris sui mercedem exigere, non prohibetur.*

NOtandum. Judex Ecclesiasticus à Pontifice delegatus, pro labore judi- 1
candi non potest à partibus accipere mu-

nus seu salarium *c. statutum. 11. §. Insuper de rescriptis in 6.*

Excipiuntur tamen esculenta, & poculenta; dummodo sint modica, quæ paucis diebus absumi possunt, & liberaliter offerantur; deinde si Judex delegatus extra domicilium suum abire debet ad causam cognoscendam, tunc expensas integras à litigantibus, nisi pauperes sint, accipere potest, *cit. §. Insuper*, & tradit *Abb. hic n. 13. Mol. tra. 2. de justitia disp. 84. n. 5.* Idem in jure Civili statutum *in auth. ut judices sine quoquo suffragio &c. §. scriptum est, collatione. 2.*

2 Sed quid dicendum est de Judice Ecclesiastico ordinario? Resp. & dico primò: ordinario, videlicet Episcopo, & Vicario, seu Officiali ejus, item Decanis, aliisque Ecclesiasticam jurisdictionem exercentibus, licitum non est, ob judicandi munus, munera accipere, ita sumitur *ex hoc c.* & docent omnes. Imò verò hoc ipsum etiam Civili Jure prohibitum est Judicibus ac Præsidibus, ne munera accipiant. L. *solent. 6. ff. de off. Proconsulis*, & L. *venales 7. C. quando provocare non est necesse.* Ubi sententia talis, quæ ob mercedem fertur, irrita dicitur. Ratio dari debet, quia judices ex publico salaria & stipendia sua habent, ob quæ ex justitia obligati sunt ad justitiam partibus implorantibus ministrandã; similiter autẽ & judices Ecclesiastici Beneficia, aliósque proventus Ecclesiasticos accipiunt, quibus contenti esse possint.

3 Adverte tamẽ discrimina esse inter Judicẽ sæcularem, & Judicem fori Ecclesiastici.

Primum, si Judex in causis civilibus munus accipiat, tanquam pretium seu mercedem, contra justitiam tantùm peccat, & ad restituendum obligatur, sicuti docui *lib. 3. tra. 4. de justitia c. 4. assert. 9.* Sin autem Judex Ecclesiasticus pro sententia ferenda, circa jus Ecclesiasticum, rem aliquam temporalem, ut pretium accipiat, Simoniæ etiam crimen committit, sicuti annotavit *Gl. in c. vendentes 10. v. justitiam causa 1. q. 3. Imola hic & Abb. n. 7.*

Secundum, per consuetudinem introduci potest, ut partes sæcularibus judicibus, & assessoribus eorum solvere cogantur 4 aliquid certum, salarij loco, sicuti tradit *Abb. hic n. 4.* dummodo id, quod solvitur, moderatum sit, & exactio, vel præstatio ita instituatur, ut absit occasio justitiam pervertendi: sin autem exactio immoderata, aut irrationabilis sit, v. g. ut victor causæ partem notabilem rei, in judicium deductæ, judicibus relinquere cogatur, aut si acceptiones munerum sine ullo discrimine judicibus permittantur (præsertim, si etiam judicium & assessorum officia vendi soleant) tum non appareret, quomodo consuetudo juris introduci possit, quandoquidem cum manifesto justitiæ ac Reipublicæ detrimento juncta est. At verò ut judices Ecclesiastici, qui sufficientia stipendia, aut beneficia habent, munera seu salaria à partibus exigant, per consuetudinem non ita cohonestari posse videtur, *argu. hujus cap.* tum propter speciem & periculum mali, à quo Ecclesiastici magis, quàm alij abstinere debent, tum propter periculum Simoniæ, si causa spiritualis sit. Quamvis enim id vitium vitari posse videatur, si dicatur, pecuniam non accipi, ut pretium, sed ut stipendium vitæ, esto Judex sufficiens pro judicandi munere salarium habeat; quemadmodum simili ratione per consuetudinem introduci potest, ut fideles Parocho, alioquin sufficientes reditus habenti, in administratione Sacramentorum Baptismi, Matrimonij, Extremæ Unctionis, aut pro funere offerre teneantur, sicuti docui *lib. 4. tra. 10. c. ult. n. 16.* Respondetur tamen, discrimen esse, quòd oblationes istæ, cùm pietatis causã in se habeant, faciliùs per consuetudinem stabiliri possint, quàm præstationes, quæ fiunt pro actu judicandi: hæ enim pietatem non continent, sed turpitudinem ex parte exigentium, aut recipientium præseferunt, præterquam, si in aliqua diœcesi reditus Ecclesiastici tanti non

sint

sint, ut judicibus sufficienter ex ijs subveniri possit, ideóque manifestum fiat, munera seu xenia moderata à partibus exigi, ut stipendium vitæ.

De Judicibus Delegatis à summo Pontifice paulò alia ratio est : cùm enim ob causas tales speciales salarium, aut stipendium non accipiant, ideo faciliùs cohonestari potest per consuetudinem, ut à partibus accipiant, sicuti annotavit *Mol. disp. 84. cit. n. 13.* quare spectato etiam communi Ecclesiastico jure, ejusmodi delegatis permittitur, ut esculenta modica, & sponte oblata accipiant, quod tamen de ordinarijs Judicibus Ecclesiasticis dicendum non est, sicuti bene docet *Molina contra Syl V. judex. & Tabienam ibidem n. 7.* Siquidem etiam Civili Jure *citata authent. ut judices &c.* Xenia omnia etiam in esculentis & poculentis sublata sunt, si Judex stipendium seu salarium ex publico habeat : Judices autem Ecclesiastici ordinarij omnes plerumque beneficia, aut stipendia sufficientia habent, ratione quorum obligantur ad judiciarias lites per se, vel per delegatos definiendas ; quam ob rem non improbabiliter putat *Molina n. 8.* quòd spectato communi jure, delegatus ordinarij inferioris, v. g. Episcopi, victualia ejusmodi, vel expensas accipere non possit à partibus, sed ab ordinario delegante, quippe ad quem, ut ponimus, ratione officij sui pertinet causas expedire, licèt contrarium senserit *Gloss. in c. statutum. §. Insuper V. moderatas. de rescriptis in 6. Imola hic &c.* quòd omnis delegatus modica victualia, & expensas, si à domicilio discedere debeat, à partibus accipere possit ; sed spectato jure communi sententia Molinæ mihi placet, nam eâdem ratione *in cit. c. statutum. §. assessorem.* decernitur, si necesse sit, ut delegatus Papæ sibi assessorem assumat, salarium ei à partibus solvendum esse ; & tamen communiter docent DD. *Abb. hic n. 14. Mol. cit. disp. 84. n. 9.* & alij apud ipsos, si ordinarius assessorem adhibeat, salarium non à partibus, sed ab ipso, qui ejus auxilio utitur, ordinariè præstandum esse.

Quæres, quæ sit differentia inter sportulas & xenia ? Resp. Xenium esse veluti speciem quandam sportularum, nam Xenia pro esculentis, ac poculentis accipiuntur, quæ alicui adventanti offeruntur intra breve tempus absumenda ; & hæc xenia, seu munuscula judicibus permittuntur *in L. pleibiscito 18. ff. de officio præsidis.* sed postea per supra *allegatam auth.* moderatio adhibita fuit, ut xenia, non nisi sponte oblata, & ab alijs tantùm judicibus, qui ex publico salarium non habent, accipi possent. At verò sportulæ per metonymiam dicuntur omnia munera, seu victualia sint, seu pecuniæ &c. quæ aut sponte offeruntur, aut exiguntur, & hæ Judicibus utroque Jure Civili & Canonico prohibitæ sunt, ne *justitiæ* opera venalia fiant. 6

Veruntamen pro executoribus sententiæ latæ, videlicet Notario, Scribæ, Pidello &c. sportulæ exigi possunt, *juxta auth. de litigiosis. §. ad exducandas. Collatione 8.* idque etiam in ecclesiastico foro, dummodo moderatæ sint præstationes, atque potationes inter officiales in Curia non permittantur. Similiter verò Advocati & Procuratores laboris sui mercedem exigere non prohibentur, *juxta c. non licet. 71. caus. 11. q. 3.* ubi ex S. Aug. *Epist. 54. ad Macedonium dicitur* : non licet Judici vendere justum judicium, & si liceat Advocato vendere justum patrocinium, & Jurisconsulto rectum consilium. Bene autem advertit *Gl. ibidem* S. Aug. loqui secundùm legem positivam : at verò, spectatâ lege naturali, secundùm se, neque Advocatus patrocinium, aut Jureconsultus consilium suum, quatenus justum est, sicut nec Judex sententiam, quatenus justa est, vendere potest, cùm opera justitiæ venalia esse nequeant. At verò tam Judex, quàm Advocatus, & Jurisconsultus vendere aut locare potest industriam, pe- 7

peritiam ac laborem, quem adhibet in considerando, discutiendo, ac decidendo negotio, *juxta ea, quæ docui lib. 4. tra. ult. c ult. §. 4.* Verùm cùm munera animum prudentis excæcare soleant, longè majus est periculum, si Judici offerantur, qui causam arbitrio suo definire potest, quàm si Advocato aut Jureconsulto offerantur, quippe qui causæ cum authoritate definiendæ potestatem non habet, sed tantùm muneribus, aut salarij magni spe permovetur, ut diligentiùs & exactiùs causam instruat, Judicique decidendam relinquat, qua in re rectè agit. Accedit denique, quòd Magistratus ex justitia jus dicere cogatur, à quibus tributa accipere solet, non autem ita Advocatus aut Jureconsultus partibus consulere.

CAPITULUM XI.

Deus.

Paraphrasis.

Cùm Livonienses ad fidem Christi acceptandam parati essent, à Sede Apostolica ad eos, unà cum Episcopo destinati sunt Monachi, & Regulares Canonici. Verùm quia putabatur, quòd pagani, & neophyti propter observationum, & habitûs diversitatem, scandalum accepturi essent, ideò mandat Innocent. III. utnon obstante Ordinis diversitate, omnes in unum vivendi modum, & honestum habitum, qui Evangelij prædicatoribus convenit, se conforment.

Summarium.

1. *Uniformitas habitûs, & eadem vivendi ratio inter eos, qui idem institutum tenent, & eadem exercent officia, multùm juvat ad mutuam charitatem, & finis consecutionem.*
2. *Ita ut nonnunquam expediat, si absit scandalum, habitum Ordinis occulere seu occultare.*
3. *Et hinc in multis etiam ab observatione regulæ suæ excusatur Monachus, qui legitimè ad Episcopatum, vel Parochiam extra Monasterium transfertur.*

NOtandum. Uniformis habitus, eadémque vivendi ratio inter eos, qui idem institutum tenent, & officia eadem exercent, multùm valet ad mutuam charitatem inter eos, & populi ædificationem. Quam obrem hæc justa esse potest causa, cùm Religiosi in Evangelio Christi gentibus prædicando occupati, habitum Religionis suæ exuant, aut occultent, si id necessarium esse videatur, ad fructum majorem referendum; si quidem ratio legis naturalis dictat, quòd observatio regularis in vestitu, & alijs rebus non debet esse majoris boni impediens: quam ob rem etiam *in c. 2 ne Clerici vel Monachi in 6.* excommunicantur omnes Religiosi, qui habitum Religionis suæ dimittunt, cum moderatione, si temerè, & sine causa rationabili id agant. 1

Nonnunquam verò, si periculum aut scandalum ita vitari possit, expediet habitum non omninò exui, sed occultari, alijs superindutis vestibus, secundùm *Gl. hic V. professi. & Gl. in c. nova. 22. causâ 16. q. 7. v. nec habitum.* Quia id potiùs concedendum est, quàm habitum omnino deponere, quandoquidem saltem familiares sui ita eum agnoscere poterunt, quòd Religiosus sit, & ipsemet etiam Professionis suæ memor esse; quam ob rem non malè docuit hic *Ioannes de Lignano, & Abb. n. 4. Suar. de censuris disputat. 23. L. 4. n. 33.* Religiosum non incurrere excommunicationem *cit. c. 2* si retento habitu, eum alijs injectis vestibus occultet; tametsi enim ponamus eum temerè & sine causa rationabili id agere, tamen non exuit habitum, quod in cit. c. sub excommunicatione prohibetur, sed minus aliquid agit, videlicet occultat habitum, tametsi contrarium docuerit *Gloss. in clement. 2. v. extrinsecus hoc tit.* Videri etiam potest Navar. *c. 29. manual. n. 131.* 2

Corollarium. Si Monachus aut Canonicus Regularis translatus sit ad Episco- 3

parum

patum vel Parochiam, in multis absolvitur ab observatione Regulæ suæ, cùm debeat se in vivendi ratione conformare alijs, quibuscum vivit ob charitatem augendam, & scandalum amovendum, qua de re *Abb. hic not. 1. & Gl. observanda in c. de Monachis 4. v. discedere caus. 16. q. 1.*

CAPITULUM XII.

Cum decorem.

PARAPHRASIS.

Intellexit Innocentius III. in quibusdam Ecclesijs ludos theatrales institui, in quibus ludibriorum spectacula, & larvarum monstra producantur; sed & ipsos presbyteros, diaconos, & subdiaconos in præcipuis festivitatibus talis insaniæ ludibria exercere; quare mandat Episcopo loci, ut hujusmodi ludibriorum consuetudinem, seu potiùs corruptelam tollat, ne per talem turpitudinem Ecclesiæ decor inquinetur.

SUMMARIUM.

1. *Ludi theatrales, si inhonesti sint, in Ecclesia fieri prohibentur.*
2. *Cæsarea etiam lege prohibetur, sub pœnis corporalibus, ne quis sub schemate Monachi vel Monialis &c. ludibrij causâ, theatralia exerceat.*
3. *Neque debent Sacerdotes, aliique Clerici, admittere histriones & mimos, qui obscœna exercent in nuptijs, aut convivijs.*

NOtandum. Ludi theatrales, si inhonesti sint, in Ecclesia fieri prohibentur; secus verò si sint honesti, & ad pietatem concitantes, sicuti docui *lib. 4. tra. ult. c. 7. n. 30. §. ad hoc genus & tradit Gl. recepta hic v. monstra.*

Eadem Glossa & Innocentius hîc admonet, Cæsareâ lege prohibitum esse *authent. de sanctiss. Episcopis. c. ult. collatione 9.* nequis in schemate Monachi, Monalis, alteriúsve Ecclesiasticæ personæ theatralia exerceat ludibrij causâ: pœna decreta est, ut corporalia supplicia sustineat, & exilio tradatur; quod notandum est adversus novatores nostros, qui talia interdum etiam in Imperialibus Civitatibus agere audent, non enim à pœna hac immunes sunt, cùm Cæsareis antiquis legibus perinde, ac alij obligentur.

Admonet etiam *Abbas hic n. 1.* quòd Sacerdotes, aliique Clerici sustinere non debeant, seu admittere publicos histriones, ac mimos, qui in convivijs, & nuptijs ludicra, & sæpe obscœna exercent. *c. non oportet. 30. dist. 5. de consecratione.* & tales ludicra exercentes lucri causâ, publici videlicet mimi ac gesticulatores, infames censentur. *L. 2. §. ult. ait prætor. & L. athletas 4. ff. de his, qui notantur infamia*, quam obrem ad sacros Ordines promoveri non debent. Sicuti etiam Innocentius hîc notavit.

CAPITVLVM XIII.

Ut Clericorum.

PARAPHRASIS.

Clerici, maximè qui in sacris constituti sunt Ordinibus, castitatem colere debent, alioquin si quis in incontinentia deprehensus fuerit, secundùm Canonicas sanctiones juxta delicti gravitatem puniatur: siquis autem ob eam causam ab officio suspensus celebrare præsumpserit, beneficijs privetur, ac deponatur, quia duplicis culpæ reus est. Prælati autem, qui tales in suis iniquitatibus perseverare sinunt, maximè verò, si ob pecuniam, aliúdve temporale commodum punire negligant, eisdem pœnis subjacere debent. Græci verò Sacerdotes, aliique in Ordinibus sacris positi, qui secundùm gentis suæ consuetudinem matrimonio utuntur, si in carnis vitium lapsi fuerint, graviùs etiam quàm alij puniri debent, cùm eis liceat legitimo matrimonio uti.

SUMMARIUM.

1. *Pœnæ in Clericos majores fornicarios variæ pro varijs temporibus constitutæ fuerunt.*

2. *Observandæ hodie pœnæ Tridentini.*
3. *Ita ut pœnas etiam incurrant Iudices Ecclesiastici Ordinarij, si taliter delinquentes tolerant, maximè ob commoda sua temporalia.*
4. *Quid Græcis Sacerdotibus consuetudo permittat?*

1 NOtandum primò, de pœnis Clerico in sacris constituto inferendis, si in vitium fornicationis, aut incontinentiæ lapsus sit, variè constitutum reperimus; nam primis sæculis talis deponebatur *c. presbyter. 12. dist. 81. c. Sacerdotes 33. dist. 50. c. à multis 9. de ætate & qualitate.* At verò in *c. 2. & sequentibus Tit. sequente*, per suspensionis, aut interdicti sententias, postea etiam excommunicationis, ac denique depositionis ab Episcopis suis tales Clerici coërceri jubentur. Videri potest *Abb. in c. sicut. n. 2. Tit. sequente.*

2 Denique in Trident. Concil. quod nunc observari debet, *Sess. 25 c. 14. de reformatione*, statuitur, ut si Clericus fornicarius, concubinarius, aut cum muliere suspecta extra vel intra domum suam consuetudinem habens, post primam monitionem à Superiore factam non abstinuerit, tertiâ parte fructuum Ecclesiasticorum ipso facto privatus sit; post alteram verò monitionem, si se non emendaverit, fructus omnes beneficiorum amittat, & à beneficiorum administratione suspendatur, quamdiu Ordinario visum fuerit; sin autem post suspensionem iterum dictæ mulieris consuetudine utatur, beneficijs, officijs, & pensionibus Ecclesiasticis in perpetuum privetur, fiatque inhabilis, & indignus quibuscunque Ecclesiasticis honoribus, dignitatibus, beneficijs & officijs, donec post manifestam vitæ emendationem Superiori ejus visum fuerit, esse ex justa causa dispensandum. Denique verò si opus sit propter pertinaciam, & criminis repetitionem, excommunicandus est. Alij verò Clerici, qui beneficia aut pensiones non habent, juxta delicti qualitatem & contumaciæ perseverationem pœna carceris, suspensione ab ordine, inhabilitate ad beneficia, aliisque Canonicis pœnis propter dictum incontinentiæ crimen coërcendi sunt.

Notandum secundò. Graviter delin- 3
quunt, & pœnis Canonicis obnoxij fiunt Ordinarij locorum, eorúmque Vicarij & Visitatores, si Clericos concubinarios, aut ob mulierum familiaritates publicè suspectos tolerent, maximè si ob munera, vel alia temporalia sua commoda, punire, & emendare, cum populi scandalo, & Cleri de decore intermittant.

Notandum tertiò, Orientalibus Sacerdo- 4
tibus, cùm à consuetudine sua contra priscos Canones introducta utendi uxoribus, quas ante susceptum Sacerdotium duxerant, abstinere nollent, denique à Romanis etiam Pontificibus concessum fuit, ut Matrimonio uti possent: verùm ut postquam Sacerdotes facti sunt, Matrimonium contraherent, aut perperam contracto uterentur, nunquam, ne in Oriente quidem permissum, aut approbatum fuit, sicuti bene annotatur in Gregoriana nota *super c. aliter. 14. dist. 31. vide quæ docui lib. 5. tra. 9 c. 11.*

Capitulum XIV.

A crapula.

Paraphrasis.

Innocentius III. in Concil. Lateranensi statuit, ut Clerici à crapula, & ebrietate diligenter abstineant, neque ad bibendum aliquis incitetur, cùm ebrietas & mentis inducat obscuritatem, & libidinis sit incitamentum. Ille verò maximè abusus abolendus, qui in quibusdam terræ partibus invaluit, ut ad potus æquales se mutuò provocent potatores, atque is judicio talium plùs laudatur, qui plures inebriat, & calices fæcundiores exhaurit; si quis autem super his culpabilem se exhibuerit, atque a Superiore suo admonitus non emendaverit, ab officio vel beneficio suspendatur.

Clarus

Clarus est textus atque annotandus pro Cleri reformatione in Germania.

Capitulum XV.

Clerici.

Paraphrasis.

Innocentius III. in eodem Concilio Generali Lateranensi præcipit, ut Clerici officia & comercia sæcularia, maximè quæ inhonesta sunt, non exerceant, mimis, joculatoribus, & histrionibus non intendant, & tabernas omnino evitent, præterquam ob necessitatem in itinere constituti, ad aleas & taxillos non ludant, nec ejusmodi ludis intersint; coronam & tonsuram congruentem habeant, & se in officijs Ecclesiasticis, aliisque bonis studijs diligenter exerceant; vestimenta desuper clausa ferant, nec nimis brevia, nec nimis longa; pannis rubeis, aut viridibus, manicis & soccis consutitijs frænis, sellis, pectoralibus, aut calcaribus deauratis non utantur; cappas manicatas intra Ecclesiam non gerant, sed nec alibi, qui Sacerdotes sunt, aut personatum habent, nisi ob justam timoris causam, necesse sit, habitum transformare. Fibulas non ferant; neque corrigias auro, vel argento ornatas; sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis: Episcopi autem in publico, & in Ecclesia omnes superindumentis lineis utantur, nisi Monachi fuerint, quos monachalem habitum oportet ferre; pallijs verò diffibulatis non utantur in publico, sed vel ante collum, vel post collum connexis. De decente Clericorum vestimento videri potest *Clement. 2. hoc tit.* quæ innovata & ampliata est in Concil. Trident. *Sess.* 14. *c. 6. de reformatione, & iterum sess.* 22. *c.* 1. *de reformatione.*

Summarium.

1. *Clerici, & multò magis Religiosi sæcularia officia tractare non debent.*
2. *Prohibetur etiam illis alea ludus.*
3. *Compelli debent per censuras ad coronam, & decentem Ordini habitum ferendum, si sint in sacris constituti.*
4. *Annulos gestare non debent, nisi sint in Dignitate Ecclesiastica constituti; aut, ut aliqui, minùs tamen probabiliter, volunt, Doctores: Professoribus tamen Doctoribus usus annulorum non negatur.*

1 NOtandũ primò. Clerici, & multò magis Religiosi, officia & comercia sæcularia tractare non debent, secundùm Apostolum *2. ad Timoth. 2.* nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. Sæcularia autem negotia censeri debent, quæ mentem occupant, & à divinis ac pijs officijs abstrahunt, atque ad finem supernaturalem & salutem animarum, per se ac directè non conferunt. Vide, quæ dixi *lib. 1. tra. 5. p. §. c. 8. n. 3.*

2 Notandum secundò. Clericis prohibitus est lusus aleæ, de hoc dixi *lib. 3. tra. 4. c. 21. n. 1. & 2.*

3 Notandum tertiò. Clerici in sacris & beneficiarij per censuras compelli debent ab Ordinarijs, ut tonsuram & vestem Ordini Clericali congruentem, non autem Laicalem & profanam deferant. Qua de re *vide Clement. cit. & Trident. loc. cit.*

4 Notandum quartò. Clerici annulos gestare non debent, nisi sint Episcopi, vel in Ecclesiastici officij dignitate constituti. Ita etiam habetur *in Concil. Basileensi, de reformatione Clericorum.* Plerique tamen existimant, Doctoribus Clericis concessum esse, ut annulum ferant, cùm hoc unum sit exinsignibus, quibus doctoralis dignitatis inauguratio perficitur, & sumunt argu. *ex Clement. 2.* ubi Doctoratus honor adeóque dignitas dicitur. Verùm contrarium ex *hoc c.* colligitur, quia licèt Doctoratus honor sit in Ecclesia, non tamen est dignitas, nisi latè & impropriè. Canones autè significant, annulos aureos à Clericis ferendos non esse, nisi eis ex officio dignitatis competat; videlicet cum aliqua

ſuperioritate, aut jurisdictione: ſed neque argumentum illud oſtendit, quia annulus ſymbolum eſt inaugurationis, quandoquidem etiam cingulum aureum, & quibusdam locis ſertum, tanquam ſymbola & inſignia doctoribus conferuntur, cùm tamen conſuetudo Eccleſiæ non permittat, ut poſtea Clerici doctores talibus in publico utantur. Excipiendi tamen ſunt Profeſſores ſcientiarum, quippe quibus ſuperioritas & aliqua jurisdictio ſecundùm leges competit in Studioſos.

CAPITULUM XVI.

Ex Litteris.

PARAPHRASIS.

Comes Pontinus Honorio III. ſignificavit, quòd aliqui ſuæ regionis Clerici negotiationibus magis, quàm divinis officijs dediti ſint, & nihilominus clericali privilegio gaudere velint, neque ſtatutis patriæ ſubjacere; cùm tamen ijs, ſi pro commodo ipſorum faciant, non minùs, quàm Laici utantur; ideò ſupplicavit, ut dicti Clerici vel compellantur, illicitis ſibi negotiationibus derelictis, Eccleſiæ ſervire, vel permittantur quoad facultates juxta regionis ſtatuta, & conſuetudines fiſco ſæculari ſubjacere. Reſpondit Honorius III. ad Epiſcopum loci, cùm ea, quæ de Clericis relata ſunt, in Clericalis Ordinis vituperium redundent, & ex Clericorum vita Laici non ſcandalum, ſed honeſtatis exemplum accipere debeant, ideo mandare ſe ipſi, ut ſi Clerici, poſtquam tertiò ab ipſo moniti fuerint, à negotiationibus, quas prætermiſſis divinis officijs, exercuerunt, non abſtinuerint, quandoquidem ipſo facto privilegium abijciant clericale, eos non defendat, quò minùs ſecundùm ſtatuta, & conſuetudines regionis, perinde, ac Laici, in facultatibus ſuis jurisdictioni ſubjaceant ſæculari.

SUMMARIUM.

1. *Clerici gaudere poſſunt ſtatutis & conſuetudinibus Regionis, ubi habitant, quatenus iſtæ illorum commodo ſubſerviunt, dummodo ſtatui eorum non repugnent.*
2. *Quòd ſi tamen, prætermiſſis divinis officijs, ſæcularibus negotiationibus intendant, & ter moniti à ſuo Epiſcopo non reſipiſcant, ipſo facto amittunt privilegium clericale, quoad immunitatem à tributis & patrimonialibus ſuis, & taliter quæſitis facultatibus.*
3. *Poſſunt enim Clerici, non quidem per ſpontaneam renuntiationem, per delictum tamen amittere ſua privilegia.*
4. *Defendendi tamen ſunt per cenſuras à Prælatis Eccleſiaſticis, ſi ſine ſua culpa, ad exactiones, & tributa ſolvenda, à ſæcularibus Magiſtratibus cogantur.*

NOtandum primò: Clerici gaudere poſſunt ſtatutis & conſuetudinibus regionis, in qua vivunt, quatenus ea ipſis commodo ſunt, ita colligitur *ex textu*, & docui *lib. 1. tra. 4. c. 13. & in c. Eccleſia. 10. de conſtitutionibus.* Ratio eſt, quia & ipſi Clerici, ſi in communi vitæ ſocietate degant, cives ſunt & membra Reipublicæ, ergò communibus ejus commodis, & privilegijs fruuntur. Ex quo ſequitur, quòd etiam communibus Reipublicæ legibus obligentur, dummodo ſtatui ipſorum, & Eccleſiaſticæ libertati non repugnent, ſicuti docui in citatis locis. 1

Notandum ſecundò: Si Clericus omiſſis Eccleſiaſticis officijs, ſæcularibus negotiationibus intendat, poſtquam tertiò à Prælato ſuo monitus eſt, niſi reſipuerit, ipſo facto amittit privilegium clericale, quod attinet ad facultates ſuas, ita ut ex ijs, perinde ac cives Laici, Magiſtratui ſæculari tributa ſolvere cogatur. Ratio dari debet, quia ſi Clericus poſt trinam monitionem canonicè

nonicè factam ab Episcopo, ad officia Ecclesiastica relictis sæcularibus negotiationibus non accesserit, incorrigibilis apparet, ut proinde saltem quoad facultates suas Magistratui sæculari subjectus esse debeat; qua simili ratione non pauci DD. tradunt, si Clericus in sacris ter monitus ab Episcopo, ut deserat arma iniqua, quæ dimisso habitu Clericali assumpsit, non paruerit, ipso facto privari eum omni Clericali privilegio, etiam fori, prout docui *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. 5. n. 3.*

Pertinet autem dispositio hujus Capituli ad bona tantùm, quæ sunt propria, seu patrimonialia Clericorum, sicuti bene notat *Suar. de censuris. disp. 22. q. 1. n. 17. Gl. hic v. suis facultatibus.* ubi ait non propterea, quòd Prælatus e. g. officijs sacris neglectis, negotiationibus se immiscet, & à superiore suo ter monitus, desistere non vult, Ecclesiæ facultatibus præjudicium generari, quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare *reg. 76. in 6.* Sed non rectè, ut arbitror, hinc infert *Abb. n. 10.* Si Prælatus ex bonis Ecclesiæ negotiationem, illicitam sibi, exerceat, non obligari ad solvendum vectigal, & alia tributa, nam hoc *ex isto c.* non colligitur, & contrarium significatur *in c. Quamquam 4. de Censibus in 6.* Vide, quæ docui *lib. 4. tra. 9. c. 6. n 9. v. deinde.*

3 Notandum tertiò: Licèt Clerici privilegia clericalia pet spontaneam pactionem seu renunciationem amittere non possint *c. si diligenti 12. de foro competente c. Contingit 36. de sententia excommunicationis*, tamen per delictum ex Canonis dispositione privilegia amittere possunt. Ita *Gl. hic v. Cum facto*, & constat *ex c. unico hoc tit. in 6.*

4 Notandum quartò: Si Clerici, quod his temporibus frequenter accidit in Germania nostra, à dominis sæcularibus ad exactiones, & tributa adversùs Ecclesiasticam immunitatem cogantur, Ecclesia sive Ecclesiastici Prælati ipsos defendere debent, videlicet per censuras, aliósque concessos modos; ita per sensum contrarium sumitur *ex hoc cap.* & tradit *Gl. recepta hic. in fine casûs* addens, id bene notandum esse; & habet hæc doctrina locum, sive exactiones fiant in Bonis Ecclesiæ, sive in Bonis ipsorum Clericorum proprijs, seu patrimonialibus, uti apertè *ex hoc c.* colligitur, & admonet *Gl. v. suis facultatibus Abb. n. 4. Imola. n. 2. & dixi de hoc cit. tract. 9. c. 6. n. 9.*

CAPITVLVM VNICVM eodem in 6.

Clerici.

Paraphrasis.

Si Clericus Clericalis Ordinis dignitati adeò detrahat, ut joculatorem, aut histrionem in publico agat, eámque ignominiosam artem anni spatio exerceat, ipso jure omni clericali privilegio privatus existit; idémque sentiendum, si tempore breviore exercuit, postquam ter à Superiore monitus, resipiscere neglexerit.

Summraium.

1. *Clericatus est dignitas, latè sumendo hoc nomen.*
2. *Histriones, mimi, & qui has artes publicè exercent, infames sunt.*
3. *Et irregularitatem incurrunt.*
4. *Et, si degradentur, privilegia clericalia amittunt.*
5. *Ita ut ex probabiliore sententia cum ejusmodi Clerico deposito, nec Episcopus post emendationem dispensare possit.*

NOtandum primò: Clericatus est dignitas latè accipiendo hoc vocabulum, nam Clerici ratione Ordinis sui honoratiores & eminentiores sunt Laicis. *c. ult. dist. 4. juncta Gl. V. dignitas.* 1

Notandum secundò: Histriones & mimi, qui videlicet artem hanc in publico exercent, infames sunt, L. 2. §. *ait prætor. & L. 4. ff. de iis, qui notantur infamiâ.* 2

Dicitur autem exercere artem, non qui semel tantùm actum egit, sed qui iteratò, sicuti hìc notat Anchoranus & Francus n. 3. quòd vocabula signantia exercitium artis aut officij non verificentur ex uno actu.

3 Corollarium. Qui artem histrionis aut joculatoris exercet, irregularitatem incurrit, quia omnes, qui Jure Civili infames reputantur, Jure etiam Canonico infames, & ideò irregulares sunt, sicuti docui *lib. 1 tra. 5. p. 5. c. 4. n. 2.*

4 Veruntamen non ideò statim, quòd Clericus irregularis efficitur, etiam Clericalia privilegia perdit, nisi insuper degradetur; quare hæc est specialis pœna Clericis quibuscunque inflicta, ut si per annum continuum artem joculatoriam publicè exerceant, vel breviore tempore, si post trinam Prælati monitionem non resipuerint, ipso jure depositionem, & privationem omnium Clericalium privilegiorum incurrant: opus tamen est, ad hujus pœnæ executionem, declaratione Judicis Ecclesiastici, sicuti docui *cit. tra. 5. p. 3. c. 5.*

Similis pœna privationis ac veluti degradationis ipso jure lata est in *Clement. 1. hoc tit.* adversùs Clericos conjugatos, imò etiam non conjugatos, habitu tamen laicali incedentes, si lanionum, aut macellariorum, vel tabernariorum officium publicè exerceant, & tertiò nominatim moniti, ut desistant, non obtemperaverint; opus tamen est tripla distinctâ monitione, ita ut non sufficiat in hoc casu una pro trina, *teste Gl. recepta in cit. Clement. v. 3. Suar. de censuris disput. 22. L. 1. n. 16.*

Sed dubium est, an cum ejusmodi 5 Clerico depositio, & privato, Episcopus post pœnitentiam, & emendationem dispensare possit. Affirmat Joan. And. Anchoranus, Dominicus, & Francus in fine hujus cap. Sed arbitror negandum, quia hæc esset quædam restitutio in integrum collata personæ, quæ per universales Canones privata, & abjecta est: talem autem restitutionem facere, ad principem solùm pertinet, qui est Papa. Confirmatur primò: generalis regula est, quòd inferior non possit dispensare, aut relaxare in meris pœnis Ecclesiasticis, jure universali inflictis, nisi ipsi expressè concessum sit; quæ causa est, ut Episcopi non possint dispensare in suspensionibus, quæ meræ pœnæ sunt, atque irregularitatibus, præterquam, si proveniant ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum ex cõcessione Tridentini *sess. 24. c. 6. de reformatione.* Vide, quæ dixi *cit. tra. 5. p. 3. c. 4. n. 2. & p. 5. c. 9. Suar. de censuris disput. 41. sect. 2.* Confirmatur secundò: restitutio ista Clerici privati fieret cum præjudicio potestatis sæcularis, cui in Clericum ita privatum & degradatum jus acquisitum fuit, ergo non nisi à summo Pontifice fieri debet.

TITULUS II.

DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM.

CAPITVLVM I.

Inhibendum.

PARAPHRASIS.

Nemo Sacerdotum fœminam, de qua suspicio sceleris esse possit, apud se retinere debet, adeò quidem, ut nec matrem, amitam, vel sororem, cujusmodi personas conjunctas alioquin Canones permittunt, Sacerdoti liceat secum habere, si suspicio ac periculum mali subsit, quandoquidem instigante diabolo

bolo etiam cum personis ita conjunctis scelus perpetratum fuisse comperimus, & facilius cum pedissequis earum. Cæterùm si tales personæ conjunctæ, ope presbyteri indigeant, manere poterunt in domo distita, in qua ipsis, quæ necessaria sunt, administrentur. Insuper prohibendum est, ne fœmina ad altare præsumat accedere, aut Sacerdoti ministrare, aut intra cancellos stare, vel sedere.

SUMMARIUM.

1. *Sacerdotibus permittitur, ut cohabitent cum faminis valde conjunctis, in primo scil. vel secundo gradu consanguinitatis, nisi etiam cum his, vel propter has cum pedissequis sit mali suspicio.*
2. *Quænam sit differentia inter taliter conjunctas & extraneas?*
3. *Num ea, quæ dicuntur de consanguineis, intelligi etiam possint de affinibus in primo & secundo gradu?*
4. *Utrùm Episcopo permissum sit, ut intra domum suam habeat matrem, aut sororem? & utrùm consultum sit?*
5. *Permissum tamen est Clericis, superfluos suos reditus, conferre ad sustentationem consanguineorum, si hi egeant.*

1 NOtandum primò: Sacri Canones permittunt, ut cum Sacerdote habitent mulieres valde conjunctæ, videlicet in primo aut secundo gradu consanguinitatis. *c. cum omnibus 27. juncta Gl. dist. 81.* & constat *ex Nicæno Concilio Can. 3.* prout etiam à Syricio Papa refertur *in c. feminas 31. eadem dist.* Excipitur verò hìc, nisi etiam cohabitatio cum fœmina ita conjuncta suspicionem, aut periculum mali generet, sive propter ipsammet, cum qua indicia aut incitamenta sceleris nefandi, seu incestus se prodiderunt, sive propter famulas, aut socias, quæ cum Sacerdotis matre, aut sorore, amita, vel matertera esse solent: qua ratione S. Augustinus teste Possidonio in vita ejus sororem suam secum retinere noluit, dicens, quæ cum sorore meâ sunt, sorores meæ non sunt, uti refertur *in c. Legitur 25. dist. 81.*

Quæritur primò: Quæ igitur differen- 2
tia sit inter fœminas conjunctas, seu consanguineas in primo & secundo gradu, & non ita conjunctas, aut extraneas? Resp. *Cum Gl. in c. Volumus. 24. eadem dist. Abb. hìc n. 2.* extraneæ, seu non ita conjunctæ mulieres eo ipso suspectæ esse solent, quia juvenes sunt; quare spectato communi Jure Canonico earum cohabitatio universim interdicta est Clericis, quamvìs in quibusdam Germaniæ nostræ Diœcesibus tolerentur in domo Parochi, alteriúsve sacerdotis mulieres tales famulantes, si bonæ famæ sint: consultum tamen esset, ut hæc etiam consuetudo reformaretur, atque secundùm sacros Canones à quavis etiam specie, aut occasione mali Sacerdotes seu in sacris Ordinibus constituti Clerici abstinerent *argum. c. Cùm ab omni. 10. de vitæ & honestate &c.* At verò mulieres valde conjunctæ, tametsi juvenes sint, cohabitare Sacerdoti possunt, per se loquendo, & nisi per accidens suspicio sit *arg. l. penult. hoc tit.*

Admonet etiam *Gl. in cit. c. volumus*, personas dicto modo conjunctas habitare posse cum Sacerdote, si solus habitet; secus si cum alijs Sacerdotibus: quæ limitatio maximè vera est, si collegialiter vivant.

Num verò parocho v.g. unum, aut alterum Cooperatorem in domo sua alenti permittendum sit, ut sororem, vel consobrinam juvenculam, secum habeat, id ex circumstantia loci, ac personarum colligi debet.

Quæritur secundò: quæ dicta sunt de 3
consanguineis, an similiter intelligenda sint de affinibus in primo & secundo gradu, quòd scilicet cum sacerdote habitare possint per se loquendo absque mali sceleris suspicione. Resp. non esse eandem rationem

tionem, quia sacri Canones mulierum cum Sacerdote cohabitationem prohibentes, consanguineas nominatim excipiunt, non item affines, quia constat majus esse fœdus naturale inter consanguineos, quippe per se conjunctos, quàm inter affines, qui per accidens tantùm junguntur. Veruntamen si mulier in primo gradu affinitatis juncta sit, v. g. noverca, nurus, aut fratris defuncti uxor, vel etiam in secundo gradu, quando accedit reverentia, quam alter alteri debet v. g. Sacerdos uxori patris sui defuncti, videtur cohabitatio permittenda, si aliunde, sive per accidens, suspicio nulla sit, sicuti colligitur *ex c. interdixit. 16. dist. 32.* & sumi potest *argumentum ex cap. 18. Levitici*, ubi talium personarum conjunctiones prohibentur.

4 Quæritur tertiò. Utrùm Episcopo permissum sit, ut intra domum suam habeat matrem, aut sororem. Negat *Gl. in c. legitur. 25. dist. 81. arg. authent. Episcopo. C. de Episcopis.* Accedit, periculum esse posse, partim propter cohabitantes cum Episcopo Clericos, partim propter ancillas, & pedissequas, quas decet habere matrem, aut sororem Episcopi. Resp. tamen cum *Abb. hic. n. 3.* Episcopo æquè, ac alijs Sacerdotibus permitti cohabitationem matris, & aliarum mulierum in primo vel secundo gradu *cit. c. interdixit.* Ad *authent. Justiniani.* Resp. eam à sæculari potestate, de materia Ecclesiastici fori prodeuntem, nullius roboris esse, sicuti docui *in c. Ecclesia. 10. de Constitutionibus.* Ad alterum dico, rectè inde colligi, plerumque non esse consultum, ut Episcopus, vel similis sæcularis Prælatus, matrem v. g. aut sororem intra domum, aut palatium suum habeat, sed in alia domo separata. Attamen universim loquendo secundùm Canones damnari non potest, si intra eandem domum, sed in cubiculis, seu conclavibus à sua, & Clericorum habitatione, & convictu distinctis, matrem, vel sororem suam, cum ancillis, Episcopus alat, quandoquidè in antiqua Ecclesia Episcopi, aliique Sacerdotes tali modo uxores suas, tanquam sorores, cubiculorum mansionibus separatas, habebant, & alebant, sicuti docui *lib. 5. tra. 10. c. 11. n. 6.* & constat *ex c. Episcopus 6. juncta Gl. V. sequestrato. dist. 77.*

Notandum secundò: Clericis Beneficiarijs concessum esse Ecclesiasticos suos reditus, qui ipsis superstant, seu superflui sunt, conferre ad sustentationem consanguineorum, si indigeant; imò lex charitatis postulat, ut his potiùs, quàm alijs pauperibus succurratur, *c. non satis. 11. dist. 86.* & constat ex ijs, quæ docui *lib. 2. tra. 3. c. 3. n. 6.* Peccat autem Beneficiarius, si reditus superfluos ad consanguineos, aut affines suos ditandos expendat, si indigentes seu pauperes non sint, sicuti constat *ex Trident. sess. 25. c. 1. de reformatione* & docui *lib. 2. tra. 3. c. 3. n. 6.*

CAPITVLVM II.

Si quisquam.

Paraphrasis.

Si aliquis Sacerdotum, id est Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, de crimine fornicationis cum muliere suspectus post primam, secundam, & tertiam monitionem inveniatur confabulari aut conversari cum eadem, excommunicetur, fœmina autem canonicè judicetur.

Summarium.

1. *Sacerdotis nomine latè loquendo, omnes Clerici significantur, qui in sacris constituti sunt.*
2. *Non tantùm concubinatus prohibetur sub pœnis & censuris inferendis cum muliere Clericis, sed etiam familiaritas cum muliere.*
3. *Peccans taliter, mulier cum Clerico subest jurisdictioni Ecclesiasticæ; quamvis in praxi doctrina hæc vix observetur.*
4. *Pœna tamen mulieris taliter fornicantis non est, ut ipsa cum prole concepta in servitutem redigatur.*

Notan-

1 NOtandum primò: Nomine Sacerdotis largè sumpto comprehenduntur omnes Clerici, qui in sacro ordine sunt; sed strictè ac propriè Sacerdotes dicuntur, qui sacrum Christi corpus conficiunt.

2 Notandum secundò: Non tantùm concubinatus Clericis, à sacris Canonibus sub censuris & pœnis inferendis, prohibetur, sed etiam familiaritas cum muliere, adeò, ut si Clericus canonicè admonitus non desistat, & contumax appareat, etiam excommunicandus sit; quo loco advertendum, quòd in tali casu familiaritatis suspectæ Clericus non punitur ob præsumptionem fornicationis, cùm accidere possit, ut de ea nec inquisitio facta, nec probationes acceptæ sint, sed tantùm de conversatione, & familiaritate notoriè scandalosâ, quæ proinde in se peccatum est; & accedente monitione, si Clericus in contumacia persistat, gravius efficitur, & eò usque crescere potest, ut beneficiorum privationem, depositionem, & excommunicationem mereatur, sicuti *tit. præcedenti in c. ut Clericorum.* 13. dictum fuit de Clericis concubinarijs.

3 Notandum tertiò: Si mulier delinquat cum Clerico contra Ecclesiasticì Ordinis decorem, subijcitur jurisdictioni Ecclesiasticæ. Ita *Abb. hic. n. 4. & Gl. recepta in c. eos 10. dist. 32.* Ratio est, quia delinquit contra Ecclesiam, & contra Clerum. Accedit, quod *Iason in L. nulli. n. 3. C. de judicijs, & alij apud Menochium de arbitrarijs &c. casu 371.* tradunt, decens esse, ut si plures simul delinquant, ab eodem Judice puniantur: monui tamen *lib 4. tra. 9. c. 4. n. 10.* doctrinam hujus notandi apud nos in praxi non observari.

4 Porrò, quod aliqui cum *Gl. finalt hic* ajunt, mulierem ob tale crimen in servitutem redigendam esse, id non rectè hìc dicitur, quandoquidem talis licentia ut Ecclesia mulierem unà cum prole, ex Clerico in sacris genitâ, in servitutem redigere possit, si mulier incestas nuptias contrahere præsumpsit, non nisi in hoc casu concessa est, sicuti docet *Gl. recepta in c. quidam. 30. dist. 82. & c. 3. causa. 15. q. 8.* At verò in casu nostri Capituli mulieri, quæ cum Clerico fornicata est, aut nimiam familiaritatem habet, juxta qualitatem delicti, pœna decernenda est, & olim quidem talis fornicaria in Monasterium trudi debebat *c. fraternitatis 7. dist. 34.*

CAPITVLVM III.

Clericos.

PARAPHRASIS.

Si Clerici in sacris in publico concubinatu reperiantur, Episcopus non debet ipsos cogere ad jurandum, quòd concubinam deferre velint, ne diaboli instinctu in idem fornicationis peccatum relapsi, perjurij etiam peccatum incurrant, sed per sententiam suspensionis, aut interdicti adigere debet Clericos ad concubinas amovendas, ita ut nulla ampliùs mali suspicio subesse possit; quòd si autem ad easdem concubinas redire, vel alias assumere præsumpserint, tum in quosdam eorum excommunicationis sententiam proferat, ut alij horum exemplo perterriti, à talibus excessibus se contineant.

SUMMARIUM.

1. *Non debet à peccatoribus, quorum recidiva timenda est, juramentum exigi de abstinendo imposterum.*
2. *Censuræ Concubinarijs Clericis imponendæ, non statim summæ esse debent, sed minores semper præmittendæ.*
3. *Et hinc in multitudine delinquentium possunt aliqui ad terrorem aliorum gravibus nonnunquam pœnis puniri, levioribus alij.*

1 NOtandum primò: à peccatoribus, quorum recidiva ob fragilitatem carnis timeri potest, non est exigendum juramentum de abstinendo imposterum, idque propter periculum perjurij, cujus materiam seu occasionem Superior aut Judex ministrare non debet *c. ille. 5. causa 22. q. 5.* Vide, quæ dixi *lib. 5. tra. 6. c. 4. n. 8.*

2 Notandum secundò : Prælatus contra Clericos Concubinarios, aliósve delinquentes, plerumque non statim excommunicationis censuram minari debet, sed priùs sub suspensionis aut interdicti censura præcipere, eamque actualiter contumacibus inferre ; postea verò, si adhuc in crimine perseverent, ad graviores pœnas vel censuras, videlicet excommunicationis & privationis seu depositionis devenire, prout docui *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. 1. n. 6.* Dixi autem *plerumque*, quia in atrocibus aut valde pernitiosis sceleribus majorem severitatem adhibere decet.

3 Notandum tertiò : Si valde multi Clerici eodem delicti genere deliquerunt, tunc aliquibus eorum, qui graviùs peccârunt, ordinaria Ecclesiastica pœna, v. g. excommunicationis aut depositionis, inferri potest, ita ut alij horum exemplo terreantur, qui tamen non omnino impuniti abire debent, sed mitiùs castigari, *juxta c. latores 4. de Clerico excommunicato*, vide, quæ dixi *lib. 2. tra. 3. c. 12. n. 7. v. quin imò.*

CAPITULUM IV.

Sicut.

Paraphrasis.

Clerici in sacris Ordinibus constituti, qui concubinas habent, diligenter moneri debent ab Episcopo, ut eas removeant, & iterum non recipiant ; sin autem parere contempserint, à beneficijs Ecclesiasticis usque ad satisfactionem congruam sunt suspendendi ; denique, si adhuc eas retinere præsumpserint, ab ijsdem beneficijs in perpetuum removendi. Vide, quæ dicta sunt *in c. ut Clericorum. 13. Tit. præcedente.*

NOtandum. Crescente contumaciâ crescere debet etiam pœna. Ita *Gl. finalis hic, & habetur in c. ult. in fine, ut lite non contestat. & L. relegati 4. ff. de pœnis*, ubi dicitur, quòd contumacia cumulat pœnam.

CAPITULUM V.

Super eo.

Paraphrasis.

Presbyter ab Archiepiscopo suo, eò quòd concubinam haberet, ab officio suspensus fuit, de hoc scribit Alex. tertius hîc. Si ab ipso appellatum sit, atque ad Sedem Apostolicam venire ipsum contigerit, quòd pertinaciam & audaciam ejus, prout justum fuerit, punire velit ; sin verò non accesserit, tunc suspensionis censuram tamdiu ab eo servari mandet Episcopus, donec concubinam dimiserit, & castè atque decenter vixerit : porrò subjungit Papa, si contingat, ut Presbyter ille litteras Apostolicas præsentet, quæ facti seriem non contineant, eas ipsi prodesse non debere

NOtandum. Literæ de absolutione testantes nihil prosunt appellanti, nisi facti species in illis exprimatur.

CAPITULUM VI.

Si autem.

Paraphrasis.

Scribit hîc Alex. tertius ad Londonensem Episcopum, si Clerici ejus jurisdictioni subjecti, sive in sacris Ordinibus, sive in minoribus constituti, fornicarias detineant, atque post alteram, vel tertiam monitionem, se non correxerint, ita ut aliam monitionem admissuri non videantur, tum eos Ecclesijs, vel portionalibus Ecclesiarum proventibus privet, atque ab officio suspendat.

CAPITULUM VII.

Vestra.

Paraphrasis.

Consultus fuit Lucius tertius propter Clericos concubinarios, num eorum missas fidelibus audire liceat, quandoquidem de ea re in antiquioribus Canonibus diversa

versa statuta esse videntur, nam *in c. Nullus 5. c prater. 6. dist. 32.* prohibetur, ne quisquam Sacerdotis Concubinarij missam audiat; alibi verò videlicet *causa 15. q. ult. c. ultimo* dicitur, quòd, quantumcunque pollutus sit Sacerdos, divina Sacramenta polluere non possit, quæ cunctarum cogitationum purgatoria sunt, & ideo a quolibet sacerdote mysteria sumenda esse, quia omnia in Christi fide purgantur. Ad hanc dubitationem respondet Papa, aliud esse crimen concubinatûs notorium, & aliud occultum. Notorium definitur, de quo Clericus canonicè condemnatus, aut quod ipsemet non diffitetur. Occultum verò, quod ab Ecclesia toleratur, de priore casu intelligi debet *cap. nullus, & cap prater:* quòd videlicet à Sacerdotum, in notorio concubinatu jacentium, missis abstinendum sit, ut ea ratione cæteri à peccandi licentia retrahantur. Et ij ipsi, qui peccaverunt, ad emendationem perducantur. Verùm mysteria seu sacramenta ejusmodi Sacerdotum fornicariorum nequaquam, tanquam immunda sint, aut minoris virtutis, respui debent, quam ob rem indubitatum est, quòd talium concubinariorum missæ, aliáque divina officia licitè audiantur, & sacramenta suscipiantur, quamdiu ipsi ab Ecclesia tolerantur, & crimen operis evidentiam non habet.

Summarium.

1. *Prohibitum quidem fuerat per antiquos Canones missam audire concubinarij Sacerdotis, si de crimine publicè constaret, non tamen nihil prodesse talia sacrificia his, pro quibus offerebantur; hæc tamen prohibitio nihil hodie operatur.*
2. *Duplex est Notorium Facti, & Iuris; & quamvis facti notorium, per negationem, dubium non reddatur, negari tamen potest, si de ipso notorio dubitetur; & hinc etiam circumstantiæ facti notoriæ esse debent, ut ne ex illis sumatur argumentum contra facti notorietatem.*
3. *Triplex autem est notorium facti; facti scil. permanentis; facti transeuntis; & facti interpolati.*
4. *Opponitur autem notorio facti occultum, quo modo occultum dicitur delictum, quod à nemine scitur; quod communicatur sub secreto, cum promissione (tacitâ vel expressâ) non manifestandi alteri; quod uni soli tantùm revelatum est, neque indicijs ostendi potest.*
5. *Si tamen tale crimen per se occultum, in futurum sit graviter pernitiosum, aut semiplenè saltem probari possit, publicè quidem notorium illud non est, denuntiari tamen potest, & penes Iudicem aut virum prudentem erit, arbitrari ex varijs circumstantijs, utrùm futurum tale notorium publicè sit.*
6. *Notorium Iuris dicitur, cujus est in judicio vel spontanea confessio, vel legitima probatio, vel quod per sententiam definitivam decisum fuit, vel juxta probabilem sententiam, quod per interlocutoriam decisum fuit, si in rem judicatam sententia talis transivit.*

NOtandum primò: Tametsi secundùm antiquos Canones prohibitum fuerit fidelibus, ne concubinarij Sacerdotis, si crimen ejus notorium esset, Missam audirent: tamen ea prohibitio facta non erat propterea, quòd sacrificium, & sacramenta ab indigno ministro administrata sumentibus non prosint, id enim falsum est, sicuti docui *lib. 5. tra. 1. c 5. n. 7. & tra. 5. c. 1. n. 12.* nam alioquin etiam à Sacerdotibus, quos in occulto aliquis scit esse concubinarios vel peccatores, abstinere deberet: sed illud de vitando concubinario notorio constitutum erat ad disciplinam Ecclesiasticam conservandam, & vitij concubina-

cubinatus deteſtationem indicandam. At verò hodierno jure propter Concilij Conſtantienſis Extravagantem, quæ incipit *Ad evitanda*: fideles non tenentur à Sacerdote concubinario abſtinere ſe in divinis, priuſquam tanquam vitandus denuntiandus ſit, ſicuti docui *lib. 5. tract. 5. c. 5. n. 11. §. his addendum.*

2 Notandum ſecundò: Duplex eſt notorium, Facti & Juris. Notorium facti eſt, quod ita populo ſeu hominum multitudini ſe exhibet, ut negari aut celari non poſſit, ſicuti videre eſt apud *Menoch. in arbit. caſu. 166. Far. in praxi. con. 1105. n. 3. Clarum in pract. §. finali. q. 8. Syl. v. notorium. q. 1.* quam ob rem licèt DD. *in L. 3. C. quibus ad libertatem &c.* regulam tradant, quòd negatione res dubia redditur, excipi tamen debet, quòd factum notorium per negationem dubium non reddatur, quandoquidem adversùs notorium negatio admittenda non eſt. *arg. c. Super eo 4. de teſtibus cogendis.* Et docet *Abb. inc. ſequente. n. 4. Maſcardus n. 5.* idque veriſſimum, & ex ipſis terminis notum eſt, ſi publicè conſtet factum eſſe notorium; ſed quia multa notoria videntur, quæ non ſunt, ideò reus, qui dicitur v. g. notorius concubinarius, hoc ipſum negare poteſt, videlicet notorium eſſe, ac proinde Judex ordinariè loquendo, priuſquam contra reum tanquam notorium criminoſum procedat, ipſo citato, declarare debet crimen notorium eſſe, & ſuper ea re teſtium informationes accipere, & audire reum, ſi negare, aut oſtendere velit notorium non eſſe crimen, ſicuti bene declarat *Clarus n. 5. Maſcar. n. 10.* Quòd ſi autem Judici judicialiter cognoſcenti conſtet, vel ab eo juridicè declaratum ſit, crimen notorium eſſe, tunc abſque alia probatione, aut proceſſu ad executionem & punitionem procedere poteſt *juxta cit. c. ſuper eo & c. ſequens.* quandoquidem inquiſitio ac probationes circa rem dubiam inſtitui ſolent, non circa notoriam. *arg. Clement. paſtoralis juncta Gl. de ſententia & re judicata.*

Præterea conſiderandum eſt, ut delictum hominis notorium cenſeatur, ſatis non eſſe, quòd de facto ſecundùm ſe conſtet in publico, niſi etiam notoriæ ſint qualitates, & circumſtantiæ, ita ut ex ijs nulla excuſatio culpæ competere poſſit, ſicuti monet *idem Clarus n. 3. Maſcar. n. 12. Tuſcus v. notorium. con. 111.* afferentes exemplum de eo, qui hominem in populi conſpectu occidit, ita ut factum negari non poſſit, ſed fortaſſe id egit ob neceſſariam ſui defenſionem, aut quia mentis inops erat, & ideo excuſationem prætendere poteſt, ut vel nullo modo, vel minùs deliquerit.

Porrò notorium facti triplex eſt, ut vi- 3
dere licet apud *Abb. hic n. 15. Syl. q. 2.* Unum eſt facti permanentis, quod continuò ſe exhibet hominum notitiæ v. g. palatium in foro. Alterum eſt facti tranſeuntis, ut vox v. g præconis. *auth. qui ſemel. C. quomodo aut quando.* ubi *Gl. V. paucis. & alij* monent, diſcrimen eſſe inter edictum in publico foro continuis quibusdam diebus propoſitum, & præconis vocem, quòd illud tanquam notorium facti permanentis probatione non ita indigeat, ſicuti notorium facti tranſeuntis, cùm iſtud notorium jam non ſit, ſed fuerit, & ideo de eo teſtes adduci debeant, prout docet *Maſcar. con. 1107. n. 16. & Menochius lib. 1. de præſumptionibus. q. 3.* & quòd notorium facti permanentis admittitur etiam contra rem judicatam, & omnem præſumptionem, quæ ſit Juris & de Jure, quia probatio ſeu oſtenſio per evidentiam facti nunquam excluſa cenſetur, ſecus autem eſt in notorio facti tranſeuntis. Tertium eſt notorium facti interpolati, quomodo aliquis dicitur notorius uſurarius, non quia continuè cum uſura mutuet, ſed quoties ab eo petitur; & ad hoc notorium, quod veluti medio modo ſe habet, inter notorium facti permanentis, & facti tranſeuntis, aliqualem probationem requiri, ſed non tantam, quanta ad notorium facti tranſeuntis, tradit *Gl. inc. Cùm in Diœceſi. 15. v. manifeſtos. de uſuris. Abb. hic, n. 19.* Licèt notorium

facti

facti præsertim permanentis probari non debeat, cùm se omnium notitiæ exhibeat, ita ut in dubium, aut negationem venire non possit, tamen allegari debet à parte *secundùm Gl. receptam in Clement. appellanti. 5. v. alias. de appellationibus.* Et videri potest *Fuscus con. 108. Menoch. cit. q. 67. n. 5.* nam Judex ea, quæ in facto, quamis notorio consistunt, ex officio non supplet, nisi ea ex actis resultent, v. g. si nota sit, ut Judici, contumacia rei absentis, quia eum peremptoriè citaverat, prout explicat *Tuscus cit. loco. n. 2. Mascardus con. 1108. n. 5. & Georgius Eberhardus volum. 2. consil. 39. n. 35.* ait, quòd notorium saltem allegari debet, si resultet ex facto hominis. Secus, si ex facto Juris, juxta doctrinam Innocent. *in c. Rainutius. in fine de testamentis.*

4 Notorio facti opponitur Occultum. Dicitur autem crimen (de hoc enim loquimur) variis modis, ac veluti gradibus occultum. Primò, quod à nemine alio scitur; cui æquiparari debet, quod sciturex sola Sacramentali confessione, quia perinde est, ac si non sciatur, in ordine ad revelationem, seu aliorum notitiam. Secundò, quod scitur ab aliquo per modum secreti naturalis, cum promissione expressa aut tacita non revelandi, talis enim promissio obligat, nisi opus sit, ut reveletur ad avertendum communitatis, vel privatæ personæ, vel ipsius revelantis grave, & injustè inferendum damnum, sicuti docui *lib. 3. tract. 3. p. 2. c. 5. n. 2.* cujus occulti seu secreti species quædam est, si aliquis consilij capiendi causâ commissum v. g. crimen amico, aut alteri viro prudenti significavit, cujus tacendi valde gravis & stricta est obligatio, ita ut non nisi ob gravissimum communitatis malum ordinariè loquendo revelare concessum sit, sicuti testatur *Suar. tom. 4. de Religione. lib. 6. de Professione &c. c. 10. n. 29.* quia, nisi ita dicamus, miseris & afflictis hominibus maximum remedium salutis suæ cum magno etiam ipsius reipublicæ detrimento adimitur, si viro prudenti arcana sua consilij capiendi causa sincerè & sine nocendi proposito, tutò credere non possint. Tertiò, quod uni soli extrà secreti obligationem cognitum est: & hoc si indicijs ostendi non possit, ita ut denunciatori fides habeatur, plerumque censeri debet simpliciter occultum, ita ut revelare, aut denuntiare Superiori non liceat, quandoquidem talis denuntiatio ad nihil aliud ordinata esset, quàm ad denigrandam famam proximi, sicuti ex communi docet Navar. *c. inter verba. causa. 11. q. 3. con. 6. n. 379.* Dixi autem *plerumque*: excipi enim de- 5
bet, quòd crimen ita occultum, si in futurum pernicioſum sit, denuntiari quandoquo possit Prælato, maximè in Religionibus, non ut Judici ad puniendum, sed ut patri ad emendandum, malúmque, quatenus poterit, impediendum, dummodo eâ fide dignus censeatur denuntians, ut ipsi, rei notitiam habere se affirmanti, credatur, prout docet *Suar. cit. loco. n. 23. Nav. c. 18. manual. n. 60* Quartò, quod alicui ita cognitum est, ut probari possit, seu per unum tantùm alium testem, sive alijs indicijs, ita, ut sit semiplena probatio. Imò verò accidit, ut cum uno alio teste crimen fiat sufficienter probabile, si agatur non judiciabiter ad vindictam, sed canonicè ad emendationem, aut mali evitationem, nam in tali casu ipsemet denunciator unà cum altero in testem produci potest contra reum crimen negantem, prout docet Navarrus, *cit. con. 6. n. 381.* & sumitur *ex c. 18. Matth. v. 15. Si peccaverit in te frater tuus &c. adhibe adhuc unum &c.* & ita interpretatur *Gl. communiter recepta, in c. in omni 4. de testib.* Quinto modo dicitur occultum, quod pluribus, v. g. 3. 4. aut 5. notum quidem est, ita ut coram Judice probari possit, licèt publicè notorium non sit, prout etiam dixi *Lib. 3. tra. 3. p. 2. c. 4. n. 2.* His itaque omnibus opponitur, quod est publicè notorium facti, sive sciatur à majore parte communitatis, aut populi, 10. minimùm personas habentis, sive non à

majore parte, tamen à tot personis communitatis, ut moraliter loquendo impossibile sit celari, aut occultari, quò minùs paulatim deveniat ad aliorum plurium notitiam, sicuti explicavi *lib. 3. de Inst. tra 3. p. 2. c. 3. n. 8.* Et hinc tradit *Abb. hic n. 16.* quòd Judex, seu vir prudens, ex varijs circumstantijs, & qualitate actûs arbitrari debet, num factum v.g. crimen notorium sit, nécne. Hæc de notorio facti. Nunc venio ad notorium juris, seu quod in Judicio notorium est: id verò triplex est, sive ex triplici capite oritur notorium Juris. Primò: ex spontanea confessione facta in Judicio, uti habetur *in hoc c. juncta Gl. v. non diffitetur. c. ult. eod. tit. c. cùm olim. 24. de verborum significatione.* Verumtamen, priusquam sententia lata est, opponi potest contra confessionem ostendendo errorem, metum, vel similem causam, quæ debilitat, aut dubiam confessionem reddit juxta *L. error 7. C. de juris & facti ignorantia*, & docet *Abb. in cit. c. Cùm olim n. 3. Gl. in c. ex parte 23. V. si verò dubia. de verborum signific. Abb. ibid. n. 7.* Secundò ex probationibus & actis in judicio, nam quæ in judicio acta v.g. à notario coram Judice in protocollum relata; item, quæ coram Judice legitimè probata sunt, notorium juris inducunt, *cit. c. Cùm olim & docent ibi DD. communiter, Mascar. con. 1106.* Sic v. g. instrumentum in judicio productum, si authenticum sit, notorium inducit, & probationem probatam efficit. *L. ult. C. de probationib.* Testes quoque legitimè examinatos, ac deponentes inducere notorium, significatur *in cit. L. ult.* Explicandum tamen est, quòd probationes notorium inducant, posteaquam in causa conclusum, seu probationibus, & exceptionibus in utramque partem renunciatum fuit, uti ex communi tradit *Abb. in cit. c. 3. Mascar. con. 1106. n. 22.* Tertiò per sententiam definitivam seu condemnationem notorium induci, constat *ex hoc c. & L. ult. cit.* Imò etiam per interlocutoriam sententiam, si cum causæ cognitione lata sit, notorium inducit testatur *Mascar. n. 31.* opus tamen est; ut sententia transierit in rem judicatam, nam tunc indubitata, finita, nullâque amplius discussione indigens censetur.

CAPITULUM VIII.

Tua.

Paraphrasis.

Exonensis Episcopus quæsiverat ex Innocent. III. Si Clerici, qui publicè concubinas habere dicuntur, citati, & examinati, cùm nullus adsit accusator, negent se concubinarios esse, an credendum sit bonorum virorum, inter quos habitant, testimonijs. Ad id respondet Papa, si crimen eorum ita publicum sit, ut meritò censeri debeat notorium, tunc nec testem nec accusatorem necessarium esse, propterea quòd nullâ tergiversatione celari possit; sin autem publicum sit, non ex facti evidentia, sed ex fama, tunc testimonia illorum non sufficiunt ad condemnationem, cùm non testimonijs sed testibus credendum, & ita judicandum sit. Cæterùm si de Clericis talis suspicio orta fuerit, ex qua scandalum in populo oriatur, tametsi adversus eos nullus accusator compareat, tamen Canonica eis indicenda est purgatio, quam si præstare noluerint, vel in ea præstanda defecerint, tum eos canonicè punire oportet.

Summarium.

1. *Crimen nonnunquam publicum dicitur, si quis de eo est infamatus.*
2. *De crimine fornicationis, aut adulterij, ex conjecturis evidentibus, notorietas nonnunquam haberi potest.*
3. *Ita, ut stante tali evidentiâ facti permanentis, condemnari possit de crimine tali aliquis, quamvis aliæ probationes non habeantur.*
4. *Ex dictis tamen populi v. g. extrajudi-*

dicialibus non tam notorum crimen, quàm fama oritur contra aliquem, quæ tamen non sufficit ad condemnandum.

5. *Subinde tamen indicenda purgatio Canonica, stante tali ex fama præsumptione.*

1 NOtandum primò : crimen publicum interdum accipitur pro eo, de quo quis publicè infamatus est, & tunc minus est, quàm notorium, nam notorium dicitur, quod ex evidentia facti publicè notum est, ita, ut nulla tergiversatione celari possit.

2 Notandum secundò, licet crimen fornicationis aut adulterij quadam ratione occultum censeri possit, tamen ex propinquis, & vehementibus indicijs ac conjecturis ita notorium fieri potest evidentiâ rei, ut nulla excusatione celari queat. Consentiunt ea, quæ docui *in c. præterea 27. de testib. & c. litteris 12. de præsumptionibus.* & videri potest *Gl. hic v. ex evidentia.*

3 Notandum tertiò, si crimen notorium sit, evidentiâ facti permanentis, tum nullo existente accusatore aut teste, aliâve probatione acceptâ, de crimine reus condemnari potest. Consentit *c. super eo 3. de testibus cogendis.* Ubi dicitur, si factum sit notorium, non eget testium testimonijs declarari, cùm talia probationem, vel ordinem judiciarium non requirant. Nota tamen, quod dixi, probationem criminis necessariam non esse : si enim reus neget, crimen notorium esse, tum, nisi ejus negatio manifestè sit frivola, & irrisoria, testes producendi sunt, qui de notorio testentur, sicuti declaravi *c. precedenti nu. 2.*

4 Notandum quartò, testimonia seu dicta extrajudicialia in populo, ex quibus, si crimen notorium non sit, duntaxat fama oritur, non sufficiunt ad condemnandum reum, sed ex ejusmodi testimonijs seu dictis in publico, &, uno verbo, ex fama moveri potest Judex, ut de crimine inquirat; & multò magis, ut accusatorem etiam adversus Clericum admittat, ad querelam & testes producendos, qui de ipso etiam crimine commisso testentur, & sic intelligi debet, quod *inl. 3. § item Divus. ff. de testibus* dicitur, testibus, non testimonijs credendum esse, id est, non voci vagæ, seu abstractæ in populo, sed ipsis testibus productis, & legitimè examinatis ac deponentibus in judicio.

5 Notandum quintò, si suspicio vel præsumptio criminis sit adversus Clericum, juncta cum populi scandalo, cùm tamen crimen sufficienter non probetur, indicenda est suspecto purgatio Canonica. Ita *Gl. finalis hic* & sumitur *ex c. presbyter. 5. juncta Gl. v. Iusjurandum causa 2. q. 5.*

CAPITULUM IX.

A Nobis.

PARAPHRASIS.

Episcopus tolerare non debet, ut mulieres cum Clericis habitent, ijs personis exceptis, in quibus naturale fœdus nihil sævi criminis suspicari permittit.

NOtandum. Inter personas valde conjunctas non debet esse suspicio de incestuosa carnis copula, quippe, à qua natura ipsa abhorret. De hoc dictum *in c. Cùm in juventute. 15. not. 2. de præsumptionib.* Intelligitur verò id ordinariè, & per se loquendo; interdum enim tales circumstantiæ, & indicia adesse possunt, ut suspicioni, aut præsumptioni locus sit, *juxta c. 1. hoc tit.*

CAPITULUM Vltimum.

Quæsitum.

PARAPHRASIS.

De Clericis in fornicationis peccato persistentibus dubitatum fuit, utrùm divinis eorum officijs fideles interesse debeant, nécne. Ad hoc Gregorius IX. ita respondet, tametsi Clericus quilibet consistens in mortali peccato suspensus sit quoad se ipsum, non tamen propterea fideles

deles eum in divinis vitare debent, nam in ordine ad alios suspensus non est in tali casu, nisi peccatum ejus notorium sit per sententiam Judicis, aut per confessionem judicialem, vel per evidentiam facti, quod nulla tergiversatione celari potest.

SUMMARIUM.

1. *Existens in peccato mortali quodammodo est suspensus.*
2. *Per antiquos Canones prohibitum fuit fidelibus, divinis officijs interesse notorij Concubinarij.*
3. *Quod quidem hodie prohibitum non est, possunt tamen ab eorum divinis abesse, si velint, fideles.*

NOtandum primò, existens in peccato mortali quodammodo est suspensus, quia licitum ipsi non est in tali statu Missam celebrare, aut Sacramentum aliquod administrare. Verùm hæc suspensio non est Ecclesiastica censura, ob cujus violationem Clericus ille irregularitatem incurrat, & quæ Ecclesiastici Prælati relaxatione aut absolutione indigeat, sed ea suspensio per pœnitentiam, aut confessionem Sacramentalem tollitur, qua de re dixi *lib. 5. tra. 1. c. 5. n. 10. in fine, & tra. 4. c. 6. n. 5.*

Notandum secundò, secundùm antiquos Canones prohibitum fuit fidelibus, ne notorij concubinarij aut fornicarij Clerici divinis officijs interessent, sicuti supra dixi *in c. vestra hoc tit.* Censebatur autem crimen notorium ex triplici capite. Primò, si Clericus per sententiam à Judice condemnatus fuit. Secundò, si in judicio crimen sponte confessus. Tertio, si crimen per evidentiam rei ita publicè cognitum, ut nulla tergiversatione celari aut negari posset.

Quæres, cur omissus sit quartus modus, si crimen in judicio legitimè probatum sit, maximè postquam conclusum in causa. Resp. ideò omissum fuisse, quia plerumque populus scire non potest, num probationes fuerint plenè convincentes, ideò ne iniurijs atque infamiæ via pateat, Judicis sententia exspectari debet. Verùm si populo satis constet, Clericum legitimè convictum esse, ita ut omnis dubitatio excluſa sit, tunc idem de hoc notorio orto ex probationibus legitimis judicari debet, quod de notorio ex confessione judiciali, cùm hæ duæ convictiones, videlicet probatio legitima, & oris confessio, in judicio æquiparentur.

Id moneo, tametsi hodierno Jure fideles non teneantur abstinere à notorijs concubinarijs in sacris officijs, propter *Extravagantem. ad evitanda.* possunt tamen abstinere, & nolle ad ipsorum Missas venire, quia per Extravagantem Constantiensem, nullus favor ipsis delinquentibus factus est, & ideò fideles possunt se conformare Juribus antiquis, quippe quæ nuspiam revocata legimus.

TITULUS III.

DE CLERICIS CONIUGATIS.

CAPITULUM I.

Si qui.

PARAPHRASIS.

Clerici in sacro Ordine non constituti, si matrimonium contraxerint, per Ecclesiasticam censuram compelli debent ad beneficia Ecclesiastica relinquenda; sin autem Clerici subdiaconi, seu in sacro Ordine constituti, uxores duxerint, ad easdem dimittendas, & de commisso scelere pœnitentiam agendam per suspensionis & excommunicationis sententiam compellantur.

SUMMARIUM.

1. *Clericus beneficiatus, si matrimonium contrahat, nondum sacro Ordine ini-*

initiatus, beneficia Ecclesiastica ipso jure vacant.

2. *Si tamen sacro Ordine initiatus matrimonium contrahere præsumpserit, nullum est hujus matrimonium.*

3. *Et quamvis valde probabile sit, quòd etiam beneficia illius, priùs obtenta, ipso jure vacent.*

4. *Probabilius tamen est, posse quidem eos per sententiam Judicis ab officio & beneficijs suspendi, donec uxores dimiserint, & se emendaverint, privatos tamen ipso jure non esse.*

1 NOtandum primò: Si Clericus beneficiarius sacro Ordine non initiatus matrimonium validè contrahat, ipso Jure vacant ejus beneficia. Ita hîc, & docent DD. omnes; imò, ut Gl. hîc ait, censetur hæc tacita beneficij renuntiatio, seu quæ ipso facto fit, cùm Clericus sciat, aut scire debeat, quòd simul beneficium retinere, & uxorem habere non possit. *c. diversis. 5. hoc tit.* quemadmodum simili ratione, qui alterum beneficium incompatibile accipit, ipso Jure amittit prius habitum beneficium. *c litteras 9. de concessione præbendæ.* Quam ob rem ab alio Clerico impetrari potest, tanquam vacans, de Jure videlicet, licèt de facto non vacet, si Clericus, qui alterum beneficium accepit, prius adhuc possideat, sicut *Imol. hic notat n. 4.* & ideò in casu isto Judicis authoritate opus est, qui post declaratam privationem, eam ita exequi debet, ut ipso tempore ductæ uxoris, aut tempore accepti beneficij secundi incompatibilis, beneficium vacâsse intelligatur. Plura videri possunt apud *Ioan. And hic & in c. Ioannes hoc tit. & quæ dixi lib. 4. tra. 2. c. 14. n. 9.*

2 Notandum secundò. Si Clericus sacro Ordine initiatus matrimonium contrahere præsumat, ipso Jure irritum censeri debet. Est enim sacer Ordo impedimentum dirimens matrimonij contrahendi, prout docui *lib. 5. tra. 10 p. 4. c. 3 n. 3.* Adde, quòd tale matrimonium contrahere præsumens ipso facto excommunicationem incurrat, *Clement. 1. de consanguinitate.*

3 Sed dubium est, num Clericus in sacris matrimonium contrahendo, ipso Jure beneficijs privetur, an verò ipso Jure privatus non sit, quamvis in pœnam privari possit ab homine seu Judice. Priorem partem amplexus est *Abb. hic n. 7. Syl. V. Clericus. 2. n. 2. V. peccat verò.* Prob. primò, quia talis Clericus assumendo, quatenus in ipso est, statum conjugalem incompatibilem beneficio, censetur ei renuntiare, *argu. c. 3. de renuntiatione.* Secundò. Si curatus alterum beneficium curatum per vim accipiat, sive se intrudat, licèt adeptio beneficij secundi Canonica non sit, sed irrita, tamen intrusus ipso Jure privatur etiam primo beneficio curato. *c. eum qui 18. de præbendis in 6.* ubi ratio datur, quia non decet, ut is, qui justè accipit alterum beneficium curatum, deterioris conditionis sit, quàm invasor: hæc autem argumentatio similiter locum habet, si Clericus in minoribus justè & validè matrimonium contrahendo ipso Jure privatur beneficijs, quæ habet. Idem quoque dicendum esse de Clerico in sacris, si matrimonium temerè & invalidè contrahere præsumat, confirmatur *ex c. 3. de translatione Episcopi*, ubi simili modo decernitur, si Episcopus ad alterum Episcopatum propriâ authoritate se transferat, quòd etiam priùs legitimè habito Episcopatu carere debeat.

4 Sed posteriorem partem quæstionis rectè tradit *Gl. finalis hic, Ant. & Imola in fine cap. Ioan. And. in c. Ioannes n. 23. hoc tit. Tabna V. beneficium. 2. n. 14. §. sed quod si beneficiatus. Sanch. lib. 7. de matrimonio disp. 43. n. 4.* Sumitur ex *hoc cap.* in quo discrimen fit inter Clericos in minoribus, & Clericos in sacris, atque de illis dicitur cogendos esse, ut beneficia deserant, quod tamen de Clericis in sacris non dicitur. Sed per sententiam Judicis, donec uxores dimiserint, & se emendaverint, ac plenè satisfecerint, ab officio & beneficijs suspendendos esse, prout tum *in hoc cap. tum in*

o sanè 4. hoc tit. significatur. Deinde probatur ratione: vel Clericus in sacris contrahendo matrimonium, beneficijs ipso Jure privatus esset, ex ipsa natura facti, propter assumptionem statûs incompatibilis, adeóque tacitam renuntiationem; vel in pœnam criminis per aliquam constitutionem pœnalem? Neutrum horum dici potest. Non primum, quia, cùm matrimonium irritum sit, verè non dicitur, eum assumere statum incompossibilem cum beneficio, quare hîc locus est regulæ receptæ, quod nullum est, nullum effectum producere potest, uti docent DD. *in* L. 11. *ſe.* 4. §. *condemnatus ff. de re judicata, & reg.* 52. *in 6. non præstat impedimentum, quod Jure non sortitur effectum*, quæ ipsa etiam ratio est, cur nec Clericus in minoribus ipso Jure beneficia amittat, si matrimonium invalidè contrahat, ut si v. g. pubes nondum sit, vel consanguineam accipiat, quia revera non accipit statum incompatibilem cum beneficio, cùm voluntas & conatus ejus non sortiatur effectum, sicuti bene resolvit *Sanch. cit. disp.* 43. *n.* 3. Neque alterum dici potest, cùm talis constitutio pœnalis in nostro casu lata non sit. Ad argumenta facilè respondetur. Ad primum dicitur, non satis esse, quòd aliquis velit assumere statum incompatibilem, si voluntas effectum non sortiatur, quandoquidem mera voluntas, aut conatus inefficax, in ordine ad pœnas, aut impedimenta contrahenda, non reputatur pro facto, nisi id Jure expressum sit. Ad secundum. Respondetur, quòd lex pœnalis ob similitudinem rationis extendenda non sit ad casus diversos, nisi necessitas cogat, quia v. g. alioquin iniquitas jurium, contradictio, aliúdve absurdum sequeretur, sicuti docui *lib.* 1. *tra.* 4. *c.* 18. *n.* 9. §. *deinde.*

CAPITVLVM II.

Sanè.

Paraphrasis.

Mandat Alexander III. Erdfordensi Episcopo, ut provideat, ne inposterum Clerici Conjugati ad beneficia Ecclesiastica, sacros Ordines, aut administrationes Ecclesiasticas admittantur, præterquam, si quis unicam, eámque virginem uxorem habeat, & castitatem perpetuam voveat.

Summarium.

1. *Clericus conjugatus non est ordinandus, nec ad beneficium Ecclesiasticum admittendus, nisi certas conditiones observaverit.*
2. *Sed neque ad Ecclesiasticam administrationem est admittendus.*

NOtandum primò. Clericus Conjugatus non est ordinandus, nec ad beneficium Ecclesiasticum admittendus, nisi unicam, eámque Virginem, id est, ab alio non corruptam, uxorem duxerit, atque continentiam perpetuam voveat; dummodo etiam uxor, si in sæculo maneat, & extra incontinentiæ periculum constituta sit, eandem vovere parata sit, sicuti dicetur *Tit. de conversione Conjugatorum*, & docui *lib. 5. tra* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 2. vide etiam *cap. ult. de temporibus ordina. in 6.* ubi idem decernitur de susceptione primæ Tonsuræ. 1

Notandum secundò. Clericus Conjugatus extra casum supra expressum nec ad Ecclesiasticam administrationem admittendus est. Consentit *cap. in 6.* ubi dicitur, quòd Clerici Conjugati, tametsi monogami sint, ac Virginem uxorem habeant, extra casus ibi recensitos, Clericorum Juribus & privilegijs privati sint. Ex quo infertur, quòd Clericus Conjugatus non possit esse generalis Episcopi Vicarius in spiritualibus, sicuti advertit *Abb. not.* 1.

CA-

CAPITVLVM III.

Quod à te.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuerat ex Alexandro III. Si Clerici in minoribus, qui ad incontinentiam proni sunt, accipiant uxores, num Ecclesiasticis beneficijs privari debeant. Respondet Papa, cùm simul carnalibus volùptatibus, & desiderijs atque divinis & Ecclesiasticis officijs vacare non valeant; atque propter immunditiam suam Ecclesiasticis Sacramentis tractandis indigni sint, haud dubiè beneficijs Ecclesiasticis privandos esse. Veruntamen si Ecclesijs, in quibus intitulati fuerunt, aliqua bona ex possessionibus suis contulerunt, postquam ab earundem Ecclesiarum ministerio, & beneficio remoti fuerunt, ea ipsis sine contradictione restitui debent.

SUMMARIUM.

1. *Carnale commercium etiam cum legitima uxore non congruit cum ministerio altaris.*
2. *Ecclesiarum sæcularium Clerici sæpius olim se & sua Ecclesijs obtulerunt, in quibus beneficiati erant.*
3. *Recedenti tamen tali ab Ecclesia, cui sua accessoriè tantùm offerebat, quod facere poterat, reddi debent bona, & possessiones illi propriæ.*
4. *Si dubitatur tamen, accessoriè tantùm, an principaliter bona oblata fuerunt, ex quantitate bonorum oblatorum judicandum est, vel ex verbis offerentis.*
5. *Circa regularium verò donationes, observanda est hodie constitutio Tridentini.*

1 NOtandum primò. Carnale commercium etiam cum legitima uxore non congruit cum ministerio Altaris, cùm propter sanctitatem ejus omnis immunditia excluſa esse debeat: licèt autem conjugale opus propter rationem Sacramenti honestatum, & sanctificatum sit, tamen secundùm speciem naturæ, atque materialiter convenit cum opere fœdo, & immundo, teste *S. Thoma. p. 3. q. 49. a. 1.* Quare non congruit cum Altaris ministerio, adeò ut neque in veteri testamento Sacerdotibus conjugio uti liceret tempore vicis suæ, seu dum in templo ministrare, & sacrificare debebant. Cùm itaque in nova lege deceat Sacerdotem continuò in Ecclesia ministrare, & sacrificium longè excellentius, ac purius DEO Patri, Filium ejus unigenitum, tanquam Agnum immaculatum, jugiter offerre, ideò jubet ministros Altaris, maximè Sacerdotes ab omni carnis commercio etiam conjugali, seu cum uxore legitima abstinere. Vide, quæ dixi *lib. 5. tra. 9. c. 11. n. 9. §. quod verò.*

2 Notandum secundò. Olim non erat infrequens, ut Clerici Ecclesiæ sæculari, in qua intitulati erant, seu beneficium nacti, offerrent se, & possessionem, seu bona sua: quia tamen regulares non erant, nec vota Religionis propria, in manibus Prælati ediderant, ideò ipsis recedere concessum fuit, imò etiam uxores ducere, si sacrum Ordinem non recepissent.

3 Notandum tertiò. Si quis bona sua offerat Ecclesiæ regulari, aut sæculari accessoriè cum persona sua, tunc si persona ab Ecclesia recedat, aut liberetur, etiam Bona restitui debent. *Ita hic & c. 3. de renunciatione.* Exemplum habemus in Conversis, seu Oblatis alicui Ecclesiæ sæculari, vel etiam regulari, ita ut non fiant religiosi; de quibus Oblatis dixi *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. 5. n. 4. dub. 1.* Distinguendum tamen est, num ejusmodi conversi vel oblati absolutè, principaliter ac per se donent Bona Ecclesiæ, an cum habitudine ad personam suam, quæ ab Ecclesia sustentari debet. Si primum: revocari non poterit donatio, tametsi contingat oblatum ab Ecclesia recedere, Ecclesia tamen in tali casu, si magnæ quantitatis donationem accepit, donatorem, si ad inopiam vergat, alere debebit, juxta ea, quæ docui *lib. 3. tra. 4. c. 1. n. 17.* Si secundùm,

dum : revocari potest donatio ab oblato recedente, tanquam quæ facta fuit ob causam, causâ non secutâ.

4 Sed quid in dubio censendum, prioréne an posteriore modo donatio facta fuerit? Respondetur ex doctrina *Abb. hic*, *Bartol. in auth. ingressi. n.* 10. *C. de sacrosanctis Ecclesijs. Sanch. lib.* 7. *moralium. c.* 1. *n.* 6. *& seqq.* in primis attendendum esse, num donatio facta sit omnium bonorum, majoris partis, vel partis bonorum, quæ absolutè valde magna, & notabilis est, an verò partis bonorum non ita magnæ aut notabilis. In priore casu censenda est donatio facta accessoriè ad personam, quæ ibi sustentari debet, dummodo tempore factæ donationis donans, propositum habuerit se Ecclesiæ offerendi, seu de ea re tunc actum fuerit. Ratio est, quia nemo facile censetur bona sua in tanta quantitate profundere velle. Sin autem donatio Ecclesiæ facta sit non in tanta, uti diximus, quantitate, tunc nisi aliæ conjecturæ adsint, ex quibus dubium resolvi possit, standum est verbis, quibus donator usus fuit. Si enim dixit: offero me cum his bonis meis: censeri debet oblatio bonorum facta accessoriè ad personam *L.* 1. *ff. de peculio legato.* Ubi dicitur, quæ accessorium locum obtinent, extinguuntur, cùm principales res peremptæ sunt. Consentit *Lex sicut* 5. *ff. de instructo &c.* Sin autem dixerit: offero me & hæc bona mea Ecclesiæ, censetur utrumque per se, & principaliter oblatum, sicut si quis fundum & instrumenta legârit, censeri debent duo distincta legata, quorum unum ab altero non dependeat.

5 Cæterùm de ijs, qui Religionis institutum amplecti volunt, alia ratio est, secundùm novam Concilij Trident. constitutionem *Sess.* 21. *c.* 16. *de regularibus.* Ubi statuitur, ut omnis donatio cujcunque facta etiam ad piam causam irrita sit, nisi fiat intra duos menses proximè antecedentes professionem, adhibitâ Ordinarij licentiâ, & talis donatio nihilominus valere non debet, si professio secuta non fuerit. Quam constitutionem non pauci Doctores ita amplè intelligunt, ut donationes, etiam quæ ante ingressum in novitiatum factæ sunt, pro irritis haberi debeant, si factæ sunt intuitu seu occasione ingressus, saltem ut causæ impellentis, aut sine qua donatio facta non fuisset. Qua de re fusiùs egi *lib.* 3. *tra.* 5. *de justitia. c.* 7. *q.* 3.

CAPITVLVM IV.

Sanè.

Paraphrasis.

Si Sacerdotes nuptias contrahere præsumpserunt, post longam actam pœnitentiam, & vitam laudabiliter, atque continenter ductam, ab Episcopis, officijs suis restitui, atque executionem eorum per indulgentiam recipere possunt.

NOtandum, Ex hoc cap. colligitur, Clericum in sacris, si forte uxorem acceperit, irregularitatem quandam incurrere, dispensabilem ab Episcopo. Quam irregularitatem *Syl. V. bigamia n.* 3. *Suar. de censuris. disp.* 49. *s.* 4. existimant esse bigamæ similitudinariæ *arg. c. quotquot* 24. *causa* 27. *q.* 1. Cujus contrarium visum mihi est probabilius *lib.* 1. *tra.* 5. *c.* 6. *dicto* 2. Sed parùm interest, dummodo sciatur, quòd dicta irregularitas non incurratur, nisi nuptiæ consummatæ sint. Porro tametsi talis Clericus irregularis sit; non tamen tenetur beneficia sua dimittere, donec eis privetur, juxta ea, quæ dixi *c.* 1. *hoc tit.* & universim de irregularib. tradit *Sanch. lib.* 7. *disp.* 42. *n.* 15. *& docui lib.* 1. *cit. tr.* 5. *p.* 5. *c.* 1.

CAPITULUM V.

Diversis.

Paraphrasis.

Intellexit Innocentius III. quòd in Novicensis Episcopi diœcesi Clerici conjugati beneficia Ecclesiastica retinerent. Quia verò in Clericorum conversatione citharæ

thara malè concordat cum psalterio, id est, laicalis conversatio cum Clerici ministerio, & quia uxorio vinculo alligatus, minùs aptus est ad serviendum Ecclesiæ, atque per tales rerum Ecclesiasticarum substantia perire solet, seriò mandat Episcopo, ut dictos Clericos beneficijs suis privet, præterquam si ipsemet talibus scienter contulit beneficia, tunc enim non per ipsum collatorem, sed per Superiorem ejus privari debent.

SUMMARIUM.

1. *Textus hujus capituli intelligi debet de Clericis in minoribus.*
2. *Non est consultum, ut his talibus Clericis liberos & nepotes habentibus Ecclesiastica administrationes conferantur.*
3. *Neque potest quoad hos, ut administrationes, aut beneficia Ecclesiastica illis conferantur, Episcopus dispensare.*
4. *Neque tamen ille ipse Episcopus, si beneficium huic tali contulit, amovere eum potest.*

1 TExtus hujus cap. intelligi debet de Clericis in Minorib. qui, licèt uxorem Virginem ducant, & conjugio utentes, Ecclesiæ servire velint, tamen Ecclesiastica beneficia & administrationes retinere non possunt, sicuti dictum fuit *in c. 1. hoc tit.* Multò minùs eisdem conferri possunt beneficia Ecclesiastica, aut pensiones Clericales, ut mox dicam, nam uti docetur *in c. unico hoc tit. in 6.* Clericus conjugatus, exceptis casibus inibi expressis, habetur ut Laicus; Laicus autem non est capax beneficiorum Ecclesiasticorum, & consequenter nec pensionum Clericalium secundùm Stylum Curiæ Romanæ, de qua testatur *Navar. lib. 1. consilio. de ijs, qui. edit. 2.* qui incapax est beneficij Ecclesiastici, etiam incapax pensionis Clericalis, seu titulo Clericali collatæ, censetur.

2 Notandum primò. Non est consultum, ut Clericis habentibus liberos aut nepotes, Ecclesiasticæ administrationes conferantur, quia periculum est, ne ea, quæ Ecclesiæ sunt, consanguineis suis largiantur. *Argumento c. hujus & cap. de Syracusana 13. dist. 28.*

3 Notandum secundò. Episcopus non potest dispensare cum Clerico Conjugato, quamvis unicam Virginem duxerit, & Ecclesiæ habitum, ac tonsuram ferens, servire velit, ut Ecclesiasticum beneficium obtineat. Ita docet *Abb. in c. Ioannes n. 7. hoc tit. Sylv. V. beneficium 3. n. 8. Sanch. lib. 7. de matrimonio disp. 42. n. 18. contra Innoc. hic n. 2. Imolam n. 5.* Sumitur ex hoc cap. nam aliàs, si sciens Episcopus contulisset tali Clerico beneficium, cum eo tacitè seu ipso facto dispensâsset, ac propterea collatio fuisset firma, quod tamen repugnat textui nostro. Probari etiam potest, quia Episcopus contra Sacrorum Canonum statuta dispensare non potest, nisi ei concessum sit, sicuti docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 4.* atque secundùm SS. Canones Clerici Conjugati in ordine ad res Ecclesiasticas censentur ut Laici, sicuti supra monui *c. præcedenti hoc tit.*

4 Notandum tertiò. Si Episcopus Clerico, secundùm Jura Canonica inhabili, v. g. conjugato, irregulari, aut criminoso, beneficium Ecclesiasticum contulit, non ipsemet eum amovere debet, sed à Superiore, videlicet Metropolitano, aut Papâ amovendus est, sicuti etiam habetur *in C. veniens 11. de filijs presbyterorum*, quia si recedere nolit provisus, tunc Episcopus eum Superiori denunciare poterit, videlicet Papæ, licèt eum accusare non permittatur, quia quem semel aliquis approbavit, illum accusando deinde reprobare non potest, secundùm *Innoc. hic n. 2. argumento l. si uxor 13. §. vult, ff. ad legem Iuliam de adulterijs.*

CAPITULUM VI.

Cùm olim.

PARAPHRASIS.

Cùm Anglonensis Ecclesiæ Canonici cantorem in Episcopum elegissent, Inno-

centius III. mandavit Archiepiscopo Archontino, si electionem canonicam, & personam idoneam instituto examine, comperisset, ut electum auctoritate Apostolica confirmaret, Archiepiscopus rescripsit Papæ, formam electionis Canonicam & personam dignam esse repertam, id solùm dubitationis hærere, quòd ex parte Græco, qui in minoribus adhuc constitutus uxorem duxerat, in sacerdotio genitus esset. Respondet Innocentius hîc, Orientales votum continentiæ non suscipere, quia in minoribus Ordinibus constituti matrimonium contrahunt, & post susceptum Sacerdotium matrimonio utuntur: mandare proinde, cantorem electum, si aliud canonicum impedimentum non obstet, nec Ecclesiæ Archontinæ consuetudo repugnet, ut ejusmodi Græci inter Latinos conversentur, confirmandum, & consecrandum esse.

SUMMARIUM.

1. *Continentia Clericorum in sacris ex proprio eorum voto oritur.*
2. *Uti conjugio ante Sacerdotium contracto, permissum quidem fuit Sacerdotibus Græcis, non tamen uxores ducere Sacerdotij tempore.*
3. *Potest per consuetudinem, vel etiam statutum introduci, ut ad Prælaturam aliquam Ecclesiasticam, inhabilis aliquis sit, qui de Iure communi ab eo non excluditur.*

1 NOtandum primò: Continentia Clericorum in Sacris oritur ex proprio eorum voto & obligatione voluntaria, sicuti docui *lib. 5. tract. 9. c. 11. n. 1.*

2 Notandum secundò: Orientalibus Sacerdotibus nunquam est permissum, ut uxores ducerent, sed hoc tantùm contra antiquos Canones, & Occidentalis Ecclesiæ observationem indultum est Græcis, ut si seu ante clericatum, seu dum in Ordinibus non Sacris constituti fuerunt, matrimonium primum cum Virgine contraxerunt, ad Ordines sacros, ipsum quoque Sacerdotium, non exacto continentiæ voto, admitterentur. Vide, quæ docui *cit. C. 11. n. 5. & 9.*

Notandum tertiò: per consuetudinem, (& similiter per statutum) introduci potest, ut aliqua nativitatis origo, aliave qualitas, quæ spectato Jure communi non excludit, inhabilem reddat ad Episcopatum, aliásve Prælaturas. *ita Gl. finalis hic. Imola n. 5.* ubi ajunt, quòd consuetudo facit ineligibilem, qui alioquin eligibilis est, dummodo rationabilis causa appareat, cur talis inhabilitas speciali Jure decreta sit: sic v. g. in quibusdam Ecclesiis statutum est, ut qui ad Canonicatus Cathedrales, vel Dignitates promoventur, nativitatem legitimam, non tantùm suam, sed etiam ascendentium suorum, per tres aut quatuor generationes ostendere debeant.

CAPITULUM VII.

Joannes.

PARAPHRASIS.

Episcopus Pictavensis Joannem Clericum, qui in minoribus constitutus uxorem duxerat, compellere volebat ad tonsuram ferendam; de eo apud Innocentium III. questus est Joannes, allegans, quòd ex tonsura scandalum inter ipsum, & uxorem generari possit, & quòd secundùm consuetudinem Regionis, Clerici conjugati, ad tonsuram non compellantur; hoc intellecto mandat Innocentius Episcopo, quandoquidem Clericus conjugatus, etiamsi tonsuram ferat, Clericali privilegio gaudere non potest, ut Joanni super Tonsuræ delatione molestiam non inferat, dummodo Ecclesiasticum beneficium non obtineat, cujus ratione tonsuram deferre debeat, alioquin verò, cùm ipsum sæcularia negotia tractare oporteat, tonsura ipsius in Ecclesiastici ministerij vituperium redundaret.

Sum-

SUMMARIUM.

1. *Clericus in minoribus Matrimonium contrahens, ut Laicus habetur, exceptis quibusdam casibus expressis.*
2. *Contra tonsura, & habitus clericalis delationem, præscribi potest.*

NOtandum. Si Clericus in minoribus matrimonium contrahat, veluti Laicus reputatur, quia neque onera, seu obligationes, neque commoda, aut privilegia Clericorum participat, exceptis casibus expressis *in c. unico. hoc tit. in 6.* & addi potest alius casus sumptus ex hoc Capit. quòd Papa Clerico conjugato, maximè si cum Virgine, eáque unica contraxit, dispensativè Ecclesiasticum beneficium & officium conferre possit, in quo casu etiam clericalem tonsuram, & habitum deferre debebit, ob rationem, quæ in textu indicatur, quòd tonsura Clericalis deferenda sit, ut vitam & conversationem Clericorum à Laicis distinguant. Si itaque Clerici, eò quòd conjugati sint, à Clericorum conversatione, officijs, beneficijs, ac privilegijs Ecclesiasticis omnino repellantur, frustra ipsis imponitur tonsuræ delatio; at verò, si officium ac beneficium Ecclesiasticum, aut saltem servitium aliquod Ecclesiæ, prout dicitur *in cit. c. unico*, ipsos habere, permittatur, cum jure optimo ad Clericalem tonsuram compelluntur.

Corollarium. Si Clericus ob crimen, v. g. Sodomiæ, omni non tantùm officio ac beneficio, sed etiam privilegio Clericali privatus sit ipso Jure, vel per sententiam Judicis, ita ut à sæculari Magistratu capi, & puniri possit, tunc tonsuram, & habitum deferre non tenetur, per se loquendo.

2 Dubitatur hîc. An contra legem seu canonem Ecclesiasticum de ferenda tonsura, & habitu per consuetudinem diuturnam præscribi possit, v. g. ut Subdiaconi clericaliter non incedant. Resp. affirmativè, nam lex positiva per non usum diuturnum aboletur, si non usus contineat quasi actum contrarium dispositioni legis, sicuti hîc *Ioannes Andreas notat & Abb. n. 9* sed non delatio habitûs & tonsuræ est veluti actus contrarius legi, sive Canoni præcipienti delationem, *argum. reg. Digest.* qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit: consequenter, si bona fides, & persuasio in Communitate accedat, non esse in tali loco Subdiaconos obligatos ad habitum, & tonsuram, consuetudo præscripta introduci potest, ita tamen, ut Ordinarius loci reformationem per novum statutum, Juri communi Canonico conforme, introducere queat, quâ ratione valdè usitatum est, ut in Synodis Diœcesanis, & Provincialibus pristini, & diuturna consuetudine aboliti Canones, in observationem reducantur.

CAPITVLVM VIII.

Cùm decorem.

PARAPHRASIS.

Clerici conjugati ad Ecclesiasticas Dignitates admittendi non sunt, & siquas obtinent, ad deserendum cogi debent, cùm sine pravo exemplo, & gravi scandalo retinere non possint.

Vide Capitulum 1. 2. & 3. hoc tit.

NOtandum. Si Clericus in minoribus uxorem ducat, ipso Jure amittit Ecclesiasticam dignitatem, ideóque cogendus est eam deserere, v. g. Ecclesiæ sæcularis præpositurам; idémque sentiendum de alijs beneficijs, & quâlibet administratione Ecclesiastica, prout dictum *in c. 1. & 2. hoc tit.*

CAPITULUM IX.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Quidam Clerici in Anglia, habitu & tonsurâ relictis, uxores publicè duxerunt, postea verò tonsuram reacceperunt, ut à tributis, & muneribus publicis liberi ma-

manerent ; alij verò post acceptam primam tonsuram matrimonium contraxerunt, & tonsuram nunquam deposuerunt, ut similiter liberi essent à contributione, & vectigalibus. De hac re Angliæ Regina questa est Honorio tertio, qui respondet hîc, cùm Cæsari reddenda sint, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ sunt Dei, ideo à talibus conjugatis Clericis, non minùs quàm ab alijs uxoratis tributa Regia exigi posse.

NOtandum. Clerici in minoribus, qui uxores duxerunt, tributa, aliásque exactiones sæcularibus Principibus solvere debent, perinde, ac Laici. Consentit *capit. unicum eodem tit. in 6. & docui lib. 4. t. 9. c. 7. n. 4.*

CAPITVLVM VLTIMVM.
Ut consultationi.

Paraphrasis.

Siquis clericalem tonsuram, aut coronam accepit, & postea miles factus sit, cogi non potest ad Clericalem habitum deferendum.

NOtandum. Si Clericus tonsuratus, vel in minoribus Ordinibus constitutus, nolit servire Ecclesiæ, nec possideat beneficium, ad tonsuram ferendam cogi non potest, ita *Abb. hic.* Ratio est, quia talis Clericus liber est à servitio Ecclesiæ, atque uxorem ducere non prohibetur. Quòd verò hîc sermo sit de Clerico, qui militiæ nomen dedit, id exempli loco allatum est. Responsio verò etiam in alijs minoribus Clericis Ecclesiæ servitio non mancipatis, aut illud deserentibus accipi debet.

CAPITULUM UNICVM
eodem Titulo in sexto.
Clerici.

Paraphrasis.

Si Clericus (in minoribus scilicet constitutus) matrimonium contraxit cum unica, eáque Virgine, atque habitum & tonsuram clericalem defert, privilegio Canonis *Siquis suadente causa 17. q. 4.* gaudere debet ; sed & privilegium fori retinet, ita ut ad Judicium sæculare, seu criminaliter, seu civiliter agatur, trahi non possit ; sed nec Judex aliquis sæcularis talem Clericum conjugatum in persona, vel in bonis condemnare, aut punire potest, *juxta cap. 2. de foro competente*, quod sumptum est ex Parisiensi Concilio ; alijs verò Clericorum privilegijs non gaudet Clericus conjugatus, qui cum unica Virgine contraxit, imò nec ijs ipsis, Canonis videlicet & fori, privilegijs frui potest, nisi habitum, & tonsuram ferat, atque in Ecclesiæ servitio sit, uti habetur *in Trident. 23. sess. c. 6. de reformatione.*

Summarium.

1. *Clericus, qui uxorem duxit, ut gaudeat privilegijs clericalibus, quæ de Iure antiquo requirantur ?*
2. *Recuperantur tamen privilegia clericalia, soluto per mortem uxoris matrimonio, si clericaliter deinceps vivere velit.*
3. *Potest tamen Clerico conjugato permitti negotiatio.*

NOtandum. Clericus, qui uxorem duxit, tanquam Laicus censetur, ita ut Clericorum privilegia non participet, excepto, si uxorem unam Virginem duxit, atque habitum, & tonsuram ferens, alicujus Ecclesiæ servitio, deputatus est, talis enim duo privilegia clericalia habet canonis & fori ; at verò tributa, vectigalia, aliásque consuetas exactiones Magistratui sæculari pendere debet *juxta c. ex parte 9. h. tit.* Vide etiam, quæ docui in *cit. c. 2.* 1

Quæritur primò : Si Clericus in minoribus uxorem duxerit, num privilegia ejus clericalia penitus sint amissa, an verò potiùs suspensa, ita ut mortuâ uxore ea recuperet, si clericaliter vivere velit. Respond. cum *Abb. in c. Clericus 6. n. 4. de vita & ho-* 2

honestate. Sanchez lib. 7. de matrimonio, disp. 46. n. 29. quòd, soluto matrimonio, privilegia recuperentur à Clerico, nam privatio ista privilegiorum uxorem ducenti Clerico decreta non est in pœnam, ita ut sit veluti depositio quædam, sed ideò, quòd statum alium, eúmque incompatibilem, & repugnantem statui clericali, assumpserit: ergò eo statu, veluti obice quodam remoto, per se redire possunt privilegia Clericorum, quandoquidem fundamentum privilegiorum, videlicet Ordo Clericalis, semper manet. Confirmatur *ex Clement. 1. de vita & honestate*, ubi similiter decernitur, si Clerici macellariorum, aut tabernariorum officium publicè, & personaliter exerceant, atque tertiò moniti ab Episcopo non desistant, si conjugati sint, ut privilegijs Clericorum omnino priventur; sin autem non conjugati, privilegijs priventur, duntaxat quoad bona, nisi in habitu laicali incedant, tunc etiam quoad personas privilegia clericalia amittant, quamdiu ejusmodi officijs institerint, *uti Gl. ait*; recuperabunt igitur privilegium, si desistant. Videri potest *Sylvest. V. Clericus 3. q. 5.*

Quæritur secundò. Num Clerico conjugato, qui monogamus est, & virginem duxit, atque Ecclesiæ servit, negotiatio permitti possit, ita ut privilegio Canonis, & fori Ecclesiastici, nihilominus gaudeat. Negat hîc *Ioan. Andr. n. 3. Dominicus col. ult. Imola in c. Ioann. n. 6. hoc tit. argum. ejus textûs*, ubi dicitur, quòd tonsura sæcularia exercentis, in vituperium Clerici tendat. Sed probabiliùs affirmat *Francus hîc §. & cum. n. 5. Sylv. loco cit. q. 3. Covar. in pract. q. 9. c. 31. n. 8. Sanchez n. 26.* Probatur. Quia de Clericis conjugatis in omnibus judicari debet, sicuti de Laicis, præter casus jure expressos: atqui in Jure Canonico nullibi reperitur expressum, quòd Clerici conjugati negotiationem exercere non debeant: ergo ijs permittenda est, sicuti Laicis. *Ad c. Ioannes* Respondeo, sermonem ibi esse de Clericis, qui absolutè Clericalem statum & conversationem tenent, & ideò turpe est, si sæcularibus negotijs se immiscеant; hîc autem loquimur de Clericis, qui conjugati sunt, & ita multùm ad statum Laicalem desciverunt, quos proinde sæcularia negotia & negotiationes non dedecent. 3

TITULUS IV.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN ECCLESIA VEL PRÆBENDA.

Materia ista affinis est ijs, quæ superioribus titulis de Clericis dicta sunt, siquidem ad vitam & honestatem Clericorum pertinet, non tantùm, ut in vestitu, tonsurâ, & victu moderationem ac decorem servent, à mulierum familiaritate abstineant, & continentes vivant, de quibus in superioribus dictum; sed etiam ut in beneficiorum suorum titulis, atque Ecclesijs residеant, atque officium debitum præstent.

CAPITULUM I.

Non liceat.

PARAPHRASIS.

Episcopus non potest relictâ Diœcesi suâ ad alium Episcopatum transire, nam talis transitus non nisi ex arrogantia, & plura habendi desiderio procedit; quandoquidem nullus inventus est, qui à civitate majore ad minorem transierit; sumptum est *ex concilio generali Sardicensi sub Julio I. can. 1. tom. 1. Concil.*

NOtandum. Episcopus propriâ auctoritate non potest deserere Ecclesiam, seu Episcopatum suum, & alium acceptare. De hoc agitur *in lib. 1. Decretalium de translatione Episcopi*, ad quem locum capitulum istud potiùs, quàm huc pertinet.

CAPITULUM II.

Ex Gestis.

Paraphrasis.

Anastasius Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli quinque annis ab Ecclesia sua se absentavit (in alienis terris moratus, & quamvis à Leone IV. Pontifice, ter vel quater revocatus esset, tamen venire pertinaciter recusavit, ea propter Pontifex eum excommunicavit; & cùm necdum resipiscere vellet, in Concilio Romano Anno 853. sub Lothario & Ludovico filio Imperat. cum sexaginta septem Episcopis congregato, deposuit, hac prolatâ sententiâ: Anastasium jam nuper excommunicatum presbyterum tituli S. Marcelli, qui propriam parochiam relinquens in alienâ per multa tempora nititur immorari, à Sacerdotali ministerio modis omnibus removemus, ita ut locum restitutionis nunquam inveniat. Videri potest Baron. in eundem annum. *n. 35. & Tom. 3. p. 1. f. 2.* Conciliorum Coloniensium fol. 392.

Summarium.

1. *Curati beneficiati strictiùs ad residendum in suo beneficio obligati, quàm alij, sub excommunicationis pœna ad residendum adigi possunt, juxta antiquos canones, & si non resipuerint, privari etiam & deponi à suis beneficijs possunt.*
2. *Lex pœnalis in privatione consistens, ante sententiam declaratoriam criminis etiam obligat.*
3. *Explicatur pluribus Tridentina constitutio, de pœna non residentium.*

NOtandum. Qui curatum beneficium obtinent, strictiùs, quàm alij beneficiarij, obligantur ad residentiam personalem; quam ob rem secundùm canones antiquos sub excommunicationis pœnâ adigi possunt ad residendum, & curam sibi commissi gregis gerendam, *juxta can. 16. concilij primi Nycæni*; aut si contumacia hominis resipiscere, ac redire nolentis, exposcere videatur, privationis vel depositionis perpetuæ pœna irrogari potest, uti hîc apparet, & *in Concilio Antiocheno tertio can.* 3. neque discrepat *Trident. sess. 6. c. 1. de reformatione.* ubi de ijs, qui Ecclesiæ Cathedrali præsunt, decernitur, si absque justis & rationabilibus causis per sex continuos menses, extra suam Diœcesin morando, abfuerint, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus applicandorum, privationis pœnam ipso Jure incurrant; sin per alios sex menses absint, aliam quartam partem similiter applicandam amittant; crescente verò contumacia, qui absens permanet, Romano Pontifici denunciandus sit. Et *in sess. 23. c. 1. de reformatione* habetur. Si Cathedrali Ecclesiæ cuicunque præsidens, ultra duos aut summum tres menses (seclusâ necessitate, sive causa rationabili, eáque notoriâ, vel à superiore in scriptis approbandâ) abfuerit, pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciat, sed ij fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus debeant applicari; eadémque similiter de parochis, & quibuscunque inferioribus curatis intelligenda esse dicitur; quare & ipsi si ultra bimestre tempus abfuerint (nisi ex causa gravi longius absentiæ tempus ab Episcopo suo impetraverint) fructuum restitutionem facere tenentur, & ad id ab Episcopo compelli possunt. Præterea adjungitur, quòd si per edictum citati (parochi) etiam non personaliter contumaces fuerint, vult Synodus liberum esse Ordinarijs per censuras Ecclesiasticas, sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliáque Juris remedia etiam usque ad privationem compellere.

Corolla-

Corollarium. Licèt ordinariè loquendo lex pœnalis etiam ipso Jure lata non obliget delinquentem ad executionem sine Judicis saltem declaratoria condemnatione, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 15. n. 3.* excipi tamen debet, nisi lex, videlicet Ecclesiastica, consistat in privatione, faciens aliquem inhabilem v. g. ad fructus beneficij sui, si non resideat, hoc casu in conscientia, & ante omnem Judicis sententiam, aut declarationem, fructus restituere cogitur, sicuti lex pœnalis postulat, prout expresè habetur *in cit. sess. 23. c. 1.*

Pro majore intellectu & praxi Tridentini Concilij constitutionum, maximè *sess. 23. c. 1.* hæc considerari possunt. Primò discrimen est inter Episcopos, & Parochos, aliosve sæculares curatos, quòd illi per unum annum duobus aut tribus mensibus, seu continuè, seu interruptim à Diœcesi sua abesse possint, sine gregis sui detrimento, & ex causa justa, cujus rei examen & judicium ipsorum conscientijs relinquitur: at verò inferiores curati, seu parochi, si tempore aliquo notabili à parochia abesse velint, Episcopi, seu Vicarij ejus licentiâ indigent, qui non nisi causâ prius cognitâ, & probatâ, in scriptis concedere debeat, quæ est probabilior interpretatio D. D. & ipsorum Cardinalium *apud Garziam p. 3. c. 2. n. 19. Less. l. 2 c. 34. N. 159. Piasetium in praxi p. 2. c. 3. n. 34. contra Navar. in Man. c. 25. n. 121. Rodri. in Summa tom. 2. c. 38. in fine.* Quem sequi videtur *Azor. tom. 2. lib. 7. c. 4. q. 9. & 10.* ubi dicit, quòd etiam Parochus per duos, aut tres menses in anno absque licentia Episcopi abesse possit, ab Ecclesia sua, ex causa justa, quæ ipsi talis videbitur, ita tamen, ut grex seu populus spiritualem jacturam non patiatur idque propter verba Concilij *in cit. c. 1.* quòd, qui aliquantisper tantùm absunt, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; id verò tempus modicum, seu moderatum absentiæ Synodus definit esse duos vel summùm tres menses; postea verò subjungit eadem, quæ antea de Episcopis & Archiepiscopis dicta sunt, de Parochis, aliisque inferioribus sæcularibus curatis accipienda esse. Quod postea dicitur, discedendi licentiam Parochis causâ per Episcopum cognitâ, non ultra duos menses, nisi ex causa gravi concedendam esse, intelligunt DD. isti, de alijs mensibus præter duos aut tres, ipsorum Parochorum conscientijs relictos.

Ego licèt fatear, textum Concilij dubium videri posse, tamen magis placet, mentem fuisse Concilij, si Parochi tempore aliquo continuo, eóque notabili abesse debeant, id sine Episcopi licentiâ, causâ prius cognitâ, & probatâ, ipsis permittendum non esse, propterea etiam quia pro tali tempore v. g. trium vel quatuor septimanarum non est ipsis concessum, ut suo arbitratu vicarium constituant, sed is ab Ordinario seu Episcopo constituendus est, sicuti ex eodem *cap. 1.* colligitur, & tradit *Sanch. lib. 3 de matr. disp. 31. n. 11. Rebuff. in praxi*, ubi de dispensatione super non residentia *n. 14.* dicit, quòd curatus, si ex causa justa abesse velit, vicarium propriâ auctoritate constituere possit, ad tempus, modicum videlicet, quod ad tres hebdomades non extendatur *arg. cap. Si quis, 29. causa 7. q. 1.* ubi dicitur, quòd presbyter, si per tres hebdomades, vel in solemnioribus festivitatibus ab Ecclesia abfuerit, puniendus sit. Vide etiam, quæ docui *in disp. de jurisdictione Ordinarij con. 151.*

Et hæc spectato communi Jure: consultissimum verò est, in his ad cujuscunque Diœcesis statuta, vel consuetudines attendere; & in hac quidem Augustana Diœcesi in decretis Synodalibus *p. 3. c. 13. n. 24.* habetur: Ab Ecclesia sua nullus discedat, licentiâ priùs non obtentâ, quam ad unam hebdomadem dare poterit Decanus, ad longius tempus reservatam volumus Vicario nostro Generali. Ubi obiter adverte, tempus longum, aut breve absentiæ diversimodè æstimari, respectu diversorum locorum, statutorum, ac personarum; quare licèt Tridentinum absentiam duorum, aut 3

trium mensium in Episcopis non censuerit longam, tamen in Parochis longa videri potest, quia tanto tempore Vicarium ipsimet substituere non debent, sicuti Episcopus potest Vicarium in Diœcesi relinquere.

Alterum considerandum. Quando in *eodem c. 1.* dicitur, Episcopum non nisi ex causa gravi licentiam dare posse curato discedendi ab Ecclesia sua, ultra duos menses, non potest facilè definiri, quænam causa gravis censeri debeat, sed ex varijs circumstantijs, ejusdem Episcopi seu Ordinarij arbitrio, id permittendum. Quandoquidem gravitas aut levitas, non nisi intellectûs discretione, consideratis omnibus, ponderari, & judicari potest. Quare non arbitror universim verum esse, quod docet *Garz. cit. loco c. 2. n. 40. Piasetius n. 35.* & reperitur *in Concil. Mediolanensi quinto p. 3. tit. de residentia*, non esse causam sufficientem, ut Parochus ab Ecclesia sua ultra duos menses absit propter officium Visitatoris, Vicarij, aut Inquisitoris, ipsi ab Episcopo demandatum.

Sed contrarium docet Nav. *consil. 15. hoc tit. edit. 2.* eo solido argumento, quia etiam Jure antiquo, à quo recedendum non est, absque Jure novo, contrario, & expresso *l. præcipimus 32. C. de appellationibus* semper permissum fuit, ut Parochus ex justa causa ab Ecclesia sua abesset, sicuti habetur *in cap. 4. hoc tit.* id autem non sustulit Tridentinum, cùm *in cit. c. 1.* permittat, ut ex causa gravi Episcopus ultra duos menses absentiæ licentiam det. Potest autem causa gravis videri, si in aliqua Diœcesi pro aliquo tempore non adsint alij idonei ad visitandum, inquirendum, aut Vicarij (loquitur de Generali Vicario) munus sustinendum, præter curatos, in eorum autem locum facilè, & sine Ecclesiarum detrimento Vicarij substitui possint; neque fuit mens Concilij, majus bonum cujuscunque Diœcesis impedire velle. Sed tamen rectè colligitur *ex cit. c. 1.* non facilè, aut levi de causa, si videlicet alij Clerici idonei haberi, vel accersiri possint, Parochos à suis Ecclesijs avellendos, aliisque Diœcesis officijs applicandos esse, ita ut Parochiæ interim per Vicarios administrentur.

Tertium. Concilium *in cit. c. 1.* verbis valdè generalibus pœnam privationis fructuum ipso Jure, & absque ulla declaratione incurrendam statuit, si quis contra hujus decreti constitutionem abfuerit. Veruntamen cùm hæc pœna gravis sit, cùm ratione objecti, videlicet fructuum, secundùm proportionem temporis absentiæ amittendorum, tum ratione modi, ut aliquis in consentia ante omnem etiam declaratoriam Judicis condemnationem fructus restituere cogatur; insuper sit Juris noviter constituti, cùm spectato antiquo Jure, etiam naturali, curatus absque legitima causa ab Ecclesia sua recedens, ad fructuum restitutionem non obligetur *secundùm Sylv. V. Clericus 4. q. 23. Azor. to. 2 lib. 6. c. 6. q. 6.* ideò Confessarius severè agere non debet cum curatis, qui de absentia non legitima se accusant, sed ante omnia considerandum, num ex absentia detrimentum commissæ plebi illatum sit; si nullum, aut non æstimabile illatum fuit, esto causa absentiæ sufficiens non fuerit, aut modus ejus impetrandæ non legitimus, censeri potest, tam gravi pœnæ canonicæ locum non esse, vel saltem ea severitate Tridentinum non esse receptum, præsertim cùm *Garz. cit. c. 6. n. 52. Graffijs in decisionibus lib. 2. c. 57.* universim dicant, si Parochus substitutum, pro se absente, relinquat, locum non esse dictæ pœnæ privationis fructuum ipso Jure irrogatæ; sin autem absentia non tantùm illegitima, sed etiam notabiliter pernitiosa fuit, quia nullo constituto Vicario plebs deserta, tali casu proventus tempori absentiæ correspondentes, Parocho subduci oportere, ad fabricam Ecclesiæ, aut pauperum ejus loci sustentationem, sicuti Tridentinum Concilium requirit, & per se valde æquum est, atque ideò in praxin deducendum.

CAPI-

CAPITVLVM III.

Quia

PARAPHRASIS.

Aliqui instigante avaritia diversas dignitates, plures ve Ecclesias parochiales contra SS. Canones acceperunt, ita ut, cùm vix unum officium implere possent, plurium stipendia absumerent: id ne de cætero fiat, Alexander III. in Concilio Lateranensi *can. 13.* severè prohibet, & adijcit, ut si Ecclesia vel Ministerium Ecclesiasticum conferri debeat, talis persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per se ipsum exercere possit. Quòd si collatio aliter facta sit, qui beneficium contra SS. Canones accepit, illud amittat, & qui contulit, conferendi potestate eâ vice privetur.

SUMMARIUM.

1. *Plures Dignitates, seu Personatus, aut curata beneficia Ecclesia ab eodem possideri non possunt.*
2. *De Privatione vel Amissione beneficij prioris ex occasione occupati secundi varia varijs temporibus statuta fuerunt.*
3. *De Jure communi Canonico quodlibet beneficium Ecclesiasticum residentiam personalem requirit.*
4. *Potest tamen in beneficijs quibusdam simplicibus consuetudine introduci, ut personalis beneficiati residentia non requiratur, sed sufficiat per vicarium deserviri.*

1 NOtandum primò. Plures dignitates seu personatus & curata beneficia Ecclesiæ ab eodem possideri non possunt. Ita hîc & *in c. de multa 28. de præbendis. c. dudum 54. de electione. Extravag. Execrabilis Ioan. XXII. Tridentini Concilij sess. 7. c. 4.* Ratio est, quia in his maximè beneficijs requiritur residentia personalis, nam si curatum sit, pastor diu abesse non debet, sed gregi suo invigilare, juxta *Trident. sess. 6. c. 1. de reformatione*, & *sess. 23. c. 1. de reformatione*, ubi ea residendi obligatio ex Jure divino oriri dicitur; sin verò dignitas sit, vel personatus, ad Ecclesiæ cujuscunque decorem, & necessitatem pertinet, ut præcipuarum, & quæ majoris potestatis sunt, personarum præsentiâ non careat: quare cùm idem homo in pluribus Ecclesijs residere non possit, ideò prohibitum est, ne uni plures dignitates, personatus, aut curata beneficia conferantur.

2 Porro quod hîc dicitur, eum, qui alterum curatum, aut personatum accipit, eo privandum esse, id secundùm tempus Alexandri III. intelligi debet; fuit enim hac de re varijs temporibus variè statutum, sicuti *Abb. hic* notat: nam primò ante tempora hujus Concilij Lateranensis si quis duas parochias, vel duas dignitates accepit, unam, quam maluerit, dimittere jubeatur *c. Referentes 7. & c. Præterea 14. de præbendis.* Alterum tempus est hujus Concilij Lateranensis sub eodem Alexandro, ubi decernitur, ut beneficiarius beneficio posteriùs accepto privetur. Tertium tempus est Concilij Lateranensis sub Innocentio III. *in cit. c. de multa*, in quo statutum est, ut si quis alterum tale beneficium accepit, prius ipso Jure vacet, & si obtinens id retinere contendat, etiam altero privandus sit, sicuti habetur etiam *in cit. c. dudum.* Quartum est tempus Extravagantis Joannis XXII. quæ incipit *Execrabilis, de præbendis.* In qua dictæ constitutioni *capituli de multa* adjicitur, ut Clericus, qui alterum curatum beneficium absque dispensatione consecutus est, post possessionem ejus adepam, aut si per ipsum steterit, quò minùs adipiscatur, prius incompatibile statim ipso facto in manibus Ordinarij dimittere cogatur, alioquin utroque sit ipso Jure privatus, nec ad sacros Ordines suscipiendos, aut ullum beneficium Ecclesiasticum habilis existat, ipsáque beneficia Sedis Apostolicæ collationi reserventur. Quin & omnia alia beneficia, quæ per assecutionem alterius à Pontifice alicui collati ipso

Jure vacant, Sedi Apostolicæ reservantur. *Extravag. Benedicti XII. Ad regimen de præbendis, & dixi de hoc lib. 4. tract. 2. c. 11. n. 1.*

3 Notandum secundò. Spectato communi Jure Canonico omne beneficium Ecclesiasticum personalem residentiam requirit. Ita significatur *in hoc c. & docet Gl. recepta hic V. perseipsum*, quòd in Ecclesia illa Clericus deservire debet, in qua intitulatus est, & sequitur *Innocent. hic Ioann. Andr. Abb. & alij. Rebuffus de dispensatione super residentia n. 7. Azor tom. 2. lib. 7. c. 3.* nam beneficium datur propter officium, seu servitium Ecclesiæ præstandum *c. ult. de reseriptis in 6.* cùm autem alicui officium, seu servitium injungitur, intelligi solet, ut quis per se ipsum id præstet, sive, ut præsens sit, ipsique invigilet, curet id fieri, cujus causa stipendium, præbendam & honorem accipit. *argum.* L. *nullus 60. c. de decurionibus lib. 10.* ubi dicitur, quòd nemo curiæ Imperatoris servire possit per substitutum, nisi id ei specialiter concessum sit.

4 Verumtamen fermè omniù Ecclesiarum consuetudine obtentum est, ut in quibusdam simplicibus beneficijs residentia personalis non requiratur, sed per Vicarium deservire liceat. Multùm autem refert scire, non esse id secundùm Jus commune Canonicum, & primævam beneficiorum institutionẽ. Quare Episcopus, seu Prælatus, cum Capituli consensu statuere potest, ut Ecclesiæ suæ beneficia simplicia non conferantur, nisi residentiam personalẽ, eámque perpetuam promittentibus; dumodo talia sint beneficia, quæ ad congruam sustentationem personæ sufficiant. Deinde in dubio, num beneficium residentiam requirat, in partem affirmantem ob Juris communis favorem inclinandum est, *juxta c. cum dilectus 8. juncta Gl. V. Juri communi. de consuetudine*, præsertim si etiam alijs locis ejusdem Diœcesis talia beneficia requirant residentiam. Denique si per diuturnam consuetudinem, residendi obligatio sublata sit, potest ea denuo per consuetudinem, & quidem tempore breviore, videlicet decem annorum spatio, introduci, secundùm doctrinam *Gl. in c. ult. V. consuetudo de consuetudine in 6.* quæ dicit, si Jus commune non resistat, sed potiùs assistat consuetudini, ad ejus introductionem sufficere tempus longum, videlicet annorum decem.

Notandum tertiò. Si quis beneficium 5 residentiam postulans conferat Clerico, qui residere non potest, in pœnam privandus est eâ vice conferendi facultate. Ab hac pœna discrepat *casus capit. cum in cunctis 7. de electione*, sicuti *Abb.* hìc notavit *in fine capituli*, nam ibi privatio eligendi, aut conferendi pro una vice infertur ijs, qui personam indignam seu inhabilem quoad ætatem, scientiam, mores, aut nativitatem elegerint ad dignitatem; Episcopo quoque, si tali personæ contulerit dignitatem. At verò in hoc capitulo privatio non latæ sententiæ sed inferendæ decernitur ijs, qui Clericum etiam habilem alioquin ad beneficium quodcunque residentiam postulans promoverint, qui residere non potest. Hoc casu, amoto Clerico illo, alium, qui residere possit, Superior Prælatus constituet.

CAPITULUM IV.

Relatum.

Paraphrasis.

Postquam in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. constitutum est, ut Ecclesia vel beneficium tali personæ conferatur, quæ in loco residere possit, nonnulli Clericorum præsentati ad Ecclesias dixerunt, se id præstare posse, ut personaliter residerent, sed postea implere omiserunt. Quare dubitavit Episcopus Eboracensis, an tales præsentatos repellere, vel institutos removere possit. Respondet Alexander Papa, quandoquidem verba decreti accipienda sunt cum effectu, Clericos præsentatos ad Ecclesias non admitti, ad-

admissos autem removeri debere, præterquam, si cum Prælatorum suorum licentiâ, vel ob studium, vel aliam causam justam absint, alioquin verò nec appellationis diffugium ipsis patrocinari debet, si contra decreti intentionem interposuerint.

SUMMARIUM.

1. *Verba Constitutionis intelligi debent cum effectu.*
2. *Ut Curatus ab Ecclesia sua possit legitimè abesse, duo hæc copulativè requiruntur, licentia Prælati, & justa causa, nisi sit absentia tantùm ad tempus modicum, & nullum ovibus damnum eveniat.*
3. *Dare autem non residendi licentiam potest is, qui potest eam imponere, saltem si Ordinarij sint.*
4. *Justæ causæ absentiæ ex Tridentino referuntur Christiana Charitas; urgens necessitas; debita obedientia; evidens Ecclesiæ, aut Reipublicæ utilitas.*
5. *Explicantur hæ causæ.*
6. *Quid requiratur, ut beneficiatus, ad residendum obligatus, ratione studiorum abesse possit, & reditus suos interea percipere.*

1 NOtandum primum. Verba Constitutionis intelligi debent cum effectu, ita ut finem intentum consequatur, & non frustranea, atque inutilis fiat. Consentit *c. committa 35. de electione in 6.* ubi cavetur, ne statutum fiat ludibrio, debitóque frustretur effectu, & non rebus, sed verbis Lex imposita videatur: etenim in Concilij Lateranensis decreto, quod *c. præcedente relatum est*, præcipiebatur, ut tali personæ beneficium conferatur, quæ residere in loco beneficij, & curam ejus per se valeat exercere: quæ verba licèt superficie tenus potentiam innuere videantur, tamen propter effectum seu residentiam actualem posita sunt, cùm alioquin statutum inane esset. Eadem Juris regula, quòd verba cum effectu accipienda sunt, habetur *in L. 1. §. hac autem ff. quod quisque Juris. L. penulti. V. docere ff. ne quis eum, qui in Jus &c. l. Nomen 164. in fine ff. de Verborum significatione.*

2 Notandum secundò, ut beneficiarius, præsertim curatus, ab Ecclesia sua legitimè absit, duo hæc copulativè requiruntur, licentia Prælati, & causa justa, *ita Gl hic & Imol. n. 6. Abb. not. 4.* Excipe, quòd etiam non petitâ licentiâ abesse possit ad tempus modicũ, ita ut statim sit reversurus *argu. l. 3. ff. de divortijs*, ubi dicitur, si brevi reversa est uxor, nec divertisse videtur; dummodo interim Ecclesia, cui servit, notabile detrimentum non patiatur, sicuti *supra dictum c. 2.* & bene monet *Abb. n. 6. in quæstione hac*, num beneficiarius, etiam curatus, abesse possit, etiam non petitâ licentiâ, considerandam scilicet esse qualitatem causæ, præjudicium, seu damnum Ecclesiæ, & facilitatem, aut difficultatem petendi licentiam. Veruntamen si necessitas sit discedendi ad tempus longum, seu notabile, v. g. ultra mensem, & statim licentia peti non possit, quia periculum in mora est, v. g. propter gravem infirmitatem, potest ac debet beneficarius saltem ex loco absentiæ, seu post discessum, significare Prælato, uti annotavit *Garzias p. 3. c. 2 p. 34.*

3 Quæritur primò: quis possit dare facultatem non residendi, seu ab Ecclesia, aut beneficio discedendi. Resp. cum Rebuffo *cit. tit. dispensatione super non residendo, n. 75.* is potest licentiam dare, qui residendi necessitatem imponit *argu.* L. 3. *ff. de re judicata.* Qui damnare potest, is absolvendi quoque potestatem habet; quare dici solet, ejusdem esse ligare, cujus est solvere.

Corollarium. Si statutum aliquod de residentia, ab ipso capitulo factum sit, ita ut, eo statuto sublato, residendi talis obligatio cessaret, tunc ipsum Capitulum, seu Decanus Capituli, absentiæ licentiam dare potest; & hoc ipso casu pœnam quoque, tamen citra privationem, seu depositionem, residentiæ legem transgredientibus inferre, ad Capitulum spectat. Quòd si verò residentiæ

dentiæ ſtatutum Synodale, ſeu Epiſcopale ſit, tunc ad Epiſcopum pertinet in eo diſpenſare, vel abſentiæ licentiam ex juſta cauſa tribuere; ſin denique reſidentia ex communi Jure Canonico obligat v. g. Curatos, aut dignitatem habentes, tunc ad Papam pertinet eandem facultatem inferioribus Epiſcopis aliſque ſimilibus Prælatis, concedere, ſive abſolutè, ſive cum limitatione, v. g. ut curatis, niſi ex gravi cauſa, non permittatur abſentia ultra duos menſes.

Datâ operâ loquor de Prælatis Ordinarijs: interdum enim fit, ut alius Clericus in dignitate poſitus, v. g. Abbas regularis, aut Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ, beneficij curati collationem habeat, proviſus tamen, ſeu curatus jurisdictioni Epiſcopi ſubſit, ab eóque circa adminiſtrationem, & curam parochiæ pendeat. Quam ob rem ab eodem licentiam abſentiæ petere, & ob abſentiam illegitimam puniri debet, maximè ſi agatur ad privationem. Quare ait *Abb. hic n.* 4. quòd habens poteſtatem conferendi, non illicò etiam habet poteſtatem deſtituendi, propter delictum non reſidendi.

4 Quæritur ſecundò: quæ cenſeri poſſint cauſæ juſtæ abſentiæ, ſeu non reſidendi pro tempore durantis talis cauſæ. Reſp. eas breviter ſignari in Trident. *Seſſ. 23. c. 1. de reformatione.* cùm Chriſtiana Charitas; urgens neceſſitas; debita obedientia; ac evidens Eccleſiæ, aut Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abeſſe poſtulet &c. Ad Charitatem Chriſtianam pertinet v. g. ſi graves inimicitiæ inter proximos ſedandæ, eorúmve ſpirituali ſaluti ſuccurrendum ſit, dummodo abſentia ſit ſine notabili detrimento commiſſæ plebis; alioquin major ejus habenda ratio eſt, quippe cui curatus ex juſtitia obligatur ad ſubveniendum, non item alijs, uti notavit *Rodriq. lib. 2. c. 34. con.* 5. Ad urgentem neceſſitatem ſpectat, ſi curatus, aliúsve beneficiarius ad reſidentiam obligatus, graves inimicitias in eo loco ſuſtineat *argu. c. paſtoralis. 42. cauſa 7. q.* 1. tunc Epiſcopus, ſi parochum v. g. cum Domino loci, aut Præfecto reconciliare non poſſit, aliud beneficium conferre illi; vel ſi parochus extra culpam eſſe cenſeatur, interdum permittere poteſt, ac debet, ut conſtituto Vicario in loco alio tuto, ac vicino per tempus aliquod v. g. uniusanni commoretur, donec lis compoſita ſit. Huc etiam pertinet infirmitas, ſi in loco parochiæ Medici idonei non ſint, vel infirmus, eo in loco curari non poſſit; item hoſtium incurſiones, aëris intemperies, & peſtilentia. Sed quòd curatus in tali caſu plebem ſuam deſerere non poſſit, niſi idoneum ſubſtitutum relinquat, & plebis curam non omnino deſerat, docui *lib. 2. tract. 3. c. 3. n. 3.*

5 Ad debitam obedientiam ſpectat, ſi beneficiarius à Pontifice avocetur, ut in ſervitio ejus ſit. *c. cum dilectus 14. h. tit.* Vel ſi Canonicus à proprio Epiſcopo in auxilium aut ſervitium ſuum adſciſcatur *c. ad audientiam 15. hoc tit.* & videri poteſt *Rebuffus loco cit. n.* 34.

Ad evidentem Eccleſiæ, vel Reipublicæ neceſſitatem ſpectat, ſi beneficiarius etiam curatus, pro magno commodo Diœceſis, vel Reipublicæ, cujus membrum eſt, abeſſe debeat, quando alij idonei non reperiuntur, ſicuti dixi *ſupra. c.* 2. Huc ſpectat litis proſecutio ſuper juribus dignitatis, beneficij ſui, aut Eccleſiæ, cui beneficiarius incorporatus eſt, uti dicetur *in c. ex parte 13. hoc. tit.* Plura legi poſſunt apud *Azor to 2. lib. 7. c. 4.*

Porro ut talis cauſa abſentiæ juſta, & excuſans cenſeatur, requiritur, ut ſit verè cauſa abſentiæ; ſin autem curatus, aliúsve beneficiarius alioquin non reſidere ſoleat, ita ut infirmitas v. g. per accidens, & concomitanter incidat, non autem ſit per ſe cauſa abſentiæ, tunc etiam in externo foro puniri poteſt, ſicuti docet *Rebuffus n. 83. argu. l. penult. §. docere ff. nequit eum &c.* 6

Notandum tertiò. Ut beneficiarius ad reſidentiam obligatus ratione ſtudiorum abeſſe poſſit, & reditus ſuos interim percipere,

pere, requiritur licentia Epiſcopi. ita *Gl. hic V. Prælatorum. Imola n. 3. Andreas n. 4. Abb. n. 6. Navar. in man. c. 25. n. 121. Sa. V. reſidentia n 8.* & colligitur ex *textu hujus cap.* quando dicitur, quòd beneficiarius abeſſe poſſit cum licentia Prælati ſui conceſsâ, vel ratione ſtudiorum, vel ob aliam cauſam juſtam, licèt aliter intelligat *Rebuffus n. 25* Ratio eſt, quia ad Epiſcopum, vel ſimilem Prælatum pertinet, examinare, num beneficiarij ætas, ingenij aptitudo, aliæque qualitates permittant, ut ad ſtudia mittatur. Excipi debet caſus *cap. ultimi de Magiſtris*, quòd beneficiatijs omnibus etiam curatis conceſſum ſit, nullâ obſtante conſuetudine, aut ſtatuto, ut quinque annis in Univerſitate aliqua Theologiæ (vel Juri Canonico ſecundùm extenſionem à DD. omnibus communiter receptam) ſtudere, & quamdiu ipſis lubitum eſt, tale ſtudium docere poſſint, ita ut fructus beneficiorum in abſentia percipiantur. Hanc facultatem cùm Sedes Apoſtolica communi Jure conceſſerit, non poteſt Epiſcopus ſeu Prælatus inferior denegare, quamvis idcirco ei intimandum ſit, ut Vicarium idoneum ſubſtituere poſſit. Et ita tradit *Navar. loco cit. Rodriq. p. 2. c. 38. con. 2. Leſſ. de Juſtitia c. 34. n. 163. Sa. cit. n. 8.* Quare, ſi Epiſcopus impedire velit, quò minùs curatus, qui ſtudijs indiget, & ad ea idoneus eſt, per quinquennium in Univerſitate maneat, appellare is poterit, tanquam gravatus, quandoquidem indultum à Jure beneficium non eſt alicui auferendum *reg. 17. in 6.* Vide, quæ dicentur in *cit. c. ult. de Magiſtris* & quæ dixi *in c. cum ex eo 34. de electione in 6.*

CAPITULUM V.

Fraternitati.

Paraphrasis.

Clericum alterius diœceſis alius Epiſcopus recipere non debet ſine litteris commendatitijs ab Epiſcopo ſuo datis, præterquam, ſi Apoſtolicæ Sedis mandatum exhibeatur.

Summarium.

1. *Clericum alterius diœceſis non debet recipere Epiſcopus ad celebrationem, vel beneficia, niſi litteras commendatitias ab altero habeat.*
2. *Sufficiunt tamen teſtimoniales, ſive dimiſſoriæ.*

NOtandum. Epiſcopus Clericum ex alia diœceſi venientem recipere non debet, ut eum celebrare permittat, aut beneficium eidem conferat, niſi litteras commendatitias ab altero Epiſcopo afferat. Hoc ipſum percipitur in *Trident. ſeſſ. 23. c. 16. de reformatione*, & habetur *in c. 2. cauſa 19. q. 2.* ubi ratio additur, id propter criminoſos conſtitutum eſſe, ne Clerici infames ab alio Epiſcopo ſuſcipiantur; & cùm in ſuo Epiſcopatu non poſſint, in alio officia celebrare ſinantur. 1

Corollarium. Si Clericus ob vitæ improbitatem ſive crimen, infamis ſit, ita ut celebratio officiorum divinorum ei non permittatur, tunc diſceſſuro commendatitiæ aut teſtimoniales litteræ negari debent; ſin autem moribus quidem commendatus non ſit, non tamen ita infamis, aut publicè ſuſpectus, ut à ſacro Ordinis miniſterio prohiberi debeat, tunc diſceſſuro, ſi beneficium reſidentiam poſtulans non obtineat, aut illud reſignavit, teſtimoniales litteræ ſeu formatæ, quòd ſit v.g. Diaconus, aut Sacerdos ritè ordinatus, dari debent, tamen, ut in ijs non commendetur, quando commendatione dignus non eſt. ita etiam docui *in cit. c. 1. de peregrinis Clericis.* 2

CAPITVLVM VI.

Conquerente.

Paraphrasis.

PResbyter R. queſtus eſt Alexandro III. quòd, cùm vix neceſſaria vitæ ex parochia ſua percipere poſſit, nihilominus G.

Clericus 20. solidos annuos, ex eadem Ecclesia exigat, asserens sibi tale beneficium collatum esse. Intellexit etiam Pontifex, quòd dictus Clericus Ecclesiæ non deserviat, atque alia beneficia Ecclesiastica sufficientia possideat, ea propter mandat Lingonensi Episcopo, si ipsi constiterit, quòd G. Clericus, vel alia sufficientia beneficia habeat, vel dictæ parochiali Ecclesiæ non deserviat, ipsi super beneficio illo silentium, remota appellatione imponat.

SUMMARIUM.

1. *Potest Episcopus, si Ecclesia parochialis abundantes reditus habeat, eâ vacante, portionem detrahere ad novum beneficium erigendum; vel si pensione nimiâ gravatum sit, pensionem talem extinguere.*
2. *Non debet Clericus plura beneficia obtinere, si unum ad honestam sustentationem sufficiat.*
3. *Contra Clericum, qui in suo beneficio non residet, neque ei deservit, cùm tamen ratio beneficij hoc postulet, agere potest Ecclesia, ut beneficio privetur.*

1 NOtandum primò. Si Ecclesia parochialis reditus abundantes habeat, tunc Episcopus, maximè eâ vacante, portionem detrahere potest, ad novum beneficium erigendum, sive id fiat pro Ministro, aut Coadjutore in eadem Ecclesia, sicuti hìc tradit *Abb. n. 5. Mol. n. 1. argum. hujus cap.* sive ut propter multitudinem plebis, vel nimiam distantiam alia vicina parochia seu filialis constituatur, *juxta c. 3. de Ecclesijs ædificandis*, ubi Innocentius & alij id tradunt, quòd Episcopus ex justa causa beneficium unum in duo dividere possit.

Porro tametsi beneficium curatum v. g. si abundans non sit, pensione gravari, aut dividi non debeat, si tamen divisio antè facta sit, aut pensio per legitimam auctoritatem imposita, tunc sibi imputare debet Presbyter, quòd parochiam ita tenuem aut gravatam accepit, sicuti notavit *Abb. hìc n. 6.* & sumitur *ex hoc cap.* Verùm si beneficium, quod super parochialis Ecclesiæ reditibus fundatum est, vacare contingat, non prohibetur Episcopus illud extinguere, vel cum parochiali beneficio unire; propterea quòd causa, ob quam parochiale beneficium olim divisum, vel detractio ei facta fuit, videlicet proventuum abundantia, ob temporum, & circumstantiarum mutationem cessasse jam videatur. Vide, quæ dicam *in c. majoribus, 8. & c. extirpandæ 31. de præbendis.*

2 Notandum secundò. Non debet Clericus plura beneficia obtinere, quorum unum ipsi sufficit ad honestam vitæ sustentationem: num autem sit sufficiens beneficium, ait *Gl. V. sufficientia* considerandam esse personæ qualitatem, videlicet Nobilitatem, Dignitatem, vel Doctrinam, quia majores personæ majoribus reditibus dignæ sunt, maximè qui in Ecclesia Dei laborant, eique multùm prosunt juxta Apostol. 1. *ad Timoth. 5.* Pensandum quoque, quòd beneficiarij sibi, & familiæ suæ, quam honestè alunt, sufficere debeant, atque hospitalitatem erga peregrinos, & hospites, charitatem, & misericordiam erga pauperes exercere. Vide, quæ dixi *lib. 4. tract. 2. c. 3. n. 2. & c. 8. assert. 1.*

3 Notandum tertiò. Si beneficiarius in beneficio residentiam postulante, non resideat, Ecclesia, cui servire deberet, apud Prælatum agere potest, ut privetur, seu beneficium ipsi auferatur præmissâ monitione, sicuti dicetur *in c. ex parte 8. hoc tit. ita notat Innocent. hic.*

CAPITULUM VII.

De cætero.

PARAPHRASIS.

Si Canonici duo absentes in servitio Episcopi sint, proventus beneficiorum integri, & sine subtractione provenire ipsis debent, exceptis quotidianis distributionibus.

SUM-

SUMMARIUM.

1. *Potest Episcopus in commodum suæ Ecclesiæ duos Ecclesiæ suæ cathedralis Canonicos in servitio suo habere, qui pro residentibus ad lucrandos fructus reputari debent.*
2. *Et probabiliter etiam alii Prælati exempti, qui quasi Episcopalem jurisdictionem habent.*
3. *Plures ut habeant, si necessitas id exigat, consensus Capituli accedere debet.*
4. *Dum dicitur, nihil his taliter occupatis nisi de beneficij victualibus detrahendū, intelligitur nihil de communibus proventibus detrahendum.*

1 NOtandum. Episcopus duos Ecclesiæ suæ Cathedralis Canonicos in servitio suo habere potest, ita ut pro residentibus habeantur, & fructus beneficiorum accipiant. Consentit *c. ad audientiam 15. h. t.* & videri potest *Navar. cons. 2. hoc tit. editione 2.* ubi ostendit, huic constitutioni derogatum non esse per Tridentinum *Sess. 24. c. 12. de reformatione.* Requiritur tamen, ut Canonicus in obsequio, & familia Episcopi versetur, non ob suum, videlicet ipsius Canonici privatum commodum, sed neque ob privatum commodum, aut solatium Episcopi, v. g. ut venationibus cum ipso interfit, sed propter commodum Ecclesiæ, *argum. L. Scriniarios c. de testamento militari*, & docet *Rubuffus in cit. tit. n. 36. Azor to. 2. lib. 7. c. 4.*

2 Quæritur primò. Num hæc facultas etiam alijs Prælatis Ecclesiarum Collegiatarum concessa sit, ut Canonicos duos à servitio Ecclesiæ liberos secum habere possint. Resp. ex textu id non satis colligi. Affirmant tamen *Innocentius hic. Andreas n. 1. Mol. n. 1. Abb. n. 3.* dummodo fiat ex justa causa & non in fraudem. Ego arbitror, veram esse horum sententiam, si sermo sit de Prælato exempto, & quasi Episcopali jurisdictione prædito, quia is æquiparatur Episcopo, & absolutè loquendo Ordinarius Ecclesiæ suæ est: sin autem loquamur de Prælato non exempto, tum Jus nullum afferri potest, quo ipsi talis licentia concessa sit; nihilominus si Ecclesiæ utilitas & negotia, quæ tractat, postulare videantur, tunc justa causa aderit, cur saltem unicum Canonicum habeat secum Adjutorem, & ita intelligi potest, quod docet *Navar. in Consilio 2. h. tit.* Rationem dare debemus, cùm enim Prælatus quilibet cum Capitularibus faciat unum corpus tanquam caput cum membris, æquum est, ut membra capiti suo assistant, illúdque adjuvent, si eorum operâ indigere videatur.

Porro si Episcopus v. g. plures, quàm 3
duos Canonicos in servitio suo ob Ecclesiæ bonum occupare velit, tum etiam Capituli consensus requiretur, *teste Abb. hic n. 3.* quem tamen negare non debet, si causa justa exigat, & sine Ecclesiæ Cathedralis notabili detrimento, quia alioquin Canonicis abundat, id fieri possit.

Quæritur secundò. Quomodo intelligi 4
debeat, quod in textu dicitur, de beneficio communitatis nihil detrahendum Canonicis, in obsequio Episcopi occupatis, præter victualia. Resp. cum *Abb. hic* Pontificem loqui de proventibus, qui ex communi massa, quæ & mensa capitularis dicitur, Canonicis singulis ab Oeconomo annuatim distribunutur; victualia autem vocat quotidianas distributiones, quæ interdum in esculentis, aut poculentis consistunt, & præsentibus tantùm in Ecclesia dari solent, uti hìc dicitur & *in cit. c. licet 32. de præbendis.*

CAPITULUM VIII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Decanus cujusdam Ecclesiæ transtulit se in aliam regionem, videlicet Galliam, & ibi constituta habitatione, decem annis ab Ecclesia sua absens permansit; de hoc Canonici Cælestinum tertium certiorem

reddiderunt, qui ipsis rescripsit, quòd nolit Ecclesiam eorum Decani officio destitui; quare mandat Canonicis, ut ipsi scribant, quòd Decani officium ipsum in Ecclesia sua præstare oporteat, quòd si vocatus venire noluerit, eligendi alium, qui Ecclesiæ præesse possit, facultatem liberam concedit ipsis Papa.

SUMMARIUM.

1. *Per solum discessum à beneficio residentiam requirente, & longam ab hoc absentiam, non censetur ei aliquis renuntiasse.*
2. *Monendus tamen est, vel etiam citandus absens, ut redeat, & si contumax sit, beneficio privari potest.*

1 NOta. Si quis in beneficio suo residentiam postulante recesserit, & diu absens fuerit, dummodo aliud incompatibile non receperit, non censetur ei renuntiâsse, ut, tanquam vacans, alteri conferri possit. Ita *Gl. hic V. Person.* & expressiùs *Abb. n. 2.* quam ob rem absens moneri debet, seu vocari, ut resideat: quòd si intra tempus legitimum non veniat citatus, ideóque contumax appareat, privari potest ab eo, qui destituendi potestatem habet; non autem requiritur citatio trina, nec privatio per sententiam, præmissâ judiciariâ cognitione, sed ipso facto beneficium auferri, & alteri conferri potest, uti colligitur *ex hoc cap. & c. sequente* & notat hìc *Innocent. Ioann. And. n. 2. Imol. n. 3. idem Abb. in c. sequente, Garzias plures citans p. 3. c. 2. n. 127. & sequentibus* Ratio est, quam Innocentius dat, quia in notorio facto non requiritur ordo Juris *c. ad nostram 21. de Jure jurando*, cùm itaque absentia beneficiario prohibita, sit notoria, atque insuper post monitionem personalem exspectatus non veniat, procedi potest de facto, ita tamen, ut si beneficiarius postea redeat, & justam absentiæ causam, sive impedimentum ostendat, restituendus sit, sicuti citati DD. docent *argu. c. 3. causa 7. q. 1. & c. cum Bertoldus 18. de re judicata.* Monet tamen *Abb. in c. inter 10. hoc tit.* consultius esse, ut beneficiarius per judicialem sententiam privetur, cognitâ priùs causâ, quòd culpabiliter & contumaciter absit.

Adverte autem, quod in Not. dixi, absentem citandum esse ab eo, qui destituendi facultatem habet, videlicet legitimo Superiore, sicuti *Innocent. & Ioann. Andr.* notarunt *in c. sequente & hìc Abb. n. 5.* ubi ait, quòd Capitulum citare non possit Decanum absentem. Hoc verò intellige de authoritativa citatione, per quam citatus in contumacia constituatur, siquidem inferiores in Superiorem jurisdictionem non habent *c. cùm inferior 16. de majoritate*, neque pares in parem *c. innotuit 20. de electione.* Interim verò Capitulum monere potest Decanum absentem, ut redeat, monitione charitativa, ita, ut si non pareat, postea Prælato denuntiari, vel accusari possit. Potest quoque Capitulum, aut Decanus citare unum ex Canonicis in Ordine ad pœnam seu mulctam, quam Canonicis singulis absentibus, aut delinquentibus, seu de Jure, seu de Consuetudine inferre potest.

CAPITULUM IX.

Qualiter.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Paguiensis propriâ auctoritate recessit ab Ecclesia sua, & licèt à Capitulo revocatus fuerit, tamen non rediit; quare Capitulum alium eligendi facultatem ab Innocent. III. petivit, sed Pontifex exspectandum putavit, si fortè resipiscens ad Ecclesiam redeat: verùm cùm quadriennio integro abfuisset, ne Ecclesia diutiùs pastore careat, mandat Capitulo, ut nisi jam redierit Archiepiscopus, post mensem à receptione litterarum harum numerandum, personam idoneam in Archiepiscopum eligat.

SUM-

SUMMARIUM.

1. *Capitulum abſentem illegitimè Prælatum ſuum monere quidem poteſt, & rogare, ut redeat, citare tamen authoritativè non poteſt.*
2. *Sed nec Superior contra talem abſentem, quamvis monitus de reditu fuerit, ſtatim procedere poteſt ad privationem.*
3. *Unde tres modos referunt aliqui, quibus cenſeri poſſit renuntiâſſe aliquis beneficium.*

1 NOtandum primò. Capitulum Prælatum ab Eccleſia illegitimè abſentem, poteſt quidem revocare, ſeu monere, ut redeat, ſed non citare authoritativè, in ordine ad privationem, cùm ea à Superiore fieri debeat, ita dixi etiam *in c præcedente*, & tradit *Innocent. hìc* aſſerens quantumcunque ſubditi moneant Prælatum, vel ſocium de redeundo, non poſſunt tamen procedere ad eligendum ſine authoritate illius, in cujus manibus ille poteſt renunciare, vel, qui Jurisdictionem habeat, ut eum removeat.

2 Notandum ſecundò. Superior non ſtatim procedere debet contra abſentem à beneficio, etiam monitum, ut eum deſtituat, & alteri conferat, ſed exſpectandum, donec vel contumacia, & temeritas clarè appareat, vel quòd beneficium pro derelicto habeat, eique tacitè renuntiet. Habenda tamen etiam eſt ratio Eccleſiæ, ut ob abſentiam beneficiarij, aut paſtoris notabile detrimentum diu non patiatur.

3 Adverte, quòd *Gloſſa hìc V. quadriennium Abb. n. 5. Mol. n. 4.* tres modos afferant, quibus Clericus Beneficio ſuo renuntiare, ſeu illud pro derelicto habere cenſetur, ut alteri conferri poſſit. Primò: ſi militiæ nomen dedit, & reipſa miles factus eſt, ſecundùm receptam ſententiam *Innocent. in c. 1. de Apoſtatis n. 3. Gl. in c. ult. V. redierint hoc. tit. Clari in practica §. ult. q. 73. n. 6. Flaminei de reſignationibus lib. 1. q. 1. n. 22.* neque opus eſſe, ut antecedat monitio, tradit *Gloſſa & Abb. loco cit.* Ratio eſt, quia obligat ſe ad ſtatum incompoſſibilem cum Clericatu *argum. L. penult. ff. ex quibus cauſis majores &c.* ubi dicitur, quòd milites omnes diſcedere à ſignis, ſine periculo non poſſint. Et *Gloſſa ibidem* ait: Miles, præſtat Sacramentum per genium Principis, & Deum omnipotentem, quòd mortem Reipubl. cauſa non evitabit. Secundò: ſi beneficiarius matrimonium contraxit, prout dixi *in c. 1. de Clericis conjugatis.* Tertiò: ſi abſens & monitus, ut redeat, in contumacia exiſtat, ut hìc.

CAPITULUM X.

Inter.

PARAPHRASIS.

Si Clerici beneficiarij ab Eccleſia ſeu præbenda ſua ſine juſta cauſa diſcedant, atque congruo tempore exſpectati, non redeant, Epiſcopus eos privare poteſt, dummodo juſto impedimento non detineantur, quò minùs poſt monitionem revertantur.

SUMMARIUM.

Poteſt, qui illicitè à ſuo beneficio, reſidentiam requirente, diſceſſit, licitè tamen, ſuperveniente poſtmodùm impedimento, abſens morari, abſque eo, ut incurrat pœnam privationis.

NOtandum. Tametſi beneficiarius abſque juſta cauſa, & ſine Prælati licentia ſe abſentaverit, ſi tamen poſtea redeundi impedimentum incidat, v. g. infirmitas, aut quia in loco beneficij periculum peſtis, hoſtium, aut inimicorum probabiliter timetur, beneficio privari, ſeu deſtitui non poteſt; nam impedimentum ſuperveniens excuſat à pœna, de non ſiſtentibus ſe decretâ, dummodo non ſit voluntarium, ſeu affectatum, teſte Bartolo *in L. 2. §. ſimili modo ff. ſi quis cautionibus &c.* Deinde opus eſt, ut impedimentum, quod incidit, ſit cauſa non veniendi; ſecus autem dicendum,

dum, si etiam non superveniente impedimento beneficiarius citatus ad terminum præfixum venire ampliùs non potuisset, sicut *Imola* hîc docet *in fine*. Quamvis in tali casu, si res adhuc integra sit, & electio, vel collatio alteri non facta, neque sententia privationis judicialiter lata, secundùm æquitatem beneficiarius admitti debeat, aliâ ipsi pœnâ propter legitimam absentiam decretâ, *argum. c. præcedentis*, cùm moram commissam brevi tempore, purgare impedimentum excusans, non tantùm absoluta impossibilitas, sed etiam difficultas non modica, consideratis personæ, loci, aliisque circumstantijs, intelligi debeat, *secundùm Barthol. in* L. *continuus* §. *illud. n.* 7. *ff. de verborum obligationibus.*

CAPITULUM XI.

Ex tuæ.

Paraphrasis.

Si beneficiarius ab Ecclesia sua fraudulenter se absentârit, & citatio ad ipsum pervenire non possit, per trinum publicè affixum edictum citari debet; si neque tunc comparuerit, exspectatis sex mensibus, si non venerit, secundùm Canones, beneficium ei auferri debet.

Summarium.

1. *Clericus absens illicitè, si malitiosè impediat, quominùs ad se citatio perveniat, privari potest suo beneficio, post trinam, per edictum publicum, affixum ad valvas Ecclesiæ, monitionem, si intra sex menses non revertatur.*
2. *Et quamvis, non in omni casu, una peremptoria citatio cum legitimo tempore sufficiat, si à Iure trina requiratur, probabiliter tamen in hoc casu edicti ad valvas Ecclesiæ affixi, una peremptoria, cum tempore competente, sufficit.*
3. *Alius modus est procedendi contra Clericos taliter absentes per censuras suspensionis & excommunicationis, & talium reductio utilis Ecclesiæ videbitur.*
4. *Et quamvis realiter degradatum non possit restituere, nisi solus Papa; verbaliter tamen depositum restituere nonnunquam potest etiam Episcopus.*

NOtandum. Tametsi beneficiarius il- 1
legitimè absens personaliter citari debet, per nuncium, aut litteras, si sciatur, ubi sit, & citatio ad ipsum pervenire possit, uti in superioribus capitulis dictum; tamen si citatio ad ipsum, qui malitiosè abest, pervenire non possit, tunc publico edicto ad valvas Ecclesiæ affixo, ter citari debet, & postea, si intra sex menses non revertatur, beneficio privari. Ratio dari debet, quia si quis personaliter citatus, cùm venire possit, non veniat, verè contumax reputatur, quia scitur, quòd voluntatem veniendi non habeat; quam ob rem in tali casu, in quo etiam simpliciter, & de plano agitur, sufficit una citatio personalis. *Clem. 2. juncta Gl. V. citatione & V. non peremptoriè, de verborum significatione.* At verò citatio per edictum efficit contumaciam fictè, & præsumptivè, cùm certò non sciatur, num absenti innotescat, & ideò meritò statutum, ut trina citationis publicatio fiat, qua de re *Felinus in C. consuluit n. 8. de officio delegati.*

Sed dubitatur, an in hoc casu sufficiat 2
una citatio per edictum peremptoria, dato tanto temporis spatio, quod satis sit pro tribus citationibus, ut si pro unâ citatione darentur decem dies ad comparendum, unicum edictum peremptorium affigatur, præfixo 30. dierum termino. Negat *Ioan. And. hîc & Abb. uterque n. 4. Felinus cit. loco.* ubi regulam tradunt, si lex requirat trinam citationem in ordine ad pœnam decernendam, non sufficere unam peremptoriam citationem; & hæc sententia vera est, si consuetudo sit, ut proclamatio præmittatur per præconem *juxta Clem. 1. de judicijs. juncta Glossa*, citiùs enim ejus rei cognitio perveniet ad absentem, si proclamatio

matio ter fiat, quàm si semel. Sin autem absque præconis voce edictum publicetur ad Ecclesiæ valvas *juxta C. ult. de dolo.* perinde erit, si unum edictum, adjecto termino peremptorio 30. dierum prostet, ac si tria edicta affigantur secundùm decem dierum intervalla, sicuti Molina notavit: quare tunc generalis regula locum habere videtur tradita *in L. contumacia 53. ff. de re judicata*, quòd unum peremptorium tribus edictis æquivaleat.

§.

Contra eos.

3 ALius modus est procedendi contra Clericos absentes per censuram suspensionis, & excommunicationis: quòd si neque hoc modo ad obedientiam & residentiam compelli possunt, tum demum ijs remotis, seu privatis, alij in locum eorum constitui debent; degradationis autem sententia in eos non promulgabitur, ut secundùm misericordiam, & indulgentiam citiùs restitui possint. Iste modus procedendi usurpari potest contra Clericos absentes, si eorum reductio utilis Ecclesiæ futura sit, prout hîc *Abbas* notavit, ut videlicet non statim post monitionem primam eorum beneficia alijs conferantur, tanquam deserta, sed repetitis monitionibus, atque illatis censuris, absentes ad reditum, & obedientiam adigantur: sin autem in censuris contumaciter perseverent, tunc beneficijs quidem privati, sed non ita, ut omnino ab officio deponantur, aut degradentur, nam depositio aut degradatio per sententiam fit absque spe restitutionis ordinariæ, quæ statim secutâ emendatione fieri debeat; at verò suspensum, & excommunicatum, & uno verbo propriè dictâ censurâ ligatum, Superior ex debito officij absolvere debet, cùm primùm ille à contumacia recesserit.

4 Quæres. Num Episcopus beneficiarium ex tali causa depositũ restituere possit. Resp. *cum Molina hic. n. 14. Abb. in cit. c. 4. §. de adulterijs. de judicijs.* Vel sermo est de depositione actuali, seu reali degradatione, per quam Clericus omnibus clericalibus privilegijs exuitur, tunc restituere ad solum Papam spectat, secundùm, *Gl. receptam in c. 1 deò. 10. verbo restitutionibus, causa. 2. q. 6.* præterquam, si appareat, sententiam degradationis injustè, v. g. per testes falsos, latam esse, *secundùm Gl. in c. Episcopus 65. causa 11. q. 3.* Vel sermo est de depositione verbali, per quam Clericus privilegia clericalia non amittit, prout dixi *lib. 1. tract. 5. p. 3. c 5.* in hoc casu distinguendum, num depositionis pœna Jure communi canonico decreta sit, & an ea sit sententiæ latæ, in quo casu Episcopus restituere non potest; an verò sententiæ ferendæ, tunc dispensare Episcopus posse videtur, & relaxare juxta ea, quæ dixi *in cit. §. de adulterijs.* Sin autem depositionis pœna Jure Canonico decreta non sit, sed ab Ordinario alicui inferatur, eò quòd incorrigibilis videatur, & alijs mitioribus pœnis emendari non possit, tunc post secutam emendationem Episcopus pœnam relaxare potest.

CAPITULUM XII.

Tuæ.

Paraphrasis.

Altisiodorensis Episcopus quæsivit ex Innocent. III. an si Canonici, quibus indultum est, ut causâ studiorum absentes, beneficiorum suorum reditus percipiant, ad castella, aut vicos, in quibus nullum, aut non congruum est studiorum exercitium, abeant, fructus nihilominus consequi debeant. Respondet Papa, cùm fraus & dolus nemini patrocinari debeat, eos, qui ejusmodi fraudem committunt, dictâ indulgentiâ frui non oportere.

Sum-

SUMMARIUM.

1. *Licentia, qua conceditur, ut ſtudiorum causâ abſens à ſuo beneficio reſidentiam requirente, fructus tamen ſui beneficij, ſuos faciat, intelligi debet de abſentia in loco, ubi vigent ſtudiorum exercitia, & ut in tali loco ſtudiorum causâ moretur abſens.*
2. *Et quamvis multi putent, eos ad hunc finem verſari debere in locis ſtudiorum generalium, ſive Univerſitatibus, alij tamen probabiliùs contrarium tenent.*

1 NOtandum. Quando Jura Canonica indulgent, ut beneficiarij cum licentia Prælati ſui, ſtudiorum causâ abſentes, beneficiorum ſuorum fructus integros, quotidianis diſtributionibus exceptis, percipiant, intelligi debet hæc indulgentia, dummodo verſentur in loco, ubi ſtudiorum exercitia vigent. Ratio eſt, quia indulgentia hæc ita intelligi debet, ut cauſa, ob quam conceſſa fuit, conſervetur; ſicuti enim dixi *in c. 4. hoc tit.* quòd verba diſpoſitionis intelligi debent cum effectu, ne alioquin fine & utilitate ſua privetur, & quandoque noxia ſeu damnoſa fiat; ita cùm dicitur, quòd gratia percipiendi réditus beneficiales ſtudentibus in abſentia competat, accipi debet de ijs, qui in loco ſtudiorum verſantur, ubi exercitia ſtudiorum vigent; & non tantùm hoc, ſed etiam requiritur, ut ipſi in ſtudijs ſe exerceant, & non tantùm ibi morentur, alijs rebus v. g. luſibus, potationibus, ſaltationibus, linguæ diſcendæ &c. vacantes. Sicuti ex communi docet *Abb. in C. ultimo n. 6. de Magiſtris.* Imò Bartolus *in L. ſemper ff de Iure immunitatis. & in L. unica. not. 1. C. de collegiatis lib. 11.* generatim ait, quòd ille, qui eſt in Collegio alicujus artis v. g. mercatorum, piſtorum, nec exercet artem, non debet illorum privilegio gaudere, nec Scholarių, qui Scholas intrat nō attendens nec ſtudens; quod præter alios etiam tradit *Abb. in c. 1. n. 39. de Iudicijs.* Et ſumitur *exc. generaliter 40. cauſa 16. q. 1.* Veruntamen ſi quis dignitatem, aut officium accepit à Republica, illúdque non exerceat, non amittit illud ipſo Jure, ſed per privationem *juxta cit. L. uniam, & notavit Fel. in c. Clerici de Iudicijs.*

Quæritur. Utrùm neceſſe ſit ad lucrandos fructus in abſentia, ut beneficiarius ſtudeat in Univerſitate, ſeu ſtudio generali. Ita affirmat *And. hic n. 3. Molina n. 6. Abb. in cit. c. ult. n. 6 de Magiſtris.* Sed contrarium rectiùs docet idem *Abb. hic ex Hoſtienſi*, idque colligitur ex textu noſtro, ſolùm enim dicitur, eos Clericos indulgentiâ hâc Canonis non frui, qui in fraudem ſe aliò conferunt ſtudiorum prætextu, cùm tamen in eo loco nullum, aut non competens ſtudij exercitium vigeat, ergò ſi in tali loco, ſive ſit civitas, ſive villa, ſive caſtellum, ſtudia vigeant, & conſequenter finis atque utilitas, ob quam indulgentia fructus percipiendi ſtudentibus Clericis conceſſa fuit, ei locus eſſe debet. 2

CAPITVLVM XIII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Præpoſitus de Valerijs in collatione Præpoſituræ ſibi facta juraverat, quòd in Eccleſia ſuæ reſidere vellet. Sed quia ob negotia ejusdem Eccleſiæ interdum abeſſe debebat, conſuluit Honorium tertium, utrùm, ſalvo juramento ſuo, abſentia hæc defendi poſſit? Reſpondet Papa, ſi in fraudem ſe non abſentet, ſed jura Eccleſiæ ſuæ fideliter proſequendo, quòd pro reſidente haberi debeat, & contra Juramentum ſuum non agat.

SUMMARIUM.

Iuramentum præſtitum circa materiam Iuris intelligi debet ſecundùm limites materiæ ſubjectæ.

NOtandum. Juramentum præſtitum circa materiam Juris intelligi debet ſecundùm limites materiæ ſubjectæ, ut videlicet ad plus, ſeu extenſius non obliget, quàm

quàm Jus requirat, licèt obliget intensiùs, quia obligationi, quæ est ex Jure, sive lege, novam obligationem affert, ex virtute Religionis. Ita docet *Innocent. in C. per tuas n. 2. de arbitris. Abb. hic. n. 4. Molina n. 2.* ubi ait, quòd Juramentum præstitum circa materiam Juris recipit omnes limitationes, seu exceptiones Juris, sicut etiam docui *lib. 4. tract. 3. c. 9. n. 2.* quam ob rem cùm Jus commune non exigat residentiam tam strictè, ut non ex pluribus causis absentiam beneficiarijs permittat, videlicet ad jura & commoda Ecclesiæ suæ prosequenda, imò etiam ob propriam utilitatem, petitâ tamen licentiâ Prælati, imò etiam sine licentia ad tempus modicum *teste Gl. hic V. perjurium. Molina. n. 7.* ideò etiam Juramentum sic intelligi, sícque materiæ subjectæ adaptari debet; præterquam si in Juramento, aut obligatione speciali quidpiam ultra Juris communis limites expresè adijciatur, quo modo Canonici residentiam, per quam Jus proventuum acquirere solent, tali modo implere in Germania coguntur, ut nulla unquam nocte extra civitatem maneant.

CAPITULUM XIV.

Cùm Dilectus.

Paraphrasis.

In Ecclesia Metensi statutum vigebat, sub certa pœna fructuum privationis, residentiam præcipiens Canonicis. Accidit autem, ut Magister Otto ejusdem Ecclesiæ Canonicus inter familiares Summi Pontificis versaretur, quippe ejus obsequio in scribendo utebatur Honorius tertius, qui etiam rescribit hîc, & mandat Capitularibus, ut dum dictus Otto in servitio suo commoratur, fructus præbendæ ipsi tribuantur, non obstante illo statuto; propterea quòd non minùs absens, si in Romanæ Sedis servitio occupetur, Ecclesiæ Metensi utilis esse censeatur, quàm si præsens esset, quia sæpè accidit, ut ejusmodi Romæ residentis operâ, & auxilio negotia singulorum, qnæ ex Ecclesia ea particulari sunt, promoveantur.

Summarium.

1. *Beneficiati, qui Romæ in servitio Sedis Apostolicæ morantur, pro residentibus in Ecclesia sua haberi debent.*
2. *Si tamen Pontifici, quà tali in obsequijs Ecclesiasticis obsequium præstent, non autem si morentur tantùm ob suum commodum, & propriâ voluntate, in negotijs temporalibus.*
3. *Capitulum seu inferior Prælatus non potest statuere aliquid contra Ius universale Canonicum.*

NOtandum primò. Beneficiarij, qui Romæ in servitio Sedis Apostolicæ morantur, pro residentibus in Ecclesia haberi debēt. Ratio est partim ea, quæ in textu affertur, quia dum ibi morantur, multum Ecclesiæ suæ particulari, ejúsque membris singulis, in expediendis negotijs, & promovendis juribus eorum prodesse possunt; partim, quia Ecclesia Romana Universalis censetur, quatenus aliarum omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra est, consequenter, qui Ecclesiæ Romanæ servit, & obsequio suo prodest, alijs quoque particularibus Ecclesijs prodesse, & inservire censetur, *argum. c. 3. de postulatione Prælatorum.* Et notat *Imola hic. n. 3.* Propterea, quòd honor, & proprietas Ecclesiæ originalis, ac matricis, quodammodo etiam derivetur in alias particulares subjectas Ecclesias, quare dici solet, quòd Clericus residens Romæ, residet ubique. 1

Advertunt autem DD. hîc *apud Abb. n. 3.* quos sequitur *Rebuff. de dispensatione super non residendo n. 33. Azor tom. 2. lib. 7. c. 4.* quòd non omnes in Curia Romana commorantes hoc privilegio gaudere debent, sed ij tantùm, qui Pontifici, tanquam Pontifici, videlicet in Ecclesiasticis negotijs, aut divinis officijs obsequium, seu auxilium præstant; non item ij, qui principaliter ob suum commodum, aut lucrum, 2

in Curia versantur v.g. Cantores, & Notarij *argum.* L. *Reipubl. 36. & L. non verè 42 ff. ex quibus causis majores &c.* Reipublicæ causa, ut dicitur *in* L. *36.* abesse eos intelligimus, qui non sui commodi causâ, sed coacti absunt, videlicet propter publicam necessitatem, aut Principis imperium, quo sensu bene *ex Hostien.* docuit *Sylv. q. 7.* quòd omnes excusentur, qui morantur in Curia Papæ ex præcepto ejus, tametsi sint Scriptores (*argum. hujus capituli*) secus si propriâ voluntate. Quamquam etiam hinc excipiendi sint curati, quorum residentia, cùm Jure divino requiratur, non potest Papa absque justa necessitatis causa eam impedire, aut in ea dispensare, sicuti *Azor cit. loco.* notavit.

3 Notandum secundò. Capitulum vel Prælatus inferior Papâ non potest statuere contra Jus Universale Canonicum, ita etiam *lib. 1 tract. 4. c. 7. n. 5.* docui, & sumitur *ex hoc c.* quando dicitur, quòd non obstante Ecclesiæ Metensis constitutione, absentes propter servitium Papæ, fructus beneficiorum percipere debeant: cujus rei ratio est, quia tales, spectato Jure communi pro præsentibus haberi debent. Accedit hîc specialiter, quòd per tale statutum impediretur potestas superioris Papæ; non valet autem statutum, per quod Superioris potestas aut jurisdictio impeditur *secundùm Bartolum in L. omnes populi n. 27. ff. de Iustitia & Iure.* Nisi Superior scienter & sine subreptionis vitio, tale statutum approbet, suâque authoritate confirmet, tunc enim instar privilegij cujusdam censeri debet, ita tamen, ut à Pontifice, vel Successore ejus revocari possit.

CAPITULUM XV.

Ad audientiam.

Paraphrasis.

In Ecclesia Meldensi constitutio erat inter Canonicos jurata, & authoritate Sedis Apostolicæ confirmata, ut Canonici in Ecclesia ea non residentes, fructus præbendarum non reciperent, ijs exceptis, qui infirmitate impediuntur; aut qui in Apostolicæ Sedis servitio occupantur; vel quibus ob legitimam peregrinationem, aut studium litterarum abesse contingit. Hujus statuti vigore Decanus & Capitulum Meldense Canonicis in Episcopi servitio occupatis proventus beneficiorum detrahere volebant. Quâ de re apud Pontificem Honorium questus est Episcopus, cui Papa respondet decernendo, quòd duo Canonici in Episcopi servitio existentes præbendarum suarum fructus integros percipere debeant, eò quòd absentes dicendi non sint, sed præsentes, qui cum Episcopo ob ejus, & consequenter Ecclesiæ servitium, commorantur.

Summarium.

1. *Statuta circa materiam Iure communi determinatam explicari debent, ut sint conformia Iuri, & ab hoc non recedant, quoad omnes conditiones, & limitationes.*
2. *Ita ut etiam extendantur ad casus, qui Iuris fictione veris æquiparantur.*
3. *Et gaudeant etiam hi tales, taliter fictione Iuris præsentes, alijs etiam privilegijs, quæ a Iure communi præsentibus conceduntur, nisi à Iure specialiter aliqua excipiantur.*
4. *Aut quæ conceduntur speciali Iure Ecclesijs, ubi beneficiati sunt.*
5. *Ut duo Canonici Cathedrales cum Episcopo morantes fructus etiam in absentia à suis Ecclesijs faciant suos, sufficit, ut juvent Episcopum in negotijs ad episcopale munus pertinentibus.*
6. *Neque tamen Iurisfictione, alij etiam Clerici, qui non sunt Canonici Cathedrales, pro præsentibus haberi debent, in ordine ad fructus beneficiorum suorum percipiendos, quamvis in servitio Episcopi morentur.*

7. *Quam-*

7. *Quamvis, ſi in cauſis Cathedralis Eccleſiæ, aut ob communem utilitatem Diœceſis occupentur, tales beneficiati, ab Epiſcopo pro præſentibus haberi poſſint in ordine ad fructus percipiendos.*

8. *Valde tamen probabile eſt, non debere hanc Iuris fictionem extendi ad Legatos Sedis Apoſtolicæ.*

1 NOtandum primum. Statutum editum circa materiam Jure communi determinatam explicari debet, ut ſit conforme Juri, & ab eo non recedat, accipiátque omnes conditiones, ac limitationes ejusdem Juris. Ita *Abb. in c. præcedente n. 4. Anchoran. conſi. 17. paulo poſt initium. Imola hic n. 1. & docet Gl. & DD. in l. 2. C. de noxalib. actionib.*, quoad ſtatuta diſponentia ſuper eo aliquid, ſuper quo diſponit Jus commune. Et conſentit *Bartol. in L. omnes populi n 61. Gail. lib. 2. obſervatione 33. n. 3.* quòd ſtatutum recipit interpretationem declarativam à Jure communi. Exemplum habes hîc. Statutum erat etiam à Sede Apoſtolica probatum, ut Canonici abſentes non reciperent præbendarum ſuarum fructus, exceptis quibusdam caſibus, qui & expreſſi erant in ſtatuto; dubitatum fuit, utrùm alium caſum non expreſſum in ſtatuto, ſed Jure communi comprehenſum, comprehendere etiam debeat. Videtur, quòd non, quia caſus expreſſus in lege ſeu ſtatuto, confirmat illud adverſus alios non expreſſos caſus, *ſecundùm Gl. receptam in C. Dominus 6. cauſa 32. q. 7.* Sed contrarium hîc deciditur, ita ut alia nobis regula ſtatuenda ſit, *cum Abb. hîc n. 2.* Si ſtatutum quosdam caſus Juri communi congruos excipiat, id exempli cauſa factum intelligi debet, ita, ut etiam alios conſimiles, qui eodem communi Jure excepti ſunt, comprehendat; cui doctrinæ conſentit *Bartol. in cit. n. 61.* ubi ait, etſi alioquin efficax ſit argumentum, quod dici ſolet à ſenſu contrario, quando videlicet una ſpecie, aut uno caſu expreſſo, illatio ſit, contrarium eſſe ſentiendum, de ſpecie, aut caſu non expreſſo, tamen locum non eſſe huic argumentationi, ſi caſus ille non expreſſus à communi Jure deciſus ſit, tunc enim dici debet, quòd caſus omiſſus remanet in diſpoſitione Juris communis, *juxta Gl. receptam in L. ſi cum dotem 22. V. muliéri ff. ſoluto matrimonio. argum. C. in noſtra 8. de injurijs.*

Ex eodem capite provenit, quòd, tametſi 2
alioquin ſtatutum diſponens in caſu vero non debeat extendi ad caſum fictum, ſeu qui talis eſt, non ſecundùm veritatem, ſed Juris interpretationem, uti docet *Bartol. loco cit. & Anchoran. in c. unico hoc. tit. in 6.* quia verba propriè plerumque accipi debent, & ad impropria ſignificativa non trahi. Excipitur tamen, ſi fiat ſtatutum circa materiam Juris communis, tunc videtur comprehendere eos caſus fictos, qui eodem communi Jure pro veris, ſeu æquiparati veris habentur. Exemplum habes hîc. Statutum à Papa confirmatum erat, ut abſentes ſeu non reſidentes fructus beneficiorum non acciperent, hâc pœnâ privationis non comprehenduntur duo Canonici, qui in ſervitio Epiſcopi occupantur, quandoquidem illi ſpectato communi Jure, cui ſtatutum conformari cenſetur, non pro abſentibus, ſed præſentibus habentur.

Sed dubium manet, ſi aliud privilegium 3
Beneficiarijs præſentibus conceſſum ſit, num ij etiam gaudere eo debeant, qui ſecundùm Juris fictionem præſentes ſunt. Reſp. & Dico primò. Si privilegium Jure communi conceſſum ſit præſentibus, tum eo gaudent. Ita *Ioan. And. in c. ult. n. 3. de conſuetudine in 6. Abb. in e. ex parte n. 5. ibidem Imola. n. 7. hoc. tit.* Ratio eſt, quia cùm Jus commune abſolutè, & generatim v. g. occupatos in ſervitio Papæ, aut in Eccleſiæ ſuæ negotijs pro præſentibus habendos eſſe decernat, ſequitur, quòd omnibus præſentium privilegijs, ſaltem Jure communi conceſſis, frui debeant. Sed aliud dicendum eſſe monent DD. citati, ſi Jure communi non abſolutè ſtatutum ſit, ut, qui ob certam cauſam abſens eſt, pro præſente ha-

beatur, sed ut uno aliquo commodo, aut privilegio præsentium, seu residentium gaudeat, v. g. fructus lucretur, dum in loco studij versatur; talis enim reliquis præsentium privilegijs non gaudebit, quia concessio specialis à Jure communi exorbitans extendenda non est.

4 Dico secundò. Probabile etiam est, quòd is, qui ex Juris communis favore pro præsenti haberi debet, privilegijs etiam Jure speciali, seu proprio civitatis, aut Ecclesiæ concessis, gaudere debeat, v. g. quòd soli beneficiarij præsentes beneficia sua permutare possint. Ita *contra Archidiacon. in cit. c. ult. quem Imola sequi videtur loco citato. Joan. And. & Abb. citatis locis.* Quare inquit Abb. si quis ex privilegio debet haberi pro præsente, seu pro Cive, debet gaudere omni privilegio præsentium, seu Civium, etiam in competentibus de Jure speciali. Ratio dari debet, quia semper præsumendum est, quòd statuta specialia, nisi aliud exprimant, conforment se, & imitentur Jus commune.

5 Notandum secundò. Ut duo Canonici tanquam Episcopi familiares pro residentibus habeantur, & fructus præbendæ in absentia accipiant, requiritur ita eos Episcopo servire, seu assistere, ut eorum servitium in Ecclesiæ Cathedralis commodum redundet, sicuti clarè colligitur ex textu, & monui *tnc de cætero 7. hoc tit* Rectè autem docet *Glossa finalis hìc*, hoc ipso, quòd aliquis juvet Episcopum in negotijs ad Episcopale munus pertinentibus v. g. Sacellanum, aut Consiliarium ejus agendo, juvare Ecclesiam Cathedralem, propter unionem videlicet, quæ est inter caput, & reliqua membra ejusdem corporis, quod est Ecclesia.

6 Sed quæstio est, num etiam alij beneficiarij præter cathedrales Canonicos tali privilegio fruantur, ut occupati in servitio Episcopi pro residentibus haberi debeant, & fructus percipere? Responsio est Negativa *cum Abb. hìc n. 8.* quia concessio ista Juris, quòd absentes pro præsentibus habeantur, cùm sit à communi regula exorbitans, & secundùm Juris fictionem contra veritatem introducta, non debet ad casus alios extendi, præsertim disparatos, seu non consimiles; id autem fieret in casu isto, nam duo cathedrales Canonici in servitio Episcopi existentes, Juris fictione, censentur præsentes, & servire Ecclesiæ Cathedrali, ipsique Capitulo propter unionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulares, tanquam Caput, & proxima membra, *argum. c. requisivisti. 15. de testamentis*, quæ ratio Unionis, & hinc ortæ Juris fictionis, non ita locum habet, respectu aliorum beneficiatorum, v. g. in Ecclesijs Collegiatis,

Veruntamen si beneficiarius, aut Canonicus quicunque, in casus ad communem 7
diœcesis, aut Ecclesiæ Cathedralis utilitatem, ab Episcopo occupetur, aut alio mittatur, quia præ cæteris ad hoc idoneus & industrius censetur, tunc fructus absentiæ lucrari debet, uti hìc *Abb.* docet allegans *Gl. in c. vos 30. v. operam, causa 16. q. 1.* quando ait, quòd si alicui de Ecclesia injungitur legatio, tenetur eam recipere; constat autem, quòd nemini officium suum, atque parendi necessitas damnosa esse debet. *c. cum non deceat 30. de electione in 6.*

Ex supra dictis etiam colligitur, valde 8
probabilem esse sententiam, quam contra communem proponit, & amplecti videtur *Abb. in c. præcedente in 6.* & secutus fui *lib. 4. tract. 2. c. 6. n. 6.* quòd Juris ea concessio, ut duo Canonici cathedrales in servitio Episcopi occupati pro residentibus habeantur, non debeat extendi ad servitium Legati Apostolici: quia licèt ea concessio, cùm sit Juris communis, in ipsarum quoque Ecclesiarum utilitatem facta, extendi possit ad casus similes ob identitatem rationis (quam ob rem suprà *in c. de cætero 7. hoc tit.* talem extensionem fecimus ad Prælatos, quasi Episcopalem Jurisdictionem habentes) tamen in casu nostro non apparet rationis identitas, quandoquidem inter Legatum Apostolicum, & Canonicos Cathe-

thedrales non appareat ea unio, quæ est inter Episcopum, vel similem Prælatum, & Capitulares ejus.

CAPITVLVM XVI.

Cum ad hoc.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius IX. quòd Ecclesia Antiochena propter absentiam Clericorum, qui in Ecclesia deservire deberent, fermè destituta esset ministris, idcircò mandat Patriarchæ, ut non obstantibus indulgentijs à Sede Apostolica datis, & licentia Patriarchæ antecessoris, quibusdam facta, Canonicos absentes, aliósque assistios, sive præbendarios revocet ad residendum; si non venerint, tunc ex beneficiorum reditibus alios tanquam Vicarios applicet ad serviendum Ecclesiæ, datâ eis congruâ portione; at verò residuum ad ejusdem Ecclesiæ utilitatem convertat.

SUMMARIUM.

1. *Omnes beneficiati, spectato Iure communi ad residentiam personalem obligantur, nisi causa jam relata, aut consuetudo legitimè introducta excuset.*
2. *Ita ut solus Papa remittere possit absolutè residendi obligationem, Episcopi verò tantùm ex justa causa, quæ tamen licentia non est propriè dispensatio in lege Superioris.*
3. *Privilegium si noxium fieri incipiat Ecclesiæ, vel Reipublicæ, revocari potest ab eo, qui illud concessit.*
4. *Neque tamen ipso Iure annullatur, si validè impetratum fuit.*
5. *Et hinc revocari etiam potest consuetudo, legitimè quidem introducta, postmodum tamen damnosa & nociva Ecclesiæ, vel Reipublicæ.*

1 NOtandum primò. Omnes beneficiarij spectato communi Jure ad residentiam personalem obligantur. Ita colligitur ex textu, & dixi *in c. 1. not. 2.* Excipi tamen debent beneficia, quæ dicuntur portiones seu præstimonia, & secundùm primam institutionem suam, absentibus quoque Clericis v. g. causâ studiorum, quasi stipendij, aut cujusdam subsidij loco conferuntur, quamvis cum obligatione aliqua, seu officij Canonici, seu officij B. Virginis, de quibus *Abb. inc. ult. n. 3. Imol. n 9. hoc tit.* & videri possunt, quæ dixi *lib. 4. tract. 2. c. 5. n. 6.* Deinde secundùm consuetudinem omnium fermè Ecclesiarum, in simplicibus quibusdam beneficijs, quæ propriè in titulum dantur, personalis residentia non requiritur; imò in quibusdam per consuetudinem quorumdam locorum obtentum est, ut neque per Vicarium residere necesse sit: quod non omnino alienum esse à ratione, si beneficia sint tenuia, docet *Innocent. in c. ult. hoc tit.* eò quòd omnes Ecclesiæ particulares faciant unam Ecclesiam propter Fidei, & Charitatis unionem, & ideò, qui benè servit uni, censeatur etiam servire alteri, à quo beneficium aliquod accipit, licèt ibi non moretur, dummodo non etiam vagetur, sed Ecclesiæ Catholicæ utilis sit.

Notandum secundò. Solus Papa in beneficijs residentiam postulantibus, non residendi indulgentiam seu remissionem concedere potest: at verò Episcopi & similes Prælati licentiam tantùm absentiæ dare possunt ex justa causa, dum ea durat; nam inferior tollere, aut relaxare non potest legem Superioris, nisi quatenus id ipsi concessum est, videlicet circa hanc legem residentiæ, ut ex justa causa absentiæ licentiam dare: at verò per istam licentiam non propriè relaxari legem, nec esse propriè dispensationem, docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. post principium.* Summus autem Pontifex, qui Juri Canonico præest, & in beneficijs Ecclesiasticis plenissimam potestatem obtinet, personalis residentiæ obligationem arbitratu suo relaxare potest, saltem validè, exceptis beneficijs curatis, in quibus, cùm residentia Juris divini sit, dispensare validè non potest, nisi dispensandi causa cognoscatur,

scatur, sicuti dixi *loco. cit. n.* 11. & expressè tradit *Azor. to. 2. lib. 7. c. 4.*

3 Notandum tertiò. Si privilegium alicui concessum noxium esse incipiat Ecclesiæ, vel Reipublicæ, revocari potest ab eo, qui concessit, vel ejusdem successore, aut Superiore. Ita tradunt etiam DD. *in c. Suggestum 9. de decimis*, & docui *cit. tract. 4. c. 23. n. 19.*

4 Adverte, quòd dico, revocari posse; non enim ipso Jure annullatur, si ab initio validè impetratum est, sicuti dicetur *in cit. c. suggestum.* Cæterùm Princeps non solet, & plerumque non potest concedere privilegium cum notabili aliorum, præsertim communitatis, aut Ecclesiæ præjudicio, & damno. *argum. L. 2. C. de precibus Imperatori offerendis, & L. servitutes* 14. *§. loco. publico*, ubi id tradit *Gl. v. incommodo ff. de servitutibus.* Quam ob rem talia rescripta, & privilegia Principum falsa, aut subreptitia præsumuntur, teste *Gl. finali in c. 2. de rescriptis*; nisi expressè fiat mentio præjudicij alteri inferendi, & nulla alia fraudis suspicio adsit. *L. 2. §. 16. ff. ne quid in loco publico &c.* Ubi dicitur: si quis à Principe impetravit, ut in publico loco ædificet, non est credendus sic ædificare, ut cum incommodo alicujus id faciat, neque sic conceditur, nisi fortè quis hoc impetraverit.

5 Simile quoddam dici potest de consuetudine introducta contra Jus commune, ut in simplicibus beneficijs residere non sit necesse, per quam consuetudinem beneficiarijs Jus quoddã non residendi acquiritur, si enim hæc consuetudo, quam pono legitimè præscriptam esse, tendere incipiat in notabile alicujus Ecclesiæ detrimentum, quia destituit ut idoneis, ac necessarijs ministris, hoc casu Episcopus, novo condito statuto, consuetudinem tollere potest, requisito consensu Capituli, quem si neget, nihilominus procedere, & decernere poterit Episcopus secundùm *Abb. in c. præcedente. n. 4.* quia Capitulum non potest bonum Ecclesiæ, quod Episcopus ex officio promovere tenetur, impedire; sin autem necessitas non cogat, ut residentia beneficiarijs imperetur, seu quia Ecclesia Canonicis abundat, seu quia absentes Vicarios constitutos habent, tunc Canonicorum, seu collegiatorum, de quorum residendi obligatione agitur, consensus requiritur; sufficiet tamen consensus majoris partis, si Capitulum decernere, vel decernenti Episcopo consentire velit, ob commodum non proprium, sed Ecclesiæ. *argum. c. ult. de his, quæ fiunt à majore parte Capituli.* & tradit *Abb. cit. n. 4. Petrus Duenas reg. Jur. 297.*

CAPITVLVM VLTIMVM.

Clericos.

PARAPHRASIS.

Episcopus, aliúsve Prælatus simili Jurisdictione præditus potest Clericos obtinentes beneficia, quæ residentiam personalem postulant, si ad aliam Diœcesin absque licentia ejus, commorandi causa, transierint, atque moniti, reversi non fuerint, beneficijs spoliare, nisi rationabilem excusationem ostendant.

SUMMARIUM.

1. *Beneficiatus ad residentiam obligatus, si in aliena Diœcesi morari velit, à suo Ordinario, post monitionem, si non revertatur, spoliari potest beneficio.*
2. *Pluribus explicatur, utrùm Canonicus v. g. in alia Ecclesia Canonicatum accipiens, renuntiare priori videatur.*

NOta Si beneficiarius ad residentiam obligatus in alia Diœcesi commorari velit, & monitus non revertatur, Ordinarius beneficio ipsum suo, ipso facto privare, sive spoliare potest, ita tamen, ut si postea reversus rationabilem absentiæ causam ostenderit, restituendus sit. Consentiunt ea, quæ dixi *in c. ex parte hoc tit.* 1

Quæstio est, si Canonicus v. g. in alia Ecclesia Canonicatum acceperit, num priori renuntiare videatur, ita, ut tanquam

vacans

vacans alteri conferri queat. Antequam respondeam, notandum est ex *Innocent. hic*, *Imola n.* 11. *Abb. n.* 4. quòd beneficia personalem residenti ā requirentia triplicis generis sint: alia enim residentiam, eámque perpetuam per se, sive servitij præstandi causâ, postulant; alia verò talem residentiam postulant ad tempus, v.g. trium, sex, aut novem mensium in anno; alia denique postulant residentiam tantùm per accidens, videlicet in ordine ad lucrandos fructus, ita ut si Canonicus non resideat, fructus quidem percipere non possit, alia tamen jura Canonicatûs retineat, sicuti docui *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 6. *n.* 2. De hac ultima residentia nulla est quæstio, quia certum est, quòd Canonicus in loco unius beneficij non residens, & idcircò fructus non accipiens, in alia Ecclesia Canonicatum accipere, & in eo residendo fructus lucrari possit, qua ratione sæpè accidit, ut quis sit Canonicus in pluribus Ecclesijs, sed non præbendatus in omnibus, uti *Imola hic notavit, n.* 15. Sed neque quæstio est de residentia secundi generis, dummodo ita acquirantur duo diversarum Ecclesiarum Canonicatus, ut ratione residentiæ personalis secundùm loci consuetudinem requisitæ compatibiles sint, quare cùm spectato Jure communi ob Tridentinam constitutionem *Sess.* 24. *c.* 12. *de reformatione*, habentibus dignitates, canonicatus, aut præbendas in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis, liceat ab Ecclesia sua annuatim abesse per tres menses, ideò Canonicus talis Ecclesiæ, qui se Tridentinæ constitutioni conformat, alibi Canonicatum, aliúdve beneficium accipere, & tenere potest, quod residentiam temporalem v.g. duorum aut trium mensium duntaxat requirit, non autem recipere potest Canonicatum, aliúdve beneficium, quod vel perpetuam, vel temporalem longiorem residentiam postulat, ita ut sint beneficia incompatibilia, propterea quòd utriusque beneficij residentiæ satisfieri non possit.

Tunc verò quæstio locum habet, num per adeptionem alterius Canonicatus, prior ipso Jure vacet. Affirmat *Gl in c. ex parte 8. v. per decem hoc. tit. Innocent. hic n.* 1. quem sequitur *Abb. n.* 5. propterea, quòd acceptando alterum incompatibile beneficium, post adeptam ejus possessionem, alteri tacitè, sive ipso facto renuntiare videatur. Confirmatur: nam constitutio etiam pœnalis, ad casum similem, ob rationis identitatem extendi potest; cùm itaque *in c. de multa* 28. *de præbendis* decretum sit, ut obtinens secundum beneficium curatum, vel dignitatem, priùs obtentum beneficium, vel dignitatem, ipso Jure amittere debeat, idque propter incompatibilitatem, hæc autem incompatibilitas eodem modo cernatur in beneficijs simplicibus, residentias incompatibiles postulantibus, consequenter eadem constitutio locum habebit. Sed contrarium rectiùs post *Ioan. And. hic* notat *Imola n.* 13. *Azor. to.* 2. *lib.* 6. *c.* 16. *q.* 9. nam à Jure antiquo recedendum non est, nisi quatenus ei derogatum est: *L. Præcipimus* 32. *C. de appellationibus* Atqui spectato Jure antiquo *c. Præterea* 14. *de præbendis*, qui plura incompatibilia beneficia accepit, neutrum ipso Jure amisit, sed compelli debuit ad alterum, quod maluerit, dimittendum, sicuti dixi *in c.* 3. *hoc tit.* Neque id Jus antiquum correctum reperitur, nisi quoad beneficia curata, personatus, atque dignitates *cit. c. de multa*: ergo in simplicibus incompatibilibus beneficijs procedi debet secundùm Jura antiqua, ut beneficiarius, qui alterum incompatibile accepit, cogi debeat ad alterum ex his resignandum. Ad rationem pro priore sententia respondetur, hanc tacitam renunciationem præsumendam non esse, nisi beneficiarius statum vitæ incompatibilem accipiat, videlicet uxorem ducat, aut militiæ nomen det, sicuti *Gl. hic* docet, vel, nisi talis præsumptio ipso Jure introducta sit, cujusmodi tamen Jus in casu nostro non existit. Quam ob rem communiter docent

DD.

DD. *Abb. in cit. c. ex parte n. 2. Imola n. 1. cum Gl. v. decem annorum*, quòd per ſolam abſentiam, quamvis longam, ſeu decem annorum, beneficiarius non cenſeatur habere beneficium pro derelicto, ſeu ei renuntiare, atque ideò opus eſt, ut priùs citetur, quàm ei auferatur, & alteri conferatur. Et hoc quidem ſemper tutius eſt, ut fiat. Interim verò negari non poteſt, ſicuti propter longam abſentiam, ac deſertionem rei ſuæ, ſpectatis circumſtantijs, cenſeri poteſt aliquis eam pro derelicta habere, ita etiam, & quidem magis de beneficijs Eccleſiaſticis judicandum eſſe, quippe cùm ea diu deſerta eſſe non debeant. Ad Confirmationem reſpondetur, contrarium eſſe verum, videlicet, quòd lex pœnalis aut exorbitans, vel correctoria Juris antiqui propter ſimilitudinem, ſeu identitatem rationis, extendi non debet, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 18. n. 9. in fine.* & ſumitur *ex L. ſi verò 64. §. de viro ff ſoluto matrimonio.* Accedit in caſu noſtro, diverſitatis rationem eſſe, cùm enim Eccleſiarum neceſſitas, ſeu utilitas, reſidentiam in curatis, aliisque duplicibus beneficijs magis requirat, quàm in ſimplicibus, ac proinde magis Eccleſijs noxium ſit, ſi quis plura beneficia curata, aut plures dignitates obtineat, ideò hæc pluralitas ſub graviore pœna canonica prohibita eſt.

CAPITULUM UNICUM
eodem Titulo in ſexto.

Conſuetudinem.

Paraphrasis.

Bonifacius VIII. reprobat conſuetudinem, quæ in quibusdam Eccleſijs introducta erat, ut Canonici, aliique beneficiarij, diſtributiones quotidianas (quæ aliàs beneficia manualia, item victualia nuncupantur) integrè perciperent, dummodo præſentes eſſent in civitate, aut loco, in quo Eccleſia ſita eſt, tametſi divinis officijs non intereſſent; atque ſtatuit, ut dictæ diſtributiones quotidianæ Canonicis, aliisque beneficiarijs, qui officijs divinis interſunt, tribuantur, juxta cujuſque Eccleſiæ rationabilem ordinationem factam, aut faciendam; qui verò de diſtributionibus quidpiam aliter acceperit, (ijs exceptis, quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut quos evidens Eccleſiæ utilitas excuſat) rerum ita acceptarum dominium non acquirat, nec eas faciat ſuas, & ideò ad omnium reſtitutionem, quas contra hanc conſtitutionem acceperit, obligatus maneat, & idem omnino de diſtributionibus, quæ in anniverſarijs defunctorum dari ſolent, ſentiendum eſſe decernit.

Summarium.

1. *Aliud eſt reſidere in loco beneficij, & aliud divinis officijs intereſſe.*
2. *Et hinc, etſi alicui, qui divinis non adeſt, gratia facta ſit, percipiendi nihilominus fructus ſui beneficij, diſtributiones tamen quotidianas non lucratur.*
3. *Niſi infirmitate, aut alia corporali neceſſitate fuerit impeditus.*
4. *Aut abſit à divinis ob evidentem Eccleſiæ illius utilitatem: ſi tamen habeat Eccleſiæ conſuetudo, ut abſentibus etiam diſtributiones dentur.*
5. *Aut beneficij fructus in ſolis diſtributionibus conſiſtant.*
6. *Aut Papæ privilegio abſentibus etiam gratia diſtributionum facta fuerit.*
7. *Poſſunt tamen Capitulares, propter Eccleſiæ utilitatem, etiam circa hæ diſtributiones ſtatutum condere.*
8. *Quamvis Juri conformius ſit, & menti Trident. ut diſtributionum harum uſus tantùm habeatur inter præſentes, pro qualibet determinata hora.*
9. *Quod idem cenſendum eſt de diſtributionibus in anniverſarijs.*

NOtandum primò. Aliud eſt reſidere in loco beneficij, & aliud divinis officijs intereſſe, prout explicavi *lib. 4. tract. 2. c. 6.*

c. 6. in principio; quam ob rem, si Clericis absentibus, seu Jure communi, seu privilegio speciali concessum sit, ut pro præsentibus, seu residentibus in loco habeantur, non ideò tamen distributiones quotidianas, quæ ijs tantùm dari solent, qui divinis officijs intersunt, luctari debent, sicuti habetur etiam *in c. de cætero 7. hic. tit. c. licet 32. de præbendis*, & docet *Gl. hic. nor. 2. & V. adfuerint.*

2 Simili ratione, si cui Clerico, seu Jure communi, seu speciali indulgentia concessum sit, ut fructus beneficij, sive præbendæ in absentia consequatur, eâ concessione non comprehenduntur distributiones quotidianæ, sicuti ex communi hic docet *Anchoran. not. 3.* sed ponendæ sunt aliquæ exceptiones, quarum duæ sunt in textu.

3 Prima. Si Canonicus aliúsve beneficiarius infirmitate, aliâve corporali necessitate (ut, quia in carcere conclusus est) impeditus sit, quò minùs ad Ecclesiam, seu divina officia veniat, qua de re dixi *in cit. tract. 2. c. 7. q. 3. observatione 2.* Et videri potest *Navar. consil. 11. hoc tit. editione 2 Dom hic §. qui verò. Anchar. col. 2.*

4 Altera, si ob evidentem Ecclesiæ utilitatem Clericus à divinis officijs absens sit; idq; indistinctè procedit, si in loco beneficij commoretur; sin verò aliò discesserit, servari debet cujusque Ecclesiæ consuetudo. Exempli causâ, si Canonicus Romam mittatur, ut negotia Ecclesiæ agat, item Archidiaconus, dum Diœcesin visitat, distributiones percipere possunt, si Ecclesiæ statutum, aut consuetudo permittat, sicuti *in cit. tract. 4. c. 7. n. 3.* docui, & tradit hîc *Joannes Monachus, & Franeus n. 1.* qui addunt, valere etiam consuetudinem, ut beneficiarius, si ex via redierit, per duos, aut tres dies, distributiones lucrari debeat, etsi ad divina officia non accedat: propterea quòd redeunti tempus aliquod ad respirandum, & negotia colligenda dandum sit, qua de re *Azor to. 2. lib. 7. c. 7 q. 2.* At verò spectato Jure communi absentibus à loco beneficij distributiones quotidianæ non debentur, *c. cùm non deceat 30. de electione in 6.* Idémque arbitror dicendum de ijs, qui à loco beneficij discedunt, infirmitatis causa, vel propter inimicitiam, aut insidias, eos nim. nõ lucrari distributiones, quippe quæ secundùm propriam institutionem, non nisi ijs, qui officijs intersunt, dari debent, quamvis ex consuetudine, aut statuto cujusque Ecclesiæ percipere possint, si causa, seu necessitas absentiæ justa & rationabilis sit, sicuti tradit *Ancharan. col. 2. Azor. q. 11.*

Tertia Exceptio addi debet, si beneficij 5
fructus in solis distributionibus consistant, quia diebus singulis certi proventus in pecunia, victu, & vestitu, beneficij loco distribuuntur, cujusmodi beneficia *in c. olim 16. de verborum significatione*, manualia vocantur; hi enim fructus debentur absentibus, quibus Jure communi, aut speciali, beneficiorum proventus debentur, sicuti tradit *Gl. hic. V. receperit.* Quod primò probabiliter extendi potest, quotiescunque ex communibus Capituli proventibus (quam mensam capitularem vocant, unde beneficiorum fructus singulis annuatim distribuuntur) aliqua pars detrahitur, aut olim detracta fuit ad distributiones quotidianas, ut ea ratione Canonici adigantur, ad præsentiam divinis officijs exhibendam, potuisse, & adhuc posse constitui, ut qui ex justa causa absentes sunt, & beneficiorum fructus lucrari possunt, v. g. Canonici, si in anno per tres menses absint juxta Concil. Trident. *sess. 24. c. 12. de reformatione* etiam distributiones percipiant, sicuti *Joan. Monachus hic* docet: cùm enim distributiones hæ in locum præbendæ succedant, ac veluti substituantur, Jus Canonicum facilè permittit, ut eadem de ijs dispositio fiat, quamvis communis sententia in contrarium sit, prout dixi *in cit. n. 3.* Alia verò ratio est de ijs distributionibus, sicuti & de anniversariorum portionibus, quæ secundùm primam institutionem, adeóque propriam naturam, ijs tantùm, qui Divinis officijs præsentes sunt, dari de-

ibent, & ideò per particularem consuetudinem, aut statutum immutari non possunt, ut contra naturam fundationis, & cum diminutione divini cultûs, etiam absentibus proveniant; talis enim consuetudo hîc reprobatur, & in Trident. *cit. c. 12.*

6 Quarta Exceptio, quòd Papa ex causa justa privilegium dare possit, ut absentes legitimè unà cum fructibus etiam distributiones percipiant: nisi tamen id in concessione exprimatur, non debet censeri comprehensum, tum quia nomine fructuum beneficij non veniunt distributiones quotidianæ, si eæ sint distinctæ à fructibus præbendæ; tum quia talis concessio in absentia lucrandi distributiones, insolita est, seu non facilè à Sede Apostolica concedi solita, sicuti hic notat *Andreas V. adfuerint, Ancharan. n. 3.*

7 Notandum secundò. Capitulares circa fructus præbendarum, & distributiones lucrandas statutum rationabile, & sacris Canonibus non repugnans, propter Ecclesiæ utilitatem, ex majoris partis consensu, condere possunt. Ita sumitur ex hoc cap & notat *Gl. V. ordinationem. Ancharan. not. 5.* Videri etiam potest *Gl. in c. 2. V statutum, de verborum significatione in 6* ubi ait, licèt Capitulum sine Episcopo statuta condere nequeat, quæ tangunt generalem statum Ecclesiæ, aut Episcopum, vel jura ejus, si tamen statuant super id, quæ non tangunt Episcopum, vel jura ejus, sed sua propria negotia, videlicet circa distributionum obventiones, modum, aut tempus convocandi, vel comparendi in capitulo, valere capituli statutum sine Episcopo, prout etiam docui *lib. 1. tit. 4. c. 7. n. 10.*

Hoc adde. Honestius, & Juri communi 8
magis congruum esse, ut pro omnibus horis unà cum officio Missæ, distributionum partitio fiat, & ita omnino faciendum, si distributiones de novo constituantur, secundùm mentem Trident. *sess. 21. c. 3. de reformatione.* & videre licet apud *Garziam p. 3. c. 2. n. 487.* Interim valet consuetudo quarumdam Ecclesiarum, quæ distributiones ordinant per certas horas, & Missæ officium, sicuti ex communi tradit *Navar. consil 9. hoc tit.*

Notandum tertiò. Distributiones, quæ 9
dantur in anniversarijs defunctorum, æquiparantur distributionibus quotidianis, ut præsentibus tantùm obveniant, quare *Domin. & Francus in fine hujus cap.* ajunt, præsente constitutione damnari consuetudinem, aut statutum, siquod sit in aliqua Ecclesia, ut Canonici, aliique Clerici, qui funeri non interfunt, æquè, ac alij præsentes, cereos accipiant: si tamen infirmitate, vel ob Ecclesiæ negotia impediti sint, tunc nihil obstat eos cereos vel similes obventiones accipere, uti ex suprà dictis patet.

TITULUS V.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

CUm Clerici in titulis Ecclesiarum, quibus incorporati sunt, residere, & officium præstare teneantur, æquum & necessarium est, ut ipsis Præbendæ obveniant, & quibusdam eorum Dignitates, videlicet ijs, qui alijs præsunt, aut majora in Ecclesijs officia administrant, juxta Juris regulam §§. in 6. qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra.

CAPITVLVM I.

Ut nullus.

PARAPHRASIS.

Nemo, sive ex Clero, sive ex populo bona Eccle-

Ecclesiastica consanguinitatis jure sibi vindicare, aut postulare debet.

SUMMARIUM.

1. *In bonis, seu juribus Præbendæ Ecclesiasticæ, non succeditur jure consanguinitatis.*
2. *Quam successionem, sive vi consanguinitatis, sive vi ultimæ voluntatis, adeò detestantur SS. Canones, ut quidquid speciem talis successionis habet, horreant.*

1 NOtandum. In bonis, seu juribus præbendæ Ecclesiasticæ non succeditur jure consanguinitatis. Ratio est, quia bona Ecclesiastica sunt Deo oblata à fidelibus pro victu, & sustentatione ministrorum Ecclesiæ secundùm dispositionem, & ordinationem Prælatorum Ecclesiæ. Ex quo sequitur primò, quòd Clerici jus præbendæ non à defuncto per successionem, sed ab Ecclesia, seu Prælato Ecclesiæ, per canonicam collationem, seu institutionem habeant. Secundò, quòd Clerico jus præbendæ conferri non possit ultra tempus vitæ suæ, quia beneficium dari debet propter officium seu ministerium Ecclesiæ, tale autem officium extinguitur per mortem. Tertiò, licèt jus præbendæ pertineat ad beneficiarium, quasi usufructuarium, principaliter tamen & radicaliter pertinet ad Ecclesiam, ad quam etiam remoto beneficiario, præbenda devolvitur *c. relatum 12. de testamentis.*

2 Addendum. Quòd SS. Canones adeò prohibent in beneficijs Ecclesiasticis, tum consanguinitatis, tum ultimæ voluntatis successionem, ut etiam ab omni eo, quod vel speciem ac similitudinem talis successionis præseferre possit, abhorreant: quam ob rem cavetur, ne filius etiam legitimè natus in eodem beneficio patri immediatè substituatur *c. veniens 5. c. ex transmissa 7. de filijs presbyterorum.* Et ne pactum, vel promissio alicui fieri possit de succedendo alteri in beneficio post mortem ejus *c. 2. de concessione præbendæ.* Neque possit alicui conferri beneficium ea conditione, ut post ipsius mortem succedat alius v. g. consanguineus *c. accepimus. 5. de pactis.* Item quòd vivente Prælato, alióve beneficiario non possit de successore eligendo tractatus fieri, licèt vita ejus desperata sit. *c. bonæ 36 de electione & c. nullius 7. distinct. 79.* Et quòd neque Papa, nedum alius Prælatus, aut beneficiarius, successorem sibi deligere possit, uti ex communi docet *Abb. in cit. cap. accepimus n. 2.* Solet tamen quandoque Pontifex Episcopo, vel simili Prælato, Coadjutorem dare, cum succedendi potestate *c. petisti 17. causa 7. q. 1.* sed alteri inferiori Prælato, aut capitulo concessum non est, ut coadjutorem alicui det, cum succedendi potestate, cùm sit regula canonica universalis, quòd beneficia, aut Prælaturæ, antequam vacent, seclusâ plenitudine potestatis papalis conferri, aut promitti non debent *cit. c. 2. de concessione præbendæ.*

CAPITULUM II.

Non liceat.

PARAPHRASIS.

Episcopus nullum Clericum ordinare potest, nisi ei alimenta, & sustentationem vitæ provideat.

NOtandum. Non licet Episcopo Clericum ordinare sine titulo sustentationis. Quod spectato jure noviore intelligi debet de ordinatione in sacris, sicuti infra habetur *in c. 4. & c. cum secundùm 16. hoc tit.* Olim verò neque minores Ordines alicui conferebantur sine titulo, juxta *c. 1. juncta Gl. V. neminem distinct. 70. & docet Gl. hic. Suarez de censuris disput. 31. s. 1. n. 31.*

CAPITULUM III.

Ratio.

PARAPHRASIS.

Gregorius I. intellexit, Episcopum Mesennatem pro construendo castro publi-

co pecunias accepisse, & partem sibi retinuisse; ejus rei cognitionem Anthemio Subdiacono mandans præcipit, ut si rē ita se habere compererit, ejus civitatis Comiti pecunias tradat, ut in eum finem, ad quem datæ sunt, convertantur, quia nulla ratio permittit, ut proprijs cujusdam usibus applicetur, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur. Ita reperitur *lib. 11. regist. indict. 6. epistola Gregorij 31. ad Anthemium.*

Summarium.

1. *Cui executio rerum donatarum, aut legatarum, ad communem utilitatem, commissa est, non potest ad propriam utilitatem, aut usum eas convertere.*
2. *Neque singuli possunt de re taliter donata, vel legata, pro suo arbitratu disponere, si pluribus ea collegiatis donata, vel legata sit: possunt autem, si pluribus communis, ut singulis, saltem pro parte sua, prout etiam fisco jus majus in tali re competit.*

1 NOtandum. Cui à jure, vel ab homine, executio rerum donatarum, aut legatarum, ad communem utilitatem commissa est, non debet eas, vel aliquid earum, ad propriam utilitatem, vel usum convertere; quam ob rem nec Episcopus aliúsve Prælatus ex ijs, quæ ad fabricam Ecclesiæ deputata sunt, vel ad ministrorum sustentationem, tanquam præbendæ beneficiorum, quidpiam sibi appropriare, seu ad mensam suam derivare potest.

2 Sed quid si res pluribus communiter donata, aut legata sit, possúntne singuli eâ uti, aut de ea disponere, tanquam de re sua arbitratu suo? Ad hoc bene respondet *Bartol. in L. servi. 5. §. labeo ff. de legatis primò.* distinguendo. Si res pluribus communis est collegialiter, seu ut universitatem efficientibus, non possunt singuli eam suam dicere, aut eâ uti, vel disponere arbitratu suo, *juxta* L. *in tantum 6. §. universitatis ff. de rerum divisione*, ubi dicitur, quòd quædam sunt universitatis, non singulorum, ideóque nec servus communis civitatis singulorum pro parte esse intelligitur: sin autem pluribus communis est, ut singulis, v.g. duobus fratribus domum patris pro indiviso possidentibus, tunc singuli rem suam dicere possunt, ut docet *Gl. & DD. in cit. §. labeo & L. 2. ff. de conditionibus institutionum*, eâque uti, imò & alienare secundùm partem juris ipsis competentis L. *penult. ff. de contrahenda emptione, & expressiùs in L. 3.* L. *de communium rerum alienatione.* Ubi Bald. ait, quando aliqua communia sunt pluribus, ut singulis, unusquisque pro se habet partis suæ alienandæ liberam facultatem; socio tamen non præjudicat, quoad partem ipsi competentem, *L. 1. & 2. l. eodem.* præterquam, si fiscus cum altero rem communem habeat; nam fisci hoc privilegium est, ut ratione partis sibi competentis rem totam, etiam non consentiente socio, privato vendere possit, isque partem pretij recipere cogatur, *L. 2. C. eodem. & L. unica C. de venditione rerum fiscalium &c.* Quod verò attinet ad alias dispositiones, quæ fieri possunt circa rem communem pluribus, ut singulis, distingui debet, num dispositio fiat ad usum necessarium, vel ad quem res destinata est; ea fieri potest etiam socio invito, ut si domum communem reficere necesse sit L. *si ædes 1. ff. communi dividundo.* Vel si in sepulchrum commune mortuus inferendus, *cit. L. in tantum §. in commune.* Si verò dispositionem aliquis, mutationémque facere velit, in re communi, præter ejus naturam, &. requisitum finem, tunc invito socio id fieri non potest. *L. 28. ff. communi dividundo. Sabinus ait, in re communi neminem dominorum jure facere quidpiam, invito altero, posse*; unde manifestum est prohibendi jus esse. Vide etiam Dinum *in reg. 56. in 6. in re communi melior est conditio prohibentis.*

Corollarium. Si ædes duobus dominis communiter possidentibus indivisæ sint, alter eorum inquilinum recipere non potest;

gravatur

gravatur enim jus socij, si præter socium inhabitare, aut intrare volentem, dominij jure, etiam inquilinum tolerare debeat. Secus est, si socius inhabitare non possit, aut non velit, v. g. in locis remotis degens, tunc alter socius domum totam inhabitare potest, vel si ipsi non lubeat, alteri totam locare, quamvis socio invito, ita tamen, ut is partem pensionis accipiat *secundùm Gl. Marginalem in cit. L. Sabinus 28.* Ratio est, quia ædes ad hoc factæ sunt, ut inhabitentur, si non à domino, tunc ab inquilino.

CAPITVLVM IV.

Episcopus.

Paraphrasis.

Si Episcopus Clerico sacrum Ordinem sine titulo, unde vitæ necessaria percipiat, contuletit, ipsemet ei necessariam sustentationem largiri debet, donec ipsi in aliqua Ecclesia convenientia militiæ Clericalis stipendia assignet, præterquam si ordinatus ex sua, vel paterna hæreditate, se alere possit.

Summarium.

1. *Clerico, qui Ecclesiæ inservit, stipendium necessarium ad congruam sustentationem debetur.*
2. *Quamvis ex patrimonialibus vivere possit.*
3. *Ad cujus rei meliorem intellectum quatuor tempora distingui debent.*
4. *Duplex est titulus, ad quem ordinari in sacris potest Clericus: titulus beneficij, & titulus patrimonij.*
5. *Prior titulus propriè ita dicitur, & ad eum requiruntur plura,*
6. *Primò scilicet, ut sit titulus perpetuus.*
7. *Secundò, ut sit sufficiens, saltem unà cum patrimonio, aut alio beneficio, ad sustentationem beneficiati.*
8. *Tertiò, ut habeatur illius pacifica possessio.*
9. *Ad pensionem Ecclesiasticam ordinari quidem potest aliquis, si hæc sit perpetua & titularis, sicut etiam ad Coadjutoriam cum facultate certò succedendi.*
10. *Alter Titulus Patrimonij, in casu necessitatis sufficiens est, multa tamen ad hujus sufficientiam requiruntur.*
11. *Referuntur tres modi, qui sunt extra controversiam sufficientes.*
12. *Referuntur duo modi, de quibus dubitari potest, an sint sufficientes.*
13. *Episcopus ad sacrum Ordinem Clericum promovens, qui nullum titulum habet, aut beneficij illius, ad quod priùs ordinatus est, resignationem recipiens, sustentare hunc, & de omnibus ad victum necessarijs ei providere debet, donec beneficium assequatur.*
14. *Ita ut hæc sustentandi obligatio ad successorem etiam transeat; nisi Episcopus ordinans non fuerit in culpa, aut Archidiaconus sine titulo per negligentiam ad Ordinem, ordinandum admiserit; aut dimissorias habeat ordinandus, sollicitudinem de titulo removentes.*

NOtandum primò. Clerico, qui Ecclesiæ inservit, seu ministrat, stipendium necessarium ad congruam sustentationem non minùs debetur ex justitia, quàm militanti in militia sæculari; & signavit Apostolus. 1. *ad Corinth. c. 9. quis militat suis stipendijs unquam?* & Dominus *Luca* 10. *dignus est operarius mercede sua.* 1

Sed nunquid Clericus Ecclesiæ serviens, seu beneficiarius, qui ex patrimonialibus bonis se alere potest, ijs in quemcunque usum servatis, honestam vitæ sustentationem ab Ecclesia, cui servit, accipere jure potest? Affirmandum est secundùm consuetudinem Ecclesiæ, quæ jam viget, licèt spectatis antiquioribus Canonibus, qui *causa 12. q. 1.* referuntur, aliter dicendum esset. 2

Pro cujus intellectu quatuor tempora distingui debent. Primum est Ecclesiæ pri- 3

mitivæ, in qua fideles bona immobilia vendebant, & pretia Apostolis offerebant, ut per eos dispensaretur singulis in communi habitantibus, prout cuique opus erat. *act. c. 2.* Alterum est, post tempora Apostolorum, cùm expeditius visum fuit, ut Ecclesiæ bona immobilia possiderent, & ex eorum reditibus, in communi viventes Clerici (sicuti & SS. Virgines) alerentur in sacris domibus, seu collegijs, quæ à titulo sive Sanctæ crucis, sive Salvatoris, aut B. Mariæ Virginis, aut S. alicujus Apostoli, vel Martyris, tanquam Patroni tutelaris, nomen, ac distinctionem acceperunt. Hoc tempore nemo in Clericum assumebatur, nisi sub titulo alicujus sacri collegij, in quo sub obedientia Prælati ex bonis communibus viveret, & proprium non possideret. Tertium tempus est, cùm cessante persecutione infidelium, & auctâ Ecclesiâ, ac numero Clericorum, quibusdam difficile, & arduum videbatur, in communi vita, relictis bonis proprijs, vivere: tunc ordinabantur etiam Clerici, qui ex proprijs bonis extra collegium, seu communitatem vivere & Ecclesiæ ministrare vellent, sed nihil ipsis ab Ecclesia dabatur loco præbendæ, cùm nondum eo tempore, v. g. sancti Augustini, & sancti Prosperi, præbendæ distinctæ essent, sed bona Ecclesiastica secundùm portionem, quæ Clericis, seu mensæ Capitulari assignata erat, in communi possidebantur, ita, ut qui in communitate non viverent, nullum in ijs jus sibi vendicare possent. Hæc legi possunt *in capitulo 18. & c. illt. 25. causa 12. q. 1.* & videri, quæ docui *lib. 4. tract. 2. c. 2.* Quartum tempus est, quod hodie, & præcedentibus aliquot sæculis viguit, ut passim Clerici beneficiarij, etiam Canonici, qui Ordinem religiosum non profitentur, extra communitatem viventes, propria seu patrimonialia bona retineant, & nihilominus ab Ecclesia, in qua intitulati sunt, præbendam, seu reditus sufficientes beneficij accipiant, & jure accipere possint, sicuti ostendi *in cit. tract. 4. c. 3. n. 5.*

Notandum secundò. Duplex est titulus, super quo Clericus in sacris ordinari potest, Titulus beneficij & Titulus patrimonij, de quo postea dicam. Prior ille titulus propriè ita dicitur, ad cúmque requiritur. Primò, ut sit perpetuus & non amovibilis, ut hinc excludantur beneficiorum commendæ, & vicariæ temporales; quippe, quæ non in titulum collatæ sunt, sicuti ex communi docet *Abb. in c constitutus. n. 5. de filijs presbyterorum*, eadémque est ratio de capellanijs non collativis, seu revocabilibus. Deinde pertinent huc beneficia manualia, quippe, quæ in titulum quidem dantur, sed ita, ut revocari possint, prout ex communi docet *Flaminius Parisius de resignatione lib. 2. q. 6. n. 2. & docui lib. 4. tract. 2. c. 4. n. 5.* Secundò requiritur, ut beneficium unum, vel plura sint Clerico sufficientia, ad vitæ sustentationem, sicuti colligitur *ex hoc. c.* & docet *Trident. sess. 21. c. 2. de reformatione.* Satis tamen est, si unà cum patrimonio certo, & stabili, fructus beneficij sufficiant, quod Episcopi ordinantis judicio relinqui debet, consideratis circumstantijs, *argum.* L. 1. §. *ait Prætor ff. de jure deliberandi.* Quòd verò in ordine ad hunc finem, ut Clericus sacrum Ordinem accipiat, necesse non sit, beneficium sufficiens esse ad sustentationem decentem secundùm conditionem, & statum personæ, sed satis esse, si habeat reditus necessarios ad victum & vestitum, ita ut penuria sublata sit, & Clericus tanquam egens mendicare non cogatur, respondit *Navar. in Miscell. de oratione 62. n. 3. Flaminius lib. 5. q 6. 155. ex doctrina Gl. in c. unico V. Absque penuria. de statu regularium. in 6.*

Tertiò requiritur, ut Clericus beneficij pacificam possessionem nactus sit, sicuti expressit Trident. *cit. c. 2. & Pius V. in Bulla, Romanus Pontifex apud Quarantam in Bullario V. Ordo.* Veruntamen id ultimum in praxi non servatur, licèt servari deberet, saltem ita, ut collatio beneficij Clerico facta sit, seu jus in re, & quidem sine con-

4 5 6 7 8

cõtradictione acquisitũ. : tunc enim ordinari potest ad titulum ejus beneficij, cujus possessionem mox accepturus est, sicut resolvit *Salzedo super practicâ Diaz. c. 18. n. 7. & sequitur Rodriquez in Summa p. 2. c. 15. q. 10. contra Sayrum lib. 4. c. 14. n. 19.*

9 His addendum, quòd etiam ad pensionem Ecclesiasticam, si perpetua, ac veluti titularis sit, Clericus ordinari possit, *teste Navar. de oratione c. 20. n. 18.* Item ad Coadjutoriam, si ex Papæ concessione irrevocabilis sit, seu cum succedendi facultate concessa, sicuti docent *Navar. & Salzedo, cit. locis.*

10 Alter, qui est Patrimonij, non nisi impropriè, & per æquiparationem titulus vocatur: quare *in c. nostro* affertur regula canonica, quòd Clericus in sacris ordinari non debet sine titulo, videlicet beneficij; postea verò ponitur exceptio, nisi bona patrimonialia habeat: itaque patrimonialia bona æquiparantur titulo, in eum finem, ut Clericus in sacris ordinari possit.

11 Titulus iste æquiparatus varias species continet, quarum aliquæ extra controversiam sunt, aliæ verò non sunt. Primò. Si Clericus propria bona habeat, quæ ipsi sufficiant ad sustentationem vitæ, sint libera, ac fructifera, ut annuum reditum Clerico ordinato afferant, qui sufficiat Episcopi ordinantis arbitrio ad Clerici alimoniam.

Secundò, si Clerico ordinando à quacunque persona liberalis donatio, aut promissio fiat pensionis, aut sustentationis annuæ, sufficientis, præstandæ, donec Ecclesiasticum beneficium sufficiens, aliáve provisionem ordinatus consequatur. Significat autem Trident. ejusmodi donationem, aut pensionis assignationem, Clerico realiter tradi debere. Quod tamen in multis Ecclesijs non servatur, sed saltem ita servari deberet, ut cautio hypothecaria secura fiat cum assignatione certæ rei liberæ, frugiferæ, unde sustentatio sufficiens accipiatur, qua de re *Quaranta fol. 492.* Principibus tamen, Magnatibus, & Communitatibus, quibus nunquam deesse poterit facultas Clericum alendi, fides haberi solet, si in instrumento, seu litteris authenticis, promissionem alendi Clericum faciant, ita ut, licèt in alijs privatis personis exigatur cautio realis, in his tamen sufficiat cautio simplex instrumentaria, cujusmodi cautio sub conditione tantùm, apud nos plerumque concipitur, videlicet, si Clericum indigere contingat. Quamvis verò Tridentinum plus exigat, tamen multùm his in casibus adjuvat necessitas, si Sacerdotum penuria sit, & realis cautio, aut provisio absoluta impetrari non possit, tum necessitas legi non subjacet.

Tertiò potest aliquis ordinari, ad servi- 1
tium Episcopi, aut Parochi, ita ut in hujus Ecclesia, in qua reditus sufficiant, ordinatus serviat, & ex mensa, seu beneficio parochiali alatur, donec proprium, ac stabile beneficium conferatur. Simili ratione potest quis ordinari super reditibus alicujus Seminarij ad serviendum in beneficio, quod Seminario unitum est, sicuti notat *Flaminius q. 6. n. 33.* Quare universim loquendo sufficit ad titulum, in ordine ad ordinationem, si Clericus servitio alicujus Ecclesiæ, aut altaris cum Episcopi, aut Prælati alterius consensu deputatus sit, ita ut inde ali debeat, donec aliam sufficientem sustentationem habeat, sicuti notat *Salzedo apud Diaz. c. 18. n. 9. ex Trident. sess. 23. c. 16. de reformatione.* Atque hi tres modi extra controversiam sunt: duo verò alij dubitati. Quartò itaque dicit *Surdus de* 12
alimentis tit. 7. q. 37. n. 2. quòd Clericus, qui beneficiatus non est, nec pensionarius ordinari possit absque patrimonio, si patrem divitem habeat; & eadem ratio est de ascendentibus alijs, quorum respectu necessarius hæres existit. Ratio dari debet, quia cùm filius jus succedendi in bonis patris habeat, & ab ipso, si indigeat, ex necessitate ali debeat, non potest censeri filius pauper, qui parentem divitem habet, prout docet *Flaminius cit. q. 6. n. 22. Imol. tract. 2. disp. 46. n. 8. Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 19. n. 21.* Hæc doctrina certa est quoad

quoad hunc effectum, quòd Episcopus Clerico ita ordinato sustentationem dare non cogatur, quandoquidem à patre, aliòve ascendente, alí debeat, si indigeat, sicuti colligitur *ex hoc cap.* & bene notavit *Imola n. 5. Quaranta fol. 489.* Sed absolutè & ordinariè loquendo, præsertim secundùm Trident. constitutionem *cit. c. 2.* filius ordinari non potest ad Titulum hæreditatis, seu patrimonij patris viventis, quia Concilium requirit, ut ordinandus ipse, si beneficiarius non sit, patrimonium, vel pensionem habeat, sicuti bene notavit *Garzias p. 2. c. 5. n. 91. Flaminius n. 28.* quare in hoc casu requiritur, ut pater rem aliquam reditus ferentem designet, vel donet filio, ut sit ipsi instar patrimonij, vel saltem obligata realiter, ut alienari non possit, nisi cum onere pensionis inde filio ministrandæ, sicut videre licet apud *Molin. tract. 2. disp. 238. n. 15.* Breviter dici potest, quòd pater sicuti alius extraneus, filio ordinando, rem aliquam dare, vel obligare debeat, nisi pater illustris sit, aut unus ex Magnatibus, tunc enim nõ solet talis designatio bonorũ, aut rei certæ exigi ijs in Diœcesibus, in quibus talium personarum promissio litteris authenticis expressa, pro sufficiente titulo mensæ habetur, propterea quòd, qui certus est, certiorari ulteriùs non debet *reg. 31. in 6.* etenim si promissio erga extraneum loco patrimonij, aut pensionis acceptatur, multò magis acceptari debet jus & obligatio naturalis in alendo proprio filio. Quintò docuit Henriquez *lib. 10. c. 17. in fine*, Doctorem, aut Baccalaureum insigniter doctum, sine beneficio, aut patrimonio ordinari posse, quòd periculum non sit, ut egeat, & mendicare debeat, atque ita resolvisse DD. multos Hispaniæ *ait Rodriquez cit. c. 15. n. 15.* Sed hoc non est verum, nec in praxi tenendum, sicuti monet *idem Rodriquez & Salzedo n. 7.* ubi hunc errorem appellat: nam Canones, & Trident. Concilium generatim requirunt, titulum beneficij, pensionem, aut patrimonium. Cùm etiam in viro eruditissimo subesse possit periculum mendicitatis, ob varios casus, v. g. subitò incidentis infirmitatis, ob quam inutilis fiat, & egeat.

Quam ob rem, ne id accidere possit, providè etiam cautum est in *Trident. sess. 21. c. 2.* ut beneficium Clericus resignare non possit, nisi factâ mentione, quòd ad ejus titulum sit promotus; item ut patrimonium, aut pensio, sine Episcopi licentia alienari, extingui, aut remitti non possit, donec ordinatus beneficium sufficiens assequatur, vel aliundè habeat, unde se alat.

Præter duos titulos in textu signatos, quorum unus est beneficij, & alter patrimonij, seu pensionis, addi potest tertius Professionis in Religione, nam Religionem professi sine alio titulo in sacris ordinari possunt, idque *Gregorius XIII. Anno 1573.* extendit ad eos Religiosos, qui in Societate Jesu simplicia tria vota emittunt.

Notandum tertiò. Si Episcopus Clerico sacrum Ordinem conferat, titulum beneficij, aut sustentationis necessariæ non habenti, ipsemet ei necessaria providere debet, donec beneficium assequatur. Ratio dari debet, ne contingere possit, ut Clericus in sacris cum dedecore Cleri mendicare debeat, id enim indecens esse significatur *in c. Diaconi 23. §. nunc autem dist. 93.* Idémque similiter dicendum, si Episcopus resignationem beneficij accipiat, ad cujus titulum quis ordinatus fuit, quòd eum postea alere debeat, si aliundè sustentationem sufficientem non habeat. Quam ob rem monet *Flamin. cit. q. 6. n. 41.* quòd resignaturus beneficium exprimere debeat, se aliundè habere, unde vivat, nam alioquin non admitteretur resignatio.

Ampliari debet notandum, quòd hæc 14
alendi obligatio transit ad Successorem, quia Episcopalis mensa gravatur, ait *Andreas in c. cum secundum 16. hoc tit.* Limitari autem debet primò: si Episcopus in culpa non fuit, ordinando sine titulo, quia Clericus, fraude adhibitâ, ordinationem impetravit, sine culpa Episcopi, ut tradit *Navar. lib. 1. consil. 46. de temporibus ordinatio-*

nationum. editione 2. Flamin. n. 18. nam res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non debet *c. 2. de constitutionibus.* Ex alio tamè capite, ne Clericus cum Cleri dedecore mendicet, Episcopus tanquam caput Clericorum, in Diœcesi, præ alijs Clericum egenum alere, cive providere tenetur, sicuti indicat *Abb. in cit. c. cum secundum. n. 6.* & ita intelligi debet *Tol. in summa lib. 1. c. 48. suspension. 18.*

Secundò. Si Archidiaconus, vel apud nos Vicarius aliquem per negligentiam sine titulo admittat, obligatio alendi primo loco ipsi incumbit, qui ratione officij sui examinare, & ordinandos admittere debuit, sicuti docet *Gl. in cit. c. cùm secundùm V. Successores* & docui *in c. accepimus. 13. de ætate & qualitate &c.* Tertiò: si alius Episcopus dimissorias dedit, seu præsentavit Clericum suum alibi ordinandum, tunc ordinator, si commissio specialis fuit, seu erga certam personam, de titulo sollicitus esse non debet *c. si Episcopus 37. hoc tit. in 6.*

CAPITULUM V.

Quia

PARAPHRASIS.

Cùm in Lateranensi Concilio sub Alex. III. relatum esset, quòd aliqui Clerici, ambitione ducti tres, imò plures Ecclesias obtinerent, sive in ijs præbendati essent, cùm neque duabus possent simul, sicuti par est, deservire, ideo Pontifex cum Episcopis præcipit hoc emendari, quia multitudo præbendarum Canonibus inimica est, dissolutionis, & evagationis occasionem præbet, certúmque continet animarum periculum; quare justum est, ut sublatâ eâ præbendarum pluralitate, Clericis indigentibus, qui & Ecclesiæ inservire possint, subveniatur.

SUMMARIUM.

1. *Non est licitum, ut plures præbendas Canonicales in diversis Ecclesijs possideat Clericus.*
2. *Sermo tamen hic non est de pluribus Canonijs, sed tantùm de pluribus præbendis.*
3. *Si tamen una præbenda sufficiens sit ad convenientem sustentationem.*
4. *Ita, ut etiam taliter plura beneficia possidens, ordinariè ordinari non possit, nisi sit causa pluralitatem talem legitimè excusans.*
5. *Qualis causa nec sola consuetudo, nec solum privilegium est.*
6. *Sicuti autem, si plura beneficia in diversis Diœcesibus obtineat Clericus, in causis ad unum certum v. g. beneficium pertinentibus in illo loco, ubi beneficium situm est, conveniri debet, ita in alijs causis utrobique censetur habere domicilium, & forum sortiri.*

NOtandum primò. Non est licitum, ut Clericus in pluribus Ecclesijs beneficia, seu præbendas canonicales obtineat. Ita etiam habetur *in c. 2. dist. 70. omnino in duabus Ecclesijs aliquem titulari non liceat, sed unusquisque, in qua titulatus est, in ea tantùm Canonicus habeatur.* Consentit *c. 1. & 2. causa 21. q. 2. & Trident. sess. 24. c. 7. de reformatione*, quòd neminem oportet in duabus Ecclesijs conscribi. Sic neque Monachus in duobus Monasterijs aliquis esse potest *c. ult. de Religiosis domibus*, neque Abbas in duobus Monasterijs juxta *cit. c. ult. & c. unum 4. eadem quæst. 1.* Rationes afferuntur in textu, quia hæc beneficiorum pluralitas ex ambitione nascitur, evagationis, ac dissolutionis (tam in vestibus, quàm in moribus inquit *Abb. hic*) materiam inducit, cultum divinum imminuit, Ecclesiasticorum redituum inconvenientem distributionem continet, dùm videlicet alij Clerici abundant, alij verò, qui plus Ecclesiæ prodesse possent, penuriam patiuntur. Denique ob has ipsas causas certum animarum periculum creat. Vide plura, quæ eleganter congerit *Rebuff. in praxi de dispensatione ad plura beneficia.*

2 Adverte tamen primò, sermonem esse non de pluribus Canonijs, sed pluribus præbendis, seu beneficijs, prout constat ex ijs, quæ docui *in c. ult. tit. præcedenti*, & dicam *in c. relatum 9. hoc tit.*

3 Adverte secundò, necessarium esse, ut unus unius Ecclesiæ canonicatus seu præbenda sufficiat ad decentem sustentationem; nisi enim unum beneficium sufficiens sit, justa causa adest accipiendi alterum, aut tertium, sive in eadem, sive in diversis Ecclesijs, dummodo compatibilia sint, sive communi jure, sive speciali.

4 Tertiò: licèt ordinariè concessum non sit, imò juri naturali repugnans, si plura beneficia Clericus obtineat, quorum unum sufficiat ad honestam vitæ sustentationem, tamen ista pluralitas per accidentariam aliquam causam, videlicet Ecclesiæ necessitatem, aut utilitatem, vel evidentem meritorum prærogativam, cohonestari potest, sicuti dicetur *in c. de multa 28 hoc. tit.*

5 Corollarium. Nulla consuetudine, aut privilegio validè vel licitè obtineri potest, ut Clericus ultra unum aut plura beneficia, quæ ad decentem ejus sustentationem sufficiunt, aliud insuper accipiat, aut retineat; præterquam si accidentaria causa rationabilis, & excusans adsit. Ita ex communi *Abb. n. 3. Imola in fine cap.* & docui *lib. 4. tract. 2. c. 8.* nam consuetudo adversus Jus naturale, seu juncta cum peccato, corruptela est, & abusus. *c. ex parte 10. & ult. de consuetudine.* Dispensatio autem seu privilegium concessum adversus Jus naturale, aut naturalem æquitatem, dissipatio potiùs est, quàm dispensatio, secundùm S. Bernhard. *in tract. de dispensatione & præcepto.*

6 Propter dicta *Gl. in hoc c. V. plures* quæritur, num Clericus duo beneficia in diversis Ecclesijs obtinens, utrobique conveniri possit. Respondeo, & dico primò. Certum est, quòd conveniri, ac citari possit in rebus, & causis pertinentibus ad beneficium, quod eo in loco habet, sicuti docet *Gl. cit. Innocent. in c. cum jam n. 1. hoc. tit. Abb. in c. postulâsti. n. 4. de foro competente*, quemadmodum quisque conveniri potest ratione rei, sive possessionis, sitæ in loco *juxta L. ult. c. quando in rem actio. & cap. sanè 3. & c. ult. de foro competente.*

Sed ego arbitror, plus dicendum esse, videlicet, quòd Clericus, qui ratione beneficij tantùm subditus est, licèt ibi personaliter residere non cogatur, in causis spectantibus ad beneficium, simpliciter subditus sit Episcopo loci aut Capitulo, ita ut personaliter citari, puniri, & tanquam contumax excommunicari possit, cùm tamen is, qui tantùm ratione rei, aut possessionis forum sortitur, non ita personaliter constringi possit, sicuti docui *in c. ult. de foro competente & in disp. de jurisdictione ordinarij con.* 21. Ratio dari debet, quia beneficium, seu titulus in Ecclesia suâpte natura, seu prima institutione personam subditam facit.

Dico secundò. Si Clericus plura beneficia personalem residentiam postulantia in diversis Ecclesijs obtineat, utrobique domicilium habere censetur, ac forum sortiri, ita ut coram utroque Episcopo, seu utriusque Ecclesiæ Judice Ecclesiastico, in causis ad beneficium non pertinentibus conveniri possit. Ita indicat *Innocent. in c. ex ore de privilegijs. n. 2.* & docet *expressè Gl. hic V. plures in fine. Abb. in cit. c. postulâsti. n. 4. argum. c. dilectus. 29. juncta Gl. V. domicilium de rescriptis, & assumptio 6. ff. ad municipalem*, ubi dicitur, quòd duobus in locis aliquis domicilium habere videatur, si utrobique ita se instruxit, ut apud utrosque diversis videlicet anni temporibus habitare censeatur: ita etiam habetur *in c. 2. de sepulturis in 6.*

CAPITULUM VI.

Cùm teneamur.

PARAPHRASIS.

Si Papa mandat Ordinario loci aut executori, ut alicui Clerico habenti sufficiens bene-

beneficium provideat aliud beneficium, is, cui mandatur, exequi non tenetur, si in litteris mentio non fiat, quòd impetrans aut provisus aliud sufficiens beneficium jam obtineat, aut si provisio absque scandalo fieri non possit.

SUMMARIUM.

1. *Concessio à Pontifice de beneficio obtinendo, si fiat Clerico sufficiens jam beneficium habenti, non prodest ad retinenda simul plura beneficia, quamvis clausulam additam in rescripto habeat, non obstante, quod aliud beneficium jam obtineat, nisi expressa de pluribus retinendis fiat mentio.*
2. *Privilegium odiosum, & strictæ interpretationis, trahitur quidem ad ea, quæ necessariò accessoria sunt, non tamen ad accessoria contingentia tantùm.*
3. *Plura prioris partis exempla enumerantur.*
4. *Enumerantur etiam aliqua exempla posterioris doctrinæ.*
5. *Rescriptum aut mandatum Papæ, si sine scandalo impleri non possit, non est existimandum Papam velle, ut impleatur, nisi mandatum esset de jure indispensabili.*

1 NOtandum primum. Insolita censeri debet concessio, aut provisio, si à Sede Apostolica fiat, Clerico habenti sufficiens beneficium, ut aliud insuper consequatur; quare licèt litteris Papalibus clausula adjecta sit, non obstante, quòd aliud beneficium jam obtineat, non ideò dispensatio super pluralitate, seu utroque beneficio simul retinendo facta, censeri debet, nisi ea expressis verbis singnificetur. Ita etiam sumitur *ex c. non potest 21. hoc tit in 6.* & singulariter annotarunt *Navar. de oratione miscellaneo 61. Rodriquez. lib. 1. c. 31. n. 2. Garzias p. 11. c. 5 n. 313.* tametsi impetrans novum beneficium à Papa, mentionem fecerit de uno, vel pluribus, quæ tunc habet, tamen non ideò cum eo dispensari super pluralitate, seu ut priùs habita, cum isto ipsi collato, servare possit, sed mentio beneficij antè habiti ad id tantùm prodest, ne posterioris impetratio subreptitia fiat *cit. c. non potest. c. cùm adeo 17. de rescriptis.*

Confirmatur. Papa non facilè solet, nec in dubio præsumitur dispensare, contra Trident. Concilij statuta. In Concilio autem *sess. 24. c 17. de reformatione* decretum est, ut in posterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud conferre simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat. Tametsi verò hoc decretum eatenus servari non soleat, ne quidem ab Episcopis, sicuti *Garzias notavit cit. loco*, cùm frequentissimè Clerico habenti unum, aut duo beneficia simplicia aliud conferri soleat etiam non adjecta dispensatione, neque apposita clausula, ut priùs habitum aut habita dimittere debeat, sicuti talis clausula adjici solet, si beneficia incompatibilia sint; tamen ad alium effectum necessariò operari debet dictum decretum, ut nec Papa, multò minùs Episcopus dispensare censeatur super pluralitate beneficiorum, quorum unum aut pauciora sufficientia sunt, ad decentem sustentationem personæ, sed ad hoc obtinendum expressâ dispensatione opus sit, præmissâ cognitione causæ, videlicet, quòd personæ merita, vel labores singulares talem redituum abundantiam rationabiliter permittant, ac postulent.

Corollarium. Tametsi dispensatio, aut 2
privilegium contra Jus, quod odiosum, aut strictæ alioquin interpretationis est (*juxta c. 1. & 2. de filijs presbyterorum in 6.*) trahatur ad ea, quæ consequentia, aut necessariò accessoria sunt, non tamen trahitur, seu extenditur ad accessoria contingentia, seu quæ separari possunt. Priorem partem tradit Gl. *in c. præcedente V. plures, ibidem*

Abb. n. 4. Innocent. n. 5. Fel in c. at si Clerici §. de adulterijs n. 16. de judicijs. Exempla plura legi possunt apud *Rebuff. tit. de dispensatione ad plura beneficia n. 70.* Primum. Si dispensatus sim, ut plura beneficia curata retinere possim, dispensatum etiam videtur, ut in altero per Vicarium, seu substitutum deservire liceat, ne alioquin frustranea fiat dispensatio. Addit *Gl. in cit. c. non potest V. retinere. Abb cit. n. 4.* quòd dispensatus nunc in una, nunc in altera parochia residere possit, dummodo alteri, in qua non residet, pro eo tempore ministerium non desit. Secundum. Minor 23. annis dispensatus ad beneficium curatum accipiendum, censetur etiam dispensatus super decreto *c. licet 14. de electione in 6.* quòd adeptus beneficium, cui jura animarum incumbit, intra annum Sacerdotium accipere debeat, sicuti *Rebuff. & Abb. cit. locis* notant. Tertium. Si cum illegitimè nato dispensatum sit ad Sacerdotium, etiam Subdiaconatum, & alios Ordines accipere potest, teste *Rebuff. loco citato. Ioan And. in c. postulâsti n. 11. de rescriptis.* Quartum. Episcopus, quo cum dispensatum, ut consecrationem intra annum accipere non teneatur, etiam beneficia, quæ ante Episcopatum adeptus est, retinere potest *secundùm Ant. & Abb cit. n. 4. in c. cùm in cunctis*, propterea quòd beneficiorum vacatio sit accessoria, seu conservativa consecrationis *secundùm Gl. receptam in cit. c. cùm in cunctis V. ad quem spectant.* Quintum. Dispensatus, ut tempore interdicti localis sacris officijs interesse possit, consequenter etiam famulos, quos convenienter statui suo habere debet, secum adducere potest *c. licet 11. de privilegijs in 6.*

3

4 Exempla posterioris partis sunt. Primum est *in cit. c. non potest*, si cui concessum sit, habenti unum sufficiens beneficium, ut aliud accipere possit, non ideo dispensatus censetur, ut utrumque simul retinere possit, quia hæc posterior facultas seu concessio separabilis est ab illa priore, ita ut prior proprium effectum suum nihilominus consequi possit, sicuti suprà explicavi. Secundùm. Si dispensatum sit cum minore 24. annis, ut Sacerdos fieri possit, non ideò etiam dispensatum censetur, ut curatum ei beneficium, ante acquisitam ætatem conferatur, sicuti ex communi notat *Rebuff. n. 76.* Tertium. Qui legitimam ætatem nondum assecutus dispensationem accepit, ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, non ideò vocem in Capitulo habere debet secundùm *Gl. receptam in Clement. 2. de ætate & qualitate Felin. cit. loco. n. 17.*

Notandum secundò. Si rescriptum, aut mandatum Papæ sine scandalo impleri non possit, non est existimandum Papam velle, ut adimpleatur. Ita *Imola hic. n. 2.* Tametsi enim in hoc capitulo solùm sermo sit de provisione beneficij, tamen ob identitatem rationis, ad alios similes casus transferri debet, *argum. c. Si quando 5. de rescriptis & c. 2. de præscriptionibus* quia propter scandalum, & propter perturbationem in populo vitandam à communis Juris tramite quandoque discedendum est, *secundùm Gl. in cit. c. 2. Gl. in c. 2. v. pro Scandalo de novi operis nunciatione Gl. in c. 3. de regulis Juris*; quæ rectè distinguit, si jus indispensabile sit, ideóque ab eo recedi non possit sine peccato, tum satius esse scandalum permittere, quàm ut veritas relinquatur; sin autem jus dispensabile sit, adeóque relinqui possit, tum propter scandalum vitandum receditur à Jure communi *juxta c. ut constitueretur 25. juncta Gl. V. detrahendum. dist. 50.* Quòd si Princeps, v. g. Papa postquam ipsi relatum est de scandalo, nihilominus jubeat executioni mandari, tunc rectè distinguit *Abb. hic n. 2. And. in c. cum adeò. n. 6. de rescriptis. Navar. de oratione Miscell. 14.* executioni mandandum, nisi appareat esse injustum mandatum, sive absque peccato impleri non posse, cùm Deo magis obtemperandum sit, quam hominibus.

CAPI-

CAPITULUM VII.

Referente.

PARAPHRASIS.

Cùm J. Presbyter duas Ecclesias obtineret, Archidiaconus ei unam de facto ademit, atque Presbytero G. contulit, at verò dictus J. gravari se ratus, ad Archiepiscopum Rhemensem appellavit, à quo Ecclesia ipsi restituta est; postea verò Archidiaconus dictum J, quòd vocatus ad præsentiam suam venire contempserit, excommunicavit. Cùm hoc intellexisset Alexand. III. Presbyterum J. ab excommunicatione absolvi curavit, mandatque hîc Episcopo Diœcesano, ut eidem J, ex duabus, quas tenet, Ecclesijs, unâ, quam maluerit, relictâ, alteram Presbytero G. si Ecclesiam non habet, sine mora assignet; sin autem habeat, alteri personæ idoneæ conferat.

SUMMARIUM.

1. *Hoc Capitulum duobus modis intelligi potest, ut sermo scilicet in eo sit de duobus Curatis beneficijs, vel de duobus Canonicatibus in diversis Ecclesijs.*
2. *Quomodo defendi possit appellatio, ab Archidiacono facta ad Archiepiscopum Rhemensem, omisso intermedio, Episcopo scilicet.*

1 HOc Capitulum duobus modis intelligi potest. Primò, ut sermo sit de duabus Parochijs seu beneficijs curatis, tunc dicendum, quòd Capitulum istud sit correctum *per Capitulum de multa 28. hoc. tit.* Secundò, ut sermo sit de duobus Canonicatibus in diversis Ecclesijs, tunc definitur id, quod *in c. ult. tit. præcedentis* docui, si quis duo beneficia simplicia acceperit, quæ incompatibilia sunt, neutrum ipso jure vacare, sed cogendum esse beneficiarium, ut alterum, quòd maluerit, resigner.

2 Objicitur. Quòd hîc ab Archidiacono appellatum fuerit ad Archiepiscopum, omisso medio Episcopo, contra *c. dilecti 66. de appellationibus. Glossa hic V. Archiepiscopum* respondet, in ea regione per consuetudinem introductum fuisse, ut ad Archiepiscopum, omisso Episcopo, appellari possit; quæ responsio bona esset, si nobis constaret, quòd eo tempore talis consuetudo præscripta fuisset, ut ab Archidiaconis, aliisque inferioribus Prælatis, omisso Episcopo ad Archiepiscopum Rhemensem appellare liceret, sicuti constat *ex c. 3. §. ab Archidiaconis de appell. in 6.* Quia verò id non constat, ideò ait *Abb* hîc, quòd Glossa divinet, quare ipse dat aliam responsionem, quòd pars adversaria permiserit talem appellationem fieri, & regulam hinc colligit, quòd valet appellatio, medio omisso, si contra eam non excipiatur. Verùm nec hæc responsio ex textu colligitur, quare & ipsa divinare videtur; præterquam, quòd dubitari possit, num ea juri consona sit, sicuti monui *in cit. c. dilecti.* Potest itaque dari alia responsio, quæ ex textu probabiliter colligitur: cùm Archidiaconus iste non tantùm instituendi, sed etiam destituendi potestate usus fuerit, habuisse eum jurisdictionem in suo Archidiaconatu, privativè præscriptam, adversus Episcopum, & ideò quasi Episcopalem erga Clericos Jurisdictionem exercuisse, juxta ea, quæ docui *in irrefragabili 13. de officio ordinarij, & in disput. de Iurisdictione ordinaria. con. 77.* tum verò mirum non est, consuetudinem viguisse, ut sicuti ab Episcopo in causis, suæ Jurisdictioni subjectis, ita etiam ab Archidiacono, veluti parem Episcopalis Jurisdictionis intra eandem Diœcesin obtinente, ad Metropolitanum appellatio devolveretur; alioquin verò, si Prælatus aliquis exemptus, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectus sit, ab eo ad Papam appellari debet, non ad Metropolitanum, prout tradit *Greg. Tolosanus de appellatione lib. 4. c. 3. n. 17.*

***

CAPITULUM VIII.

Majoribus.

PARAPHRASIS.

Quidam Episcopi aut Prælati Ecclesiarum, majora beneficia in sua integritate relinquentes, minores præbendas diviserunt. Id indecorum judicans Concilium Turonense decernit, ut sicuti in magnis, ita & in parvis Ecclesiæ membris unitas retineatur, & ideò neque præbendarum divisio, neque dignitatum permutatio instituatur.

SUMMARIUM.

1. *In beneficio Ecclesiastico duo reperiuntur, jus Canoniæ scilicet, sive obligatio spiritualis officij præstandi; & jus reditum Ecclesiasticorum.*
2. *Quoad primam partem dividi non potest seu secari in duo, potest autem quoad secundam partem.*
3. *Distinguendum hic est inter beneficij diminutionem, seu dismembrationem, & divisionem.*
4. *Divisio beneficij instituti non potest, nisi hoc vacaverit; diminutio autem nonnunquam potest, vivente adhuc beneficiato; diverso tamen modo, juxta diversam rationem, aut motus proprij, aut ad instantiam beneficiati.*
5. *Non debet ab Episcopo facile beneficiorum divisio fieri.*

1 PRo majore intellectu adverte. Primò, quòd in beneficio Ecclesiastico duo insunt; videlicet Jus Canoniæ, seu spiritualis officij, & Jus redituum Ecclesiasticorum, quod dicitur præbenda, & secundùm se præcisè spectatum aliquid temporale est. Nota, quòd dico *præcisè*, nam Jus percipiendi reditus, seu præbenda, duobus modis constituì potest, vel prout est annexa Canoniæ seu spirituali titulo, & sic idem est, quod beneficium Ecclesiasticum, nec in Laicum cadere potest; vel prout est præcisa seu avulsa à spirituali jure seu titulo, sic merè temporale quid est, & Laico etiam, v. g. Ædituo, vel Cantori Ecclesiæ conferri potest propter officium, vel servitium, quod præstat, prout docui *lib. 4. tract. 2. c. 1. n. 3. & in c. cum M. 9. de constitutionibus, & videri hic potest Abb. n. 4.*

Corollarium. Beneficium quoad jus spirituale, sive Canonia, dividi, seu in duo secari nullo modo potest *c. Dilecto 25. juncta Gl. V. dividi h. tit. & docui in C. Michaël 13. de filijs Presbyterorum.* Sed quoad annexam temporalitatem divisio, aut dismembratio fieri potest, saltem de facto, num autem de jure, mox dicetur. 2

Adverte secundò, distinguendum esse inter beneficij diminutionem, & beneficij divisionem. Diminutio (aliàs dismembratio) dicitur, quando beneficij unitas non tollitur, sed pars fructuum ei aufertur, & alteri v. g. beneficio applicatur. Divisio autem beneficij dicitur, quando ex uno fiunt duo, aut plura beneficia. Exempli causâ, si existentibus in Ecclesia duabus Capellanijs collativis, quarum una redditibus abundat, altera verò tenuis est, ex illa pars redituum demitur, & huic addatur; vel si pars aliqua fructuum abundantium ad fabricam Ecclesiæ deputetur, dicitur dismembratio; sin autem existente unicâ in Ecclesia, fiant duæ, ita ut divisis fructibus duo in posterum Capellani instituantur, dicitur beneficij divisio, seu sectio. 3

Hinc sequitur, quòd divisio beneficij non nisi eo vacante instituatur, quandoquidem per divisionem beneficium desinit esse idem (cùm unitas manens unitas indivisibilis sit) & ex eo alia duo fiunt. Hinc itaque est, quòd divisio, sicuti & extinctio beneficij, commodè non fiat, nisi eo vacante per obitum aut resignationem. At verò dismembratio, seu diminutio beneficij interdum fit, superstite beneficiario v. g. Rectore Parochiæ, qui redditibus abundare videtur, tunc refert, num diminutio instituatur ad petitionem ipsius Rectoris; hoc casu, præter causam justam, etiam consensus Capituli sui, si parochialis ea 4

Ecclesia

Ecclesia Collegiata, aut Parochia Ecclesiæ Collegiali, aut Conventuali incorporata sit, requiritur, atque insuper authoritas Episcopi, juxta ea, quæ dixi *lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 4. & tradit Garzias p. 12. c. 3. n. 12.* An verò Episcopus eam instituat ex officio seu motu proprio; hoc casu præter causam justam, tanquam solennitas quædam, requiritur consensus Capituli Cathedralis juxta *c. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis in 6.* Rectoris autem seu beneficiarij consensus requiritur quidem, sed tanquam ejus, cujus interest, non tanquam solennitas requisita: quam ob rem, si necessitas postulat, ita ut is irrationabiliter consensum neget, non obstante contradictione ejus diminutio fieri potest, saltem in parochialibus beneficijs, prout expressè habetur in *c. 3. de Ecclesijs ædificandis*, & in Concil. Trident. *sess. 21. c. 4. de reformatione*, ubi providetur, si in Ecclesia Parochiali unus Rector populo non sufficiat in Sacramentis ministrandis, & cultu divino peragendo, ut Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, cogere possit Rectorem, aliósve, ad quos pertinet, ut Sacerdos alius adjungatur, & in ijs Parochijs, ad quas ob distantiam parochiani sine magno incommodo suo accedere non possunt, ad percipienda Sacramenta, & divina officia, novas parochias, etiam invitis Rectoribus earum, constituat, ita ut noviter constitutis Sacerdotibus, ex Ecclesia Matrice, fructuum aliqua congrua portio detracta, assignetur juxta *cit. c. 3.*

Sin autem Ecclesia aut beneficium, cujus diminutio fieri debet, tunc vacet, Curator ei seu defensor constituendus est, cujus consilio, & consensu diminutio illa cum Episcopi authoritate, & Capituli ejus consensu fieri debet, juxta *cit. c. 1.* Quorum omnium ratio est, quia dismembratio beneficij, non minùs, quàm unio, quædam alienationis species censetur, & idcirco Iuris consuetæ solennitates ad eam requiruntur, prout ex communi tradit *Rota in novis, decisione 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

Sed & per divisionem status Ecclesiæ alteratur, quam ob rem nec ipsa ab Episcopo instituí debet, nisi ex justa causa, & cum Capituli consensu, *argum. c. novit. 4. de his, quæ fiunt à Prælatis, & Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis. & docet Abb. in c. vacante. n. 2. hoc. tit. & videri potest Gratian. in c. præcipimus 53. causa 16. q. 1.* 5

Non est æquum, ut majores & abundantiores præbendæ in integritate maneant, minores autem, & tenues dividantur, aut minuantur: commendanda enim est in communitate æqualitas, juxta quam nemo abunder, nemo penuriam patiatur. *argum. c. cum M. 9. in fine de constit.*

CAPITULUM IX.

Relatum.

Paraphrasis.

Cantuariensis Archiepiscopus Mag. J. Canonicum instituerat cum promissione præbendæ eidem, quæ proximè vacaverit, conferendæ, & tamen licèt plures successivè præbendæ vacârint, promissis non satisfecit; quam ob rem mandat ei Papa, si dictus J. in Ecclesia Cantuariensi canonicè institutus sit, & in choro, atque capitulo, aliísque, quorum usus est communis, sicuti alij Canonici, potestatem accipit, ut præbendam ipsi, si quæ vacat, aut quæ primò vacaverit, juxta promissionem suam liberaliter conferat, cùm non sit æquum, ut Canonicus præbendâ careat.

Summarium.

1. *Potest quis institui Canonicus, quin sit statim præbendatus.*
2. *Cujus rei exempla adducuntur.*

NOtandum. Potest aliquis Canonicus creari, ita ut statim non sit præbendatus, seu fructus beneficij non percipiat, sicuti docui *titulo præcedente c. ult.* Verùm talis sine præbenda diu relinqui non debet, cùm enim officium præstet, imò locum 1

cum in choro, ac etiam in capitulo, & alia onera Canonicorum subeat, congruum est, ut ex Ecclesiæ, cui servit, reditibus alatur, seu ut beneficium propriè dictum habeat.

Objicitur contra textum. Cùm Archiepiscopus Magistro J. in Canonicum recepto, præbendam proximè vacaturam promisisset, quòd Papa eum horrari non debuerit ad implendum, cùm repugnet *c. 2. de concessione præbendæ*, ubi tales promissiones, & exspectativæ reprobantur. Resp. *cum Innocent. hic in principio, Imola. n. 2.* Archiepiscopum ad præbendam primò vacaturam conferendam dicto J. obligatum non fuisse ex promissione, sed ex naturali congruitate, Jure Canonico stabilita, ut recepto in Canonicum de præbenda etiam, quàm primùm fieri potest, provideatur; quare Pontifex ait, quòd Archiepiscopus præbendam ipsi libera liter conferre debeat, adeóque non ut propriè seu ex justitia debitam. Itaque promissio Archiepiscopi illicita non fuit, cùm per eum id promissum fuerit, quod Sacri Canones fieri jubent, & idcircò in hoc casu Archiepiscopus ex duplici congruitate præbendam dare debeat, consequenter Superioris officio ad hoc compelli poterat, quia & Canones id jubent, & Archiepiscopus, quod Canonibus congruum est, se facturum promisit.

2 Sunt verò casus aliqui, in quibus recepto Canonico non statim præbenda conferenda sit. Primus est. Si in alia Ecclesia sufficientem præbendam habet, tunc nisi rationabilis causa suadeat, non potest alibi præbendam accipere, licèt Canonicatum sine præbenda accipere possit, prout *Innocent. docet in c. ult. tituli præcedentis.* Secundus. Si propter residendi obligationem præbendæ incompatibiles sint, nihilominus Canonicatus, seu Jus Canoniæ conferri potest, prout dixi *in cit. c. ult.* expedit enim Ecclesiæ, ut plures habeat Canonicos, tanquam membra, adjutores, & consiliarios, *argum. c. extra, 5. distinct. 64.* Tertius. Si in Ecclesia numerus præbendarum determinatus sit, sed non numerus Canonicorum, tunc fieri potest, ut ultimò receptus in Canonicum diu exspectare debeat, donec præbendam consequatur, quia vacantibus præbendis is præfertur, qui priùs receptus est; æquum tamen est, ut ejusmodi Canonici, si ad manendum, & servitia Ecclesiæ, obligati sint, portiones, seu præstimonia habeant.

CAPITULUM X.

Avaritiæ.

Paraphrasis.

Canonici Regulares & Monachi Ecclesiæ Eboracensis Parochias quasdam, Monasterijs suis incorporatas, habebant, ita ut temporalium redituum pensiones ipsis deberentur, sed portiones redituum ex antiquo tempore Clericis in ijsdem Parochijs ministrantibus assignatæ erant. Has portiones Canonici, & Monachi diminuerunt: quô intellectô mandat ipsis Alexander III. si portiones seu reditus antiquos Clericorum sine Archiepiscopi sui consensu minuere, vel parochialia beneficia dividere præsumpserunt, ut ad integritatem pristinam revocent.

Summarium.

1. *Unio in hoc Capitulo Ecclesiarum parochialium facta fuit monasterijs, quoad temporales partes fructuum, ita ut Clericis, parochiæ deservientibus, suæ portiones manerent.*
2. *Hinc non potest pro suo arbitratu statum Ecclesiæ taliter unitæ mutare monasterium v. g. Sed conservari debet Rector, & Capellani v. g. Ecclesiæ unitæ, & portiones eis integrè relinqui.*
3. *Episcopus tamen potest, ex justa causa, portiones beneficiatorum, in casu Ecclesiarum monasterijs v. g. incorporatarum, minuere, vel etiam augere, salvâ tamen unione.*

Adverte,

1 ADverte, quòd Parochiæ in casu hujus capituli unitæ erant Monasterijs, quoad temporalitatem, ita, ut certa pars reddituum Monasterijs proveniret, reliqui verò reditus in portiones Clericis inibi ministrantibus distributi, ac designati essent, tanquam in beneficia eorum. Interdum verò contrarium accidit, ut Parocho, Vicario, alijsque ministris certæ portiones, seu pensiones deputatæ sint, reliquum verò Monasterio, cui Parochia unita est, provenire debeat; & interest inter utrumque modum, sicuti *Rebuff. notavit in tract. de portione congrua. n. 108.* si enim ad Monasterium propter factam unionem pertinent proventus parochiæ præter certam portionem, tunc Monasterium habet fundatam intentionem super decimis, novalibus, alijsque proventibus, nisi Vicarius, aut ministri ostenderint, ad suam portionem pertinere; sin autem Monasterium certam pensionem accipiat, reliquis proventibus Vicario, aut alijs Clericis relictis, tunc Vicarius, vel Clerici fundatam intentionem habent; præterquam quòd, auctis reditibus parochiæ, æquum sit, ut Prælatus Monasterij, tanquam Rector principalis, pensionem majorem percipiat, minorem verò, si reditus diminuantur, sicuti docet *Abb. in c. prohibemus n. 4. de censibus, Rebuff. loco cit. n. 39.*

2 Notandum primum. Monasterium aut Ecclesia Collegiata, cui parochia unita est, non potest, arbitratu suo, statum parochiæ mutare, sed debet conservare, Rectorem, & Capellanos, vel Coadjutores ejus, atque portiones seu reditus ipsis relinquere, sicuti antea consuetum, aut statutum fuit. Ita *Innocent. And. Abb. Imola,* & alij intelligunt. Ratio est, quia Capitulum, aut Prælatus, vel Rector non exemptæ Ecclesiæ absque Episcopi consensu statum ejus Ecclesiæ mutare non potest, ut hic DD. tradunt. & ex communi *Rebuff. n. 56. argum. c. cùm consuetudinis. de consuetudine.*

Consentit *Clement. prima de supplendâ negligentia Prælatorum*, ubi extenditur ad Prælatos exemptos, & statuitur primò. Si Prælati regulares beneficia quæcunque regularia, aut sæcularia, quorum collatio ad ipsos spectat, intra sex menses post diem vacationis non conferant, ut Diœcesani Episcopi suppleant negligentiam Prælatorum, sua authoritate conferendo, si Prælatus exemptus non sit; Apostolicâ verò authoritate, si exemptus. Secundò. Simili authoritate nixi non permittant, sed prohibeant, ne dicti Prælati beneficia ejusmodi suis mensis applicent, aut novas pensiones imponant, aut veteres augeant, vel ita auctas accipiant. Et habet hæc Clementina locum, quotiescunque certi reditus deputati sunt ad beneficium sæculare, aut regulare alicujus Rectoris, Administratoris, Capellani &c. tametsi manuale sit, quòd videlicet collatio ejus fieri debeat intra sex menses reditibus in sua integritate relictis, sicuti *Gl.* ibidem explicat *V. revocari.*

Notandum secundò. Episcopus ex justa 3
causa portiones, seu reditus beneficiatorum in Ecclesijs, seu parochijs, quæ Monasterijs, aut Collegijs incorporatæ sunt, minuere, seu dismembrare potest; imò etiam dividere parochiam, si justa causa postulet, salva tamen unione. Ita *sumitur ex hoc. c. &* tradit *Gl. recepta V. reditus.* Quòd si nolit Episcopus, tum ait *Gl.* quòd Prælatus, cui parochia incorporata est, querelam deferre possit ad Superiorem ejus, videlicet Metropolitanum, aut Papam, ut ab eo cogatur, si causa talem divisionem, aut diminutionem postulet. Sed & idem Episcopus, seu Ordinarius loci, portionem Clericis deputatam, ex justa causa, augere potest, videlicet ob auctos labores eorum, maximè, si etiam parochiæ reditus aucti sint, cùm æquitas exigere id videatur, *argum. c. de Monachis 12. hoc. tit.* Quòd si Prælatus Monasterij, cui parochia incorporata est, tali casu consentire nolit, ipso etiam invito, auctionem fieri posse, ait *Innocent. & Imola hic n. 4. argum. c. 3. de Ecclesijs ædificandis.*

CAPITULUM XI.

Significatum.

PARAPHRASIS.

Intellexit Alexand. III. quòd Præpositus, & Capitulum Ecclesiæ Insulanæ Sacerdoti præbendam contulerint, cum eo onere, ut Missam de B. V. Maria, nisi corporis infirmitate gravatus sit, quotidie celebrare debeat; nec beneficium illud dimittere possit, absque Præpositi, & Capituli consensu, sed nec alteri officium suum annuum committere. Hanc institutionem Papa confirmat, eâ moderatione, ut Sacerdos, nisi infirmitate impeditus sit, assiduè suum servitium Ecclesiæ illi impendere debeat, & quantò frequentiùs potest, salvâ honestate, & debita devotione, Missam celebrare, neque liceat ipsi, voluptatis causâ, se subtrahere, vel ad aliam Ecclesiam transferre.

SUMMARIUM.

1. *Vacans beneficium sine novo onere suspensivo, personæ, per modum pacti, impositò, conferri debet. Nisi Papa consentiat.*
2. *Ita ut nec conditio suspensiva addi possit, nec conditio de præsenti vel præterito, nisi hæc ex sua natura insit.*
3. *Quod idem de modo dicendum est.*
4. *Potest tamen Episcopus cum consensu sui Capituli & Patroni, si patronatum beneficium sit, beneficio, dum vacat, ex causa rationabili onus adijcere, ad quod beneficiarius deinceps sit obligatus.*
5. *Ita tamen, ut collator exinde nullum commodum directè aut indirectè habeat.*
6. *Si Capellaniæ Collativæ onus imponat, ut quotidie Capellanus celebret, intelligi hoc onus debet; salva honestate, & devotione debita.*
7. *Neque tamen omnis talis obligatio quotidie celebrandi de Beatiss. Virgine v.g. decens esse videtur.*

NOtandum primò. Beneficium, dum vacat, debet liberè conferri, & non appositò novo onere, aut conditione, nisi Papæ, qui plenissimam in beneficijs dispositionem obtinet, consensus & confirmatio accedat. Ita significat *Gl. hic V. ita quod*, & expressiùs *Gl. in c. penult. V. unius præbendæ. de Magistris.* Pro majore intellectu generatim hìc tractari potest quæstio, num collator beneficij, conditionem, vel modum, seu onus in collatione apponere possit. Cui quæstioni responderi potest, distinguendo inter conditionem propriè dictam, quæ actum v.g. collationis, aut institutionis conditionalem efficit, & modum appositum, qui dispositionem v.g. collationem, aut donationem absolutam relinquit, sed donatario, aut proviso vicissim obligationem seu onus imponit. Quod attinet ad conditionem propriè dictam. 1

Dico primò. Collatio beneficij, sicuti & electio, fieri debet absolutè, & non sub conditione in futurum suspensivâ: alioquin ipso jure irrita est. Exempli causa: confero tibi beneficium, si intra annum Sacerdos factus fueris. Ita *Gl. recepta in c. 2. V. incerta de electione in 6. Francus n. 4. Azor to. 2. lib. 6. c. 26. q. 2. Garzia p. 8. c. 2.* Ratio est, quia beneficiorum collationes, & electiones, inter actus legitimos numerantur, qui nec conditionem recipiunt, nec diem. *Reg. 50. in 6.* 2

Dico secundò. Nec valet collatio beneficij sub conditione de præsente, vel præterito, nisi ea suapte natura insit. Ita *Gl. cit. Monachus ibidem n. 4. Francus. n. 5.* Exemplum prioris partis est, si quis dicat: confero tibi beneficium, si Pater tuus vivit, aut si Pater tuus Ecclesiæ tributum numeravit, irrita est collatio, propterea, quòd ea absolutum, & determinatum consensum collatoris requirat. Idémque multò magis dicendum de electione, irritam esse, si fiat sub tali conditione, quia vota eligentium debent esse certa, uti habetur

in

in cit. c. 2. Exemplum posterioris partis est, si quis dicat: confero tibi beneficium, si vacat, si legitimè natus es, si ætatem legitimam consecutus, talis conditio valida censetur, secundùm *Gl. & Franc. citat. locis Abd. in c. si tibi absenti. hoc. tit. in 6. col. 1. Azor loco cit. q. 5. Covarr. tertia Resolut. c. 16. n. 2.* ubi ajunt, quòd Ordinarius ignorans mortem antecessoris conferre possit alteri, sub conditione, si jam vacat, quamvis executio fieri non possit, nisi de vacatione constet. Ratio dari debet, nam, qui conditionem actui apponit, quæ, & qua ratione de jure inest, is nihil addit, aut demit, sed explicat, quod implicitè continetur, sicuti notat *Monach. cit. c. 2. n. 8.* & arbitror cum *Garz. cit. c. 2. n. 5.* idè sentiendum esse de electione, cùm ratio jam tradita etiam in eâ probet, licèt *Gl. Franc. Covar.* contrarium sentiant. Veruntamen in electionibus, & fermè etiam in collationibus beneficiorum, non satis convenienter talis conditio, incertitudinem rei in se continens, adjicitur, eò quòd per eam signari videatur, necessariam causæ cognitionem præmissam non fuisse.

3 Quod attinet ad conditionem latè dictam seu modum, num in collatione adjici possit. Dico primò. Conditio sive modus, qui de jure inest, collationi adjici v. g. tibi nondum Sacerdoti parochiam confero, ita tamen, ut intra annum sacerdotium accipias, vel ita tamen, ut alerum curatum mox dimittas beneficium: nam talis conditio de jure requiritur, adeóque, si non exprimitur, subintelligitur. *c. licèt 14. de electione in 6. c. de multa 28. hoc. tit.* Addo tametsi collatio talibus verbis fiat, ut externa specie videantur significare conditionem suspensivam, v. g. confero tibi, si intra annum Sacerdos fias, tamen benigniùs explicandum esse, ut modum, non ut propriè conditionem contineat, quia verba cujuslibet dispositionis ita in dubio intelligi debent, ut actus valeat potiùs, quàm ut pereat. *c. Abbati 25. de Verborum significatione.* Corrueret autem collatio ea, si fieret sub conditione suspensiva; non autem corruit, si fiat sub modo, seu obligatione, quatenus de jure inest, videlicet, ut provisus obligatus sit, intra annum Sacerdos fieri.

Eâdem ratione ex communi docet *Garz. n. 16.* quòd pactio adjecta collationi aut resignationi, si id præcisè contineat, quod jure communi requiritur, non faciat eam Simoniacam, v. g. resigno tibi beneficium eo pacto, ut fructus ad me pertineant, usque ad ejus resignationis acceptationem, seu admissionem, qua de re *Flam. Parisius lib. 1. q. 6.* Sed opus est, ut modus adjiciatur, sicuti de jure inest, & non, ut obligatio augeatur, vel alteretur: si enim v. g. obligatio dubia sit in jure, non potest adjici conditio, ut illa absque contradictione impleatur, contineret enim novam pactionem, seu transactionem, quæ in beneficialibus prohibetur, juxta *c. ult. de pactis.*

Dico secundò. Episcopus cum Capituli sui consensu ex causa rationabili beneficio, 4
dum vacat, adjicere potest onus, v. g. ut beneficiarius deinceps docere debeat sacram Scripturam, vel Catechesin. Ita *Gl. hic in notandis, Imola n. 9. Abb. n. 7. Gl. in c. penult. V. unius de Magist. Azor to. 2. lib. 6. c. 26. q. 3.* Notant verò Abbas, & alij cautelam, ut pactio evitetur, ipsi rei seu beneficio onus imponendum esse, tunc enim beneficium transit ad provisum cum onere suo. Sic Capellania licèt ex prima fundatione unius tantùm in hebdomade, aut duarum Missarum onus habeat, tamen ex justa causa, aut necessitate, numerus Missarum ab Episcopo augeri potest, si videlicet reditus sufficiant, & Ecclesia frequentiore sacrificio indigeat. Verùm si beneficium patronatum sit, consensus Patroni adhibendus est, qui eum rationabiliter negare non potest, si causa talis mutationis adsit.

Porrò Prælatus inferior Episcopo, Capitulum Cathedrale, aut Ecclesia aliqua Collegiata, licèt jus habeat conferendi beneficia, tamen eorum naturam, & institutionem per nova statuta mutare non potest

absque ordinarij Episcopi consensu, & authoritate, sicuti *Abb. hic* monet *n. 2.* quia Clerici aut Capitulum non possunt alterare statum Ecclesiæ, sine Episcopo, *uti docent DD. in c. ad audientiam. 5. ubi Abb. n. 3. de Ecclesijs ædificandis.* Dico tertiò: tale onus, v. g. Theologiam docendi, non potest in collatione imponi personæ, per modum pacti. Ita docet Gl. *in cit. c. penul. V. unius. Alexand. de nævo super Abbatem in eodem c. Navar. in consilio unico, ut Ecclesiastica beneficia &c. contra Hostien. Ioan. And. & Abb. in cit. c. penult.*

5 Limitandum tamen est, si honesta conditio, seu requisitum sit, ad quod instituendus rationabiliter, & cum Ecclesiæ utilitate obligari possit, & ita conferatur, ut exinde collator nullum seu directè, seu indirectè, temporale commodum percipiat, tunc non videtur illicitum, ante collationem, aut institutionem, exigere promissionem, vel juramentum, v. g. quòd sincero animo beneficium accipiat, & non animo dimittendi; quòd sine collatoris, vel successorum ejus consensu resignare nolit, nec permutare, reservatâ pensione; item si aliud incompatibile, quamvis simplex beneficium obtineat, quòd istud statim resignare velit, &c. Licèt enim talia, cùm novam obligationem afferant, ideóque pactionem contineant, in ipsa collatione exigi non posse videantur, sicuti bene monet *Navar. cit. loco*, non tamen damnari potest, si consuetudo, aut statutum sit in aliqua Ecclesia, ut recepturi beneficium ante institutionem, aut collationem tale aliquod juramentum edant, qua de re *Azor to. 1. lib. 11. c. 5. in fine, & to. 2. lib. 6. c. 9. q. 9.* Ratio dari debet, quia hoc non censetur esse pactum, sed statutum, seu consuetudo, cui conformare se debent ij, qui beneficia consequi volunt, quemadmodum simili ratione jurare coguntur, promovendi, seu instituendi, quòd statuta Ecclesiæ servare velint.

6 Notandum secundò. Si Capellania collativa obligationem contineat, ut Capellanus per seipsum quotidie sacrificet, ideóque obligatio indesinenter celebrandi imponatur personæ, explicari debet, ut quotidie sacrificet, quatenus potest, salvâ honestate, & debitâ devotione. Ita hîc, ubi id tradunt Canonistæ omnes, & explicavi *lib. 5. tract. 5. c. 3. n. 6.* Alia ratio est, si obligatio sacrificij quotidiani adhæreat loco seu altari, tunc Capellanus alium substituere debet Sacerdotem, si ipsemet sacrificare nolit, aut non possit.

Notandum tertiò: non censetur ea obli- 7
gatio decens, si personæ imponatur, ut Capellanus quotidie Missam dicere debeat de B. Virgine, prout ex *hoc. c.* colligitur, & notavit *Innocent. Joan. And. n. 3. Abb. n. 5.* Est autem honesta institutio, seu fundatio adhærens loco, ut in certo altari, vel Capella per totum annum, quotidie fiat Missa de B. Virgine, vel pro defunctis, sicuti ex *Navar. lib. 3. consil. 9. de celebratione missarum edittone 2.* docui *in cit. tract. 5. c. 1. n. 16.*

CAPITULUM XII.

De Monachis.

Paraphrasis.

Monachi, quibus parochiales Ecclesiæ incorporatæ erant, constitutos Vicarios gravarunt, exiguam, & non competentem portionem reditnum tribuendo, ita ut hospitalitatem tenere non possent. Hoc intellecto mandat Alex. III. Figorienſi Archiepiscopo, ut nullum in posterum Vicarium à Monachis præsentatũ recipiat, nisi tanta coram eo de Ecclesiæ proventibus portio fuerit assignata, ut congruam sustentationem habere, & jura Episcopalia solvere possit.

Summarium.

1. *Uniones talium Ecclesiarum varijs sæpè modis fieri solent.*
2. *Semper tamen Curatis talibus, seu Vicarijs, sufficientes reditus dari debent, qui non tantùm ad sustentationem, sed etiam*

etiam ad exercendam hospitalitatem, & charitatis officia, ac jura Episcopalia solvenda sufficiant.

3. *Quid attendendum ad sufficientes Curato reditus æstimandos?*

4. *Quomodo hi reditus augeri debeant, si secundùm Viri boni, maximè Episcopi, arbitrium, non sint sufficientes?*

5. *Si tamen tale unitum beneficium vacaverit, à Prælato v. g. cui unitum tale beneficium est, præsentatio Vicarij admitti non debet ab Episcopo, nisi congrua illi portio ex reditibus Ecclesiæ assignata sit.*

6. *Vel saltem intra designatum ab Episcopo tempus designetur.*

1 IN primis advertendum, quòd parochiæ istæ quoad curam plebis Ordinario loci seu Diœcesano Archiepiscopo subjectæ erant, quam ob rem Presbyter Vicarius ipsi præsentandus, ab eóque instituendus erat, juxta *c. 1. de Capellis Monachorum.* Potest autem talis parochiæ non exemptæ incorporatio duobus modis fieri, prout docui *in dissput. de Prælatis q. 206. & seqq.* videlicet quoad temporalia tantùm; vel quoad temporalia, & spiritualia simul.

Discrimen est inter has uniones, quia si parochia Monasterio, vel alicui Xenodochio v. g. incorporata tantùm sit quoad temporales reditus, tunc in ea verus Parochus, cui omnis cura plebis sub Episcopo commissa sit, instituì solet, sive id fiat ad præsentationem ipsius v. g. Xenodochij (si etiam jus patronatûs habeat) sive ad præsentationem alterius patroni. Sin autem Monasterio v. g. talis parochia incorporata sit, etiam quoad spiritualia, adeóque pleno jure, sicuti *Gl.* loquitur *in cit. c. de privilegijs*, tunc curâ plebis, saltem quoad habitum, manente penes Monasterij Abbatem, tanquam perpetuum Parochum, seu Rectorem, is loco sui Vicarium Episcopo præsentare debet, qui est casus nostri capituli.

2 Nota primò. Curati plebis, seu Plebani sufficientes reditus habere debent, ut præter sustentationem vitæ, etiam hospitalitatem, & charitatis officia exercere, atque jura Episcopalia solvere possint. Ita *hic. & in c. 1. eodem tit. in 6. in Clement. 1. de jure patronatûs, & in Trident. sess. 24. c. 13. de reformat.* nam nisi id fiat, viri docti atque idonei, non multi reperientur, qui eo spiritu, ac zelo polleant, ut curam animatum cum magnis laboribus, & oneribus junctam suscipere velint; id verò in Ecclesiæ, & speciatim earum plebium, quibus præficiuntur, spirituale detrimentum cedit, juxta *cit. c. 1.* & videri potest *Rebuff. in tract. de portione congrua. n. 7.*

Quinam verò censeri debeant reditus 3
sufficientes, ac debiti Curato, in eo in primis attendendum ad statum temporis præsentis, uti notavit *Rebuff. n. 8. Selva de beneficijs p. 1. q. 5. n. 125.* ubi monet, & experientia probat, quòd Clerici nunc majore, quàm olim annuo reditu indigeant: deinde distinguere oportet inter Ecclesiæ proprium Rectorem, & Vicarium, præsertim si temporalis, non investitus, & amovibilis sit; nam proprius Rector, seu Parochus, cùm & in majore gradu honoris sit, & omnia parochiæ onera sustinere debeat, sed & hospitalitatis, ac misericordiæ officia præstare, tantò ampliore præbenda, seu amplioribus reditibus, dignus est. At verò Vicarius, cùm principalem curam non habeat, sed ea penes alium sit, v. g. Monasterij Abbatem, minore portione contentus esse debet. Si tamen Vicarius intitulatus sit, & ideò curam parochiæ actualem solus sustineat, major ex hoc capite portio ipsi competere debet. Considerandum quoque, num ipsimet Vicario, an verò Rectori principali, v. g. Abbati, incumbant onera jurium Episcopalium, hospitalitatis, domûs parochialis conservandæ &c. nam juxta onerum qualitatem æquum est Vicario portionem convenientem deputari, prout legi potest *in cit. Clement. 1. de jure patronatûs S. sanè.*

Quæstio est, si parochiales reditus se- 4
cundùm boni viri, maximè ipsius Episcopi,

arbitrium sufficientes non sint, quomodo augeri debeant. Resp. plures esse modos. Primus est, ut attendatur, quisnam parochiales decimas, aliósque proventus accipiat, an fortè Episcopus, vel Abbas Monasterij, cui incorporata est, vel Nobilis loci, qui decimas tanquam in feudum sibi concessas possidet, iste enim Parochi reditus augere cogitur, sicuti docet *Rebuff. n. 17. & 47. Gutierez. in practicis q. 17. n. 12.* quia translatio parochialium proventuum per unionem, donationem, aut infeudationem non alia ratione facta intelligitur à Prælato Ecclesiastico, nisi ut Parocho sua competens portio, salva esse debeat, & fabricæ Ecclesiæ prospectum sit. *argum. c. de his. 4. de Ecclesijs ædificandis*, ubi decernitur, si ædes parochiales restauratione, vel ædificatione indigeant, quòd earum Rectores de proventibus earundem Ecclesiarum, si supersint, ante alios subvenire debent: consequenter si reditus parochiales perveniant ad Monasterium, vel Xenodochium, exinde succurri debebit, tum fabricæ Ecclesiæ, tum ipsi Parocho, si indigeant, quippe, quibus ante omnia prospectum esse debet, sicuti docet *Gutierez. n. 14.* Esset enim id indecens, ut reditus parochiales, qui propriè deputati sunt ad ministrorum sustentationem, & sacræ ædis conservationem, cum hominum penuriâ, ac desertione aliò applicari possent: quare nec valeret in hac re consuetudo, vel præscriptio contraria, quippe Ecclesijs damnosa, & sacris Canonibus inimica. *argum. c. 1. hoc. tit. in 6.* & tradit *Rebuff. n. 49. & 103.* Alter modus est, per unionem alterius beneficij, aut fructuum ex eo subtractionem aliquam juxta *c. 3. de Ecclesijs ædificandis.* & dixi *in c. majoribus 8. hoc. tit.*

Tertius modus est, ut parochiani contribuant, quæ ad Rectoris, vel etiam fabricæ conservationem necessaria sunt, juxta Trident. *sess. 24. c. 13. de reformatione.* Ex quo textu etiam colligitur, hunc tertium modum succurrendi, adhibendum non esse, nisi in defectum priorum, id est, si prioribus modis succurri non possit.

Nota secundò. Si Prælatus, aut Capitu- 5
lum, cui parochialis Ecclesia unita est, eâ vacante præsentet Vicarium Episcopo, præsentatio recipienda non est, nisi congrua ipsi ex parochiæ reditibus portio assignata sit: itaque spectato hoc jure & *Clement. 1. de jure patronatûs*, pensio congrua designanda est, antequam præsentatio acceptetur. Quòd si dubium incidat, num portio, quam Monasterium v. g. Vicario dare vult, sufficiens, & congrua sit, ad Episcopum pertinet determinare, *argum. hujus c. & suprà cit. Clement 1.* atque Sede vacante, ad Capitulum Cathedrale, quod in administratione & jurisdictione Episcopali succedit. *c. his qui 11. c. cùm olim 14. de majoritate*; atque in ejus designatione (adhibita cognitione summaria, qualis etiam adhibetur, cùm de alimentis cognoscitur L. *penult. ff. qui sunt sui vel alieni juris*) considerari debent necessitas, ac decor debitæ sustentationis secundùm personæ statum, scientiam, nobilitatem, corporis vires; item hospitalitatis, ac misericordiæ exercendæ obligatio, jura Episcopalia, aliàque onera, laborésque, qui sustinendi sunt; denique & redituum parochialium quantitas, quemadmodum & dos pro modo facultatum patris, & dignitate mariti constituitur, L. *cum post 69. §. in domum ff. de jure dottium*, & videri potest *Rebuff. n. 62.*

Additur verò in *cit. Clement. 1.* Si Præ- 6
lati Monasteriorum, quibus parochiæ unitæ sunt, intra terminum ipsis ab Episcopo Diœcesano præfixum, congruam portionem Vicarijs perpetuis, qui ab ipsis præsentantur, non designârint, ut ipsemet Episcopus designet, & ad ejus observationem Prælatos, tametsi alioquin exempti sint, per censuras Ecclesiasticas compellat, ita, ut Religiosi exempti subsint Episcopo quoad hoc, si nolint decenter tractare Vicarium perpetuum.

CAPI-

CAPITULUM XIII.

Ad hæc.

Paraphrasis.

A recta ratione alienum est, quòd unus Clericus, seu in una, seu in diversis Ecclesijs, plures dignitates, vel personatus obtineat, cùm singula officia in Ecclesijs assiduitatem personarum postulent.

NOtandum. Nullus Clericus duas simul Ecclesiasticas dignitates aut personatus obtinere potest. Excipe, nisi à Sede Apostolica dispensationem ex justa causa datam habeat. *c. de multa 28. hoc. tit.*

CAPITULUM XIV.

Præterea.

Paraphrasis.

G. Clericus in duabus Ecclesiis Burdegalensi, & Tolosana Archidiaconus constitutus fuit, & obedientiam in utraque Ecclesia canonicè professus. Sed Alex. III. mandat, ut uno, quem maluerit, Archidiaconatu contentus, alterum resignet. Ita existimo intelligendum esse hoc capitulum, ut sermo sit non de regulari Canonico, sed de Clerico sæculari, qui super Archidiaconatu institutionem, aut investituram accipiens, Episcopo obedientiam jurare debet. *c. 3. de majoritate.*

NOtandum. Qui duas dignitates, aut beneficia curata consecutus fuit, olim cogebatur alterum, quòd maluerit, resignare: sed hodie beneficium priùs obtentum ipso jure vacat, ita ut retineri amplius non possit. *c. de multa. 28. hoc. tit. & Extrav. Execrabilis de præbendis*, & dixi *in c. 3. de Clericis non residentibus.*

CAPITULUM XV.

Cùm non ignores.

Paraphrasis.

Sacerdos quidam in una Ecclesia intitulatus, ab Archipresbytero, seu Decano, & Clericis alterius Ecclesiæ electus etiam fuit, ea propter opposuerunt se huic electioni alterius Ecclesiæ Clerici, ad Sedem Apostolicam causam deferentes; quò etiam dictus Sacerdos nuntium destinavit. Alex. III. hîc scribit ad Archiepiscopum Genuensem, indignum esse, & Canonibus contrarium, si uni personæ in duabus Ecclesijs locus detur, & ideò mandat, ut Presbyterum illum suo, quod priùs habuit, beneficio contentum esse, faciat; tametsi verò alterius Ecclesiæ Archipresbyter, & Clerici, in illum antea consenserint, quia tamen jam dissentiunt, non decet, ut cum ipsorum scandalo in eadem Ecclesia recipiatur.

Summarium.

Spectato jure communi Canonico, non potest aliquis in duabus Ecclesijs esse intitulatus, ita ut Electores, si resciant, quòd eligendus aliud beneficium habet, quod dimittere nolit, possint à sua electione recedere.

NOtandum. Spectato communi Jure Canonico, non potest aliquis in duabus Ecclesijs esse intitulatus, idque propter residentiæ, & assidui servitij obligationem, sicuti dixi *in c. 3. tit. præced. & c. quia 5. hoc. tit.* Quæstio est, si Capitulum Clericum beneficiarium, seu habentem jam beneficium, eligat ad aliud beneficium, quæ simul teneri non possunt, num subsistat electio, an verò electores recedere possint. Resp. *cum Innocent. in c. ult. tit. præcedentis. Abb. hic. n. 8.* Vel electores sciunt, quòd electus aliud beneficium tunc possideat, vel nesciunt: hoc secundo casu recedere possunt ab electione, si electus priùs beneficium dimittere nolit, quia præsumendum est, quòd electionem facere voluerint, conformiter juri communi aut statuto suo: in primo autem casu iterùm distinguendum, num beneficium secundum sit multò melius, ita ut electus ascendere, seu promoveri censeatur, tunc censetur fieri electio

ctio sub conditione, seu potiùs modo, ut electus prius beneficium dimittat ; an verò secundum non sit notabiliter melius, tunc Clerici electores censeri possunt, quantum in ipsis est, recedere velle à statuto suo, atque remittere residendi obligationem, vel si communi jure residentia postulatur, contenti esse, ut dispensatio impetretur. Dico. Quantum in ipsis est, quia si beneficium residentiam postulet, non possunt Capitulares absque Episcopi sui authoritate eam remittere, & statum Ecclesiæ alterare, aut ejus laudabiles constitutiones approbatas infringere, prout habetur *in c. cùm consuetudinis 9. de consuetudine.* Quare Episcopus in tali casu se opponere potest.

CAPITVLVM XVI.

Cùm secundùm.

Paraphrasis.

Quia teste Apost. 1. *ad Corinth. 9.* qui altari servit, vivere debet de altari, & qui ad onus admovetur, à mercede removeri non debet, ideò & Clerici vivere debent ex patrimonio Christi, cujus servitio deputati sunt, quod & nominis ratio ostendit, dicti enim sunt Clerici à κλῆρος, quia in sortem seu hæreditatem Domini assumpti sunt, vel quia in ipso hæreditatem assequuntur, ut verè cum Propheta *Psal. 15.* dicere possint: Dominus pars hæreditatis meæ. Tametsi verò antecessores Pontifices eorum Clericorum ordinationes, qui sine titulo promoventur, propter odium ordinantium, irritas esse voluerunt, tamen Innocent. III. mitiùs agere volens decernit, ut ordinatores, vel eorum successores, ordinatis tamdiu vitæ necessaria provideant, donec Ecclesiastica beneficia assequantur ; quam ob rem, cùm G. Clericus quondam ab Episcopo Zamorensi, nullo præsentante, Subdiaconus ordinatus sit, ideo Innocentius III. mandat Successori Episcopo, ut si ij, quibus examen super dicto G. Clerico commisit, ipsum Episcopum legitimè citârint, ut per se, vel per idoneum Procuratorem interesit, atque proponat, quæ tam super personæ idoneitate, quàm super quantitate & qualitate beneficij, proponenda esse censuerit. Quòd si Commissarij Papales Clericum ad beneficium idoneum esse judicârint, tunc Episcopus tamdiu ei vitæ sustentationem congruam subministret, donec per ipsum Episcopum, vel in Zamorensi, vel in alia Ecclesia, Ecclesiasticum beneficium assequatur ; & scire debet Episcopus, si ab Examinatoribus idoneus fuerit judicatus Clericus, atque Episcopus ei juxta Pontificis mandatum beneficium non providerit, quòd per censuram Ecclesiasticam ad id adigitur.

Summarium.

1. *Clericus ministrans Ecclesiæ ex bonis Ecclesiasticis ali debet, non quidem abutendo patrimonio Christi ad usus profanos, sed ad usus necessariæ sustentationis.*
2. *Ita ut ad eundem spectet emolumentum, ad quem spectat onus.*
3. *Ab Etymo vocabuli argumentum ducendum.*
4. *Etsi juxta antiquos Canones irrita fuerit ordinatio, sine titulo legitimo facta, saltem quoad executionem, in odium ordinantis, hodie tamen suspensio hæc non ampliùs locum habet, sed Episcopus ordinans, si culpam admisit, ad sustentationem obligatur, si in sacris sine titulo ordinavit Clericum.*
5. *Nisi Clericus, qui Ordines sacros suscepit, eum decepit : quo in casu locum adhuc habet, quoad executionem suscepti Ordinis, suspensio.*
6. *Vel ante ordinationem remittat sibi factam sustentationis promissionem, aut de ea remittenda paciscatur, aut fingat*

fingat tantùm, sibi factam promissionem talem.

7. *Hæc autem sustentationis obligatio, ab Episcopo sine titulo ordinante faciendâ, etiam ad Successorem Episcopum transit.*

1 NOtandum primò. Beneficiarius, seu Ecclesiæ Minister ex bonis Ecclesiasticis ali debet, seu vitæ necessaria percipere, sed non luxuriari, sive patrimonium Christi ad vanos, aut profanos usus convertere, sicuti ex sancto Hieronymo *c. 3. in Micheam Gratianus notat dist. 44. in principio.* Quare nec Prælati Ecclesiarum Domini sunt bonorum Ecclesiæ oblatorum, sed dispensatores tantùm, ut proinde ea nec licitè, nec validè possint in usus profanos convertere, aut subordinatis, seu inferioribus ministris, ac beneficiarijs, talem absumendi facultatem relinquere aut indulgere. Vide, quæ docui *lib. 4. tract. 2. c. 3.*

2 Notandum secundò. Ad quem onus spectat, ad eundem etiam emolumentum spectare debet, *juxta regulam 10. ff.* Secundùm naturam est, commoda cujusque eum sequi, quem sequuntur incommoda: sed & vice versa, ferendus non est is, qui lucrum quoddam amplectitur, onus autem ei connexum contemnit. *L. unica §. pro secundo. C. de caducis tollendis.*

3 Notandum tertiò. Argumentum duci potest ab etymo vocabuli; nam nomina convenientia esse debent rebus, seu à rei proprietate institutionem accipere. *§. est & aliud. Institutis de donationibus.* Monet verò *Abb. hic. n. 5.* argumentum ab etymologia certiùs deduci affirmativè, quàm negativè. sic mutui contractus dicitur, quia in eo quod meum est, tuum fit. Si itaque id in contractu non reperiatur, non est mutuum. Sic lapis dicitur, quia pedem offendentem lædere potest, si itaque id non possit, non est lapis. Neque tamen omnis contractus dominij translativus, mutuum est, neque omne, quod pedem offendit, lapis est, eò quòd nominum impositiones fermè fiant à proprietate, quæ non rei soli convenit, quapropter non procedit affirmativè: pedem lædit, ergo lapis est.

4 Notandum quartò. Licèt secundùm antiquos Canones *c. 1 & 2. dist. 70.* ordinatio Clerici sine titulo irrita fuerit, intelligè, quoad executionem, seu suspensionem ab Ordine, prout *Gl. hìc monet V. irritas*, tamen sublatâ jam eâ censurâ, id solùm observari debet, ut Episcopus, qui sine titulo beneficij, & nemine præsentante, ac sustentationem offerente, Clericum in sacris ordinavit, ipsemet interea, donec Ecclesiasticum ei beneficium conferatur, providere debeat, prout dixi *in c. 4. hoc tit.*

5 Dubitatur primò. Si Episcopus in culpa non fuit, sed Clericus eum decepit, fingendo titulum, seu proprij patrimonij, quod non habet, vel non sufficiens habet, aut fingendo titulum mensæ, seu sustentationis capiendæ à præsentatore, cùm donatio nulla antecesserit &c. num in tali casu ordinatus suspensionem incurrat. Hæc quæstio ex eodem dependet, num spectato communi jure *c. 1. & 2. dist. 70.* talis fuerit suspensus, nécne. In negativam partem inclinat *Abb. c. 2. n. 3. hoc. tit.* & apertè tenet *Toletus lib. 1. c. 48. suspensione 18. Sayrus in thesauro lib. 4. c. 14. n. 16. Henriquez lib. 13. c. 37. §. 2.* Sed affirmantem partem tenet *Anton. in cit. c. 2. Navar. in consilio ultimo de temporibus ordinationum editione 2. Quarantain bullario V. ordo. Suarez de censuris disp. 31. c. 1. n. 35. Sanchez. lib. 6. de matrimonio. disp. 92. n. ult.* Et hæc sententia placet, si enim sine titulo ordinatus, quando culpa in eo nulla fuit, quia ordinare volenti Episcopo paruit, suspensionem olim contraxit, propter odium malè ordinantis, ut hìc dicitur, & *in cit. c. 1.* multò magis suspensionem incurrisse censendus est, si ita ordinatus in culpa, & dolo fuit, circumveniens Episcopum. Quare *in cit. c. 2.* absolutè dicitur, quòd ordinatio facta sine titulo tanquam irrita habenda sit, & hanc ipsam pœnam antiquis Canonibus decretam, approbâsse videtur *Tri-*

dent. sess. 21. c. 2. de reformatione. & expressiùs Sixtus V. in motu proprio contra Clericos malè promotos, cujus initium: sanctum & salutare; apud Henriquez. lib. 6. c. 10. §. 3. in commentario libell. V. Cùm itaque in hoc c. Canones antiqui non revocentur, nisi secundùm eam partem, quatenus ordinatum sine titulo, absque ejusdem culpa, propter odium ita ordinantis suspensum esse decreverunt, sequitur eosdem Canones, in vigore suo manere, quoad alteram partem, ut sine titulo malè ordinatus per propriam fraudem, & illusionem suspensus maneat, præsertim cùm jurium correctio vitanda sit, & ultra proprium casum non extendenda, sicuti etiam docui *lib. 5. tract. 9. c. 10. n. 6.*

6 Dubitatur secundò. An dictam suspensionem incurrat Clericus, si ei, qui donationem, aut sustentationis promissionem fecit ad Ordines, eandem remittat. Resp. & dico primò, si remissionem faciat post ordinationem, non incurrit suspensionem, cùm enim talis renuntiatio irrita sit, juxta *Trident. concil. cit. c. 2. verbis ijs: nullatenus possint:* quæ nullitatem actûs ipso jure inducere tradit *Gl. recepta in auth. si qua mulier V. nullatenus. C. ad S. C. Vellianum*, sequitur, quòd nullum effectum patere possit, *teste Navar. Concil. 17. de temporibus ordinationum. edit. 2. Quaranta cit. loco. Flamin. lib. 2. de resignat. q. 6. n. 16.* Secùs dicendum videtur, si remissio donationis absolutè factæ, fiat ante ordinationem, quia Trident. non omnem alienationem, aut remissionem patrimonij, vel pensionis annullat, sed eam tantùm, quæ fit post ordinationem.

Dico secundò. Si Clericus ante ordinationem dicto modo paciscatur, cum Episcopo, Prælato, aut Parocho, qui eum ad titulum beneficij sui præsentavit, quòd videlicet nihil ab ipso accipere, vel petere velit, ordinatus incurrit suspensionem ab Ordine susceptо, *c. per tuas. 37. & c. penult. de Simonia.*

Dico tertiò. Si quis donationem aut sustentationis assignationē ad Ordines accipiendos fictè sibi fieri patiatur, paciscendo videlicet, quòd nihil dari debeat, videtur suspensionem incurrere. Ita *Navar. in Man. c. 27. n. 158. Suarez. cit. disp. 31. suspensione 7. n. 36. contra Quarantam fol. 491. Toletum lib. 1. c. 48. suspensione 5.* Hæc responsio fundari debet in eo, quòd suprà probabiliter dixi, Clericum, qui cum titulo ficto, seu nullo ordinari se facit, suspensionem incurrere, de quo videri potest *Sanchez. lib. 6. de matrimonio, disp. 33. n. 7.* At verò *ex cit. c. per tuas & c. penult.* satis non probatur, quia jura illa non loquuntur de quolibet præsentatore, aut donatore, sed de præsentatore beneficiario, qui ad titulum beneficij sui Episcopo ordinandum, offert, cum illicita illa pactione, seu renunciatione.

Notandum quintò. Si Episcopus Cle- 7
ricum sine titulo ordinavit, non tantùm ipse, sed & Successor ejus, necessaria vitæ ipsi ministrare debet, donec beneficium consequatur, sicuti explicavi *in c. 4. hoc tit.* Ratio est, quia si Episcopus aliquem ordinet in sacris, qui alium titulum, vel sustentationem non habet, censetur se obligare; imò secundùm Canonis hujus institutionem obligare se debet, quòd ex mensa sua eum alere velit, quæ obligatio, cùm reale onus mensæ Episcopalis sit, ad Successorem transit, sicuti rectè hìc notat *Gl. Marginalis, & Abb. n. 11.*

Corollarium. Non bene docet *Hostiensis hìc, & alij*, quos sequitur *Henriquez. lib. 10. c 17. §. 4.* Si Episcopus Episcopatui renunciavit, vel ad aliam Ecclesiam translatus est, eo mortuo hæredes ex bonis Episcopi patrimonialibus potiùs, quàm Successorem in Episcopatu obligari ad sustentationem ordinatis sine titulo conferendam: cùm enim obligatio realis sit, & non personalis, sequitur Episcopales reditus, & non ordinantis personā obligari. Verùm in defectū, si videlicet Episcopatus non sufficiat ad

alendum,

alendum, tunc dici potest, quòd Episcopus, si in culpa aliqua fuit, ejúsque hæredes ex patrimonialibus alere cogantur.

CAPITULUM XVII.

Inter.

Paraphrasis.

H. & G. Canonici resignârunt præbendas suas, causâ permutationis, quæ authoritate Papæ fieri deberet; verùm Episcopus Laudunensis præbendam, quæ erat dicti G. Magistro I. P. contulit, cùm tamen juxta formam permutationis, & Pontificis mandatum, conferenda esset ipsi H. Quam ob rem cùm inter P. & H. contentio orta esset, Papa Cælestinus III. quæ acta fuerunt, retractavit. Hìc autem Successor ejus Innocent. III. mandat Episcopo, ut nulli deinceps vacantem, vel vacaturam præbendam conferat, donec Magister P. beneficium assecutus sit, adeò ut irrita esse debeat collatio alteri facta; decet enim, ut qui præbendam alicui, quam de jure non potuit, assignavit, eam, quam de jure potest, assignet, ne alioquin delusisse videatur.

Summarium.

1. *Beneficia, quæ causa permutationis in manu Ordinarij resignantur, alijs conferri non debent, nisi resignantibus.*
2. *Conferens alicui ignoranti, & bonam fidem habenti beneficium, quod conferre se non posse scit, debet ei, cùm primùm potest, aliud beneficium conferre.*
3. *Valet Collatio præbendæ, si facta fuit illi, qui posteriùs v. g. in Canonicum receptus est.*

1 NOtandum primò. Beneficia, quæ in manu Ordinarij resignata sunt, causâ permutationis, alijs conferri non possunt, nisi permutantibus. Ratio est, quia permutantes non omnino absolutè resignant, sed cum adjecto modo, ut permutantibus conferantur beneficia resignata. Quia tamen ea ita resignata verè vacant, eò quòd titulus & possessio per renunciationem abdicatæ sint, sicuti ex communi docet *Flaminius lib. 11. q. 5. n. 20. p. 3. & c. unico de rerum permutatione in 6.* ideo olim dubitatum fuit, num collatio beneficij facta alteri, ipso jure irrita esset, quod dubium postea sublatum est *in Clement. unica eodem tit.* atque decretum, ut beneficij permutati collatio facta alteri, præter permutantes, nullius roboris existat.

2 Notandum secundò. Si collator alicui ignoranti, & bonam fidem habenti beneficium conferat, quod scit se conferre non posse, debet, cùm primùm potest, ei aliud beneficium validè conferre. idem habetur *in c. 3. causa 7. q. 1. ubi Gl. ait, si concedo alicui Ecclesiam, quæ ab eo evincitur, debeo ei aliam concedere, nam adjuvari nos beneficio, non decipi oportet. L. in commodato 17. §. sicut ff. commodati.*

Objicitur. Quòd donator, si rem donavit, statim tradendo, de evictione nõ tenetur, secùs si à promissione cœpta est donatio, sicuti tradit *Gl. recepta in L. ad res. 62. ff. de ædilitio edicto & DD. in L. 2. C. de evictionibus.* atqui collatio beneficij potiùs traditionem continet, quàm promissionem, cùm proviso jus in re, & quasi dominium per eam acquiri debeat. Resp. Collationem beneficij non esse propriè donationem, cùm ad eam faciendam, saltem indeterminatè, non autem respectu certæ personæ, collator obligatus sit, sicuti bene notavit *Gl. in c. relatum 9. V. liberaliter hoc tit.* & ideò secundùm æquitatem specialiter decretum fuit, ut si collator alicui, quod non potuit, beneficium scienter contulit, aliud quod potest, conferre mox teneatur, ne cum beneficio suo delusisse censeatur. Accedit, quòd etiam liberalis donator donatario de dolo obligatus sit, sicuti docet *Gl. in cit. L. ad res argum. l. 1. C. de jure dotium.*

Corollarium. Si collatores præbendam non conferant illi, qui priùs receptus fuit in Canonicum, sed posteriùs recepto, aut extraneo, valet collatio, *argument. cit. c. relatum & c. dilectus 27. hoc. tit.* Sed Collatores Canonico priùs recepto interim, donec præbendam acquirat, providere debent ex Ecclesiæ reditibus, prout docet *Innocent. in c. statuimus de majoritate. Abb. hic. n. 6. argument. cit. c. dilectus.*

CAPITULUM XVIII.

Cum jam dudum.

Paraphrasis.

Cùm in discordia electus esset Joannes in Præpositum Ecclesiæ Siclunensis, quidam Canonicus opposuit se coram Innocent. III. multa proponens contra Joannem, videlicet quòd plures dignitates, & beneficia obtineret, non sine ambitionis, & avaritiæ vitio, & quòd his non contentus ad dictam præposituram se ingerat, & ingesserit; item quòd intrusus ante confirmationem acceptam ministrare præsumpserit; imò etiam post confirmationem cassatam à judicibus posterioribus. Eapropter mandat Papa Episcopo Tornacensi, ejusdémque Ecclesiæ Cantori, si causâ cognitâ repererint, Joannem plures dignitates, vel præbendas obtinere, vel aliud ex objectis, quod ad electionis cassationem sufficere possit, verum esse, tunc Joanni super præpositura silentium imponentes, Ecclesiam Siclunensem ab impetitione illius absolvant, quia multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in judicium, exigente justitia tolerari non debent.

Summarium.

1. *Qui sine legitimo titulo se immiscet administrationi beneficij, intrusus dicitur.*
2. *Multa tolerat Superior, & motu proprio non emendat, de quibus tamen, si per querelam ad eum deferantur, ad instantiam partis justitiam administrare debet.*
3. *Et hinc non omnis taciturnitas Superioris, approbationem hujus inducit.*

NOtandũ primò. Qui sine legitimo titulo (v. g. ante Superioris confirmationem, tametsi electus sit) ministrat in beneficio, sive ejus juribus, & officijs exercendis se immiscet, vocari solet intrusus; quod vitium intrusionis ei obest ad hoc, ut postea idem beneficium legitimè consequi non possit, nisi factâ intrusionis mentione, prout *Abb. notat, & docui lib. 4. tract. 2. c. 15. n. 3.*

Notandum secundò. Superior multa tolerat, atque motu proprio non emendat; sin autem quispiam querelam deferat, judiciúmque petat, tunc ad instantiam partis cogitur justitiam administrare. Hic est sensus verborum hujus Capituli finalium, per quem Pontifex occurrit tacitæ objectioni, quòd multi ad plures dignitates, aut beneficia (quorum unum, aut pauciora, ad sustentationem vitæ sufficerent) promoveantur, & tamen promotio eorum Apostolicâ Authoritate non impediatur, aut cassetur: id enimverò ideò fit, quia tametsi Papa fortasse sciat hæc, tamen non approbat, quamvis etiam per authoritatem suam non impediat, sed per patientiam toleret, donec causa in judicium deducatur, ut ex officio teneatur implorantibus justitiam ministrare.

Corollarium. Non omnis Superioris taciturnitas seu tolerantia dispensationem, aut consensum approbativum inducit, nam interdum ideò tacet, & dissimulat, quòd facilè impedire non possit; quare talis tolerantia permissiva tantùm est, non approbativa. Ita *Gl. finalis hic, & videri possunt Hostien. Ioan. And. Abb. in fine capituli.*

CAP.

CAPITULUM XIX.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Linconiensis Episcopus ex mandato Cælestini Papæ Tito Canonico præbendam contulit; quem cùm Capitulum contumaciter recipere recusaret, Judices à Papa delegati interdictum Ecclesiasticum in Capitulum retulerunt, quod & Innocent. III. Cælestini Successor, tanquam legitimè latum observari præcepit Premensi Archiepiscopo causâ istâ commissâ. Sed cùm idem Archiepiscopus (qui etiam tunc Prænestinus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus erat) contra Capitulum nihil proficere posset, author fuit compositionis inter Episcopum, & Canonicos Linconienses, ita conceptæ, ut Titus in Canonicum receptus, stallum in choro, & divinorum officiorum usum haberet, sed fructibus præbendæ careret, usque ad proximè vacaturam præbendam. Hoc cognitò, Innocent. III. hic scribit ad Archiepiscopum, & Archidiaconum Senonenses, dictum Legatum aliquatenus contra Sanctiones Canonicas egisse, & ideò quod ab ipso illicitè factum est, se cassaturum; quod autem actum rectè, approbaturum esse. Quare cùm Titum Clericum in Canonicum receptum esse Canonibus non adversetur, at verò vacaturam expectare præbendam Lateranensi Concilio contrarium sit, ideò illud, quòd à Rhemensi Archiepiscopo, eodémque Legato Apostolico rectè ordinatum fuit, se approbare, hoc posterius verò improbare. Cæterùm quia indignum videtur, ut receptus in Canonicum præbendæ beneficio destitutus sit, mandat supra dictis Archiepiscopo & Archidiacono Senonensis Ecclesiæ, ut Linconiensem Episcopum, & Capitulum, remotâ appellatione, compellant, ad præbendam ipsi Tito, cùm se facultas obtulerit, conferendam, eidémque quotidianas distributiones, quæ in eadem Linconiensi Ecclesia sunt, sine diminutione provenire curent.

SUMMARIUM.

1. *Pactio de proximè vacatura præbendæ obtinenda, si cum aliquo in Canonicum recepto facta fuit, irrita est, nisi fiat eo modo, quo de jure communi tali receptioni inest.*
2. *In transactione, vel alia dispositione, si plures articulos contineat, à se invicem separabiles, & independentes, quorum unus sit possibilis, alter impossibilis, tunc utile per inutile non vitiatur, nisi mens pacisicentium velit uno corruente, etiam alterum corruere.*
3. *Potest etiam, si uterque articulus sit possibilis, & unum pars transigens servare nolit, altera etiam pars à transactione tali recedere.*
4. *Receptus in Canonicum, quamvis nullam adhuc præbendam habeat, jus tamen habet in Capitulo, in Choro, & distributiones quotidianas percipiendi, si tamen qualitates ad hoc requisitas habeat, & consuetudo recepta non aliud jubeat.*
5. *Potest tamen petere implorato judicis officio, ut sibi postmodum vacans præbenda conferatur.*

NOtandum primò. Si quis in Canonicum recipiatur eo pacto, seu facta promissione, ut proximè vacaturam præbendam obtineat, irrita est hæc pactio, seu obligatio *c. 2. de concessione præbendæ. & c. 2. eodem tit. in 6.*

Objicies. Collatio Canoniæ, seu juris spiritualis, in Ecclesia fieri potest, adjectâ eâ conditione, quæ de jure inest, juxta ea, quæ docui *in c. signatum 11. hoc. tit.* atqui spectato communi jure in Canonicum recepto præbenda debetur, quæ proximè conferri potest, ut hîc dicitur; ergo cum tali conditione fieri potest collatio. Confirmatur *ex c. relatum 9. hoc. tit.* ubi

etiam docui talem promissionem factam à Collatore non esse illicitam. Respond. promissionem præbendæ conferendæ ita fieri posse recepto in Canonicum, sicuti ea tali receptioni, spectato communi jure, inest, idque rectè probatur ex *cit. c. relatum.* At verò hîc aliter fiebat promissio, veniebat enim in pactum compositionis, ut proximè vacatura præbenda debeatur recepto, ad eámque, cùm vacaverit, determinatè petendam, ex præcedente collatione, seu promissione, verum jus habeat: id verò in Jure Canonico non continetur, sed prohibetur.

2 Notandum secundò. Si in aliqua transactione aliáve dispositione diversi articuli positi sint, unus possibilis, & alter impossibilis, de jure, aut de facto, ita tamen constituti, ut unus ab altero independens, & separabilis sit, tunc locus est juris regulæ 37. in 6. utile per inutile vitiari non debet, prout *Imola hic admonet n. 5. Abb. n. 6.* Limita. Nisi mens sit transigentium seu paciscentium, ut uno ruente articulo, tota dispositio ruere debeat, tunc enim articuli cõnexi censentur, saltẽ secundùm intentionem transigentium, quæ debet esse mensura, & norma dispositionis, quandoquidem actus voluntarij agentis, ultra ejus intentionem se extendere non potest.

3 Deinde locutus sum de articulo impossibili; secus est dicendum, si possibilis sit, & pars transigens eum servare nolit, aut postea violare parata sit, tunc pars altera à transactione resilire, eúmve rescindere potest, juxta doctrinam *Gl. in c. 3. de jurejurando*, quòd fidem violanti fides servanda non est: & videri potest de hoc *Martin. Mager in tract. de Advocatia c. 16. n. 234. & seqq* ubi pluribus relatis docet si pars una, vel in minimo articulo transactionem, aliúmve innominatum contractum implere intermittat, quòd altera pars resilire possit, tametsi contractus, aut transactio jurata fuerit.

4 Notandum tertiò. Hoc ipso, quòd aliquis in Canonicum recipitur, etiam sine præbenda, consequitur jus in capitulo, in choro, & distributiones quotidianas, prout dixi *in cit. c. relatum.* Necesse tamen est, ut habeat qualitates, videlicet ætatem, & Ordinem sacrum requisitum ad vocem capitularem. *Clem. 2. de ætate & qualitate* &c. Et dixi *lib. 4. tract 2. c. 14. in principio.* Consequenter cùm habeat jus chori inter Canonicos, percipere debet distributiones; *argum. hujus Capituli, & notat Abb. hìc notat. ult.* idque spectato jure communi, quamvis aliter per consuetudinem obtineri possit, sicuti notavi *in c. cum M. 9. de constitutionibus*, & videri potest *hic Imola n. 6.*

Notandum quartò. Si quis in Canonicum receptus est sine præbenda, cùm primùm præbenda canonicalis vacaverit, implorato judicis officio, petere potest, ut sibi provideatur. Ita sumitur *ex hoc. c.* & docui *in cit. c relatum*, & tradit hic *Innocent. n. 5. Abb. n. 7.* ubi monent, tametsi talis Canonicus determinatè jus non habeat ad hanc præbendam, habere tamen jus in genere, ut ipsi provideatur, cùm primùm fieri potest, sive ex reditibus excrescentibus, seu abundant bus, juxta *cit. c. cum M.* Sive cum vacaverit præbenda canonicalis, ut potiùs sibi, quàm alteri non habenti jus Canoniæ, aut quia postea receptus est, conferatur. Hoc autem casu, ait *Gl. hic V. reprobantes*, quam sequitur *Abb. n. 7.* quòd Jus Canoniæ, quod erat merum, seu præbenda carens, pereat, & extinguatur, Canonicus autem ille canonicale beneficium, quod modò vacat, consequatur. Contrarium verò tenent alij apud *Imola hic. n. 11.* Videtur mihi distinguendum, utrùm Canonicus sine præbenda receptus sit ultra numerum, eo adjecto, ut sit supernumerarius, seu veluti exspectans, donec ipsi provideri possit; hoc casu rectè ait *Gl.* quòd mortuo Canonico antiquiore vacat canonicatus ejus, & supernumerario, extinctâ ejus Canoniâ, conferri debet. An verò Canonicus absolutè receptus sit propterea, quòd etiam Canonicorum numerus determinatus 5

tus sit v. g. ut viginti quatuor sint Canonici, & viginti eorum præbendas haberent. Hoc casu Canonia nuper recepti, non extinguitur, sed consolidatur, & impletur præbendâ. At verò Canonia Canonici mortui jure præbendæ, veluti evacuata vacat, & alteri conferri solet. Qui discursus tunc maximè locum habet, si præbendæ (seu præbendales reditus) in uno communi cumulo sint suo tempore ab Oeconomo inter Canonicos dividendæ, ut singulis portio congrua, ac debita obveniat, prout hic *Innocent. explicat. n. 5.*

CAPITULUM XX.

Tuæ.

Paraphrasis.

Cùm non rarò contingeret, ut vacante præbenda propter pretentium importunitatem, duo ad eam instituerentur, considerans Innocent. III. si duo eandem præbendam simul obtineant, id adversari Concil. Turonensi præbendarum divisionem prohibenti; sin autem unus solus receptorum, præbendam obtineat, alter autem sub expectatione maneat, hoc Lateranensi Concilio adversari, ideo decernit Papa, talem duorum ad unam vacantem præbendam electionem, seu receptionem, secundùm juris rigorem esse cassandam.

Summarium.

1. *Præbenda vacans non potest duobus simul conferri.*
2. *Quæ secundùm exactam juris determinationem observantur, rigor juris nonnunquam dicuntur.*

1 NOtandum primò. Si præbenda vacet, non potest ea duobus simul conferri. Ita etiam habetur in *c. dilecto 25. hoc. tit.* vel enim ita confertur, ut uterque fructuum portionem percipiat, tunc sectio beneficij fieret, quæ prohibita est, nisi fiat præcedente Capituli consensu, imò etiam, interveniente facto divisionis, ita ut sint duo beneficia distincta, prout Innocent. & alij docent *in c. Majoribus 8. hoc. tit.* vel ita conferretur, ut unus omnes fructus percipiat, alter verò jus exspectativæ habeat, id verò repugnat Concil. Lateran. *in c. 2. de conces. præbenda*, ubi tales exspectativæ sublatæ sunt.

2 Notandum secundò. Juris rigor interdum appellatur, quod secundùm exactam juris determinationem, ac veluti apices ejus, verum est. Eodem modo sumitur *in c. super litteris 20. de rescriptis.*

CAPITULUM XXI.

Nisi.

Paraphrasis.

Vacante quodam Prioratu duo electi fuerunt. Hinc orta inter eos controversia, judicibus delegata fuit; in hos partes compromiserunt; judices hi, sive arbitri pro bono pacis statuerunt, ut unus electorum prioratum haberet, alter verò 20. libras annuatim ex Capituli reditibus, & 40. ex proventibus prioratûs perciperet. Hoc intellecto, scribit Innocent. III. quòd hanc compositionem suspectam haberet, nisi viri providi & honesti essent tam ij, qui ita ordinaverunt, quàm ij, circa quos ordinatio facta est; quare ita Papa discurrit, quòd uni electorum post longam disceptationem prioratus assignatus sit, id ex jurisdictione delegata secundùm justitiam, statutum videtur. Quòd verò alteri tot libræ ex Capituli, & Prioratûs reditibus, assignatæ fuerint, id ex arbitraria potestate præceptum videri debere, cùm judices delegati, in quos partes compromiserunt, retenta jurisdictione delegatâ, id pro bono pacis, & utilitatis se ordinâsse profiteantur. Quia igitur ordinatio ista ab omnibus recepta est, atque Prior & Capitulum licitè possunt ob causas dictas provisionem illam librarum, non quidem ex partium pactione, sed ex judicum arbitrorum

bitrorum dispositione, præstare; ideò illam permittit Papa cum hac moderatione, ut ad præstationem librarum 40. non dignitas prioratûs obligata sit, sed persona prioris, ne alioquin in proventibus prioratûs sectio aliqua contingat, & ita Priore isto defuncto Successor ejus, ad quadraginta libras non tenebitur.

SUMMARIUM.

1. *In dubio, num aliquid legitimè factum fuerit, propter honestatem ac prudentiam personæ agentis quandoque præsumptio fieri potest, pro honestate & justitia actûs.*
2. *In Judicem delegatum compromitti potest, tanquam in amicabilem compositorem, ut judiciariam potestatem non deponat.*
3. *Potest Judex delegatus, si duo coram eo litigent, super beneficio, pro bono pacis uni adjudicare beneficium, ita tamen, ut alteri danda pensione gravetur.*

1 NOtandum primò. In dubio, num aliquid justè, ac legitimè actum fuerit, propter honestatem ac prudentiam personæ agentis, quandoque præsumptio fieri potest de justitia actûs. Ita *Gl. hic, argum. c. ult. causa. 9. q. 2.* exempla dat *Abb. hic. n. 3.* quòd citatio, tametsi injustitiam præseferat, si tamen aliqua ratione justificari possit, justa interdum præsumi possit, si judex providus, ac circumspectus in citando esse soleat. Item si Clericus afferat formatas, ex quibus constet, eum esse ordinatum Sacerdotem, præsumptio fieri potest de inferioribus Ordinibus legitimè acceptis, si credibile sit, quòd dans formatas pro consueta sua providentia Clericum non ordinasset sacerdotem, nisi priùs facta inquisitione de prioribus Ordinibus, secundùm *Innocent. in c. 1. n. 3. de Clericis peregrinis.* Denique quòd solennitas extrinseca intervenerit, v. g. capituli consensus, præsumptio interdum fieri potest, ex probitate, aut peritia personæ exercentis actum.

2 Notandum secundò. In judicem delegatum compromitti potest tanquam in amicabilem compositionem, & ita quidem, ut judiciariam potestatem non deponat, sed utrâque uti possit: quare quod secundùm juris terminos decreverit, id ex judiciaria potestate orietur; quod verò præter & contra juris terminos, pro bono pacis & concordiæ ordinaverit, id tanquam arbitrator ex vi compromissi voluisse putandus est. Ita *Abb. hic, n. 5.* & videri potest textus & *Gl. in authentica, ut differentes judices, &c.*

3 Notandum tertiò. Si duo litigent super beneficio coram judice delegato, potest is ex partium consensu, aut compromisso pro bono pacis, & concordiæ, atque ut à lite recedatur, partem, cui beneficium adjudicatur, pensione gravare, solvendâ alteri parti. Verùm tale onus pensionis personale esse debet, & non impositum beneficio ipsi. Ut hîc dicitur & in *c. de caetero 5. de transactionibus*, ubi id docui *nota n. 2.* Ratio dari debet, quia si beneficio tale onus imponatur, id cedit in præjudicium collatoris, videlicet Episcopi, quare cum ejus consensu, aut si ipsemet Episcopus, seu Ordinarius pensionis designationem, pro bono pacis decernat, etiam beneficio imponi poterit, ita ut obligatio ad Successorem transeat, sed non ultra vitam pensionarij, id est ejus, cui pensio datur, prout docui *lib. 4. tract. 2. c. 18 n. 3.*

CAPITULUM XXII.

Pro illorum.

PARAPHRASIS.

Innocent. III. mandaverat Burdegalensi Archiepiscopo, ut Magistro P. in aliqua sua Ecclesia, ubi expedire videretur, competens beneficium conferri curaret, contradictores Ecclesiasticâ censurâ compescens; is Decano, & Capitulo Santonensi

nensi Apostolicâ Authoritate mandavit, ut P. in Canonicum fratrem reciperent. Cùm verò Canonici Santonenses repugnarent, privilegium de numero quadragenario Canonicorum opponentes; Archiepiscopus autem intelligeret, ipsos hoc privilegij (quippe à quo antea recesserant) prætextu, mandatum Pontificis eludere velle, Magistrum P. de præbenda, & Canonia Santonienſis Ecclesiæ investivit, contradictores vinculo excommunicationis subijciens. Hoc intellecto Papa respondet, quæ ab Archiepiscopo circa M. P. rectè facta sunt, velle se, ut firmitatem obtineant. Quare mandat hic quibusdam, ut si ipsis constiterit, Canonicos Santonenses privilegium, seu indulgentiam concessam, de certo Canonicorum numero non servâsse, sed ultra eum, propriâ authoritate, aliquem antehac recepisse, latam ab Archiepiscopo in ipsos excommunicationem, tamdiu, sublatâ appellatione, denuncient servandam esse, donec dictum Magistrum in Canonicum recipiant, eique ea, quæ ad Canonicos pertinent cum stallo in Choro, & loco in Capitulo assignent, quandoquidem legem Pontifici objcere non debent, quam ipsimet servare negligunt.

Summarium.

1. *Privilegium tollitur absolutè, si actus, per quem contraventur privilegio, totaliter illi contrarius est, viâ tacitæ renunciationis; non autem si tantùm secundùm partem contrarius sit, in casu v. g. privilegij tractum successivum habentis.*
2. *Potest tamen Pontifex, si capitulares à privilegio suo semel recesserunt, per plenitudinem suæ potestatis illi derogare, vel in totum revocare.*

Glossa hic V. authoritate. Abb. n. 4. Imola n. 5. argum. hujus capituli notant, quòd privilegium concessum personæ, aut communitati, unicâ contraventione, seu actu contrario tollitur. Sed hæc doctrina ex textu nostro non colligitur, uti postea apparebit, neque in se vera est, universim loquendo, sed distinguendum cum *Franc. Suarez lib. 8. de leg. c. 35. n. 12.* Si enim actus sit totaliter contrarius, tunc absolutè tollitur privilegium, viâ tacitæ renunciationis: id verò accidit, si usus privilegij tractum successivum non habeat, sed veluti in indivisibili consistat, juxta casum *capituli cùm accessissent 8. de constitutionibus*; ubi statutum capituli de dignitate primicerij extinguenda, à Papa confirmatum, unica contraventione, seu primicerij creatione, extingui censetur, ita ut ad pristinam Ecclesiæ consuetudinem redeatur; sin autem actus non sit totaliter contrarius privilegio (eadem ratio est de statuto) sed secundùm partem, quia videlicet usus privilegij tractum successivum habet, tunc privilegium absolutè non tollitur, sed secundùm partem tantùm, videlicet actum illum. Exemplum habemus apud *Innocent. in c. accedentibus in principio de privilegijs*, ubi ait *argum. ejus textûs* Si Monasterium semel decimas solvat, quòd non ideò censeatur renunciare privilegio immunitatis, sed eam solutionem facere ob aliam causam v. g. scandali, aut litis vitandæ, consequenter per unicam eam solutionem privilegium non tollitur; quamvis, si protestatio nulla fiat, nec aliundè appareat, solutionem non fieri tanquam ex debito, Parochus, cui solvitur, per eam incipiat esse in possessione decimandi, ita ut præscriptio inchoetur, & tempore legitimo videlicet 40. annis, contra Monasterium absolvat, uti habetur *in eodem c. accedentibus.* Ratio traditæ doctrinæ reddi debet, quia renunciatio privilegiorum, jurium, commodorum, & statutorum, strictæ interpretationis esse debet, & in dubio non præsumenda, prout ex communi docet *Rota Roman. decisione 2. de renunciatione. alias decisione 287. Mascar. de probationibus, con. 1263. Suarez cit. c. 35, n. 12.* Quare

ait *Abb. in c. ad audientiam. n. 3. de ijs quæ vi:* quòd modica conjectura sufficit, ad tollendam præsumptionem renunciationis.

2 Notandum. Ex *c. ifto* colligi potest, si Capitulares à privilegio suo, vel speciali statuto, per Pontificem confirmato, v. g. de certo Canonicorum numero, una vice recesserunt, Pontifex justam causam contraveniendi habere censetur: ubi adverte, tametsi Papa, qui tale privilegium, vel statuti confirmationem, per quam veluti Jus aliquod acquisitum censetur, personæ, vel communitati concessit, per plenitudinem potestatis suæ possit illi derogare, vel in totum revocare, tamen non facili de causa soleat, quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum, *Reg. 16. in 6.* præsertim, si per tale privilegium, vel statutum, status Ecclesiæ constitutus censeatur; veruntamen si ipsimet, quibus concessio facta, recedant, & non omnino servent, tunc etiam Princeps, seu Papa justam contraveniendi causam habet, partim propter rationem, quæ in textu indicatur, æquum non esse, ut princeps statutum servare teneatur, à quo inferiores, seu subditi recedunt; partim, quia eâ ipsâ recessione significant, non adesse necessitatem servandi statuti.

CAPITULUM XXIII.

Tuis

Paraphrasis.

Clerici constituti in minoribus tametsi beneficium non obtineant, habentes tamen ex patrimonialibus bonis congruam sustentationem vitæ, ad Sacros Ordines ab Episcopo, si aliud Canonicum impedimentum non obstet, assumi possunt.

NOtandum. Clericus in sacris potest ordinari super titulo patrimonij, si id sufficiens sit ad personæ sustentationem. Vide, quæ docui *in c. 4. hoc. tit.*

* *
*

CAPITULUM XXIV.

Accedens.

Paraphrasis.

Beneficium Ecclesiasticum Clerico absenti conferri potest, per intermediam personam.

Summarium.

1. *Beneficium absenti duplici modo conferri potest, vel ut nullo modo interveniat persona media: quo in casu valida quidem est collatio, ex parte conferentis; suspensa tamen manet, dum accipietur ab eo, cui collatio taliter facta est.*
2. *Vel conferri potest absenti per intermediam personam, loco absentis acceptantem; quo in casu si persona intermedia acceptans consanguinea v. g. sit, vel utilis negotiorum gestor, valet collatio ex parte conferentis, etiamsi mandatum nullum intervenerit; si alia tamen persona acceptans, extranea v. g. sit, speciale mandatum de beneficio acceptando requiritur, ut valida sit pro absente collatio.*
3. *Possunt etiam duæ esse verborum formæ, si per procuratorem alicui conferatur beneficium; magis tamen hoc Capitulo commendatur forma, qua in principalem dirigitur collatio, confero v. g. Titio, cujus tu procuratore magis, beneficium.*
4. *Potest tamen procurator, qui nomine Clerici in beneficio investitur, esse Laicus.*

PRo intellectu adverte, quòd beneficium duobus modis conferri possit absenti, Primò ut nulla persona interveniat: hoc casu collatio valida est ex parte collatoris, ita, ut eam revocare non possit; eatenus autem in suspenso posita, quia nondum jus acquisitum est proviso, donec is sciens acceptârit. *c. si tibi absenti 17. hoc tit. in 6.* Et procedit hæc doctrina in omni electione, aut

aut provisione, etiam ad sæcularem dignitatem, vel administrationem, si ab aliquo facta sit, ex necessitate, sive officij obligatione, quia eam vacantem alicui conferre debuerat, quòd revocare non possit electionem, aut collationem factam absenti, quia officio suo functus censetur, sicuti docet *Bart. in L. absenti n. 2. ff. de donat. Covar. lib. 3. resolutionum c. 16. n. 1. Sanchez. lib. 3. de matrimonio. disp. 36. n. 4.*

2 Secundò conferri potest beneficium, intermediâ personâ, quæ loco ejus acceptet. Hoc casu distinguendum: vel enim persona v.g. amicus, aut consanguineus, tanquam utilis negotij gestor, acceptat sine mandato, hoc casu jus in beneficio non acquiritur absenti, priusquam is, re intellecta, ratum habeat, quod suo nomine gestum est juxta *L. si ego 24. juncta Gl. ff. de negotijs gestis. & tradit Gl. in c. quam sit 6. V. petere de electione in 6. Francus in cit. 4. si tibi absenti. n 3. cum Gloss. ibidem V. habueris*: vel persona nomine absentis collationem acceptans, mandatum habet, & quidem speciale ad beneficium acceptandum in specie, aut in genere, & tunc versamur in casu hujus Capituli, dicendúmque, absenti per talem collationem, aut investituram acquiri jus, & quasi dominium in beneficio. Et hoc est primum notandum hujus Capituli, cui addi debet, quòd etiam acquiritur possessio absenti, si investitura non tantùm verbalis sit, sed realis, per quam actualis possessio transfertur, nam quod absenti per procuratorem possessio acquiri possit, constat ex *L. 1. §. per procuratorem. ff. de acquirenda possessione & L. 1. C. eodem.*

3 Notandum secundò. Si beneficium absenti Titio in persona procuratoris conferendum sit, duæ possunt esse verborum formæ. Primò, ut dicatur: Confero Titio Beneficium per te: Secundò. Confero tibi Beneficium loco Titij. Et iste modus posterior magis commendatur in textu hujus Capituli, & *Bart. in L. quæ mihi n. 7. ff. de donationibus*, ubi etiam rectè admonet, quòd procurator in hoc casu habeat se veluti nuncius, ac nudum ministerium exhibens, juxta *L. quod meo 18. versu procurator. juncta Gl. V. præstat ff. de acquirenda possessione.* Sin autem verba contractûs, aut provisionis in procuratorem ipsum dirigantur, tunc ipsi actionem acquiri, quæ non nisi cessâ in principalem transferri possit, civilia jura significant, prout tradunt *DD. in cit. L. possessio & docui lib. 3. tract. 4. c. 26. n. 14.* Cùm autem tali cessioni jurium, & actionum, locus non sit in Ecclesiasticis collationibus, & investituris, multóque minùs in matrimonio carnali, aut spirituali, ideò, si talia per procuratorem fiant, congruum est, ut verba non absolutè in procuratorem dirigantur, *accipio te in meum*, sed in procuratorem, tanquam, qui alterius locum teneat, aut in ipsum principalem, quatenus in procuratore repræsentatur, nam qui per alium facit, perinde est, ac si faceret per se ipsum. *Reg. 72. in 6.*

4 Corollarium. Nihil prohibet, quin procurator, qui nomine Clerici in beneficio investitur, sit Laicus, *argum. c. 1. de procuratoribus in 6.* Propterea, quòd jus spirituale ipsi acquiri non debeat, sed per eum, veluti canalem, seu præbentem ministerium, transire in principalem Ita notavit *Ioan. And. hic. n. 2. Abb. n. 6.* qui tamen ajunt, tutius esse, & ita consuetum, ut Clericus constituatur.

CAPITULUM XXV.

Dilecto.

Paraphrasis.

Cùm Archiepiscopus Rhemensis, Apostolicæ Sedis Legatus, G. nepoti suo beneficium providere desideraret, Cellarius Trecensis Canonicatûs sui præbendam in legatii manibus resignavit, tunc is G. nepotem, & Cellarium Canonicos Trecenses instituit, utrique dans stallum in Choro, & locum in Capitulo, atque dictæ præben-

dæ fructus inter utrumque dividendos assignavit, donec G. integram assequeretur præbendam; insuper etiam procurator Generalis Episcopi Trecensis, eo tempore, Constantinopoli versantis, receptionem illam Cellarij in Canonicum approbavit, & Cellarius postea Lectionem, & Evangelium in hebdomade sua legit; tam Decani, quàm Episcopi Successoris electioni, aliisque Capituli tractatibus, tanquam Canonicus interfuit; domum quoque Canonicalem à Capitulo obtinuit. Denique ab Episcopo electo post ejus consecrationem, ad osculum unà cum Canonicis alijs admissus fuit, nulla ipsi super Canonicatu, ab eodem Episcopo per biennium mota quæstione. Hæc ex parte Cellarij coram Auditore Papæ allata fuerunt, sed ex adverso Procurator dicti Episcopi Trecensis coram auditore proposuit, quòd ad unicum jus spirituale, eo tempore vacans, in Ecclesia Trecensi, duos Canonicos Legatus instituere non potuerit, nam ut duo unam præbendam obtineant, id Turonensi Concilio repugnare, præbendarum sectionem inhibenti; sin autem duobus receptis in Canonicum uni tantùm præbenda assignetur, altero manente sub expectatione, tunc contradicere Concilium Lateranense. Deinde licèt in Ecclesia, in qua certus Canonicorum numerus definitus non est, nullâ etiam vacante præbendâ, Canonicus institui possit, cùm censeatur ad jus quoddam eligi, quòd ex electorum consensu de novo creatur, & ipso defuncto desinat, attamen in Ecclesia, quæ determinatum præbendarum numerum habet, uno Canonicatu, tanquam individuo jure vacante, duo simul eligi non possunt, propterea, quòd tale jus spirituale dividi, seu pluribus communicari non possit. Accidit quidem interdum, ut ij, ad quos electio spectat, communi consensu augeant numerum præbendarum, jus quoddam spirituale de novo creantes, quod ipsi quidem facere possunt, si statutum non obsistat, quod juramento ab ipsis firmatum sit, vel quod à Sede Apostolica probatum, cum clausula irritante, si secus factum fuerit; cùm itaque in Trecensi Ecclesia præbendarum numerus determinatus sit, atque Capitulum, vel Legatus voluntatem non habuerit, eum numerum augere, aut jus aliquod de novo creare, hinc intulit dictus procurator, Cellarij receptionem irritam esse. Hanc verò partem controversiæ approbat Innocent. III. & idcircò Cellarium ad restitutionem eorum, quæ ratione ejus institutionis tenebat, sententialiter condemnat, ipsi super præbenda, vel portione ejus silentium imponens, ita tamen, ut per hoc suprà dicto G. præjudicium nullum gereretur, cùm res inter alios acta, alijs regulariter non obsit.

Summarium.

1. *Ex actibus, qui activè, vel passivè solis Canonicis competunt, rectè quidem ostenditur possessio beneficij Canonicalis, non tamen quasi dominium, seu Jus in eo.*
2. *Unum beneficium non potest conferri duobus, nisi collatores mentem habeant, duo distincta beneficia creandi.*
3. *Si in Ecclesia non sit numerus Canonicorum determinatus, tunc mortuo Canonico non vacat Canonicatus illius, sed cessat, & extinguitur.*
4. *Possunt tamen ex consensu communi Canonici augere præbendarum numerum, non obstante statuto, aut privilegio de certo numero per Papam confirmato.*
5. *Nisi confirmatum sit, adjectâ clausulâ irritante.*

NOtandum primum. Ex actibus, qui activè, vel passivè solis Canonicis competunt, rectè ostenditur possessio beneficij Canonicalis, sed non quasi dominium, seu jus

jus in eo, cùm beneficium Ecclesiasticum non possit licitè absque Canonica institutione obtineri. *Reg. 1. in 6.* Si tamen Clericus in pacifica & quieta possessione beneficij aliquamdiu permanserit, & ab Ordinario toleratus sit, habet juris præsumptionem pro se, ut proinde contra ipsum quoque Episcopum, impedire seu perturbare volentem, agere possit, interdicto retinendæ possessionis, neque in tali casu Episcopus eum, quem diu toleravit, cogere potest ad ostendendum beneficij sui titulum, teste *Abb. hic. n. 8.* Quod limita, nisi de novo emergat conjectura, seu præsumptio vitiosæ institutionis. Hoc casu ad titulum ostendendum Beneficiarius (si necdum cum bona fide præscripserat) cogi potest, non obstante, quòd Episcopus eum antea tolerârit, cùm vitiosè institutum, aut intrusum Episcopus, nec expresso quidem consensu, habilitare possit, multò minùs tacito, prout hìc notat *Gloss. Marginalis & Imola. n. 6.*

2 Notandum secundò. Unum beneficium non potest duobus conferri, sed irrita censetur talis collatio *c. tuæ 20. hoc. tit.* Excipe. Nisi collatores animum habeant, pro uno beneficio vacante, duo distincta beneficia creandi, prout in *cit. c. tua* dixi, & expressè habetur *in c sequente.*

3 Notandum tertiò. Si in Ecclesia aliqua numerus Canonicorum determinatus non sit, sed plures, vel pauciores instituì soleant, arbitratu Episcopi, vel Capituli, tunc mortuo Canonico, non vacat ejus Canonicatus, sed cessat, seu extinguitur *c. ex parte 10. de concessione præbendæ*, & docui *lib. 4. tract. 2. c. 16. n. 5.* Quòd si novus Canonicus instituatur, novum jus creatur, ipsique confertur, prout hìc dicitur; & idem similiter dicendum, si Canonicus super numerum definitum instituatur, ut sit supernumerarius, adeóque beneficium ejus non sit stabile, ac perpetuum, sed ad tempus vitæ ejus.

4 Notandum quartò. Canonici possunt ex consensu communi augere numerum præbendarum, non obstante privilegio, aut statuto per Papam confirmato de certo numero instituendo, sicuti ex hoc textu colligitur, & ex *c. cùm accessissent 8. & sequenti de constitutionibus, & tradit Gl. hic V. hujusmodi.* Ratio est, quia censetur tale privilegium concessum in favorem Capituli, quisque autem favori, ac gratiæ sibi concessæ, renunciare potest, *c. accedentibus 15. de privilegijs. L. si quis 29. C. de pactis.*

Excipe primò. Nisi statutum à Canonicis juratum sit: valida tamen est hoc casu receptio Canonici ultra numerum, quia actus gestus contra juramentum valet, licèt operans fiat perjurus, prout hic tradit *Ioan. And. n. 7. Bart. in L. omnes populi n. 32. ff. de justitia & jure*, & docui *l. 4. tract. 3. c. 8. n. 5.* Quin & licita erit receptio, si ratio, ac veluti formale objectum juramenti mutatum sit, aut cessârit, quia videlicet reditus Capitulares notabiliter aucti sunt, prout *hic notavit Abb. & fusiùs tradidi in cit. c. cum M.*

Excipe secundò. Nisi statutum à Papa 5 confirmatum sit, adjectâ clausula irritante. Cujus rei rationem dat *Abb. hic. n. 18. Garzias n. 12. c. 1. n. 10.* Quia confirmatio censetur emanâsse in favorem Ecclesiæ, non possunt autem Capitulares favori Ecclesiæ renunciare, aut ejus commoda tollere, prout latiùs dixi *in cit. c.* propterea, quòd juri publico, & commodis universitatis renunciari non possit, *argum. c. si diligenti. 12. de foro competenti junctâ Gl.*

Aliam rationem, &, ut arbitror, meliorem, dat *Suarez. lib. 6. de leg. c. 26. n. 22.* Quia Princeps adjiciendo talem clausulam, statutum, quod confirmat, suum facere vult, ut proinde ab inferioribus statuentibus tolli non possit, nisi ratio, ac veluti formale objectum statuti cessaverit, uti suprà dixi, & tradit *Gl. in c. ult. V. exercuisse de verborum significatione*, quòd in privilegio, aut statuto numeri confirmato, semper intelligatur, nisi notabiliter excrescant facultates &c. Sin autem talis ad se revo-

candi, seu suum faciendi statutum, voluntas à Principe non exprimatur, tunc regulariter loquendo Prmcipis confirmatio non censetur mutare statutum, illúdve avocare à proprijs statuentibus, dummodo hi legis condendæ potestatem habeant; consequenter hi statutum, tametsi ob publicum favorem factum videatur, eodem modo unà cum Episcopo revocare poterunt, sicuti alia sua statuta, prout *Suarez* tradit *loco cit.* & consentit *Bart. incit. L. omnes populi. n. 33.* Juxta quam doctrinam Regula tradenda est, quòd statutum à Principe confirmatum tolli possit à proprijs statuentibus, nisi Princeps expressè prohibuerit, vel aliquid adjecerit, quo significetur, quòd statutum suum fecerit, & mutandi potestatem inferioribus ademerit.

Notandum quintò. Si ex pluribus correis, quorum eadem causa est, unus condemnatus sit, non debet id alteri obesse ad condemnationem. Ita etiam docui *in c. penult. de appellat. not. 2.* addita exceptione, si res, circa quam sententia lata est, indivisibilis existat, v. g. communis servitus, tunc prodest, aut obest etiam alijs communem causam habentibus, prout etiam tradit *Gl. hic communiter recepta V. non obsistat.* Vide, quæ docui *in C. penult. de re judicata.*

CAPITULUM XXVI.

Vacante.

Paraphrasis.

Cùm præbenda Canonicalis vacaret, Episcopus cum Capituli consensu duos Canonicos constituit, eorum altero mortuo, præbenda ejus per Apostolicæ Sedis authoritatem collata est Hyppolito; is super præbenda sua integranda litteras Apostolicas contra Episcopum postea impetravit, sed & alter præbendatus simili jure adversus Episcopum se uti perhibuit. Circa hunc casum, respondet Innocent. III. cùm Turonense Concilium præbendarum sectionem prohibuerit, Episcopum obligatum esse, ex beneficijs, quæ vacaverint, integrare præbendas, præterquam, si ob causam rationabilem, ex vacante præbenda, duæ præbendæ constitutæ fuerint, atque utriusque præbendæ tot reditus sint, ut utrique de competente beneficio provisum esse censeatur.

Summarium.

1. *Potest Episcopus, cum consensu Capituli, exigente rationabili causa, beneficium, dum vacat, dividere, si reditus sufficiant pro duabus præbendis, alias præbendati ad redintegrandas suas præbendas habent actionem.*
2. *Quæ sectio beneficiorum in Concilio Turonensi prohibetur.*
3. *Quibus in casibus propter redituum augmentum præbendæ multiplicari, vel augeri possint.*

NOtandum. Episcopus cum consensu Capituli exigente rationabili causa beneficium, cùm vacat, dividere potest, ita ut ex uno duo fiant, sicuti explicavi in c. *majoribus 8. hoc. tit.* At necessarium est, ut reditus sufficiant pro duabus præbendis, alioquin malè faciet Episcopus, divisionem instituendo, atque provisi actionem habebunt adversus illum, ad integrandas præbendas, sicuti hic indicatur; suppletio autem, seu integratio fieri tunc poterit ex beneficijs adundantibus, si vacaverint, ita ut portio aliqua redituum ijs dematur, & tenuioribus adjeciatur, prout explicavi *in cit. c.* Sin autem nec ex beneficio vacante, nec alio simili modo succurrere possit Episcopus, tenebitur ex suæ mensæ reditibus interim providere, si uti dixi, malè dividendo in culpa fuit, teste *Ioan. And. hic. n. 2. Imola & Abb. n. 3.* ubi admonent, non esse necessarium, ut præbendæ noviter creatæ, sint æquales antiquis, sed satis esse, si & illæ sufficientes sint. *argum. c. ult. de consuetudine in 6.*

Corolla-

Corollarium. In Concilio Turonensi duplex sectio beneficij prohibita videtur. Prima. Si ad unum beneficium duo recipiantur, hæc provisio impossibilis censetur, atque irrita, ita ut neutri jus acquiratur. *c. tua 20. hoc tit.* Secunda. Si ex uno beneficio, eóque desinente, duo fiant, quando reditus utrique non sufficiunt: sin autem sufficientes sint reditus, & rationabilis causa dividendi adsit, tunc non tantùm validè, sed etiam licitè divisio beneficij, cùm vacat, instituti potest, prout docet *Gl. in cit. c. Majoribus V. divisionem Imola hic n. 5. Garzias p. 12. c. 4.*

Universim hîc quæri potest, an & quibus casibus propter reditum augmentum præbendæ seu beneficia multiplicari, vel de novo creari debeant. Resp. cum distinctione: vel numerus præbendarum, v. g Canonicalium, determinatus non est, tunc regula tradi debet, quòd tot instituti debent, quot ex Capitularibus reditibus, detractis alijs expensis, & oneribus, commodè ali possunt, idémque dicendum de numero Religiosorum, prout docui *lib. 4. tract. 2. c. 16. n. 1.* Vel numerus præbendarum determinatus est, tunc iterum distinguendum; num reditus præbendarum distinctarum augeantur, an verò reditus communis massæ seu mensæ capitularis. Primo casu major requiritur causa, & necessitas, ad augendum præbendarum numerum, videlicet, ut pro temporis statu appareat defectus ministrorum, & imminutio cultûs divini; item, si apparet, quòd Canonici redituum copiâ abutantur ad luxum, & res profanas: alioquin verò beneficia, si vacent, integra & sine diminutione conferri decet, cùm ijs veluti jus quoddam redituum suorum acquisitum sit, atque pertineat ad decorem Ecclesiæ, ut ministri seu beneficiarij abundantes reditus habeant ad opera misericordiæ, & charitatis exercenda, prout *hic Abb. notavit n. 5.* In altero casu sufficiens hæc causa erit præbendarum numerum augendi, si Capitulares reditus multùm augeãtur. *arg. cit. c. cum 41.*

CAPITULUM XXVII.

Dilectus.

Paraphrasis.

Clericus G. obtinuit ab Innocent. III. mandatum ad Capitulum Novariense de conferenda ipsi præbenda Canonicali, si quæ vacaret; sed Capitulum neglecto Apostolico mandato præbendam alteri contulit; eapropter G. questus est Pontifici, petens, ut quod de ipso cœpisset, exequi dignaretur, sed Capituli Procuratoror opposuit, quòd G. Clericus per subreptionem litteras papales impetrârit, falsò allegans in Ecclesia Novariensi præbendam vacare, cùm eo tempore nulla vacaret, & ideò mendax precator carere debeat impetratis. Causam hanc postea Pontifex delegavit Episcopo Vercellensi, cum hoc mandato, si ipsi constiterit, quòd eo tempore, cùm Canonici litteras Papales receperunt, præbenda vacârit, quam ipsi alteri cum elusione Apostolici mandati conferre præsumpserunt, ut dictum G. si sufficiens Ecclesiasticum beneficium non habeat, in Canonicum recipi faciat, & de reditibus Ecclesiæ annuatim ei provisionem fieri, donec præbendale beneficium consecutus sit.

Summarium.

Valida est collatio beneficij, quæ fit Clerico contra mandatum Apostolicum de conferendo hoc beneficio alij cuidam, modò collatio non fuerit facta ab ipso Pontifice, & alij tantùm executio commissa, sicuti missio in possessionem, aut præbendæ resignationem.

NOtandum. Si Clericus mandatum adferat, de conferendo Canonicatu, alióve beneficio, & collatores spreto mandato alteri conferant, valida est collatio. Qua de re dicetur *in c. si capitulo. 5. & sequente de concessione præbendæ in 6.* Sed debet illi, qui contemptus fuit, provideri de alio bene-

beneficio, uti dicitur in fine hujus cap. Alia verò ratio est, si Papa collationem beneficij fecerit, & mandatum det, de exequendo, atque in possessionem mittendo. *argum. c. si postquam is. ubi id notat Gl. V. vacaturam hoc tit. in 6.* Idémque dicendum, si Papa conferat Titio Jus Canonicatûs, cum expectatione præbendæ, primò vacaturæ: si enim postea vacans alteri conferatur etiam ab ignorantibus gratiam esse factam Titio, irrita est collatio *juxta cit. c. 13. in 6.*

CAPITULUM XXVIII.

De multa.

Paraphrasis.

In Concilio Lateranensi sub Alex. III. *c. 13.* prohibitum erat, ne quisquam plures Ecclesiasticas dignitates, aut plures parochiales Ecclesias acciperet, quòd id sacris Canonibus repugnet; alioquin si quis reciperet alterum tale, id ipsi adimendum sit, & qui ipsi contulit, conferendi potestate privandus. *c. 3. de Clericis non residentib.* Quia verò propter cupiditates quorumdam, nulla, aut exigua ex eo decreto utilitas provenit, ideò Innocent. III. *in Concil. Lateran. c. 29.* aliter decrevit, ut quicunque alterum beneficium curam animarum habens receperit, curato priùs obtento, ipso jure privatus sit; sin autem id retinere contenderit, etiam altero privetur: is verò, ad quem collatio spectat, priùs curatum post receptionem secundi liberè conferat, cui conferendum esse putaverit; sin autem intra sex menses conferre distulerit, non solùm ad alios devolvatur collatio, juxta Lateran. Concilium *c. 2. de concessione præbendæ*, sed etiam tantùm de proventibus in utilitatem ejus Ecclesiæ, cujus est beneficium illud conferre, teneatur, quantum à tempore vacationis perceptum fuit; & quod de curatis beneficiis dictum, similiter in personatibus observandum, etiamsi curam animarum non habeant, quòd nemo plures personatus aut dignitates, maximè in eadem Ecclesia habere possit. Verùm circa sublimes, & literatas personas, quæ majoribus beneficijs honorandæ sunt, si ratio postulaverit, ad Sedem Apostolicam pertinet dispensare. Videri debent, quæ docui *in c. 3. de Clericis non residentibus.*

Summarium.

1. *Constitutio pœnalis, quæ est de pœna ipso facto incurrenda, magis stringit, quam quæ est de pœna inferenda.*
2. *Qui habens beneficium curatum, personatum, aut dignitatem Ecclesiasticam, aliud simile recipit, priùs ipso jure vacat, & utroque ipso jure privatur, nisi priùs dimiserit realiter in manibus Ordinarij: qua tamen in re observanda consuetudo.*
3. *Beneficium, quod ipso jure vacat, nec propriè permutari, nec in favorem tertij resignari potest.*
4. *Extendi autem debet hæc constitutio* De multa, *ut locum etiam habeat in prioratibus regularibus, & vicarijs perpetuis, nisi dispensatio Papalis de utroque beneficio simul retinendo interveniat. Et sicut non possunt duo personatus simul haberi in diversis Ecclesijs, ita nec in eadem.*
5. *Ad quod facilius dispensatur cum literatis, & nobilibus, quibus persona literata æquiparantur.*

NOtandum primò. Constitutio, per quam pœna delinquentibus infertur ipso facto, magis constringit, & timorem infert, quàm ea, quæ decernit, pœnam à judice inferendam; & idem dicendum de præcepto Superioris, si censuram delinquenti minetur, ipso facto incurrendam, efficacius censeri, quàm si quidpiam præcipiatur, vel prohibeatur, sub censura per judicem inferenda, juxta ea, quæ dixi *lib. 1. tract. 5. p.*

p. 1. c. 2. n. 3. Decet autem, ut censura ipso facto à delinquentibus incurrenda, per jus, vel præceptum decernatur, postquam admonitiones antecesserunt, quibus paritum non est, uti hîc. Item si causa valdè gravis sit, & suspicio, quòd aliter non parebitur, nisi talis comminatio fiat, alioquin verò, si necessitas non postulet, inhumanum videtur, si præcepta inchoentur à comminatione censuræ.

1 Notandum secundò, si quis habens beneficium curatum, aut personatum, seu dignitatem Ecclesiasticam, aliud curatum beneficium, vel personatum, seu dignitatem accipiat, tunc priùs habitum beneficium curatum, vel personatus, seu dignitas, ipso Jure vacare censetur: ita ut alteri conferri possit, ac debeat. Consentit *Extravagans Execrabilis. Ioannis 22. de præbendis. §. qui verò junctâ Gl. V. simile.* Ubi adjicitur, quòd adeptus secundum tale, beneficium priùs habitum in manibus Ordinarij verbaliter, & realiter dimittere debeat, alioquin utroque ipso jure privatus extitat, atque ad sacros Ordines, & quodcunque Ecclesiasticum beneficium inhabilis censeatur. Advertit tamen *Garzias p. 11. c. 5. n. 40. Thomas Zerola in praxi p. 1. V. beneficia ad 3. propè finem.* consuetudine non observari, ut adeptus secundum, priùs habitum, resignare teneatur in manibus Ordinarij, sed ad evitandam pœnam Extravagantis *Execrabilis*, satis reputari ait *Zerola*, si Rector Ecclesiæ, v. g intra mensem à tempore assecutionis secundi incompatibilis, realiter, & cum effectu, dimittat primum, ejúsque possessionem, licèt intra dictum mensem coram Ordinario sub publico testimonio verbotenus non resignet.

3 Necessarium autem est, ut ista dimissio beneficij secundi liberè, & absolutè fiat, non in alterius favorem, aut causa permutationis, neque cum pensionis reservatione, prout ex communi tradit *idem Garzias n. 51.* Id verò certissimum est, si possessionem pacificam beneficij secundi assecutus aliquis sit, vel per eum steterit, quò minùs assequatur, prout videre licet *in cit. Extrav. §. qui verò.* Cùm enim beneficium priùs ipso Jure tunc vacet, non potest propriè resignari, sed dimissio ea tunc solùm ad factum spectat, videlicet, ut à se possessionem illius abdicet, prout annotavit *Gl. in cit. §. qui verò V. dimittere Flamin. de resignat. beneficiorum lib. 3. q. 1. n. 80. & 103.* Quandoquidem nullum jus in beneficio obtinens, non potest id renunciare. Sin autem permutatio fiat ante adeptam possessionem secundi, tunc permutatio veluti suspensa erit, quia si permutans possessionem secundi accipiat, irrita, aut retractata censebitur permutatio, & beneficium permutatum Papæ reservatum, prout docet *Garzias n. 63.* Sin autem ante possessionem secundi acceptam, cùm adhuc Jus in priore habet beneficiarius, illud causâ permutationis, aut in favorem alicujus resignet, videri poterit talis resignatio valida, sed Paulus V. Pontifex, ad fraudes ejusmodi excludendas, talem quoque resignationem in effectu irritam, & beneficia ita resignata Sedi Apostolicæ reservata esse decrevit Anno 1608. die 25. Februarij apud *Garziam n. 64.* Verumtamen si dictus beneficiarius posterioris beneficij possessionem nunquam assequatur, quia morte præventus fuit, vel pœnitentiâ ductus resignavit, tunc reservationi Papali, nullus locus esse videtur, prout resolvit *Garzias cit. c. 5. n. n. 62.* per generalem regulam: Si Papa reservet sibi beneficium, vel manum apponat in beneficio, sub certa conditione, videlicet in eventum, si secundi beneficij possessio accepta sit, tunc, non eveniente conditione, cessat reservatio: sicuti idem *Garzias* tradit *p. 6. c. 1. n. 152.* Quòd verò idem ait *in cit. c 5. n. 63.* in tali casu permutationem, vel resignationem in favorem esse valituram, hoc dictum difficulcatem habet, propterea, quia talis resignatio, vel permutatio subreptitia censenda est, quia impetrata fuit à Superiore tacito eo (videlicet alterũ beneficium incompatibile collatum esse) quod si ipsi expressum esset, permutationem, aut resignationem non

accepiſſet, vel ſaltem tali modo non accepiſſet. Quam ob rem Rota Romana in antiquis *deciſione 65. de reſcriptis, & deciſione 14. de rerum permutatione* abſolutè reſolvit; ſi Papa alicui gratiam facit de beneficio, ſub exſpectatione, dicendo in gratia, ſi tale beneficium adeptus fuerit, debeat dimittere illud, quod nunc poſſidet, non poteſt illud permutare expectans.

4 Porro dicta conſtitutio *c. de multa & Extrav. Execrabilis* ampliari debet, ut locum etiam habeat in regularibus prioratibus, prout videre eſt *in c. cum ſingula 32. hoc tit. in 6. juncta Clement. unica de ſupplenda negligentia prælatorum.* Item in parochialium Eccleſiarum perpetuis Vicarijs, aut Commendis, juxta *Clement. unicam de officio vicarij juncto Trident. Concil. ſeſſ. 7. c. 4. de reformatione.*

Limitari autē debet, niſi alterum beneficium curatum, aut perſonatus cum diſpenſatione Papæ adeptus ſit, tali modo, ut liceat utrumque ſimul retinere, tametſi fortaſſe non fuerit ſufficiens diſpenſandi cauſa, aut licèt diſpenſatio ſubreptitia fuerit, prout *ex Gomez tradit Garz. p. 11. c. 5. n. 22.* Cujus rei rationem dare poſſumus, quia collatio ſecundi ita ſubreptitiè obtenta, nulla eſt, & ideò effectum vacationis, aut reſervationis in priore beneficio non inducit, niſi quòd talis in pœnam criminis privari poſſit. Si autem Papa ſuper pluralitate talium incompatibilium diſpenſare nolit, tunc ſecundùm praxin Curiæ Romanæ adijci ſolet in collatione ſecundi clauſula, quòd priùs habitum beneficium liberè dimitti debeat, alioquin utrumque vacet, ſicuti videre eſt apud *Flamin. lib. 3. c. 1. n. 64.* Alias limitationes quaſdam legere potes apud *Abb. hic n. 12. & ſeqq. Azor tom. 2. lib. 17. c. 16. q. 9. & in Theologia Morali lib. 4. tract. 2. c. 3. aſſertione 2.*

5 Notandum tertiò, duos perſonatus, ſicuti in diverſis Eccleſijs, ita etiam, & quidem majore ratione, in eadem Eccleſia non eſt conceſſum obtinere: quare vacat prior perſonatus ſeu dignitas per adeptionem poſterioris.

6 Notandum quartò, perſonæ literatæ nobilibus, & ſublimioribus perſonis æquiparantur, eisdémque privilegijs gaudent, prout teſtatur *Gl. hic V. Sublimes & Legiſta*: idémque in Imperio Romano receptum eſt, ſaltem, ſi literati publicum in Univerſitate approbata Teſtimonium, ſeu Doctoratum aſſecuti ſint, ut verè nobiles eſſe cenſeantur, ac viris genere nobilibus æquiparentur.

Notandum quintò, cum perſonis generis claritate, vel doctrinâ præſtantibus, faciliùs ſuper pluralitate beneficiorum, etiam duplicium, & curatorum, diſpenſari poteſt à Romano Pontifice; id verò intelligendum, non quòd generis nobilitas, vel doctrina ſecundùm ſe, ac præcisè ſpectata, ſufficiens ſit cauſa diſpenſationis, ſed quòd qualitas iſta doctrinæ, vel nobilitas, in plurimis perſonis efficiat, ut Eccl. magis utiles ſint; & ideò pluribus beneficijs honorandæ, quam ob rem hæc ipſa diſpenſatio, ſeu communis Juris Canonici relaxatio, principaliter ad bonum publicum Eccleſiæ tendit, juxta ea, quæ tradit *S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 4. ad 1.*

CAPITULUM XXIX.

Grave.

PARAPHRASIS.

Prælati aliqui Eccleſiarum Clericos indignos ad Eccleſiaſtica beneficia promoverunt, videlicet ſcientiâ, & morum honeſtate non præditos, ex quo magna Eccleſiæ detrimenta provenerunt. Id emendare volens *Innocent. III. in Concil. Lateran. c. 30.* præcepit, ut prætermiſſis indignis, perſonæ idoneæ aſſumantur, quæ Deo & Eccleſiæ velint, ac poſſint ſervitium gratum impendere; & de hac re in Concilio Provinciali inquiſitio diligens fiat, ita ut, qui ex Prælatis poſt primam, vel ſecundam correctionem culpabilis repertus fuerit, à conferendis beneficijs Concilium eum ſuſpendat, atque aliam perſonam providam inſtituat, quæ

in

in beneficijs conferendis suspensi defectum suppleat; idémque circa Capitula, si in his negligentiam commiserint, servari debet. Quòd si Metropolitanus delinquat, Superioris judicio relinquatur, cui etiâ à Concilio denunciandus erit. Ut autem hæc salubris provisio effectum plenius assequatur, insuper decernitur, ut nemo præter Romanum Pontificem, aut proprium Patriarcham à dicta suspensione absolvere possit, qua ipsa in re quatuor Sedes Patriarchales specialiter honorantur.

SUMMARIUM.

1. *Ut idonei Clerici ad beneficia Ecclesiastica promoveantur, diligenter curare debent Prælati Ecclesiastici, & quid faciendum in penuria idoneorum.*
2. *Num irrita sit collatio aut electio, si fiat indigno?*
3. *Exceptiones aliquæ à communi doctrina.*
4. *Qui Prælatus indignis beneficia contulit, neque se post unam aut alterâ correptionem emendat, suspendi debet à collatione beneficiorum in Concilio Provinciali, absolutione Sedi Apostolicæ vel proprio Patriarchæ reservatâ.*
5. *Concilium Provinciale olim singulis annis haberi debebat, hodie tamen sufficit Tridentini observatio de Concilio Provinciali singulis triennijs celebrando.*
6. *Prælati exempti, si Concilio Provinciali de Iure, vel de consuetudine intersint, ita ut vocem decisivam habeant, subjecti sunt Concilio in illis, quæ pertinent ad Concilium prout etiam de Metropolitano dici debet.*
7. *Neque tamen omnes, qui Concilio Provinciali intersunt, vocem decisivam habent.*
8. *Possunt tamen Episcopi, qui in Concilio Provinciali censuram ipso facto incurrendam tulerunt, ab eadem etiam, suæ jurisdictionis subditos, absolvere, nisi expressa fuerit facta reservatio.*

NOtandum primò. Prælati Ecclesiarum diligentem operam dare debent, ut ad beneficia Ecclesiastica promoveantur Clerici, qui & debitâ scientiâ, & vitæ probitate præditi sunt. Consentit *c. cùm in cunctis 7. §. inferiora de electione. Clement. 1. de ætate &c. Trident. sess. 7. c. 3. & sess. 24. c. 18.* Siquidem ab improbis, aut indoctis ministris Ecclesiæ gravia scandala, aliáque mala, & incommoda proveniunt. 1

Sed quid si idonei Sacerdotes haberi non possint in regione aliqua, quæ v. g. nuper ad Fidem Catholicam conversa est. Resp. inprimis opera danda est, ut aliunde idonei Sacerdotes accersantur, si sæculares reperiri non possint, seu in defectum sæcularium, etiam regulares pro tempore durantis necessitatis, seu donec sæculares institui possint, & hoc casu ex charitatis lege quandoque obligati erunt Sacerdotes sæculares, si commodè possint, ad subveniendum Neophytis, aliisve Christianis, qui idoneis pastoribus, ac Sacerdotibus carent. Expedit etiam magis in hac Sacerdotum idoneorum penuria, ut parochiæ plures uni idoneo committantur, quas per se, vel per alium, quatenus possibile est, administret, quàm ut non idoneis, seu malæ vitæ Sacerdotibus committantur. *argum. c. 1. c. 21. q. 1. juncta Gl. V. in Villis.* Ubi dicitur, quòd extra civitates, si penuria sit Sacerdotum, uni plures parochiæ committi possint. Et *Abb. in c. seqnenti in repetitione §. qui vero n. 27.* ait, quòd ex causa justa, videlicet ab penuriam idoneorum ministrorum, uni bono Clerico conferri possent omnia beneficia civitatis. Denique verò, si nullâ excogitatâ ratione, idonæ personæ haberi, aut accersiri possint ad Ecclesias, necessitas cogit, ut ministri minùs idonei quandoque instituantur, prout hic observat *Abb. n. 2. & Ioann. Gallemayr super Trident. sess. 7. c. 3.* quòd stante penuriâ Sacerdotum idoneorum, Episcopus providere debeat beneficijs, eo modo, quo potest meliore.

Quæri etiam hîc solet, num irrita sit electio, aut collatio beneficij, si fiat indigno, videlicet indocto, aut improbo, seu infami. Resp. & dico primò: collatio, aut electio ad beneficium, quod curam animarum habet, si fiat indigno, videlicet moribus, aut scientiâ debitâ non prædito, ipso jure irrita censeri debet, sicuti docet *Rodriq. to. 2. regularium. q. 53. a. 6.* & supponit *S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. Covarr. regula peccatum. p. 2. §. 7. n. 3. & sumitur ex cit. §. inferiora.* Ubi habetur, quòd eligens ad tale beneficium indignum, sive moribus, & scientiâ non commendatum, pro ea vice eligendi potestate privatus sit, consequenter electio, seu collatio beneficij ad Superiorem devolvi debet, ideóque prior electio irrita est, sicuti rectè notavit *Rodriq. cit. loco. Navar. in c. si quando exceptione 17. n. 10. de rescriptis.* Vide tamen, quæ docui *in disp. de Prælatis Ecclesiasticis q. 53. & 59.* Ubi admonui, ita electum, aut provisum, si defectum scientiæ, aut improbitatis tollere possit, ac velit, ipsique lis nulla moveatur, in conscientia tutum esse.

Dico secundò: si ad alia beneficia inferiora improbus, aut debitâ scientiâ non instructus, instituatur, valet institutio, cùm nullum jus exstet, quo collatio, aut institutio talis irrita censeatur. Videri autem potest *Navar. in cit. c. exceptione 17. Azor. to. 2. lib. 6. c. 7. q. 11.* Rescindi tamen potest, & interdum debet institutio *juxta Trident. sess. 7. c. 3. de reformat.* & *supponunt S. Thom. & Covar. cit. locis. & docet ex communi Less. de justitia c. 34. n. 57. Garz. 3 p. 7. c. 7. n. 28. & c. 8. n. 48.*

Excipe primò: nisi electus aut provisus ob crimen aliquod juris infamiam, adeóque irregularitatem patiatur; tunc enim ejus electio omnino irrita est, prout docent omnes, & dixi *in cit. q. 59.*

Excipe secundò: nisi qui eligitur, vel instituitur in beneficio, omnino illiteratus sit, ita ut latinè legere nesciat; hujus enim irrita est provisio, excepta plenitudine potestatis Papalis, uti docui *in cit. disp. q. 55.* & trad it *Navar. in cit. c. si quando except. 13. & except. 16. n. 11.*

Excipe tertiò, si tali crimine quispiam irretitus, atque infamis sit, quod ad pœnam depositionis sufficiat, collatio beneficij ei facta censeri debet irrita, & in ordine ad forum externum, prout explicavi *in cit. q. 53.* Idémque eâdem probabilitate dicendum, si talis sit electus, vel provisus, pendente accusatione de crimine. *argum. c. 4. de accusationibus. ubi Abb. & c. ult. de testibus, & docet Navar. except. 17. n. 9.*

Refert autem in ordine ad externum forum, num collatio vel electio facta indigno ipso jure irrita censeri debeat, an verò non irrita, sed irritanda; quia si ipso Jure irrita fuit, potest beneficium, tanquam vacans ab altero impetrari, & superior contra indignum promotum procedere potest, tanquam contra eum, qui Canonicam institutionem nunquam habuit, ideóque fructus perceptos à tempore institutionis eidem auferre.

4 Notandum secundò. Prælatus conferens beneficia personis indignis, si post unam, & alteram correptionem se non emendat, in Concilio Provinciali à collatione beneficiorum suspendi debet. Hæc pœna longè diversa est ab ea, quæ decernitur *in supra cit. cap. cum in cunctis.* Ibi enim statuitur, ut eligens (idémque sentiendum de collatore) personam indignam ad beneficium, pro ea tantùm vice, seu quoad ejusdem beneficij collationem privatus sit: hîc verò de cujuslibet beneficij provisionibus dicitur, si personas indignas promoveant, & moniti se non corrigant, ut ab omni beneficiorum collatione suspendantur, suspensione Sedi Apostolicæ, vel proprio Patriarchæ reservatâ, licèt aliter, sed non rectè, hanc rem explicet *Gloss. hic V. persona.*

5 Notandum tertiò. Concilium Provinciale olim singulis annis haberi debebat, prout expressiùs legitur *in c. sicut 25. de accusationibus.* In quo textu idem dicitur de Syno-

Synodo diœcesana : sed *Trident. Concil. Sess. 24. c. 2.* requirit, ut Concilium Provinciale quolibet triennio à Metropolitano, vel si is impeditus sit, à Coëpiscopo antiquiore indicatur, & ad tale Concilium etiam Episcopi exempti, seu nulli Archiepiscopo subjecti, v.g. Bambergensis, venire teneantur, ita ut & ipsi Provincialis Concilij (ejus Provinciæ, quam ipsi elegerint) decretis obligentur; idémque sentiendum de Prælatis alijs, qui quasi Episcopalem, intra aliquam Provinciam, obtinent Jurisdictionem, prout *Azor. to. 2. lib. 3. c. 47. q. 2.* tradit.

Notandum quartò, Licèt Metropolitanus Jurisdictionem non habeat in subditos suorum Coëpiscoporum, extra casus appellationis *c. 1. de officio legati c. duo simul 9. de officio ordinarij*, tamen Prælati Coëpiscopis subjecti non tantùm vocari possunt ad Concilium Provinciale, sed etiam in eodem, seu ob contumaciam, seu ob alia delicta puniri, sicuti hîc dicitur, & annotavit *Abb. n. 4.*

6 Sed quid de Prælatis exemptis sentiendum? Resp. si tales Prælati de Jure, vel consuetudine, ita Concilio Provinciali intersint, ut vocem decisivam habeant, tunc pars Concilij sunt, ideóque subjecti Concilio, in pertinentibus ad illud, & decreta ejus, quemadmodum id etiam dici debet de Metropolitano, qui licèt singulis in Concilio residentibus subjectus non sit, sed potiùs major, est tamen subjectus Concilio Provinciali, ita ut ab eo judicari & puniri possit, exceptis causis majoribus, aut Sedi Apostolicæ reservatis, sicuti *tradit Navar. Concil 6. de majoritate, Sanchez. lib. 8. de matrimonio disp. 17. n. 36. contra Abb. hîc n. 8.* Ubi argumento hujus Capituli ait, quòd Metropolitanus non potest puniri à Concilio Provinciali, cùm sit caput ejus. Sed rectè respondet Navar. Metropolitanum non præsidere in Concilio, tanquam qui sit supra Concilium, seu Superior Concilij, quemadmodum Episcopus præsidet in Synodo diœcesana, & Papa in Concilio OEcumenico *c. 4. de electione.* Sed Archiepiscopum in Provinciali Concilio præsidere, sicut Decanus præsidet in Capitulo Canonicorum. Quare ait Navar. sicuti Capitulum, seu sede vacante, seu ob consuetudinem etiam non vacante sede, habens Jurisdictionem in singulos è Capitulo, eam contra Decanũ quoq; exercere potest, sic etiam Concilium Provinciale cùm habeat Jurisdictionem in singula Concilij membra, quorum unum est Archiepiscopus, poterit in ipsum quoque exercere jurisdictionem. Ad textum hujus cap. Resp. delictum istud Metropolitani inter causas graves censeri, quod proinde Superioris judicio, ac provisioni reservandum videbatur.

Porrò non omnes, qui ad Concilium Pro- 7
vinciale veniunt, etiam vocem decisivam habent, uti colligi potest ex *Concilio Mediolan. 4. anni 1573.* Ubi de Concilio Provinciali col. 1. Cathedralium Ecclesiarum Capitula invitantur ad Concilium, si quid per missos procuratores in eo proponere velint.

Quæritur. Si in Concilio provinciali 8
aliquid præceptum, vel prohibitum sit sub censura, ipso facto incurrenda, possúntne Episcopi singuli absolvere transgressores, qui suæ diœcesis, ac Jurisdictionis sunt? Affirmandum est cum *Abb. hîc n. 14.* & consentit *Suarez lib. 6. de legib. c. 15. n. 7.* quando hoc idem tradit de potestate dispensandi in legibus Concilij Provincialis. Ratio dari debet, quia hoc ipso, quòd Concilium Provinciale sibi càsus non reservavit, (cùm neque congruè reservare potuerit, ne opus sit vel ad Pontificem recurrere, vel tamdiu exspectare, dum aliud Provinciale Concilium congregaretur) Ordinarijs locorum talem absolvendi, vel dispensandi facultatem concessisse videtur; quamquam, quod attinet ad dispensationem in legibus, considerandum quoque est, num eæ sint circa materias ordinarias, & omnium diœcesium communes, tunc locum habet doctrina Suarez; an verò circa aliam graviorem, seu specialem materiam, ac propriè perti-

nentem, ad Concilij provincialis cognitionem, tunc secus dicendum foret. Quod verò attinet ad absolutiones, habemus generalem regulam *in c. nuper 29. de sententia excommunicationis*, si conditor Canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, alijs concessisse censetur.

Notandum quintò. Post Apostolicam Romanam Sedem tempore hujus Concilij, aliæ quatuor, eæque propriæ Sedes Patriarchales numerabantur: Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena & Jerosolymitana. *c. antiqua 23. de privilegijs.* Vide, quæ docui *lib. 1. tract. 4. c. 7. n. 4.*

CAPITULUM XXX.

Extirpandæ.

PARAPHRASIS.

Queritur Innocent. III. in Concilio Generali *c. 6.* quòd in quibusdam Provincijs pessima consuetudo obtinuit, ut Patroni Ecclesiarum Parochialium, & aliæ personæ quædam, proventus Parochiarum sibi penitus vendicantes, Presbyteris inibi constitutis, tam exiguam portionem relinquant, ut congruè se nequeant sustentare; & compertum erat, quòd in quibusdam regionibus parochiales Presbyteri, seu Parochi, non nisi quartam quartæ, id est partem decimam sextam decimarū perciperent, unde fit, ut in his regionibus penè nullus inveniatur Parochus, qui ullam vel modicam litterarum scientiam habeat; cùm itaque os bovis triturantis ligari non debeat *Deutr. c. 15. v. 4. & qui altari servit, cum de altari vivere deceat 1. Cor. 9. v. 13.* statuit Concilium, ut non obstante, seu Episcopi, seu Patroni, seu alterius personæ consuetudine, Presbyteris, seu curatis parochiarum, portio sufficiens assignetur.

SUMMARIUM.

1. *Non valet consuetudo, ut parochiales proventus, Patroni, vel alij, quibus incorporata sunt tales parochiales Ecclesiæ, accipiant, & Vicario, qui curam animarum habet, vix congruam sustentationem relinquant.*
2. *Et hinc ad talia beneficia vix reperiuntur idonei.*
3. *Æquiparantur quidem in jure scientia modica Parochi, & nulla, sæpe tamen damnosiores sunt, qui modicam scientiam habent, quàm qui nullam.*

NOtandum primò. Non valet consuetudo, si alicubi introducta sit, ut Ecclesiæ parochialis Patronus, Episcopus, vel alius v. g. cui parochia incorporata est, proventus parochiales accipiat; Rectori verò, aut Vicario, qui curam animarum sustinet, congruæ sustentationis portio non relinquatur: nam talis consuetudo repugnat sacris Canonibus, & primævæ beneficiorum, decimarum, aliorúmque proventuum parochialium institutioni (quippe cùm ij principaliter dentur à fidelibus ad sustentationem ministrorum, divina ipsis præbentium, atque spiritualiter pascentium) denique etiam naturali justitiæ, *cùm operarius dignus sit mercede suâ Luc. 10. v. 7.* 1

Notandum secundò. Si beneficia, & vicariæ, maximè curam animarum habentia, nimis tenues reditus habeant, non reperiuntur viri docti & idonei, qui ea suscipere velint, unde magnum Ecclesiæ damnum provenit. 2

Notandum tertiò. Si scientia Parochi, seu curam animarum habentis, exigua sit, perinde ferme est, ac si nulla sit: quare ait *Abb. hic n. 3.* quòd modica, & nulla prudentia æquiparantur; imò addit, quòd prudentia modica damnosior sit, quia ducit hominem in errorem, quando aliquid sciens, & non totum, ac plenè prudentiæ, seu potiùs ignorantiæ suæ fidem habet; at verò, qui omnino ignorans est, alios consulit, & errorem declinat, idque observandum adversus eos, qui postquam unum vel alterum annum Theologiæ, aut Juri Canonico operam dederunt, curæ animarum, vel audiendis confessionibus se applicant, 3

neque

neque modicam scientiam suam, ex privato labore, & exercitatione augere studeant, sed in otio perdunt.

§. Qui verò.

Paraphrasis.

Qui parochialem Ecclesiam obtinet, eam per se ipsum, non per Vicarium, administrare debet, eo susceptо Ordine, quem tale curatum beneficium requirit, præterquam, si parochialis Ecclesia dignitati, vel præbendæ Cathedrali, vel Collegiatæ Ecclesiæ annexa, sive unita sit; hoc enim casu concessum est ei, qui talem dignitatem, vel præbendam obtinet, ac proinde in majore Ecclesia residere debet, ut in Ecclesia parochiali idoneum, & perpetuum, seu canonicè institutum Vicarium habeat, qui ut suprà dictum, congruentem ex ejusdem parochiæ proventibus portionem percipiat; alioquin is, qui talia facere negligit, parochiâ ipso jure privatus existat, ita ut liberè conferri possit, ac debeat alteri, qui velit, & possit, quod dictum est, adimplere. Id porrò penitus prohibetur, ne quispiam ex proventibus Ecclesiæ parochialis pensionem alteri, beneficij loco, in fraudem conferat.

Summarium.

1. *Beneficia curam animarum habentia speciali ratione residentiam personalem requirunt.*
2. *Et quamvis nullâ consuetudine introduci possit, ut nec per se, nec per Vicarium in beneficijs curatis Rector resideat.*
3. *Potest tamen per consuetudinem immemorialem ex causa rationabili personalis Rectoris residentia, in beneficio curato abrogari, ita ut sufficiat per Vicarium residere.*
4. *Quin imò consuetudine introduci potest, ut nec per Vicarium residere quis teneatur, in beneficijs quibusdam non curatis.*
5. *Promovendus ad beneficium, Ordinem habere debet, quem requirit beneficium, vel saltem intra annum Ordinem requisitum recipere.*
6. *Potest Ecclesia parochialis accessoriò uniri dignitati alicui, aut præbendæ Canonicali.*
7. *Qui plura diversarum Ecclesiarum beneficia, residentiam personalem requirentia, canonicè obtinet, debet in digniore residere.*
8. *Unde desumendum, quòd unum altero beneficium dignius sit.*
9. *Qui obtinet Ecclesiam parochialem, aut præter illam præbendam aliquam Canonicalem, si ei nec personaliter deserviat, nec per Vicarium sufficientem, privatus ipso jure est Ecclesiâ Parochiali.*
10. *Ita ut Ordinarius possit, independenter à Rectore talis Ecclesiæ, Vicarium instituere.*
11. *Utrùm pœna talis privationis requirat præviam moritionem.*
12. *Si tamen officio suo satisfacere imposterum velit, & fructus ob non præstitum officium malè perceptos restituere, retinere potest beneficium, in quo Canonice institutus fuit.*

NOtandum primò. Beneficia habentia curam animarum speciali ratione residentiam personalem requirunt. Prout dixi *in c. 2. de Clericis non residentibus.* Atque in ea re ab inferioribus Papâ dispensari non posse, nisi ad breve tempus, & ex rationabili causa, habetur *in c. licet. 13.* ubi id docui *de electione in 6.* Dixi autem personalem residentiam requiri, ita ut non satisfaciat, qui per alium, seu Vicarium, beneficio curato deservit, prout latè tradit *Trident. sess. 23. c. 1. de reform.* & docui *lib. 4. tract. 2. c. 6. q. 2.* Nam decet, ut proprius pastor ipsemet invigilet gregi sibi commisso, & non alteri, tanquam mercenario, committat.

Accedit

Accedit, quòd in operis artificialibus, & executionibus, ad quas ingenium, industria, aut sollicitudo requiritur, censetur electa industria personæ, ita ut operâ vicariâ uti, & liberare se promissor non possit. *L. inter 31. ubi Bart. & Gloss. ff. de solutionib. c. ult. §. 13. autem. de officio delegati.* Qua ratione resolvunt DD. *in cit. L. inter. & apud Ioan. And. in Reg. qui per alium lib. 6. decretal.* quòd Doctor obligatus docere alium, nisi manifestum sit, esse æquè, aut magis idoneum, substituere non possit, secluso necessitatis casu.

2 Quæritur, utrùm per consuetudinem immemorialem introduci possit, ut in beneficijs, suapte natura, aut institutione, residentiam postulantibus, non resideatur, supposito, quòd duplex sit residentia, una personalis & propriè dicta, altera per Vicarium. Resp. & dico primò. Nulla consuetudine introduci potest, ut in curatis beneficijs Rector, nec per se, nec per Vicarium resideat. Probatur ex eo, quia nemo gregis curam gerere potest, eámque spiritualiter pascere, nisi præsens sit, vel aliquem habeat præsentem, saltem ita in propinquo, ut commodè, & sine periculo advocari possit.

3 Dico secundò. Per consuetudinem immemorialem ex causa rationabili introduci posse videtur, ut in curato beneficio Rector personaliter non resideat, sed per Vicarium administret, dummodo id, spectatis circumstantijs, fieri possit sine notabili gregis detrimento. Ita *Abb. hìc n. 8. & in repetit. hujus §. n. 12. Imola hìc n. 13.* atque *ex Navar.* docui *lib. 4. tract. 2. c. 6. n 11.*

4 Dico tertiò. In beneficijs simplicibus, & dignitatibus quibusdam non curatis, per consuetudinem introduci potest, ut ne per Vicarium quidem resideatur, dummodo per hoc paucitas ministrorum & diminutio cultus divini non introducatur, ita ut consuetudo Ecclesiæ noxia videatur. Ita *Abb. cit. n. 8.*

Notandum secundò Qui promovetur 5
ad beneficium, debet esse insignitus eo Ordine, quem ipsum beneficium postulat, v. g. Sacerdos esse, si curatum beneficium consequatur. Id verò posterioribus juribus mutatum fuit, ut sufficiat, quòd provisus intra annum à die provisionis numerandum talem Ordinem suscipiat, uti docui *in c. cum in cunctis §. inferiora de electione, & habetur in Clement. 2. de ætate. in c. licèt 14. de electione in 6.* Vide etiam, quæ docui *lib. 4. tract. 2. c. 14.*

Notandum tertiò. Ecclesia parochialis 6
accessoriè uniri potest alicui dignitati, vel præbendæ canonicali. consentit *capitulum exposuisti 33. hoc tit. & c. super 6. eodem in 6.* Veruntamen talis unio Episcopis jam prohibita est *in Trident. sess. 24. c. 13. de reformatione.* & docui *in cit. tract. 2. c. 9. n. 5.* Dixi autem, accessoriè; quia quando parochialis Ecclesia unitur, v. g. Decanatui, aut Canonicatui Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, censetur beneficium accessorium, ita ut sequatur naturam, & proprietates principalis beneficij, cui annexum est, prout fusiùs explicavi *in cit. c. 9. n. 2.*

Notandum quartò. Qui duo diversarum 7
Ecclesiarum beneficia, quorum utrumque residentiam postulat, canonicè obtinet, is in majore, seu digniore Ecclesia residere debet. Ita habetur *in hoc cap.*

Ubi nota, quòd non dicatur, præbendam 8
Eccleſi Cæollegiatæ secundùm se digniorem esse, quàm sit plebania, seu beneficium curam animarum habens; sed quòd ipsa Ecclesia Collegiata dignior sit, quàm parochialis. At verò propter accessionem, seu quatenus præbenda residet in Ecclesia digniore, etiam ipsa præbenda censetur dignior plebania, seu beneficio curato: quod vel ex eo colligitur, quia beneficium parochiale, seu plebania annexa est canonicali præbendæ, atque annexum, seu accessorium, minùs dignum censeri debet, quàm principale juxta *Reg. Gloss. in c. 3. de consecratione Ecclesiæ.* Quod magis dignum trahit ad se minùs dignum.

Quam

Quam ob rem etiam *Abb. in repetit. hujus §. n. 7.* docet, quòd regula illa, *si duo disparata concurrant, habenda ratio est principalioris*, explicari debeat, si ea absolutè, atque æqualiter concurrant. Sic v. g. citatus à duobus judicibus, cùm ad utrumque accedere non potest, præferre debet digniorem *argum. c. qui resistit. 97. causa* 11. *q. 3.* & Clericus, in duabus Ecclesijs intitulatus, si reliqua paria sint, residere debet in digniore; at verò, si unum accessoriè veniat, quamvis secundùm se, & absolutè dignius sit, induit tamen quodammodo naturam principalis sui, & vice versâ, quod minùs dignum est, accessione ad dignius etiam tale efficitur. *argum. c. ex litteris 7. de jure patronatûs*, ubi jus patronatûs, quod est dignius, quatenus est accessorium prædio, unà cum prædio vendi potest, & *instit. de rerum divis. §. si tamen alienum.* ubi habetur, si alienam purpuram vesti suæ quis intexuerit, licèt pretiosior sit purpura, tamen accessionis vice eam cedere vesti, ideóque, qui dominus est vestis, etiam purpuræ dominum fieri. Sic & in proposito casu, licèt beneficium simplex canonicale absolutè spectatum minùs dignum sit, quàm beneficium curatum, quippe cujus officia, seu munera præstantiora sunt, tamen quatenus Canonicatus pertinet ad Ecclesiam cathedralem, vel collegiatam, & sic accessoriè consideratus dignior est beneficio parochiali, ideóque hoc illi uniri potest; & iterum, licèt parochiale beneficium secundùm se, & ex objecto dignius sit, quàm Canonicatus simplex, quatenus tamen spectatur, ut annexum canonicatui, minùs dignum censetur, ideóque principalis sui tanquam dignioris naturam, & proprietates sortiri debet.

9 Notandum quintò. Obtinens Ecclesiam parochialem, si ei personaliter non deserviat, vel obtinens dignitatem, aut præbendam, cui parochialis Ecclesia annexa est, si inibi Vicarium idoneum, cum sufficiente portione, instituì non faciat, parochiâ ipso jure privatus existet, ita ut aleri conferri debeat. Ita hunc locum intelligit *Innocent. hic n. 2. Imola n. 14. Abb. in repetit. n. 18. contra Gl. hic. V. privatum* & alios, qui pœnam hanc privationis ad primum tantùm casum, alij verò tantùm ad secundum referunt. Verùm ad utrumque casum esse referendum probatur. Nam clausula posita in fine, tametsi odiosa sit, refertur ad omnia præcedentia. *argum. c. cum in cunctis. §. inferiora de electione, & est textus in c. inquisitioni 71. de appell.* & ex communi docet *Bart. in L. talis 33. §. ult. de legat. 3. Gabriel lib. 6. conclus. ubi de clausa. con. 9.* afferens plures limitationes; præcipuæ sunt hæ. Si ad præcedentia commodè referri non possit; si præcedentia separatam materiam contineant, propriamve clausulam, atque determinationem habeant; vel jurium correctio induceretur; si ad præcedentia conferri debeat. Vide, *quæ dixi in c. secundò. 41. de appell.* & quæ dicentur *in c. cum dilecti. 6. de donationibus.*

Accedit ratio, cur hîc ita statutum fuerit; cùm enim beneficium omne conferatur propter officium *c. ult. de rescriptis in 6.* ideò, si Clericus officium non præstet, seu id non faciat, quod ratione beneficij potest, ac debet, beneficium retinere nequit, sed locus est condictioni, sive repetitioni, tanquam dati ob causam causâ non secutâ. *lib. 12. ff. tit. 4.*

Quæres primò. Quo modo v. g. Decanus, aut Canonicus, cujus præbendæ parochia est unita, si Vicarium instituì non curet, parochiali beneficio privatus existat, cùm ea non adhæreat personæ, sed dignitati, aut canonicatui, delictũ autem personæ Ecclesiæ, vel beneficio obesse non debet. Resp. ex communi, ipsum Rectorem principalem jure suo privari, quoad vitam suam, ita ut interim Ordinarius parochum absque dependentia à Decano, vel Canonico illo instituere debeat; post mortem verò, aut depositionem Decani, seu Canonici jus integrum ad Successorem in dignitate, vel præbenda devolvitur. 10

11 Quæres secundò. Num in casibus hujus capituli, Rector parochiæ, pœnam privationis, ipso jure contrahat, etiam nullâ præcedente hominis, seu Superioris monitione. Necessariam esse monitionem, docet *hic Gl. V. privatum. Innocent. n. 2. And. n. 10.* ubi generale discrimen tradunt inter pœnam, quæ ipso jure infertur affirmativè, qui hoc fecerit, privatus sit, vel excommunicatus; & pœnam, quæ infertur negativè, qui hoc non fecerit, privatus sit &c. & dicunt, quòd ad illam incurrendam opus non sit hominis monitio: at verò ad pœnam ex præcepto negativo, seu factum fieri prohibente, necessaria sit monitio; præterquam, si certum tempus adjiciatur, intra quod opus fieri debeat, tunc enim eo elapso tempore, si factum non sit, pœna ipso jure contrahitur juxta *c. quàm sit 6. c. licèt* 14. *de electione in 6.* quia dies statuta pro homine interpellat. *c. potuit 4. de locato, ubi Gl.* ait, quòd tempus ipsum admonet. Respondeo tamen cum *Imola hic n.* 14. *Abb. n.* 12. *& in repetitione 19.* & dico primò: si pœna ipso jure, etiam nullo adjecto tempore, decreta sit non facienti, incurritur ea, quando nullo agendi obstante impedimento factum non est, quod lex præcepit. Idem docuit *Bart. in L. in cognitione n. 4. ff. ad Sc. Syllanum*, quòd delicta, quæ fiunt omittendo, tunc dicantur esse perfecta, quando transivit tempus, in quo potuit impleri, & non est impletum, idque sumitur *ex l. 1. c. de his, quibus ut indignis &c. juncta Gl. V. reddere*, quòd hæres, qui mortem occisi non vindicavit, convictus de negligentia (quòd videlicet potuerit vindicare, & omiserit) hæreditatem fisco unà cum fructibus integris restituere debeat. Alium textum habes *in c. cupientes 16. §. h. generali de electione in 6.* Probari debet assertio ex eo, quia jussus aliquid facere, certo die non constituto, nisi ex qualitate facti, aliisve circumstantijs, aliud præsumi possit, debet id facere, cùm primùm commodè potest, quemadmodum resolvit *Duran. in speculo lib. 2. c. 1. §. seq. n. 20. Quarant. de Ordine judiciorum p. 6. ubi de imploratione judicis officij n. 65.* quòd citatio facta à judice sine die, obligat citatum, ut compareat, cùm primùm commodè potest, alioquin puniri possit, tanquam inobediens, *argum. c. cum dilecti 6. V. præterea. de dolo.* Et debet in tali casu judex, consideratis omnibus, arbitrari, quòd jussus facere, intra tale tempus facere potuerit, & negligenter omiserit, ideóque pœnam juris contraxerit, ita tamen, ut contra tale judicis arbitramentum reo opponere liceat, & impedimentum probare. *argum. cit. c. cupientes & notat hic Abb. n. 20.*

Dico secundò. Expedit valde & ita consuetum est, ut in tali casu judicis monitio antecedat, per quam Rector parochiæ jubeatur intra tempus ipsi præfixum in beneficio residere personaliter, vel juxta alterum casum hujus capituli Vicarium inibi constituere, alioquin ipsi beneficium auferendum, & alteri conferendum esse. Ita monuit *Innocent. hìc & And. n. 11.* qui addunt, consultum esse, ut post elapsum tempus illud aliquamdiu exspectetur, ne fortè adveniens purget moram suam, ostenso impedimento, prout dictum est *inc. ex parte 8. de Clericis non residen.* Potrò hoc ipso casu aliâ judicis sententiâ condemnatoriâ opus non est, sed cognito, aut à judice declarato, quòd provisus post monitionem ipsi insinuatam, & tempus definitum non præstiterit, quod jussus erat, videlicet in beneficio non residerit, auferentur illi fructus à tempore culpabilis negligentiæ, atque incursæ pœnæ numerando.

Limitari potest assertio, quòd monitione, aut temporis definitione opus non sit, si culpabilis omissio seu negligentia notoria sit, prout notavit *Abb. hic n. 24. Felin. in c. cum olim n. 4. de testibus.*

Dico tertiò. Non placet sententia Ab- 11
batis *cit. n. 24.* quòd beneficium curatum adeptus, si residere in eo culpabiliter negligat,

gligat, juxta *c. hujus* decretum ex eo tempore ante omnem judicis condemnationem in conſcientiæ foro adeò privatus exiſtat, ut parochiam retinere non poſſit. Quin potiùs dicendum, quòd talis beneficium, in quo canonicè inſtitutus eſt, retinere poſſit, ſi paratus ſit officium ſuum in poſterum præſtare, atque fructus malè perceptos, quatenus ad id, ob officium hactenus non præſtitum, obligatur, reſtituere; etenim nimius hic rigor eſt, ſi aliquis beneficium, in quo jus acquiſitum habet, ipſemet à ſe abdicare, ideóque ſeipſum privare debeat. Accedit, quòd privatio ipſo jure inflicta effectum ſatis conſequi poſſit in ordine ad forum externum, ſi judex pœnam privationis moderetur, & exequatur ſecundùm tempus completæ negligentiæ, ſeu omiſſionis culpabilis, quaſi tunc privatio beneficij incurſa fuerit, prout latiùs explicavi *lib 1. tract. 4. c. 15. n 6.*

Notandum ſextò. Beneficium non debet diſmembrari ſeu dividi, ex eo penſionem, ſeu portionem aliquam demendo, & ad aliud beneficium applicando, ſi id fiat in fraudem, videlicet, non ob Eccleſiæ neceſſitatem, ſed v. g. in gratiam amici, aut conſanguinei. Verùm ex cauſa rationabili talem diſmembrationem, ac reditum translationem ab Ordinario fieri poſſe, docui *in c. vacante 26. hoc tit.*

CAPITULUM XXXI.

In Lateranenſi.

Paraphrasis.

In Concilio Lateranenſi ſub Alex. III. *c. 9.* prohibitum fuit (refertur infra *in c. 3. de privilegijs*) ne Religioſi Eccleſias parochiales, & decimas à Laicis accipiant, abſque Epiſcopi conſenſu; neque excommunicatos, vel nominatim interdictos, ad divina admittant. At verò Innocent. III. *in Concil. Lateran. c. 63.* dictam Alexandri conſtitutionem innovans, ejus tranſgreſſores ſe puniturum proteſtatur; inſuper præcipit, ut Religioſi in Eccleſijs parochialibus, quæ ad ipſos pleno jure non pertinent, juxta dicti ſub Alexandro Papa habiti concilij ſtatuta, presbyteros inſtituendos Epiſcopo præſentent, qui eidem circa curam plebis reſpondere, & rationem adminiſtrationis reddere debeant; inſtitutos verò presbyteros Religioſi amovere, Epiſcopo inconſulto, non debeant: & adjicit Innocent. quòd Religioſi tales Epiſcopo præſentare debeant, quos vel ipſa converſatio bona notos, & probatos reddit, vel probabile Prælatorum teſtimonium confirmat.

Summarium.

1. *Non poteſt Laicus, quamvis Patronus Eccleſiæ alicujus ſit, eam monaſterio v. g. incorporare cum decimis, ſine Prælati Eccleſiaſtici authoritate.*
2. *Debent tamen Religioſi, in caſu unitæ ſibi Parochialis Eccleſiæ, Presbyteros ſive Vicarios Ordinario præſentare, ſi non pleno jure ad ſe pertineant.*
3. *Quandonam cenſeantur Eccleſiæ Parochiales pleno jure unitæ Monaſterijs?*
4. *Et quid in his poſſint, quibus talis incorporatio facta eſt?*
5. *Quamvis exemptum ſit Monaſterium.*
6. *Quid ſentiendum de illis Parochijs, quæ in prima ſui fundatione, Monaſterijs v. g. ſunt attributæ, & intra eorum ſepta exiſtunt?*
7. *Quid ſentiendum de Regularibus exemptis, ſi ad tempus aliquod, in vicem abſentis, aut infirmi parochi, curam animarum exerceant?*
8. *Delinquens talis regularis circa curam, & adminiſtrationem Sacramentorum, ab Epiſcopo citari, & puniri poteſt.*
9. *In caſu delicti, circa alia, cum ſcandalo, extra Monaſterium ſtabiliter manentis, & delinquentis Regula-*

vis talis, ſervanda conſtitutio Tridentini ſeſſ. 6. c. 3. de reform.

10. *Quinam à Patronis præſentati ab Ordinario ſint examinandi.*

1 NOtandum primò. Laicus tametſi Eccleſiæ alicujus Patronus ſit, non poteſt Monaſterio aut Religioſis, eam cum decimis & proventibus ſuis incorporare, ſeu in proprietatem dare, ſine Eccleſiaſtici Prælati authoritate, & conſenſu. Ita *hic & in c. quod autem 5. c. illud 8. de jure patronatûs.* Et reperies explicatum apud *Abb. in c. de Monachis n. 12. hoc tit.* Ratio dari debet, quia nemo plus juris in alterum transferre poteſt, quàm ſibi competat. *Reg. 79. in 6. & cit. c. quod autem.* Cùm itaque Laicus Eccleſias, nec in titulum, nec in proprietatem obtineat, cùm eæ juris ſpiritualis ſint, quod in Laicum non cadit, ſequitur hinc, quòd Laicus non poſſit Eccleſias, ſua authoritate, in alios transferre. Plura dicentur in *ſupra cit. capitulis de jure Patronatûs.*

2 Notandum ſecundò. Religioſi in Eccleſijs Parochialibus, quæ ad ipſos pertinent, non pleno jure Presbyteros, ſeu Vicarios Epiſcopo præſentare debent, inſtituendos, ijdémque Vicarij quoad curam plebis, ſeu jura parochialia, Epiſcopi jurisdictioni ſubeſſe debent, & ab eodem, non à Religioſis (ſi Vicarij intitulati ſint) ob juſtam cauſam removeri, ſeu deſtitui. Idem habetur *in c. 3. §. in Eccleſijs. de privilegijs.*

3 Suppoſitis ijs, quæ docui *in diſp. de Prælatis regularibus q. 205. & ſeqq.* Quæritur primò, quænam Eccleſiæ parochiales ad Religioſos, ſive Monaſterium pertineant pleno jure, ſive quod idem eſt, quæ parochiæ Monaſterio incorporatæ, & in proprietatem conceſſæ ſint jure pleno: refert enim id ſcire, quia ſi non pleno jure incorporata ſit parochia, Religioſi etiam exempti in ordine ad parochiæ curam ſubjecti ſunt Epiſcopo, ſecus ſi pleno jure incorporata ſit, prout *ex hoc c. & cit. c. 3.* per ſenſum contrarium colligitur.

Ad hoc reſpondet *Gl. in cit. §. in Eccleſijs. V. pleno jure.* Si parochia Monaſterio legitimâ authoritate Eccleſiaſticâ donata, ſeu incorporata ſit, quoad temporalia, & ſpiritualia, pertinere ad illud pleno jure. Verùm hæc Reſponſio non omnino ſatisfacit, quandoquidem parochiæ incorporatio, & donatio quoad jura ſpiritualia fieri poteſt Religioſis duobus modis, prout reperies *apud Abb. hic n. 4. & in c. de Monachis n. 9. hoc tit.* Primò illimitatè, ut curam parochiæ, ipſiúsque plebis habeant independenter ab Epiſcopo Diœceſano. Secundò. Limitatè, ut curam, ſeu jus ſpirituale parochiæ habeant cum dependentia ab Epiſcopo, ſi videlicet plebs ipſi Epiſcopo ſubjecta ſit, & conſequenter hic ſit paſtor, ſeu curator plebis, ſicuti habetur *in c. 1. de verb. ſignif. in 6.* Aliter proinde

4 Reſp. & dico primò. Si parochia Monaſterio quoad ſpiritualia incorporata ſit, pleno jure, etiam quoad curam plebis, ipſúmque populum, tunc Prælatus Monaſterij, quaſi Epiſcopalem jurisdictionem obtinet, circa parochiam, & plebem, ita ut Vicarium, ſeu curatum inſtituere, ac deſtituere poſſit, adeóque adminiſtrationis rationem exigere, & alia facere, quæ ad jus Ordinarij ſpectant, ſine dependentia ab Epiſcopo. Ita ſumitur *ex hoc cap. & cit. §. in Eccleſijs.* Et habetur expreſsè *in c. quoniam 21. de privilegijs.* Ubi *Gl.* ait, tunc Eccleſiam parochialem ſubjectam eſſe Abbati, utroque jure, ſeu pleno jure, quando Epiſcopus nullum jus Epiſcopale in ea exercet. Idem tradidit *Innocent. in c. quoniam Gl. in Clement. 1. de rebus Eccleſiæ non alienandis. Abb. in cit. c. de Monachis. n. 9. & hic n. 4.* Eccleſiæ, inquit, pleno jure dominij, Religioſis ſubjectæ ſunt, quando Epiſcopus nullum jus Epiſcopale ibi exercet, ſed tota jurisdictio pertinet ad Abbatem.

Porrò talem donationem ſeu incorporationem Eccleſiæ parochialis ita pleno jure, ut etiam populus ab Epiſcopali jurisdictione exemptus ſit, Epiſcopus facere nun-

nunquam potuit, sed solus Papa, prout testatur *Dominicus in c. 1. col. 1. de capellis Monachorum in 6. Francus ibidem n. 3.* quia Episcopus, vel quicunque alius Prælatus, officium, ac jurisdictionem sibi commissam, absque consensu Superioris committentis, abdicare haud potest. *argum. L. penult. ff. de officio præsidis.* Et tradit *Gl. in c. pastoralis de donation.* Ubi *Imola n. 3.* quòd Episcopus correctionem, & jurisdictionem, erga sibi subditos, abdicare non possit, sine licentia Papæ; sed neque Papa parochialem Ecclesiam ita Monasterio, vel Religiosis unire, aut donare censetur, ut etiam populus à cura, & jurisdictione Episcopi exemptus sit, quia grande periculum esset, inquit *Innocent. in cit. c. pastoralis n. 6. & 7. ibidem And. n. 5.* si Episcopus populo Sacramenta ministrare non posset, idémque ex communi tradit *Abb. in c. ult. n. 8. de Confirm. utili & inutili,* & colligitur *ex lib. hoc 3. Decretal. tit. de Religios. domibus.*

Dico secundò. Si parochia Monasterio unita sit, quoad temporalia, & spiritualia, & sic pleno jure, ita tamen, ut populus non sit ab Episcopo exemptus, sed ejus spirituali jurisdictioni subjectus, tunc Prælatus Monasterij Presbyterum, seu Vicarium Episcopo præsentare debet instituendum; eundémque, si intitulatus sit, Prælatus suâ authoritate removere non potest, ipséque Vicarius seu curam parochiæ habens, quicunque sit, intitulatus, aut manualis, sæcularis, aut regularis, correctioni, & jurisdictioni Episcopi subjectus esse debet. Ita docuit *Innocent. in c. 1. de capellis &c. & in c. 1. n. 7. de verb. significat. in 6.* Ubi ait, ideò Clerici præsentantur Episcopo, & examinantur ab eo, quia hujusmodi Ecclesiæ non erant exemptæ, & ideò Clerici per Episcopum in eis instituendi erant; secus autem esset, si Ecclesiæ essent exemptæ ex toto, quia tunc instituerentur ibi Clerici per Fratres: sin autem populus non est exemptus, Rector Ecclesiæ institutus per Fratres recipiet curam ab Episcopo, & reddet ipsi rationem de populo; & ibit ad Concilium Episcopale, & recipiet ibi statuta synodi; respondebit de quarta decimarum, oblationum, & mortuariorum, & ejusmodi; & præstabit ei reverentiam, obsequium, & honorem, ratione populi; & alia, quæ alij Rectores præstant Episcopo. *argum. c. ex ore 17. de privilegijs.* Eadem leges *apud And. in cit. c. 1. de verb. signif. in 6. Ancharan. ibidem n. 6. Lapum in c. unico. de capellis Monachorum in 6.* idque perinde locum habere, tametsi Monasterium seu Religiosi secundùm se exempti sint, tradit *Gl. recepta in c. 1. V. instituta. de privilegijs in 6. Francus in c. 1. §. illud. de capellis. in 6. n. 4.* ubi ait: licèt aliqui sint exempti à jurisdictione Episcopi, si tamen habeant Capellas curatas, respectu illarum sunt subjecti, ita quòd cura animarum debeat recipi ab Episcopo, & antequam instituantur, sunt Episcopo præsentandi, & ab eo examinandi; & si factâ præsentatione, & examinatione, reperiantur non idonei, poterit Episcopus de alijs idoneis ordinare *c. 2. de supplendâ negligentia Prælatorum.* Quod etiam Innocent. indicare voluit *in c. cum capella. de privilegijs in fine,* cùm ait, exemptum ratione rei non exemptæ subjacere jurisdictioni Ordinarij. Rationem hujus assertionis reperies apud *Lapum cit. loco.* Si enim parochia, ipsíque parochiani subjecti sint curæ, & jurisdictioni Episcopi, sequitur, quòd etiam Rector parochiæ, in pertinentibus ad curam, subjectus sit, quia accessorium naturam sequi congruit principalis *regula 42. in 6.* atqui Parochus propter Parochianos, & curam eorum est, & non vice versâ, parochia propter parochum est. Confirmatur primò, nam quicunque officium, & jura ejus accipit, etiam conditiones ejus officij suscipit, atque subjectionem erga eum, cui officium subijcitur. Confirmatur secundò. Quia Episcopus curam, & inspectionem parochiæ satis habere non posset, nisi etiam haberet erga Parochum subjectum. Cum his consentit

Concil. Trident. sess. 7. c. 7. de reform. & sess. 25. c. 11. de regularib. & Gregorius XV. in Bulla editâ Anno 1622. quæ incipit Inscrutabili.

6 Quæritur secundò. Quid sentiendum sit de ijs Parochijs, quæ à prima fundatione, seu ædificatione sunt attributæ Monasterijs, existentes etiam in loco Monasterij, seu intra septa ejus. Resp. de hoc decretum fuisse *in cit. c. 11. de regularibus*, & renovatum *à Gregorio XV. in cit. Bullæ*, ut personæ tam regulares, quàm sæculares, exercentes curam personarum sæcularium, in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, immediatè subsint jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi Monasteria sita sunt. Excipitur primò. Monasterium Cluniacense, quatenus parochias habet intra suos limites. Secundò. Si parochia sit in loco, ubi totius Ordinis caput sedem principalem habet. Tertiò. Si Prælatus veluti Episcopalem jurisdictionem, erga populum ibi exerceat, adeóque etiam populus exemptus sit, sicuti suprà dictum.

7 Quæritur tertiò. Quid sentiendum sit de regularibus exemptis, si ad tempus aliquod in parochia vacante, aut loco parochi absentis, vel infirmi curam animarum exerceant, & Sacramenta ministrent, num in his, seu horum respectu jurisdictioni Episcopi subjecti esse debeant.

Resp. & dico primò: ex juribus antiquis, & Concil. Trident. talis subjectio ostendi non potest, quia jura antiqua, & Concilium de iis tantùm Parochijs loquuntur, quæ ad regulares secundùm proprietatem pertinent. Dico secundò: Gregorius XV. *in cit. Bulla Inscrutabili* aliter decrevit, & dictis juribus, etiam Concilio Tridentino, adjecit, ut tam Regulares, quàm Sæculares, quomodolibet exempti, sive curam personarum Sæcularium Monasterijs, aliisve Regularibus, aut Sæcularibus Ecclesijs incumbentem, exerceant, sive alia Ecclesiastica Sacramenta, vel unum ex illis præviâ Episcopi licentiâ ministrent, sive quoquo modo, absque ulla authoritate, in exercitio curæ animarum, vel administratione Sacramentorum, aut unius ex illis de facto se ingerant, in his, quæ ad ejusmodi curam vel administrationem pertinent, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subijciantur. Ubi ob ter notandum, per hanc constitutionem, nihil derogari Mendicantium, aut Exemptorum Religiosorum privilegijs, eò quòd Episcopus in tali casu contra ipsos non procedat, ex jurisdictione sua ordinaria, sed ut delegatus Sedis pontificiæ, à qua Regulares exempti non sunt, secundùm theoricam Abbatis *in c. penult. n. 6. de officio ordinarij.*

Ex hac porro cõstitutione Gregorij XV. inferre non licet, si Regulares mendicantes, & qui eorum privilegijs gaudent, Exempti Religiosi, extra suas Ecclesias, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ministrent, Verbum Dei à Pastoribus invitati prædicent, vel Catechismum doceant, quòd circa eam administrationem, aut prædicationem jurisdictioni, & correctioni Episcoporum subijciantur, nam verba ejus Bullæ cùm sint derogatoria privilegiorum, & Juris antiqui, non sunt extendenda ultra casus in ea expressos; atqui in bulla tantùm exprimuntur casus, si vel ex Episcopi licentia talia exerceantur, vel sine ulla authoritate de facto se ingerant. Ergo extendi non debet ad eum casum, si, quæ dicta sunt, Religiosi extra suas Ecclesias exerceant, ex privilegio delegationis Apostolicæ, prout videre est in privilegio *Pauli III.* concesso Societati *JESU* anno 1645. in Bulla, quæ incipit, *cum inter &c.* At verò Sacramenta Baptismi, & Extremæ Unctionis, Matrimonij quoque assistentiam, & nuptiarum solennem benedictionem, cùm vi privilegiorum suorum Mendicantes exercere non possint, uti videre est apud *Suarez. to. 4. de Relig. lib. 9 de ministerijs, quibus ad proximorum salutem. &c. c. 4.* Ideò, si talia præstent, apparet

paret, eos, vel Episcopali authoritate, vel propriâ, tanquam intrusos, exercere, & ideo sub dicta Gregorij XV. Bulla comprehendi debere.

Interim verò nemo negare potest, si Episcopus Regulares exemptos, circa curam animarum, v.g. ob defectum Sacerdotum sæcularium, occupatos, esse velit, quin possit eorum Prælatis omnem circa Regulares easpersonas dispositionem, visitationem & correctionem committere, imò etiam translationem ab una parochia ad alteram; non ut id prælatus Regularis agat jure proprio, sed ut commisso seu delegato ab Episcopo, qui etiam eam potestatem auferre, & ipsos Regulares à tali cura animarum removere possit.

Quæritur quartò. Si Regularis exemptus, in suprà dictis casibus, curam animarum exercens delinquat, utrùm ab Episcopo citari, & puniri possit? Resp. & dico primò. Si circa curam, & administrationem Sacramentorum delinquat, v.g. vocatus ab infirmo mox morituro nolit venire, aut si coram excommunicato denunciato, seu vitando, Missam celebret, ab Episcopo citari, & puniri potest. Constat id ex suprà dictis, & confirmatur ex eo, quia delictum fit circa officium, seu curam animarum Episcopo subjectam.

Dico secundò. Si talis Regularis circa alia delinquat, præsertim cum scandalo, tunc servari debet constitutio *Trident. Sess. 6. c. 3. de reform.* Ubi decernitur, si Regularis extra monasterium degens delinquat, quòd ab Ordinario loci, tanquam à Sede Apostolica super hoc delegato visitari, puniri, & corrigi possit. Quo in loco observandum, duo requiri, ut huic decreto locus sit. Primum, ut Regularis moretur extra monasterium, seu domum Conventualem, aut Collegium, id est, ut non vivat sub aliquo Superiore conventualiter, prout *Barbosa de officio & potestate Episcopi alleg. 105. n. 6.* explicat. Secundum, ut Religiosus exemptus extra domum conventualem degat, id est, stabiliter maneat, ita ut inibi domicilium fixisse censeatur; secus autem, si ad tempus in aliquo loco extra monasterium, aut collegium cum Superioris sui facultate maneat, & v. g. prædicationi, aut confessionibus audiendis, insistat: talis si delinquat, dicta Trident. constitutione comprehensus non censetur, prout notavit *Rodriquez to. 2. Regularium q. 2. n. 8.*

Notandum tertiò. Quicunque Prælatus, Clericus, aut Patronus Ecclesiæ jus nominandi, præsentandi, aut conferendi habet in beneficio curato, is debet idoneam personam, id est, moribus, & doctrinâ probatam præsentare Episcopo examinandam. Ita hìc & in *Trident. Concil. Sess. 7. c. 13. de reform. Sess. 24. c. 18. de reform. & Sess. 25. c. 9. de reform.* Quibus locis etiam præcipitur, ut examen in beneficijs curatis, quæ liberæ collationis sunt, aut quæ patronatûs Ecclesiastici sunt, à deputatis & juratis examinatoribus per concursum instituatur, ita ut unum ex ijs, qui idonei ab examinatoribus judicati fuerunt, digniorem, seu magis idoneum eligat Episcopus, vel, si patronatum beneficium sit, Patronus Ecclesiasticus, atque huic & non alteri beneficium curatum, ab eo, cui id de Jure competit, conferatur. Quòd si aliter collatio fiat, subreptitia, & irrita erit, & provisio, si ad Episcopum pertinebat, ad Sedem Apostolicam devolvetur, per Bullam Pij V. quæ incipit: *In conferendis beneficijs edita anno 1567. die 1. Aprilis.* Videri potest *Less. lib. 2. c. 34. dub. 16.* Sin autem Patronus Laicus sit, debet is dignum, seu idoneum præsentare, qui si præmisso examine ab Episcopo talis repertus fuerit, absque concursu instituendus est. *cit. Sess. 24. c. 18.*

Excipitur tamen in *cit. Sess. 7. c. 13.* quòd præsentati, electi, aut nominati ab Universitate, seu Studij generalis collegio, examinari non debeant.

De eo verò dubitatur, num Episcopus ad beneficia curata examinare debeat eos, qui notoriè docti, probi, benè meriti, ideóque idonei existunt. Affirmant *DD. communiter apud Flamin. de resignat. lib. 8. q. 9. n. 83. Barbosam de officio Episcopi allegat. 60. n. 26.* pro-

26. propterea, quòd examen à Trident. Concilio requiratur, tanquam forma, sine qua collatio irrita sit. Quamvis de hac doctrina meritò dubitari possit, saltem cùm aliquis à Patrono Laico præsentatur, in quo casu observatur Jus antiquum, ut is, qui præsentatur, dignus judicatus fuerit, instituendus debeat. Frustra autem in tali casu examen instituitur, si apertè notum sit, eum dignum esse, id est moribus, & doctrinâ commendatissimum; quod enim notum est, de eo frustra inquiritur; & ad argumentum respondeti potest, irritam esse institutionem, si fiat non præmisso examine, ubi examini prudenter locus esse potest; saltem in Germania consultum non est, ut præsentatus à Patrono, aut liberè instituendus ad beneficium curatum, si notoriè idoneus sit, examini subijciatur; sed neque forma conferendi per concursum in Germania est usitata, quamvis valdè expediret, eam in usum deduci, cùm alioquin multi indigni, aut minùs digni, ad Ecclesias parochiales, non sine magno spirituali damno promoveantur.

CAPITULUM XXXII.

Licet.

Paraphrasis.

Tametsi decretum sit, ut beneficiarij, qui Theologici studij causâ absentes sunt, beneficiorum suorum fructus integros percipiant, tamen hac concessione non censentur comprehendi distributiones quotidianæ, quippe, quæ ijs tantùm tribui debent, qui in Ecclesia residents, & Horis Canonicis intersunt.

Summarium.

1. *Cui Clerico concessum est, ut absens etiam fructibus sui beneficij gaudere possit, non censentur concessæ etiam distributiones quotidianæ.*
2. *Hinc infertur, privilegium ex una nonnunquam parte favorabile esse, ex alia parte odiosum.*

NOtandum. 1 Si Clerico seu communi Jure, seu per privilegium concedatur, ut fructus beneficij in absentia percipiat, hac concessione non censentur comprehensæ distributiones quotidianæ. Ita etiam docui *in c. unico de Clericis non residentib. in 6. not.* 1. Ratio dari debet, quia distributiones habent institutionem diversam, à fructibus præbendæ; dantur enim illæ principaliter ob Ecclesiastici officij celebritatem, ut Canonici tantò libentiùs, & studiosiùs intersint, si præsentem remunerationem accipiant.

Exinde infert *Abb. hic n.* 3. accidere 2 interdum, ut privilegium unâ ratione favorabile sit, & eatenus latè explicandum; aliâ autem ratione odiosum, quatenus tertiæ personæ, vel Ecclesiæ præjudicare, aut cultum divinum minuere potest, & eatenus strictè interpretandum esse, qua de re dixi *in lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 3. §. aliud.*

CAPITULUM XXXIII.

Exposuisti.

Paraphrasis.

Episcopus Vesprinensis exposuit Honorio III. postquam per Concilium Lateran. sub Innocent. III. (*supra in c. extirpandæ §. qui verò hoc tit.*) decretum fuit, ut habentes Capellam, seu parochialem Ecclesiam, ei per se, non per Vicarium deservire teneantur, ex eo tempore, Canonicos Ecclesiæ cathedralis, ex præbendarum suarum redditibus, non posse consequi sustentationem sufficientem, quandoquidè Capellæ ipsis conferri ampliùs non possint, quare petijt Episcopus à Papa, ut dispensativè permitteret Canonicorum redditibus per provisionem Capellarum accessionem fieri, & augmentum. Ad id respondet Honorius petitioni ejus satisfieri non posse, propterea, quòd generalis Concilij statutis, quæ inconcusse servanda esse vult Pontifex, derogaretur. Verùm ut Episcopo, tanquam benè merito, gratificetur, & opem

opem pauperibus Canonicis afferat, ideò facultatem tribuit, si evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiæ ejus exigit, ut Capellas suæ diœcesis Canonicalibus præbendis annectendo Canonicorum redditus augeat, relictâ congrua portione presbyteris Capellarum.

SUMMARIUM.

1. *Generalis Concilij decretis difficulter derogat Pontifex, itaut non censeatur illis derogare, nisi expressa clausula adsit: non obstante Concilij decreto. &c.*
2. *Enumerantur causæ justæ, ob quas à Pontifice præbendis canonicalibus uniri possint Ecclesiæ parochiales.*
3. *Quis curam habeat in talibus Ecclesijs parochialibus, cui Vicarius perpetuus datus est?*

1 NOtandum primò. Papa difficulter adducitur, ut Generalis Concilij decretis deroget, sive in ijs dispenset, quam ob rem, nisi clausula derogatoria, *non obstante* &c. expressè adijciatur, nunquam censetur derogatum Concilio generali, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 21. n. 2.* quod maximè verum est, si Concilium Generale proximè antecesserat, sicuti hîc apparet, & ob eandem causam Papa difficillimè dispensat adversus Trident. Concilij decreta, præterquam, si ipsum Concilium dispensationis à Romano Pontifice faciendæ mentionem aliquam faciat: cùm enim talia statuta novitèr edita sint, ideò per observationem introduci ac stabiliri debent, non autem mox per derogationem, vel dispensationem infirmari.

2 Notandum secundò. Causæ justæ, cur parochiales Ecclesiæ per Romani Pontificis authoritatē uniri possint canonicalibus præbendis, sunt hæ: videlicet evidens necessitas, si nimirum propter præbendarum tenuitatem non reperiantur Clerici, qui eas accipere, & in Ecclesia præsertim Cathedrali ministrare velint; atque evidens utilitas Ecclesiæ, si nimirum propter præbendarum tenuitatem non reperiantur idonei, & Ecclesiæ præsertim Cathedrali utiles Clerici, qui instituì velint. Ita notavit *Abb. hic n. 5.* ubi ait, personæ merita, & excellentiam, non esse causam sufficientem ejusmodi unionis, quia cùm hæc unio perpetua sit, & ipsius beneficij naturam immutet, ideò propter personæ merita potiùs beneficiorum incompatibilium pluralitas dispensativè permitti debet juxta *c. de multa 28. hoc tit.* quàm annexio, seu unio præbendarum, seu beneficiorum.

Quæritur. Si Canoniæ, seu præbendæ canonicali annexa sit Ecclesia parochialis, ita ut Vicarium, eúmque perpetuum, necesse sit constituere, quis curam Animarum habeat, Canonicus, an Vicarius? De hoc disputat *Gl. V. necessitas, & alij Canonistæ hic apud Imolam n. 4.* Mihi placet, ut dicamus cum *Anton. hic*, quòd cura in habitu pertineat ad Canonicum, tanquam Rectorem Principalem, ad Sacerdotem verò pertineat, cura in actu, tanquam Vicarium, prout latiùs explicavi *in disp. de Prælatis. q. 208.* Sed alia ratio est, si dismembratio beneficij curati facta sit, quia ex parochiali beneficio portio ablata, & pensionis titulo adjuncta præbendæ Canonicali. Hoc casu Canonicus nullam curam parochiæ habere censetur, prout notat *Abb. in fine c.* 3

CAPITULUM XXXIV.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

G. Clericus impetravit ab Honorio III. literas ad Decanum & Capitulum Andegavense, mandatum continentes, ut ipsum G. cùm primùm se facultas obtulerit, in Canonicum ibi reciperent, & fratrem. Executoribus etiam constitutis Episcopo priore, & Archidiacono Erfordiensibus. Coram his Decani, & Capituli procurator excepit, literas Apostolicas non valere, quia in ijs nulla mentio fiat, quòd Decanus ex Regis donatione præbendarum in ea Ecclesia collationem haberet. Hoc intellecto dicti

Episcopus, & Socij ejus interloquendo pronunciarunt, non sine malitia, uti videtur, se mandatum Apostolicum exequi non debere; quare duæ præbendæ, quæ ab illo tempore vacârunt, alijs Clericis collatæ fuerunt; sed quia dictus G. appellaverat à sententia executorum, cui appellationi ijdem etiam detulerunt, rescribit Pontifex nolle se, ut G. literarum Apostolicarum commodo diutiùs careat; ideóque mandat eisdem executoribus, ut non obstante exceptione ea, quam frivolam esse decernit, mandatum Apostolicum executioni mandari curent.

Summarium.

1. *Mandata Sedis Apostolicæ circa collationem beneficiorum, alia sunt de providendo, alia executorialia, ubi varij etiam modi, & formæ talium mandatorum explicantur.*
2. *Explicatur, quo tempore gratiæ tales Apostolicæ suum effectum habeant, an tempore concessionis, expeditionis, vel præsentationis.*
3. *Executor ad beneficium deputatus numnerus an mixtus censeri debeat?*
4. *Utrùm executor ad beneficia possit alteri committere examen personæ promovendæ?*
5. *Delegatus, aut executor num sit competens, ipsemet decidere potest.*
6. *Ordinarie tamen non potest se immiscere, si beneficium, intra triginta dies, Ordinarius, ad quem litteræ in forma Dignum, directæ sunt, non conferat ex causa aliqua rationabili.*
7. *Translatum à Latco in Ecclesiam, vel Clericum, jus præsentandi, ratione dignitatis, sit Ecclesiasticum.*

1 NOtandum primò. Litteræ, & mandata Sedis Apostolicæ circa beneficiorum collationes, alia sunt de providendo, alia verò executoria: mandata de providendo duplicis generis existunt, vel de beneficio proximè vacaturo, sicut patet *in hoc cap.* quando Pontifex scripsit ad Decanum & Capitulum, ut Clericum impetrantem, cùm primùm se occasio obtulerit, seu Canonicatus vacaverit, in Canonicum recipiant. Verùm hæc mandata, quæ aliàs dicuntur exspectativæ, & gratiæ ad vacatura, sublata sunt *per Concil. Trident. sess. 24. c. 19. de reform. & videri potest Garz. p. 6. c. 1.* Vel mandata seu literæ beneficiales dantur de beneficio vacante, & hæ in duplici forma dari solent à Sede Apostolica, vel in forma, quæ dicitur gratiosa, si nimirum Papa Romæ conferat Clerico beneficium, v. g. Canonicatum, mensis Pontificij, & expediri solent hæ literæ cum filis sericis rubri, croceique coloris; adjungitur verò mandatum ad executores, ut provisum in possessionem inducant, contradictores compescendo; quod verbum intelligi debet, de ijs, qui de facto contradicunt, non de ijs, qui de jure contendere volunt; horum enim causa ab executoribus, cùm sint mixti, ut postea dicam, cognosci debet, & dicitur hæc Bulla Executoria, habens chordas Cannabis, si à Cancellaria Apostolica expediatur; sin verò à Camera, in eadem membrana, seu Bulla hæ duæ formæ videlicet gratiosa, & executoria conjunguntur *teste Rebuf. in praxi. c. 1. tit. de forma novæ provisionis*, ubi de quarta parte Bullæ.

Vel dantur litteræ in forma incipiente *Dignum*, quando Papa beneficium non confert, sed mandat Ordinario, aut Vicario ejus, ut præmisso examine certæ personæ, pro qua scribitur, intra 30. dies, post præsentationem litterarum numerandos, conferat, possessionémque tradat, possessore quolibet amoto, & contradictores compescendo, prout videre est *apud Flamin. de resignat. lib. 8. q. 7. n. 137.* Et expeditur Bulla ista cum chordis cannabis, & una cum ea expediri solet alia Bulla ad executorem, vicinum aliquem Episcopum, aut Vicarium ejus, tali forma, ut si Ordinarius intra dies 30. beneficium non conferat, ipsemet executor conferat & exequatur juxta Apostolicum mandatum, prout tradit *Garz. cit. p. 3. c. 2. n. 5.*

Quæ-

Quæritur primò. Quo tempore hæ, & aliæ gratiæ, aut litteræ Apostolicæ suum effectum consequantur, num tempore concessionis, an expeditionis Bullæ, an verò præsentationis. Loquimur autem de gratijs, sive concessionibus factis, non de faciendis, prout annotavi *in lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 10.* Resp. & dico primò. Gratiæ, & beneficia principis, absque ulla scriptura, per solam voluntatis declarationem, quæ fit verbo *fiat*, valorem, ac vim suam accipiunt, saltem si secundùm se, & in conscientiæ foro spectentur. Ita sumitur *ex c. institutionis 6. causa 25. q. 2. juncta Gl.* ubi dicitur, *quòd sententia principis, sive in scripto concepta sit, sive voce, Jus facit. Et ex Clement. dudum V. nos etenim, ubi Gl. V. verbo* hic videtur expressum, quòd valet privilegium, vel gratia Apostolica, licèt scriptura confecta non sit: quod etiam ex communi docet *Sylvest. V. privilegium q. 14. Joannes Cockier in regulam 53. Cancellariæ. Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 29. n. 2. Molina to. 3. disp. 599. & tradidi cit. c. 22. n. 10.* ea ratione, quia ad substantiam cujuscunque concessionis, aut donationis, suppositâ potestate donandi, plus non requiritur, quàm consensus duorum in idem, videlicet, ut unus petat, aut acceptet, & alter annuat, seu velit, gratiam aut privilegium concedere.

Excipi debet, nisi speciali lege statutum sit, ut ad valorem gratiæ, dispensationis, facti, vel contractus requiratur scriptura, ita ut sine ea valorem non habeat. Hoc modo notum est, & docui *in lib. 3. tract. 4. c. 3. n. 2.* quosdam esse contractus, videlicet emphiteuticos, qui scripturâ perficiuntur. Eademque ratione dicendum secundùm stylum Romanæ Curiæ, omnes provisiones aut gratias beneficiales, quæ fiunt à Sede Apostolica, per collationem, confirmationem, unionem, aut dispensationem, de retinendo, vel alio modo, non antè esse validas, quàm litteræ fuerint expeditæ, ac plumbatæ, adeò, ut qui absque litteris possessionem apprehenderit in quolibet beneficio, aut prælatura, pro intruso habendus sit: prout videre licet apud *Azor tom. 1. lib. 5. q. 5. Flaminium lib. 6. q. 4. n. 30.* Si tamen error aliquis in expeditione commissus sit, qui ex supplicatione corrigi debeat, plumbum auferri solet ab officiali ad hoc destinato, & alijs confectis litteris inseri, sed si alius id facere aggrederetur, tanquam falsarius puniri potest, *teste Rebuffo de Bullæ novæ declaratione n. 17.*

Similiter secundùm regulam Cancellariæ 53. dispensationes Pontificiæ non suffragantur, antequam litteræ expeditæ sint; id verò intelligi debet duntaxat, in ordine ad forum externum, in quo dispensationes æstimari non debent, nec secundùm eas procedi, aut judicari, nisi litteræ expeditæ fuerint, illarum tamen valor, & substantia etiam in ipso externo foro metiendus non est secundùm tempus expeditionis litterarum, sed secundùm tempus concessionis, tametsi Papa, qui gratiam dispensationis concessit, mortuus sit, & litteræ expeditæ fuerint nomine Pontificis succedentis, sicuti testantur *Cokier, Molin. & Sanchez.*

His addendum est, quòd litteræ, quæ ad judices, vel executores diriguntur, non tantùm expeditæ esse debeant, sed etiam intimatæ, seu præsentatæ, neque sufficiat protocollum Notarij manu scriptum, aut ab eo transumptum, teste *Garzia mox citando*, adeò ut si judicium, ante præsentationem litterarum authenticarum, cœptum sit, pro irrito haberi debeat, juxta *regulâ Cancellariæ 25. de non judicando secundùm formam supplicationum*, & docent *Molina cit. disp. 599. n. 2. Garzs. p. 6. c. 2. n. 16. Sanchez cit. disp. 29. n. 10.* ubi aiunt, exercitium jurisdictionis non acquiri, nisi litteræ commissionis præsentatæ sint.

Dico secundò. Ad probationem faciendam intra, vel extra judicium, frequenter necessarium est, ut gratiæ seu privilegia in scripturâ redacta sint. Ita ex communi *Mascar. con. 845. n. 15. Sanchez. cit. loco.*

Corollarium. Si quis sciat à Pontifice dispensationem concessam, v. g. super lege

jejunij, tametsi litteræ expeditæ non sint, aut amissæ, gratiâ eâ uti potest: verùm si deprehendatur, puniri potest, tanquam Canonis transgressor, si litteras dispensationis ostendere, aut de ijs fidem facere non possit.

3 Quæritur secundò, num executor deputatus ad beneficium, merus, aut mixtus censeri debeat? Resp. & dico primò: in quibusdam casibus certum est, esse executorem merum, ita ut judicis officium assumere non possit, videlicet, si collatio beneficij, seu inductio personæ in possessionem ejus, ab eo commissa sit, qui inter partes judicandi potestatem non habet, v. g. à Capitulo, tunc executor cognoscere quidem potest, imò debet, num persona qualitates requisitas habeat, & narrata in impetratione, quæ ad rem pertinent, verificare possit, prout docet *Garzias cit. c 2. §. 2.* Verùmtamen non judicialiter, sed extrajudicialiter tantùm talia examinare debet, prout docent *Innocent. & Felin. in c. ult. n. 19. de officio delegati.*

Præterea si is, qui commissionem facit, causam plenè cognovit, tunc executor tenetur esse merus, sive datus ad meram executionem; idémque est, si Papa, aliúsve Ordinarius mandet alicui provideri ex certa scientia, ita ut nullæ exceptiones admittendæ sint: qua de re *Felin. in c. de catero. con. 2. ibidem Hostiensis de re judicata. Abb. in ex c. parte 13. de officio delegati.* Idque verum est, tametsi in commissione adjecta sit clausula, contradictores compescendo, videlicet per censuras, quandoquidem talis jurisdictio non se extendit ad causam principalem, aut eos, qui de Jure contradicunt, sed eos tantùm, qui de facto se opponunt, aut resistunt executioni, uti suprà dixi.

Dico secundò. In quibusdam casibus certum est, quòd executor ad beneficia partes judicis assumere possit, & plerumque debeat. Primò si in litteris commissionis expressa sit clausula *vocatis vocandis*, tunc provisio irrita erit, nisi citatio, & judicialis processus antecedat, *teste Abbate in 6. exhibita. n. 6. de judicijs. Tusco V. executor, con. 501.* Quare, si quorum interest, ignorantur, per generale edictum vocari debent *c. ult. de rescriptis in 6.* Secundò si beneficium non vacet de facto, quia alius in possessione est, quamvis intrusus dicatur, is vocari, & audiri debet *c. licet 28. juncta Gl. V. de non vocato. de præbendis in 6.* quia non censetur esse Principis voluntas, ut possessor non vocatus pellatur *l. 2. c. si per vim, vel alio modo.* Quare dici solet, quòd nec injustus beneficij detentor removeri debet, Juris ordine non servato, uti videre licet apud *Felin. cit. c. ult. n. 24. Garz. n. 119.* ubi addit: tametsi addita sit clausula, ut remotâ appellatione, contradictores compescantur, quia non intelligitur de ijs, qui jure contradicere possunt, secundùm *Gloss. in c pro illorum 22. V. contradictores, de præbendis.* Excipe, nisi, prout suprà dictũ est, à mandante executionem, causa plenè cognita fuerit. Tertiò: si in commissione contineatur clausula, sive conditio, in qua agitur de præjudicio alterius, v. g. hac forma: si Titius beneficium suum sponte, nullâque vi, aut dolo inductus, renuntiavit Cajo, tribuatur huic beneficium, aut in possessionem inducatur; idémque dicendum, si resignatio beneficij in manibus Superioris, in gratiam certæ personæ facta non est absolutè, sed cum conditione, quæ fortasse nondum impleta est, sicuti notat *Garz. n. 126.* Quartò: si executor datus sit ad compellendum Ordinarium, ut conferat; debet enim eum priùs monere, ac citare, & si aliquas exceptiones afferre velit, audire. *argum. c. accepimus 13. in fine de ætate & qualitate &c.* & tradit *Abb. cit. n. 13. casu 4.* Quintò: quotiescunque aliquis comparet contradictor, non tantùm, qui ratione privati interesse se in jure opponere velit, sed etiam, si quis ratione Publici Boni, ut si parochianus dicat, hominem esse criminosum, cui beneficium conferendum, sicut *Felin.*

monet

monet. *n. 27. argum. c. ult. de præsumptionibus in fine.*

Dico tertiò. Si executori absolutè mandetur, ut beneficium vacans conferat Titio, aut eum in possessionem mittat, sive addatur, si dignus sit, sive subintelligatur, hoc casu, si nullus compareat contradictor in jure, nec agatur de præjudicio tertij, opus non est processu judiciali, cùm executor extrajudicialiter cognoscere possit de personæ qualitate &c. sicuti docet *Innocent. in cit. c. ult. & Ioannes Baptista Nicolaus in Regulis Juris V. executor.* Sed etsi executor, aut subdelegatus ab eo citet partes, ac deferat juramentum, duntaxat in ordine ad compellendum, & mandati executionem faciendam, etiam censuras intentando, non autem ad cognoscendum, aut judicandum inter partes, nihilominus censeri debet executor merus, ita ut talis executio alteri cuicunque Clerico committi possit, teste *Garzia p. 6. c. 2. n. 106.*

Quæritur tertiò. Utrùm executor promotionis ad beneficia, possit examen personæ alteri committere. Resp. affirmativè ex communi apud *Garz. n. 100.* idque locum habet, etsi hæc verba sint: onetamus in hoc conscientiam tuam, sicuti docet *Abb. inc. cum in veteri. n. 4. de electione Sanchez. lib. 8. disp. 27. n. 43.* qui tamen id solùm affirmat, si commissio facta sit dignitati, non item, si personæ certæ; sed alij hujus distinctionis non meminerunt, absolutè dicentes, quòd executor gratiæ talia præambula, v. g. examen, alteri committere possit.

Est autem distinguendum, an examen à subdelegato fiat in forma judicij, an verò extrajudicialiter, nam in priore casu debet is esse cathedralis Ecclesiæ Canonicus, vel in dignitate constitutus. *c. statutum de electione in 6.* At verò, si sit actus v. g. examinis, aut corporalis inductionis in possessionem (cujusmodi actus æquè per alium facere potest commissarius, ac per se) tum consuetudo obtinuit, ut cuicunque idoneo Clerico tale ministerium ab Apostolicæ Sedis delegato, vel executore committi possit, sicuti dixi *in fine q. præcedentis & tradit Rota Rom. in decisionibus novis. decisione 29. de rescriptis. Tusc. V. executor. con. 497.*

Notandum secundò. Orto dubio, num Judex delegatus, vel executor ad beneficia, sit competens, potest ipsemet tale dubium decidere: non tamen ex sola pronunciatione, quòd jurisdictio sibi non competat, quia v. g. rescriptum, aut gratia impetrata subreptitia est, jurisdictione carere censetur, cùm possit ab eo appellari, &, justificatâ appellatione, causa, vel executio ad eundem remitti, uti hìc apparet, & annotavit *Imola. n. 4.* & docui *in c. significantibus 38. not. unico de officio delegati.*

Quæritur. Si Ordinarius, ad quem literæ papales in forma *Dignum* directæ sunt, beneficium intra dies 30. non contulerit, sub prætextu, quòd literæ subreptitiæ sint, vel impetrans idoneus non sit repertus, num executor se immiscere, & procedere possit ad examen de personæ idoneitate, aut literarum valore. Resp. Ordinariè loquendo, eum non posse, quia suppetit remedium appellationis ad Superiorem, videlicet Papam, vel etiam Metropolitanum, teste *Parisio lib. 10 q. 7. n. 25.* & ita docet *Garzia cit. c. 2. n. 61. & seqq.* & sumitur *ex c. si capitulo 5. de concessione præbendæ in 6.* quòd executor literarum beneficialium per Bullam executorialem, quæ dicitur rigorosa, non absolutè constituitur ad exequendum, sed sub conditione, si Ordinarius intra dies 30. conferre non possit, quia v. g. contradictor apparet, cum quo lis est. Veruntamen si notorium sit, frivolam esse rejectionem Ordinarij, præsertim si non servato ordine, v. g. nullo instituto examine, pronunciet, impetrantem non esse idoneum, vel non præmissâ cognitione pronunciet, literas esse subreptitias, videtur valiturus processus, & collatio

tio facta per executorem post lapsum dierum 30.

Notandum tertiò. Si Laicus jus præsentandi, quod ipsi ex fundatione competit, transferat in Ecclesiam, vel Clericum ratione dignitatis suæ, jus Patronatûs fit Ecclesiasticum, cui proinde Pontifex arbitratu suo derogare, sive Patrono hoc non requisito, collationem facere potest, ac solet *c. 1. de jure patronatûs in 6.* & tradit *hic Gloss. V. frivolum. Imola n. 6. Abb. n. 3.* generalem regulam tradens, si res Laici confertur Ecclesiæ, assumit naturam rerum Ecclesiasticarum, earúmque privilegijs gaudet, & ideò non debet subijci gabellis, aliisque oneribus. Vide, quæ docui *lib. 4. tract. 9. c. 6.* Aliter intelligi potest casus hujus capituli, quòd Rex beneficiorum collationem habuerit ex privilegio Papæ; hoc casu ideò Decani exceptio frivola fuit, quia tali gratiæ Papa derogare potest per concursum, ita ut, sicuti cum ordinarijs Ecclesiasticis collatoribus concurrit, ita etiam cum Rege, nisi specialia concordata edita sint; quibus Pontifex facilè derogare non solet. Vide, quæ dicam *in c. 2. hoc tit. in 6.*

CAPITULUM XXXV.

Inordinata.

Paraphrasis.

Ij Clerici ad beneficia Ecclesiarum censeri debent idonei, qui volunt, & possunt in ijs servire, quam ob rem pueri, & qui alibi intitulati sunt, cùm servire non possint in Ecclesia, non sunt in eadem idonei reputandi.

Notandum. Spectato communi jure ad beneficium Ecclesiasticum nemo instituendus est, nisi in eo velit, ac possit personaliter servire. Consentit *c. 3. de Clericis non residentibus.*

CAPITULUM XXXVI.

Cum causa.

Paraphrasis.

Joannes Canonicus S. Crucis contendebat cum Episcopo Aurelianensi super præbenda sibi integranda, quam causam Gregorius IX. quibusdam delegavit. Ij dubitârunt, num alterius præbendæ divisio instituti deberet, ad integrandam præbendam Joannis. Respondit Gregorius, quando mandavit præbendam Joannis integrandam esse, non fuisse mentem suam, quòd propterea alia præbenda esset dividenda.

Notandum. Divisio præbendæ etiam vacantis instituti non debet sine necessitate, aut rationabili utilitate, quia non decet ad unum altare operiendum, alterum denudari. Veruntamen si aliqua præbenda non sit integra, & sufficiens ad sustentationem, neque alio faciliore modo, videlicet ex Bonis Ecclesiæ, seu Capituli communibus succurri possit, tunc aliud beneficium, quod reditus abundantes habet, dismembrari, aut dividi posse, dixi *in c. majoribus 8. & c. vacante 26. hoc tit.*

CAPITULUM XXXVII.

Venerabilis.

Paraphrasis.

Episcopus Portuensis, cùm in Germania legationis Apostolicæ munere fungeretur, præbendam canonicalem, quæ in Argentinensi Ecclesia, tanto tempore vacarat, ut ejus collatio ad Sedem Apostolicam devoluta esset, Clerico contulit, sed Capitulum cathedrale opposuit se, allegans diuturnam inviolabiliter observatam consuetudinem, juxta quam nemo, nisi nobilis ac liber, & ab utroque parente illustris, honestæ conversationis, atque eminentis scientiæ in suum Collegium recipiatur, & ideò ne quidpiam adversus hanc

hanc Ecclesiæ suæ consuetudinem attentaretur, ad Sedem Apostolicam appellavit; præsertim cùm nulla eo tempore præbenda vacaret, neque monitoriæ (de his dixi *in c. capitulum 30. de rescriptis*) aut executoriæ literæ à Sede Apostolica venerint. Hac re intellectâ respondit Gregorius IX. quòd non generis, sed virtutis nobilitas Deo gratum faciat, & idoneum servum, quare ad regimen Ecclesiæ non multos nobiles, & potentes elegerit Deus, sed ignobiles, ac pauperes, cùm non sit acceptio personarum apud ipsum; insuper vix ad culmina dignitatum, ne dum ad præbendas viros eminétis scientiæ reperiri posse. Ob hæc itaque Papa decernit, eas Capituli exceptiones admittendas non esse, & mandat cuidam delegato, si cognoverit præbendam eo tempore vacâsse, cùm eam Episcopus Portuensis Clerico J. contulit, ipsum recipi faciat.

SUMMARIUM.

1. *Spectato jure communi legati à latere conferre possunt beneficia, quæ non sunt patronatûs Laici.*
2. *Antiqua quidem est consuetudo Argentinensis Ecclesiæ, ut in illa non admittantur Canonici, nisi illustres & doctrinâ clari, præferenda tamen Pontifici videtur virtutis nobilitas.*
3. *Neque consuetudo contraria primis fundationibus conformis est, nisi expresse ab ipsis fundatoribus certa nobilitas, aut doctrina requisita sit.*
4. *Nobilitati tamen generis præferenda est virtutis, & scientiæ nobilitas.*
5. *Scientia eminens nec reperitur, nec requiritur semper in personis Ecclesiasticis.*

1 NOtandum primò. Legati Apostolici, si à latere sint, vel cum potestate legatorum à latere missi, Ecclesiastica beneficia, quæ juris patronatus Laicorum non sunt, conferre possunt, spectato communi jure. *c. 1. de officio Legati in 6.* & docui *lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 7.*

2 Notandum secundò. Antiquissima est consuetudo Ecclesiæ Argentinensis hucusque continuata, ut in ea Canonici non admittantur, nisi liberi, nobiles, & ab utroque parente illustres. Advertendum verò, quòd tempore Gregorij IX. seu ante annos 400. requirebatur, ut Canonici probatæ vitæ, & clari scientiâ essent; alioquin enim Ecclesia Cathedralis detrimentum patitur, si tantùm genere clari recipiantur, nisi & scientiâ, ac virtute præstantes sint.

3 Notandum tertiò. Non potest per consuetudinem, vim statuti habentem, introduci, ut in Capitulum tantùm genere nobiles recipiantur. Ita hîc. Et docent Canonistæ omnes, quia talis consuetudo repugnat primæ institutioni Sacrorum Collegiorum, & fini principali, qui est sacrum Ministerium, & servitus Dei; Deus autem æquè pauperes, & ignobiles vocat, & eligit, ac divites, & nobiles. Verùm nihil obstat, quò minùs prima fundatio Ecclesiæ alicujus sæcularis, aut regularis conditionem expressè requirat, ut ad eam Ecclesiam tantùm nobiles, aut illustres recipiantur. *argum. c. verùm. 2. de conditionib. appositis.* & ostenditur ex eo, quia frequens id est, ut fundationes beneficiorum fiant pro certa familia, aut ex certa civitate ortis, ita ut hi, si idonei adsint, reliquis præferri debeant, consequenter verò, cùm adsit capacitas in subjectis, videtur, quòd Capitulares per consuetudinem immemorialem cum bona fide, titulo præscriptionis, tuti sint.

4 Notandum quartò. Duplex est Nobilitas, una generis, altera scientiæ, & virtutis, & hæc præferri debet, quia intrinseca est, & homini propria; altera verò, generis nobilitas, extrinsecùs adveniens, quæ si sola sit, hominem non ornat; sin autem cum altera, cum scientia inquam, & virtute juncta sit, magnum robur, & splendorem addit. Videri potest *Tiraquell. in tract. de nobilitate.*

No-

Notandum quintò. Scientia eminens in paucis etiam Ecclesiasticis personis reperitur, sed nec requiritur etiam in Episcopo, alióve Prælato. *c. cùm non pridem 10. de renunciatione.* multò minùs in alijs curatis, & beneficiarijs. Pro cujus intellectu notanda est doctrina *Innocent. in c. cùm in cunctis, de electione*, quòd scientia alia eminens est, & alia mediocris, & sufficiens. Eminentem vocat, si quis difficiles quasque quæstiones definire possit, ita ut responsiones in promptu habeat; talis scientia in pauciſſimis est: alia verò scientia, quam vocat mediocrem, si quis sciat propositas quæstiones, & dubia examinare, ita ut licèt responsiones semper in promptu non habeat, tamen pervolutis libris inquirere, veritatem deprehendere, aliisque tradere possit, & hæc sufficit, quare libros habere oportet Doctorem, & Ecclesiæ Prælatum, atque curatum, & in ijs frequenter versari, alioquin doctrina non augetur, sed quæ antea parta est, temporis ac memoriæ lapsu paulatim perditur.

CAPITVLVM VLTIMVM.

Cum olim.

PARAPHRASIS.

Gregorius IX. mandavit Priori S. Mariæ, ut G. Diacono in aliqua Ecclesia civitatis, aut Diœcesis Lucanensis, authoritate Apostolica beneficium provideret; is accepto mandato G. in Ecclesia S. Petri Rectorem instituit, contra opponentes se excommunicationem proferens, cùm tamen Rector ejus Ecclesiæ Collegiatæ per Clericorum electionem fieri soleret: hoc cognito respondit Papa, cùm mandatum de providendo beneficio, si quod vacet, vel proximè vacaverit, & intentio Pontificis mandantis, ad rectoriam, vel dignitatem se non extendat, sed tantùm de simplici beneficio intelligatur, ideò institutionem dicti G. & promulgatam excommunicationem, viribus carere.

SUMMARIUM.

1. *Nomine beneficij, quod alicui conferri mandat Papa sub clausula, qualecunque illud sit, non venit Ecclesia, aut dignitas, quæ per electionem conferri solet.*
2. *Ita ut irrita sit collatio, si ab executore, aut delegato, contra commissionem factam conferatur beneficium aliquod.*

NOtandum primò. Si Papa mandet Clerico provideri beneficium, non comprehenditur Rectoria, aut dignitas, quæ, electione interveniente, confertur, sed tantùm simplex beneficium intelligitur; idémque dicendum, etsi mandetur, provideri de beneficio qualicunque, quod in Ecclesia vacat, his verbis, non comprehendi beneficia curata, aut personatus, aut dignitates, *c. cum in illis 16. hoc tit. in 6.* Ratio datur *in c. quamvis eodem in 6.* quòd literæ beneficiales, cùm sint ambitiosæ, restringi, seu strictè interpretari debent. Consentit *c. 1. & 2. de filijs presbyterorum in 6.*

Notandum secundò. Non tantùm irritum est, quod à delegato, aut executore fit, præter, aut ultra commissionem *L. diligenter 5. ff. mandati.* Sed etiam acta accessoriè, seu propter illud, quod commissum erat, pro irritis haberi debet, ut si citaverit, reluctantem excommunicaverit &c. cùm enim desit jurisdictio in principali causa, etiam in accessorijs deesse debet. Porrò quidnam commissum fuerit delegato, aut executori, pendet ex intentione committentis; ea verò ex verbis maximè, secundùm materiam subjectam, consideratis desumi debet; præcipuè verò attendendum ad ea verba, quibus dispositio sive mandatum ipsum exprimitur, ac describitur, & non ita ad ea verba, quibus potestas inhibendi, compescendi, vel similia adjuncta, seu accessoria comprehenduntur, & describuntur, juxta *Clement. 1. §. ad hoc. hoc tit.*

* * *

CAPI-

CAPITVLVM I.

eodem Titulo in sexto.

Suscepti.

PARAPHRASIS.

Præfatur Clemens III. susceptum curæ pastoralis officium exposcere, ut ob animarum salutem nova quandoque jura edat, aut vetera renovet: cùm itaque per Sedem Apostolicam *in c. de Monachis 12. hoc. tit.* statutum fuerit, ut Episcopi neminem à Religiosis præsentatum Clericum, ad Ecclesiam parochialem recipiant, nisi tantam ejus redituum portionem coram ipsis assignent, ut inde jura Episcopalia solvere, & congruam sustentationem habere possit: at verò regulares quidam exempti, quibus jus competit præsentandi, ad Ecclesias parochiales, tantos inde reditus percipiant, ut ex residuo Presbyter commodè sustentari, & jura Episcopo solvere, aliáque onera præstare non possit, ideóque contingere soleat, ut personæ idoneæ non reperiantur, quæ hujusmodi Ecclesias recipere velint, atque minùs idoneis personis conferri debeant, cum animarum periculo; huic rei remedium afferre volens Papa, suprà dictam constitutionem *c. de Monachis* ab omnibus tam exemptis, quàm non exemptis Religiosis, aliisque patronis Ecclesiarum Parochialium observandam esse statuit, contrariâ consuetudine non obstante.

SUMMARIUM.

1. *Priùs quàm admittatur ab Episcopo præsentatus, debet Patronus tunc, si reditus Ecclesiæ habeat, portionem congruam designásse præsentato.*
2. *Neque potest ulla consuetudine introduci, ut reditus Ecclesiæ in defectu congruæ sustentationis pro beneficiato alius percipiat.*

1 NOtandum primò. Diœcesanus Episcopus non debet præsentatum ad beneficium curatum instituere, imò nec præsentationem admittere, nisi priùs Patronus præsentans, si is Ecclesiæ reditus percipere soleat, congruam portionem designârit; idémque dicendum, si Parochus aliò discessurus, vel religionem ingressurus, Vicarium Episcopo statuat, quòd eum priùs approbare non debet, quàm congrua portio designata sit.

Notandum secundò. Nullâ consuetu- 2
dine introduci potest, ut reditus parochiales aliò deriventur, & Presbytero curato sustentatio sufficiens non præbeatur; id enim Ecclesijs noxium est, atque juri naturali, ac divino repugnat, si is, qui altari servit, de altari non vivat.

CAPITULUM II.

Licet.

PARAPHRASIS.

plena dispositio de Ecclesiis, dignitatibus, personatibus, & aliis omnibus Ecclesiasticis beneficiis ad Romanum Pontificem spectat, quam ob rem non solùm ea, cùm vacant, de *jure* conferre potest, sed etiam in vacaturis *jus* expectativæ tribuere. Veruntamen collatio Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, & beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium, ex antiqua consuetudine Romano Pontifici specialiùs reservata est. Hanc itaque reservationem beneficiorum, in curia Romana vacantium, confirmare volens Clemens III. decernit, ut Ecclesiæ, dignitates, personatus, & beneficia, quæ in curia, seu apud Sedem Apostolicam, in posterum vacaverint, præter Pontificem Romanum, ab alio nemine quacunque authoritate, seu conferendi potestate munitus sit, sive ex *jure* ordinario eligendi, conferendi, aut providendi, sive ex literis ipsi super provisione facienda destinatis, seu eæ generales, seu speciales, aut sub quacunque verborum forma conceptæ sint (præterquam si specialis & expressa facultas de

conferendis beneficijs in curia vacantibus ab ipso Papa alicui tributa fuerit) conferant; & si secùs à quopiam actum, vel intentatum fuerit, id irritum, & inane erit.

Summarium.

1. *Plena de omnibus vacantibus beneficijs Ecclesiasticis dispositio est penes Pontificem.*
2. *Ita ut illi etiam de jure competat dare gratiam expectativam ad beneficia.*
3. *Et in conferendis beneficijs quibuscunque, cum alijs inferioribus collatoribus concurrat, ita ut detur locus præventioni.*
4. *Nisi beneficia talia specialiter Romano Pontifici sint reservata.*
5. *Quibus reservationibus locus etiam hodie est, ubi non contradicunt specialia concordata, qualia habent Germani.*
6. *Stantibus tamen concordatis, suum adhuc locum in certis casibus habent reservationes.*
7. *Etiam in casu, quo Canonicus v. g. vel Decanus, in Episcopum eligitur, ita ut in tali casu beneficia priùs habita censeantur in curia vacare, & juxta probabilem sententiam resignationi talis beneficij, etiam ante confirmationem, & possessionem obtentam, non detur locus.*
8. *Probabilius tamen est, quòd ea beneficia in Germania, quæ ob delictum, ipso jure, vacant, non sint reservata Pontifici.*
9. *Sicuti etiam valde probabilis est, & non damnanda praxis, quâ Canonici v. g. vel Decani Ecclesiarum Cathedralium, in Episcopum electi, ante confirmationem, & possessionem obtentam, sua beneficia resignant.*
10. *Sub generali tamen concessione conferendi beneficia, non comprehenduntur beneficia reservata; de precibus tamen primarijs Imperatoris aliter in casibus quibusdam sentiendum.*

NOtandum primò. Plena de omnibus 1
Ecclesiasticis vacantibus beneficijs dispositio, atque ordinatio ad Romanum Pontificem spectat. Idem habetur *in Clement. 1. ut lite pendente &c. ad quem*, Romanum Pontificem, *Ecclesiarum, dignitatum, aliorúmque beneficiorum, plena, & libera dispositio ex potestatis plenitudine, noscitur pertinere.* Ratio est, quia si beneficia vacent, nemo in eis jus habet, propterea dicuntur vacare de jure, consequenter redeunt ad Ecclesiam, sicuti omnia vacantia Ecclesiastica jura, & bona. *L. 1. C. de bonis vacantibus*, atque eorumdem provisio, seu ordinatio ad eos pertinet, qui Ecclesiæ præsunt, qualis in primis est Romanus Pontifex, tanquam Generalis Ecclesiarum omnium Episcopus, & Bonorum Ecclesiasticorum dispensator, à quo & alij Episcopi potestatem, beneficia & jura vacantia providendi, & dispensandi acceperunt, cum subordinatione ad Apostolicam Sedem *c. qui se 12. causa 2. q. 6.* Videri potest *Flamin. de resignat. lib. 1. q. 10. n. 47. Selva de beneficijs p. 2. q. 22. n. 3. Æneas de falconib. de reservationib. præludio 2.* ubi ait, quòd Papa solus sit Ordinarius Ordinariorum, & omnium beneficiorum collator.

Notandum secundò. Proprium est Ro- 2
mani Pontificis, neque alteri competit, dare gratiam expectativam ad beneficium proximè vacaturum, sicuti docui *lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 2.* idémque sentiendum de Coadjutoria perpetua, seu cum jure succedendi, cùm sit generalis regula Canonica *c. 2. de concessione præbendæ*: quòd beneficia, antequam vacent, conferri, aut promitti non possunt, excepta plenitudine potestatis papalis, juxta *c. proposuit 4. dicto titulo.* Porrò in Concordatis Germaniæ, de quibus paulò pòst dicam, continetur, quòd Papa gratijs expectativis, Ordinariorum aliorúmque collatorum provisiones, & collationes impedire nolit. Excipiun-

cur

mir tamen preces primariæ Romani Imperatoris, quæ & ipsæ reservationes quædam pontificiæ sunt, & non tantùm de vacantibus, sed etiam proximè vacaturis beneficijs dari possunt, sicuti docui *eodem tract. 2. c. 11. n. 3.*

Notandum tertiò. Papa in conferendis beneficijs quibuscunque cum alijs inferioribus collatoribus concurrit, ita ut si beneficium, vacet in Diœcesi N. non tantùm Episcopus, aliúsve ordinarius collator illud conferre possit, sed etiam Pontifex; nam sicuti Papa cum Episcopis in jurisdictione concurrit *juxta cit. c. 12. qui se.* ita etiam in conferendi potestate. Etenim in Successoribus S. Petri Ecclesiastica jurisdictio, & Ecclesias ordinandi potestas, tanquam in capite, & scaturigine residet, in alijs verò Prælatis secundùm communicationem, & derivationem, tanquam in membris. Hinc sequitur, quòd inter Pontificem, & inferiorem collatorem datur locus prævention, ita ut, qui prior contulerit, ejus collatio rata sit. Sicuti explicavi *in tit. c. 10. n. 2.* 3

Veruntamen ex antiquissima consuetudine Romanus Papa multa beneficia sibi reservat, seu collationi suæ propria facit, uti videri potest *in Extravagante Ad regimen. de præbendis, & in regulis Cancellariæ*, prout ea breviter numeravi *cit. tract. 2. c. 11.* Causæ reservandi hæ solent afferri. Prima. Quia potestas vacantia beneficia conferendi originaliter est à Romano Pontifice, ut suprà dixi, & habetur *in c. 1. distinct. 22.* Igitur, qui alijs potestatem largitur, sibi ipsi ampliorem reservat. *c. dudum 14. §. nos igitur infrà hoc tit.* Ita loco allegato notavit Flamin. Alteram tradit Gl. *in Extrav. Execrabilis hoc tit. inter Extravag. Ioan. 22. V. reservamus*, quia ad Papam tanquam omnium Christianorum, & specialiter Clericorum patrem pertinet, ut de Ecclesia bene meritos remuneret, eorum preces pro se, vel alijs interpositas admittat, Clericis indigentibus subveniat. Uno verbo ad ipsum pertinet, ut erga omnes se liberalem, ac munificum exhibeat, & ideò vacantium beneficiorum, tanquam bonorum communium dispensatio, & provisio ipsi optimè convenit. Tertia est apud *Less. de justitia c. 34. n. 48. Cokier in regulam 8. Cancellariæ. n. 9.* ut Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum in toto orbe existentium major sit communicatio, & conjunctio cum Ecclesia Romana, omnium aliarum Ecclesiarum Matre, si ab ea non tantùm in spiritualibus juribus, sed etiam in temporalibus beneficiorum proventibus dependeant, & influxum accipiant.

Porrò hæ Pontificiæ reservationes effi- 5
ciunt, ut spectato hodierno jure, maximè Germaniæ nostræ Concordatis, inter Nicolaum V. Papam, & Fridericum III. editis, anno 1448. in Bulla, quæ incipit *ad Sacram*, concursui, aut præventioni ordinariè locus non sit, prout notavit *Cokier in Reg. 8 n. 17.* Vel enim beneficium Papæ reservatum est, & tunc alius præter ipsum conferre non potest; vel non est Papæ reservatum, sed ad inferiores pertinens, videlicet, quæ dignitates, & beneficia cum cura, aut sine cura vacant in mensibus alternis numerum parem habentibus, videlicet Februario, Aprili, Sextili, Augusto, Octobri, Decembri, horum enim collatio, seu provisio Ordinarijs locorum relinquitur, secundùm *Reg. novam* Cancellariæ apud *Garz. p. 5. c. 1. n. 438. Cokier Reg. 8. & Germaniæ concordata §. de cæteris.* In his itaque Pontifex se non intromittit, sed liberum cursum ordinarijs particularibus collatoribus relinquit, salvis tamen reservationibus *Extravagantis Ad regimen Benedicti XII.* salvis item regulis Cancellariæ, quatenus eæ Germaniæ concordatis contrariæ non sunt.

Duo hîc explicari debent. Primum est, 6
quòd dixerim, *ordinarij locum non esse* concursui, & prævention: potest enim esse locus in certo casu, si quidem per Germaniæ concordata, juncta declaratione Gregorij XIII. in Bulla, quæ incipit: *Qui in*

Eccleſiam. Si vacante per obitum beneficio, illud Papa non conferat, intra tres menſes numerandos à die, in qua vacatio cognita eſt in loco beneficij, tunc redit jus conferendi beneficium ad priſtinum concurſum, ita ut locus ſit præventioni, id eſt, ſive Papa ſive Epiſcopus, aliúſve collator præveniat conferendo, ejus collatio rata ſit, prout videre eſt apud *Georg. Branden in concordata Germaniæ q. 6. in fin.*

Alterum, cur adjunxerim verba illa, *ſalvis tamen reſervationibus &c.* quia per concordata non omnes beneficiorum reſervationes papales ſublatæ ſunt, ſed eæ tantùm, quibus concordata ſpecialiter & expreſsè derogant, alijs in ſuo vigore manentibus. Exempli cauſa: Epiſcopatus, Monaſteria, & Prælaturæ aliæ, Pontifici reſervantur *per Extrav. ad regimen.* huic autem reſervationi derogant concordata Germaniæ, quatenus decernunt, ut Epiſcopatus, & Monaſteria per electionem provideantur, & confirmatio, ſi Eccleſiæ Sedi Apoſtolicæ ſubjiciantur, (cujuſmodi ſunt Epiſcopatus plerique, & quædam Monaſteria) à Pontifice petatur ſecundùm conſtitutionem *Nicolai III. in c. cupientes 16. de electione in 6.* Sin autem Eccleſiæ vel beneficia electiva Sedi Apoſtolicæ immediatè non ſint ſubjecta, confirmatio ab eo, ad quem pertinet, petatur. Hoc tamen nihil obſtante, ſi Epiſcopatus aut Prælatura aliqua in Curia vacet per obitum Epiſcopi, alteriúsve Prælati, libera proviſio à Pontifice fieri ſolet, propter *Extravag. Ad regimen,* cui per concordata derogatum non eſt, uti videre licet apud *Branden. q. 6. n. 5.* Deinde ſi Epiſcopus aliúsve Prælatus (loquimur autem hîc de ſæcularibus, & regularibus) etiam extra curiam mortuus Cardinalis ſit, Capitulum eligere non poteſt, ſed libera proviſio ad Papam pertinet vigore dictæ Extravagantis, in qua reſervantur Papæ Epiſcopatus, aliæque Prælaturæ, ac alia beneficia vacantia per obitum Cardinalis, alteriúsque officialis Sedis Romanæ.

Ulteriùs. Si Canonicus aut Decanus Eccleſiæ Cathedralis in Epiſcopum eligatur, ejus Decanatus, & alia beneficia vacant in curia, ſeu Pontifici reſervata ſunt, juxta *eandem Extrav. Ad regimen,* ubi dicitur, quòd Monaſteria, Decanatus, dignitates, etiamſi electivæ ſint, aliáque beneficia omnia, cum cura, & ſine cura vacant per promotionem à Sede Apoſtolica factam ad Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum regimina ſeu Prælaturas. Verùm tamen vacatio non inducitur, antequam electus confirmationem poſſeſſionémque acceperit. Hinc quæſtio exurgit, num v. g. Decanus aut Præpoſitus poſtquam in Epiſcopum electus eſt, ſed nondum confirmationem à Sede Apoſtolica accepit, Præpoſituram aut Decanatum Capitulo Cathedrali reſignare poſſit. Ita affirmat *Flamin. lib. 3. q. 6. in fine.* & ſecundùm hanc ſententiam non rarò tales reſignationes in Germania factæ ſunt. Sed negativam partem in cauſa Præpoſituræ Paderbornenſis Rota Romana, iterata rei diſcuſſione, decidit anno 1588. ſicuti refert, & ſequitur *Branden q. 7. c. 9. Cockier in reg. 24.* qui hanc ſententiam probant ex eadem regula, in qua decernitur, irritas eſſe reſignationes, ac permutationes beneficiorum, quæ à promovendis fiunt ante promotionem, eò quòd tales reſignationes fiant in fraudem, ut Pontifex confirmationem, ſeu promotionem faciens, non reperiat beneficia promotorum, quæ conferat: hæc autem regula rectè conſiſtit cum concordatis, quia eſt declarativa *Extravag. Ad regimen,* & ideò ſequitur naturam ejus, quare ſicuti Extravagans conſiſtit cum concordatis, imò ijs inſerta eſt, ita etiam regula conſiſtere debet, ſicuti etiam *Flamin.* ratiocinatur *eadem q. 6. n. 87.* quid de hac re ſentiam, poſtea dicam.

Alia quæſtio eſt, num ea beneficia Germaniæ Papæ reſerventur, quæ ipſo jure vacant ob delictum, cui talis pœna annexa eſt, v. g. hæreſis. *c. ad abolendam 9. §. præſenti. de hæreticis vel ſimoniæ argum. c. ſicut. 4. c.*

do

de hoc 11. *de simonia*. Affirmat *Branden q.* 10. *Cokier Reg. 8. Gl. 7. n. 19.* esse reservata, tametsi declaratio incursæ pœnæ ab Ordinario fiat, & in mense Ordinarij. Probant; quia in concordatis expressum est, ut ea beneficia sint reservata, quæ depositione, vel privatione facta per Sedem Apostolicam vacant. 2. Quia Nicolaus III. non ita concordata edidisse censendus est, ut sibi, aut successoribus potestatem ademerit, novos casus in posterum, non obstantibus concordatis, introducendi, in quibus beneficia Sedi reserventur, cùm itaque Pius V. Bulla 29. beneficia vacantia propter hæresin sibi reservaverit, existimandum est, hanc reservationem etiam ad Germaniam extendi.

Contrariam sententiam probabiliter docet *Granutius de reservationibus q. 99.*; quia Pontifex concordatis derogare censendus non est, nisi sufficienter exprimat, partim quia favorabilia sunt, quippe beneficij non meri, sed in pactum seu conventionem quandam transeuntis vim obtinentia; partim quia Jus speciale continent, & ideò per generalem constitutionem ei non derogatur, nam species generi derogat, sive ea antecedat, sive sequatur, *c. 1. de rescriptis. juncta Gloss. V. mandatum*, & per generalem constitutionem non tollitur privilegium speciale, prout videre est apud *Gabrielium de legibus con. 1. Gl. in L. 3. c. de silentiarijs lib. 12.*

Ad primum argumentum Georgij Branden Resp. ad privationem actualiter contrahendam ob crimen opus esse sententiâ judicis, cùm alioquin non excidat aliquis jure beneficij, nec in conscientiæ foro illud dimittere cogatur, si à crimine absistere velit, & super irregularitate, si fortè eam contraxit, dispensationem impetrare, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 15. n. 6. & tract. 5. p. 3. c. 5. n. 2. & lib. 4. tract. ult. n. 74.* ex quibus patebit, non esse veram regulam, quæ traditur *à Branden q. 5. n. 10.* quòd ipso jure privatus in conscientiæ foro beneficium dimittere debet. Ex quo sequitur, si Clericus ob hæresis crimen beneficijs suis privetur, ac deponatur ab Ordinario suo, locum non esse *Extravaganti Ad regimen*, quasi per Apostolicam authoritatem privatus, & beneficia ejus apud Sedem seu in Curia vacare censeantur. Ad secundum Resp. eo argumento tantùm ostendi, quòd Pontifex per Bullas & Regulas posteriùs editas Concordatis, absolutè loquendo, derogare possit, non autem quòd velit, nisi id speciatim exprimat.

Hinc patet, quid ad priorem quæstionem respondendum sit; videlicet esse probabilem sententiam Flaminij, nec damnandam eam praxin Ecclesiarum, quâ Decani, v. g. in Episcopum electi, resignationem accipiunt, si bono fine id faciant, videlicet ut mox ad electionem idoneæ personæ accedere possint, quæ Decani officia præstet, siquidem in nostræ Germaniæ Cathedralibus Ecclesijs mox, qui eligitur in Episcopalem aulam assumptus, & in quibusdam locis etiam administrationem arripiens, *juxta c. nihil 44. de electione*, munera Decani commodè obire non potest. Probatur hæc Responsio partim ex eo, quia Regula illa 24. quæ post Concordata Germania *ab Innocentio VIII.* edita est, Extravaganti *Ad regimen* aliquid novi adjicit, & ideò merè declarativa non est, *argum. eorum, quæ tradit Gl. in Clement. V. collato ut lite pendente &c.* partim quia ex praxi apparet, regulam eam Innocentij in Germaniæ receptam non esse. Nec refert, quòd *Branden q. 2. & seqq.* inculcat, cùm primùm Lex Pontificia Romæ publicata est, obligare omnes, qui ubique sunt, Christianos; ista enim universalis obligatio remota est, & in actu primo; ut autem in actu secundo omnes, & singulos comprehendat, plures conditiones requiruntur, de quibus latè dixi *lib. 1. tract. 4. c. 2. & 3.* & hanc partem ideò tanquam probabilem defendo, ne scrupulus injiciatur ijs, qui in Ecclesijs Germaniæ dicto modo Decani constituti sunt; nam secundùm rigidam Brandij sententiam eorum institutio irrita esset, nec tuti ipsi in conscien-

9

entia forent, nisi novam provisionem obtinerent, sicuti ex hoc c. constat in fine.

10. Notandum quartò. Si cui generalis à Jure vel ab homine conferendi beneficia facultas concessa sit, tali facultate nunquam censentur comprehensa beneficia Sedi Apostolicæ reservata. Ita ex communi *Francus hic n.* 3. Quam ob rem nec Legatus à latere conferre ea potest teste *Gl. finali recepta in c. 1. de officio legati in 6.* At verò Romano Imperatori per Apostolicæ Sedis gratiam ex antiquissima consuetudine concessum est, ut in quavis Ecclesia, intra Romanum Imperium, personam aliquam idoneam, per Preces, quæ Primariæ dicuntur, offerre possit, cui beneficium qualecunque vacans, vel proximè vacaturum conferri debeat, non obstantibus reservationibus papalibus, ijs exceptis, quæ *in Extrav. Ad regimen* continentur, videlicet beneficia Cardinalium; & officialium Curiæ, ubicunque decedunt, eorum item beneficiariorum, qui aliunde, cujuscunque negotij causâ, ad Curiam veniunt, si in Curia, vel in accessu, aut reditu, intra duas diætas à Curia distantes moriantur; præterea beneficia, quæ vacant per privationem, depositionem, promotionem, alterius incompatibilis beneficij assecutionem, si talis Privatio, Promotio aut Collatio beneficij per Sedem Apostolicam facta sit. Excipiuntur etiam Episcopatus, & dignitates, quæ post Episcopatum in Cathedralibus Ecclesijs majores, & quæ in Collegiatis principales sunt; hæc enim specialiter reservantur, ita ut sub precibus primarijs non comprehendantur.

Denique monendi sumus, quòd per preces primarias, seu Imperatorias nominatus ad beneficium, debeat illud intra mensem, numerandum à tempore, quo ipsi vacatio beneficij (intellige post obitum) nota fuit, acceptare, id est, declarare per se, vel alium mandatum ad id habentem, quod beneficium vigore precum Imperatoriarum petat. Et ideò rescriptum Imperatorium insinuare debet collatori v. g. Episcopo, vel Vicario ejus; item Capitulo (si collatio ad Capitulum spectet) & quidem capitulariter congregato, cùm singuli seorsim Capitulum non representent. Et ita docet *Rebuff. de nominationib. q. 14. n. 74. Cokier in precibus primarijs §. 4. v. duxerunt acceptanda.*

CAPITVLVM III.

Statutum.

PARAPHRASIS.

Gregorius X. in Concilio Lugdunensi Clementis IV. constitutionem præcedente Capitulo positam moderatur, ut non obstante, quòd beneficia in Curia vacent, Ordinarij eorum Collatores, ad collationem per se ipsos, vel si in remota Regione positi sint, per Vicarios suos generales, quibus specialiter commissum sit, procedere possint, si Papa intra mensem à die vacationis numerandum non contulerit.

SUMMARIUM.

1. *Beneficium vacare in Curia, & apud Sedem Apostolicam unum & idem est.*
2. *Si tamen beneficium, quod in Curia vacat, non confert Pontifex, quamvis nulla negligentia intervenerit, possit illud conferre Ordinarius.*
3. *Neque tamen omne beneficium reservatum in Curia vacare censetur.*
4. *Sicuti juxta Extravagantes aliqua censentur aliqua beneficia in Curia vacare, quorum tamen vacatio extra Curiam suum effectum sortita est.*
5. *Valde probabile est, hodie adhuc locum esse huic Capitulo, strictè tamen nomen vacationis accipiendo.*

NOtandum primò. Idem est beneficium vacare in Curia, & vacare apud Sedem Apostolicam. Ita *Gl. hic V. in Curia.* & sumitur apertè ex hoc c. nam quòd Clemens Papa dixerat, vacare apud Sedem, Gregorius vacat vacationem in Curia. Loquor autem tantùm de beneficijs reservatis Papæ, si enim

eaim ea beneficia, quæ in urbe ipsa posita sunt, vacare contingat, ad Pontificem eorum collatio spectat, (exceptis Cardinalium titulis, in quibus veluti Episcopalem jurisdictionem habent, uti videre licet apud *Æneam de reservationibus q. 2. in principio*) verùm non per reservationem seu avocationem, sed tanquam ad proprium, & ordinarium Episcopum, atque collatorem; aliter tamen loquuntur Doctores, quos refert, & sequitur *Covarruvias in practicis qq. c. 36. n. 4.* quòd multa beneficia in Curia vacant, tanquam reservata, quæ tamen non vacant apud Sedem, v. g. beneficia familiarium, & officialium Papæ, in quocunque loco decesserint. Verùm hæc distinctio & doctrina repugnare videtur *Extravag. Ex debito inter communes de electione.*

Notandum secundò. Si Papa beneficium, quod in Curia vacat, intra mensem non conferat, Ordinarius conferre potest. ita dicitur hîc. Advertit autem *Glossa recepta V. numerandum.* huic constitutioni locum esse, tametsi Papa nesciverit, beneficium vacare, quia tempus hoc mensis, seu triginta dies non ob negligentiam collatoris, cùm Papæ collatori nullum tempus, sicuti alijs collatoribus definitum sit, teste *Franco hìc n. 6. Ænea de reservat. q. 4. principali, effectu 20.* sed propter Ecclesiarum necessitates definitum fuit, ne beneficia diu vacare contingeret.

Sed pro pleniore intellectu: adverte primò, licèt omne beneficium vacans in Curia sive apud Sedem (prout in hoc c. accipitur) sit Papæ reservatum, non tamen vice versa, omne beneficium Papæ reservatum, in Curia propriè loquendo vacat, nam v. g. beneficia vacantia in mense Januario, Martio &c. Pontifici reservata sunt, quæ in Curia non vacant; ut taceam speciales beneficiorum reservationes fieri posse à Pontifice.

Adverte secundò, à sequentibus Pontificibus *Ioan. 22. in Extravag. ex debito, Clemente V. in Extravag. Etsi in temporalium. de præbendis.* nomen vacationis apud Sedem latiùs acceptum esse, quàm in hoc Capitulo, & præcedente acceperant Clemens IV. & Gregorius X. nam secundùm hæc Capitula, ea tantùm beneficia in Curia, seu apud Sedem vacare dicuntur, quorum vacatio completum effectum in Curia, seu Romana Urbe accepit per obitum, aut liberam resignationem, vel privationem inibi peractam; at verò secundùm dictas Extravagantes multa beneficia apud Sedem, seu in Curia vacare dicuntur, quorum vacatio effectum suum extra Curiam consecuta fuit, v. g. per obitum Episcoporum, aut Præpositorum Ecclesiarum Collegiatarum, aut Conventualium.

Ex his resolvi potest quæstio, num adhuc hodie constitutioni hujus Capituli locus sit, ut videlicet Episcopus, aliúsve collator ordinarius conferre possit beneficia vacantia in Curia, v. g. per obitum sui beneficiarij, si Papa intra mensem conferre neglexerit. Negat *Garzias p. 5. c. 1. n. 109.* eò quòd derogatum videatur per *Extravag. Ad regimen.* Verùm correctio juris, præsertim si favorabile sit, aut generali Concilio constitutum (quorum utrumque hîc reperitur) introducenda non est, nisi sufficienter significata, & expressa sit, quod in dicta Extravagante non apparet. Alij itaque DD. aiunt esse correctum per *Extravag. Piæ* quæ est Bonifacij VIII. *de præbendis.* Sed objicit *Æneas q. 4. principal. effectu 6. Zerola p. 2. praxis V. reservatum* §. 7. si Bonifacius VIII. qui ipsemet author fuit dictæ Extravagantis *Piæ*, voluisset per eam revocare antecessoris sui Gregorij X. constitutionem, in hoc cap. traditam, tunc eam in sua hac libri 6. compilatione non posuisset, quia jura abolita in corpus Juris Canonici inseri non solent, prout ipsemet Bonifacius testatus est in proœmio ejusdem libri, cùm ait, jura, quæ contraria videbantur, resecata fuisse. Quare concludo, sententiam affirmantem, adhuc hodie locum esse huic Capitulo, valde esse probabilem, ita tamen, ut nomen vacationis accipiatur strictè, juxta intentionem Gregorij X.

rij X. non autem secundùm extensionem Joannis XXII. & Clementis V.

CAPITULUM IV.

Quamvis.

PARAPHRASIS.

Etsi alioquin in Principum beneficijs plenissima interpretatio facienda sit, tamen literæ impetratæ super beneficijs obtinendis, strictam interpretationem habere debent, eò quòd ambitiosæ sint, & ideò si aliciui Clerico usque ad certam summam redituum provideri à Sede Apostolica mandatur, id non de pensione, sed de Ecclesiasticis beneficijs accipi debet, præterquam, si de pensione in literis mentio expressa fiat.

SUMMARIUM.

1. *Gratiam à Pontifice concessam plenissimè interpretari decet, non tamen, ut cadat in præjudicium tertij.*
2. *Literæ tamen impetratæ ad beneficia strictam habent interpretationem, ita tamen, ut motui proprio amplius quid concedatur.*
3. *Et hinc si Papa mandet, ut Clerico provideatur, intelligi hoc debet, ut ipsi de beneficio, non autem de pensione tantùm provideatur.*
4. *Et si mandet, ut alicui de beneficio provideatur in Ecclesijs civitatis, aut diœcesis, ad Ecclesiam Cathedralem tale mandatum se non extendit; extendit tamen se, si mandet, ut eidem in Ecclesijs Provinciæ provideatur.*

1 NOtandum primò. Beneficium seu gratiam à Principe concessam plenissimè interpretari decet *L. 3. ff. de constitut. Principum. c. cùm dilecti 6. de donationibus.* Ratio dari debet, quia propria Principum est liberalitas, & magnos viros magna donare decet; quam ob rem, ait *Gl. in cit. L. 3. V. beneficium. Anchoran. hic in principio*, quòd præsumendum sit, rem à Principe donatam esse pleno jure & perpetuo, si aliud expressum non sit: id verò maximè locum habet in pijs donationibus, & fundationibus, prout docet *Felin. in c. solita n. 4. de majoritate. Rosenthal. in Synops. de feudis c. 5. con. 11. n. 2.* Excipe: beneficium seu concessionem Principis nunquam ita accipiendam esse, ut cedat in præjudicium personæ tertiæ, prout tradit *Gl. recepta in cit. L. 3. & sumitur ex L. 2. §. meritò ff. ne quid in loco publico &c.* ex quo habetur, quòd etiam Princeps injuriam facere censetur, si uni commodum præstet cum alterius incommodo, nisi justa necessitas id efflagitet. Adde textum *in c. ex tuarum juncta Gl. V. non permittat, de authoritate, & usu pallij.*

Notandum secundò. Litteræ impetratæ ad obtinenda beneficia strictam interpretationem habere debent. Idem *habetur in c. ult. hoc tit.* Ratio hìc datur, quia beneficia per ambitionem impetrari solent, nam Ecclesiastica beneficia ac dignitates, sicuti & publica officia, honestiùs accipiuntur, quàm petuntur. *argum. L. si quenquam 30. c. de Episcopis & Clericis.* Quare alia ratio est, si Papa proprio motu beneficium alicui conferat, talis enim collatio latam interpretationem meretur, tum propter excluſam obreptitionis suspicionem *c. si motu 23. de præbend. in 6.* tum quia apparet major affectio in concedente. Vetumtamen motus proprius ita intelligi debet, ut nihil adversus Jus commune introducatur, seu dispensatio nulla fiat, sicut ex communi *hìc Lapus n. 1. Dominicus col. 2.* annotârunt, si Papa motu proprio mandet alicui in Ecclesia provideri usque ad aureos 500. & unicum beneficium tot reditus non habeat, conferenda quidem esse duo vel plura, sed non curata, nec aliàs de Jure incompatibilia.

Notandum tertiò. Cùm Papa mandat, 3 ut Clerico alicui provideatur, intelligi id debet de beneficijs, cùm vacant, non autem de pensionibus, quia designatio pensionis odiosa est, & exorbitans à jure ordinario, pensionarius enim Clericus accipit, sed plerum-

rumque nihil, aut parùm præstat Ecclesiæ, neque residere cogitur, sicuti Gl. observavit *v. in pensione in additione*; & beneficia cùm vacant, de jure conferri debent, licèt non huic aut illi; at verò pensiones exorbitantes gratiæ, seu concessiones esse solent, teste Gl. *cit. v. in pensione.*

4 Etsi alioquin nomine Ecclesiarum civitatis, etiam Cathedralis Ecclesia contineatur, tamen si Pontifex mandet, alicui provideri beneficium in aliqua Ecclesiarum civitatis aut diœcesis, ad Ecclesiam Cathedralem mandatum se non extendit, quia propter ejus honorem specialem non vult Pontifex eam comprehendi sub generali Ecclesiarum nuncupatione; sin autem mandatur, ut Clerico in aliqua Ecclesia Provinciæ (v. g. Moguntinæ) provideatur, tunc & Metropolitana & aliæ ejusdem Provinciæ Cathedrales Ecclesiæ comprehendi censentur, eò quòd in posteriore isto casu Pontifex uberiorem, quàm in priore gratiam impetrandi facere censeatur.

Nota. Frequens id est, ut in materia strictæ interpretationis sub generali appellatione non comprehendatur una species prærogativam habens, v. g. sub nomine Clericorum non comprehenditur Episcopus, nec sub nomine Monachorum Abbas, nec nomine diœcesis civitas Episcopalis *c. Rodulphus 35. de rescriptis*, nec nomine Ecclesiarum civitatis, aut diœcesis, Ecclesia Cathedralis, uti hic dicitur. Attendi tamen in his debet stylus Curiæ, nam alioquin sufficiens ratio non apparet, cur nomine Ecclesiarum Provinciæ, Cathedrales Ecclesiæ, ipsáque Metropolitana comprehendantur, non item comprehendatur Cathedralis Ecclesia nomine Ecclesiarum civitatis. Sic enim infert *Gl. V. Provincia*: Si quis Romæ impetret rescriptum, ut ipsi provideatur in Ecclesia S. Udalrici Augustani, & non sit alia in civitate, quàm Cathedralis, impetrationem obreptitiam censeri, quia non solet Pontifex Ecclesias majores, seu Cathedrales, appellare à titulo sancto, sive Patroni, sed tantùm Ecclesias inferiores. *argum. c. dudum 22. Cumana 50. & c. sequentis de electione.* Vide quæ docui *in cit. c. Rodulphus.*

CAPITULUM V.

Cum de beneficio.

Paraphrasis.

Si Pontifex mandet, ut Clerico provideatur beneficium, quod sæcularibus Clericis consuetum est assignari, de eo intelligi debet, quod tanto tempore à Clerico uno, vel pluribus, tanquam rectoribus, continuè, & pacificè gubernatum fuit, quantum ad legitimam complendam præscriptionem sufficit, etiamsi ante vel post illud tempus Religiosi, in eodem beneficio quandoque ministrârint; sin autem mandetur, ut Clerico sæculari provideatur de aliquo Prioratu, non potest provideri de Prioratu, qui per Religiosos tempore, ac modo suprà explicato, gubernatus fuit, præterquam si id in literis exprimatur.

Summarium.

1. *Beneficia sæcularia Clericis sæcularibus, & vice versa Regularia Regularibus de Jure communi conferri debent.*
2. *Potest tamen status beneficij mutari per continuam, & pacificam 40. annorum possessionem, ita ut ex Sæculari fiat Regulare, & vicissim, saltem cum Titulo.*
3. *Sufficit ad conficiendam præscriptionem unus actus relinquens aliquo modo effectum, continuatum per tempus legitimum.*
4. *Concessio à Pontifice facta, quamvis generalibus terminis concepta sit, juxta personæ tamen conditionem, & subjectam materiam explicanda est.*

NOtandum primò. Beneficia sæcularia 1
Clericis sæcularibus, & vice versa beneficia Regularia regularibus Clericis conferri debent, prout docui *lib. 4. tract. 2.*

c. 4. *n.* 1. quam ob rem ait *Domin. hic col.* 1. tametsi Papa nihil aliud expresserit, nisi ut Clerico N. sæculari beneficium, vel Rectoria, aut Prioratus conferatur, de tali intelligendum esse, quod per sæculares Clericos gubernari solitum fuit, prout apertè etiam significatur *in hoc c. §. quando.* interim verò non prohibetur Pontifex, ob plenitudinem potestatis suæ, beneficium regulare conferre Clerico sæculari, & vice versa, sicuti notat *Anchoran. hic not.* 3. & significatur *in fine hujus cap.*

2 Notandum secundò. Status beneficij aut Prælaturæ mutari potest per continuam, & pacificam 40. annorum possessionem, ita ut ex regulari beneficio fiat sæculare, si videlicet Capellania, vel Prioratus, ex prima institutione fuerit Regularis, id est, pro Regularibus Clericis fundatus, postea verò collatus sit Clerico sæculari uni, aut pluribus, ita ut continuis 40. annis sine contradictione, & cum bona fide à Clerico sæculari fuerit gubernatus, tunc efficitur beneficium sæculare, nihil obstante, quòd postea iterum instituatur Clericus Regularis, dummodo non tanto tempore, videlicet continuis annis 40. is præsit, ut nova præscriptio introducatur, & prior aboleatur.

Eadem ratione dicendum, quòd beneficium sæculare, si annis 40. administretur à regulari, censeatur esse regulare, saltem ad repellendum impetrantem sæcularem, prout colligitur ex eodem §. *quando.* At verò quoad jura Episcopalia docet *Lapus hic n.* 6. *post Joannem Andream in c. de Monachis n.* 11. *hoc tit.* tametsi Capella seu Ecclesia parochialis annis 40. administretur, tanquam sit Regularis, non sufficere ad præscribendum, sed requiri tempus immemoriale, aut annos 40. cum titulo. *argu. c.* 1. *de præscriptionib. in* 6. propterea quòd Jura Canonica resistant, ut Capellæ seu parochiales Ecclesiæ à cura Episcopi, & Jure diœcesano abstrahantur. Non loquimur autem hìc de paro hijs, quæ monasterijs unitæ sunt salvo jure Episcopali; neque de parochialibus Ecclesijs, in quibus Regulares Canonici instituti sunt, ita ut maneant Parochiæ sæculares. *c. quod Dei timorem* 5. *de statu Monachorum.* & notavit *Anchoran. in fine cap.* Porrò quòd in dubio beneficium sæculare potiùs, quàm regulare censendum sit, tradit ex communi *Lapus hic n.* 6. *Francus. n.* 5. & docui *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 4. *n.* 3. *in fine.*

Notandum tertiò. Unus actus relinquens aliquo modo effectum continuatũ per tempus legitimũ sufficit ad perficiendam præscriptionẽ. Ita sumitur *ex hoc c.* si videlicet beneficiũ regulare sæculari Clerico collatum sit, ísque vigore ejus institutionis annis 40. sine contradictione administrârit, viâ præscriptionis efficitur juris sæcularis; quare idem eâdem ratione dicendum, si quispiam bona fide Clericum ad parochiam præsentârit, ísque admissus, & institutus sit, atque post 40. annos, quibus gubernavit, mortuus, præsentatorem Jus patronatûs per præscriptionem acquisivisse adversus Ecclesiam, imò post decem aut viginti annos, quod attinet ad excludendum alterum privatum Patronum, juxta ea, quæ docui *lib.* 3. *tract.* 1. *c ult. n.* 6.

Notandum quartò. Concessio à Principe facta, licèt verbis generalibus concepta videatur, tamen restringitur secundùm conditionem personæ impetrantis, & subjectam materiam. Ita *Gl. hìc V. prioratum.* Ibidem *Ioannes Monachus, & alij.* Sic licèt Prioratus nomen commune sit, ad regularem & sæcularem, tamen, si scribatur pro Clerico sæculari, extendi non debet ad prioratum regularem. 4

CAPITULUM VI.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Quibusdam in Cathedrali, aut Collegiata Ecclesia personatum habentibus, quandoque etiam cum cura Animarum insuper collata est præbenda, cui parochialis Ecclesia ex antiqua consuetudine unita erat. Dubitârunt isti, num simul absque di-

dispensatione personatum, una cum præbenda canonicali, cui parochialis Ecclesia unita est, retinere queant, an verò ipso jure vacet personatus, per adeptionem talis præbendæ, juxta *Concilium Lateran. sub Innocent. III. in c. de multa 28. hoc tit.* Ad hoc respondet Bonifacius VIII. nulla hîc dispensatione opus esse, cùm Concilium Lateran. ipsis contrarium non sit.

SUMMARIUM.

1. *Non improbatur consuetudo quarumdam Ecclesiarum, in quibus personatum habens, præbendam etiam habet canonicalem.*
2. *Ecclesia Parochialis unita alteri beneficio accessoriè, sortitur naturam, & conditiones beneficij, cui unitur.*
3. *Quamvis obtinere quis possit duo unita beneficia, si unum alteri accessoriè unitum est, non tamen potest duos canonicatus obtinere in eadem Ecclesia.*

1 NOtandum primò. Non improbatur consuetudo quarumdam Ecclesiarum, in quibus personatum gerentes, v. g. Præpositi, simul etiam præbendam canonicalem habent. Ita *Dominicus hìc col. 2. post Gloss. in c. 1. V. nisi unicum de consuetudine in 6. argum. c. eam te. 7. de rescriptis*, ubi idem erat Archidiaconus, & Canonicus; sed & idem per Episcopi dispensationem, ex causa justa v. g. ob redituum tenuitatem, introduci posse ait *Gl. in cit. c. 1. & Gl. in Clement. ult. V. vacavit in fine hoc tit.*

2 Notandum secundò. Si Ecclesia parochialis unita sit alteri beneficio, sortitur naturam, & conditiones ipsius; quam ob rem Præbendarius seu Canonicus non tenetur per se ipsum residere in beneficio parochiali. *c. Extirpanda 30. §. qui verò. & c. Exposisti 33. de præbend.* Et potest quis talem parochialem Ecclesiam, ut unitam seu accessoriam alteri curato beneficio, v. g. Personatui, seu Archidiaconatui curam Animarum habenti, simul obtinere, non obstante *cit. c. de Multa.* Propterea, quòd propter unionem, seu accessionem non censeantur duo curata, sed unicum, prout *hìc Joan. Monachus* observavit. Præterea in assecutione beneficij, cui parochialis Ecclesia annexa est, non requiritur ætas 24. annorum completa, sed sufficit ætas requisita ad beneficium, cui parochia unita est; adeò quidem, ut puer 14. annorum obtinendo Canonicatum, accessoriè habere possit Ecclesiam parochialem, sicuti docui *lib. 4. tract. 2. c. 9. n. 2. coroll. 2.* & tradunt *Lapus, Petrus Anchoran, & alij* super hoc c. quia cura, inquit *Anchoranus*, quæ venit accessoriè, non est attendenda, sed natura & qualitas tantùm beneficij principalis, cui curatũ subijcitur. Denique necesse non est, ut in impetratione beneficij principalis, v. g. Personatûs aut Canonicatûs, mentio aliqua fiat de annexo benficio curato, cùm non per se vacet, sed accessoriè veniat, prout *Lapus, Anchoran & alij* hîc notârunt; & *Joannes Monachus* inquit, quòd præbenda, cui parochialis Ecclesia annexa est, non ut duo, sed ut unum beneficium reputari debet.

3 Advertendum verò est, quòd egregiè docuit *Gloss. recepta in Clement ult. hoc tit.* licèt aliquis duo curata beneficia obtinere possit, unum per se, & alterum accessoriè, prout habetur in hoc c. non posse tamen duos Canonicatus in eadem Ecclesia, sive sub eodem tecto, obtinere, unum per se & alterum accessoriè, sicuti responsum est *in cit. Clement.* quòd Canonicus obtinens in sua Ecclesia Personatum, cui Canonicatus annexus est, amittere debet priorem Canonicatum, nam Jura, inquit *Gloss. finalis in eadem Clement.* plus abhorrent ab eo, quòd unus habeat duas præbendas in eadem Ecclesia, quàm quòd unus habeat duo curata, nam id posterius permittitur jure accessionis, prius autem non permittitur. Vide, quæ dixi *lib. 4. tract. 2. c. 8. n. 5. & 6.*

***

CAPITULUM VII.

Eum cui.

PARAPHRASIS.

Titio à Pontifice Canonicatus collatus est cum mandato, ut præbenda proximè vacatura eidem conferretur, postea similis gratia & provisio in ordine ad eandem Ecclesiam à Sede Apostolica facta fuit Cajo. Iste posterior prævenit primum, & literas Capitulo priùs præsentavit, ideóque ante Titium in Canonicum receptus fuit. Quæritur, si postea præbenda vacaverit, utri eorum debeatur, sive uter horum alteri in assecutione præbendæ præferri debeat. Respondet Papa, quòd is præferendus sit, cui priùs collatio facta, licèt post alterum fuerit receptus, quia literas tardiùs præsentavit.

SUMMARIUM.

1. *Si duobus à Papa Canonicatus collatus sit, in assecutione præbendæ is præferri debet, cui priùs collatio facta est, quamvis literas suas tardiùs præsentaverit.*
2. *Aliter loquendum juxta* Capitulum tibi 12. de rescriptis in *6. si utrique de providendo mandatum tantùm à Pontifice datum sit.*

1 NOtandum. Inter duos, quibus à Papa Canonicatus collatus est, in assecutione præbendæ is præferri debet, cui priùs collatio facta, tametsi literas tardiùs præsentaverit, ideóque post alterum receptus, & in possessionem missus fuerit. Ratio dari debet, quia per solam collationem, & acceptationem beneficij, sine ejus apprehensione, seu capta possessione acquiritur jus in eo, & quasi dominium. *c. si tibi absenti 17. hoc tit. in 6.* adepto autem per collationem jure Canoniæ, seu Canonicatu, consequenter debetur etiam præbenda proximè vacatura, ita ut non minùs in ea jus reale, si vacaverit, habere censeatur provisus, eámque tanquam connexam cum Canonia à quolibet detentore petere possit. Ita benè annotavit *Petrus Anchoran. hic not. 3.* Rationem dans, quia in istis spiritualibus, postquam sunt debitæ, acquiritur dominium sine traditione.

Adverte autem, quòd versemur hîc in casu, cùm Canoniæ collatio utrique à Pontifice facta fuit, hoc casu præferri debet is, cui litteræ collationis priùs expeditæ fuerunt: ita ut collatio alteri facta non valeat. Sin autem loquamur de mandatis, quibus Papa mandat, ut provideatur, tunc recurri debet ad Capitulum *Tibi 12. de rescriptis in 6.* ubi dicitur, quòd is, qui priùs literas impetravit, in assecutione præbendæ præferri debeat alteri, qui postea literas impetravit, sed in præsentando prævenit; præterquam, si eo tempore, quo literæ à priore impetrante præsentatæ sunt, alteri collatio præbendæ jam facta sit, neque executor inhibuerit, quò minùs fieret, neque Papa in prioribus literis decreverit, ut si quid contra fiat, irritum esset, & inane. Ita *Gl. ibi V. non extit.* Vide etiam infra *cap. si Clericus XI. hoc tit. in 6.*

CAPITVLVM VIII.

Si pro Clericis.

PARAPHRASIS.

Si Papa pro Clerico paupere aliòve scripserit, ut ipsi beneficium conferatur, etiamsi curam habeat Animarum, potestei conferri beneficium curatum, licèt in Sacris Ordinibus non sit, neque de ea Ordinum carentia in literis mentio fiat, dummodo ad Ordines, quos beneficium requirit, se faciat in proximis à jure statutis temporibus promoveri.

SUMMARIUM.

1. *Beneficium curatum conferri potest illi spectato Jure communi, qui Sacerdotium, eo quidem tempore, quo confertur beneficium, non habet, modò intra annum suscipiat.*
2. *Ita ut secundùm Jus commune locum etiam hæc constitutio habeat, etiamsi*

in fundatione decretum sit, ut Sacerdoti tale beneficium conferatur, si tamen in dubio sit, quid fundatio talis voluerit.

1 NOtandum. Quando alicui beneficium curatum confertur, sufficit spectato communi jure, si sacerdotium proximo tempore suscipiat; id autem tempus, intra quod Ordo sacer ad susceptum beneficium requisitus suscipi debeat, est annus, *c. licet 14. de electione in 6. Clement. 2. de ætate, & in Concil. Trident. sess. 22. c. 4. de reform.* ubi hoc idem traditur de Canonicis in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ad hoc, ut vocem in capitulo habeant; necessarium scilicet esse, ut intra annum à die promotionis, & adeptæ pacificæ possessionis; vel cùm per eos stare incipit, quò minùs eam accipiant, *juxta c. commissa 35. §. annus de electione in 6.* Subdiaconatum accipiant.

Id verò speciale est in Ecclesijs parochialibus, quòd, qui eas accipiunt, & intra annum ad sacerdotium, secluso legitimo impedimento, aut dispensatione impetrata, promoveri se non patiuntur, ipso jure privati existunt; in alijs autem beneficijs certum sacrum Ordinem requirentibus, si promoti eum intra anni spatium accipere negligant, per sententiam privandi sunt. *c. cum in cunctis 7 §. inferiora. de electione.* præterquam si Episcopus causâ studiorum dispenset, prout dixi *in c. cùm ex eo 34. de electione in 6.*

2 Porrò, quæ dicta sunt, secundùm jus commune, eadem locum habent in particularibus Ecclesiarum statutis, & fundationibus, si decretum sit, ut Canonicatus vel Capellania sacerdoti conferatur, ita, ut in dubio satis sit, promovendum sic esse comparatum, ut intra annum Sacerdotium susceperus sit, prout annotavit *hic Ancharan. not. 2.* & docui *lib. 4. tract. 2. c. 14. n. 2. §. altera qualitas*, quia decens est, ut in dubio verba statuti intelligantur secundùm jus commune, *c. cùm dilectus 8. juncta Gl. V. juri communi de consuetudine & L. 2. C. de noxalib. actionib.* Si tamen exprimatur, ut beneficium non conferatur, nisi ei, qui sacerdotium accepisset, præsertim si consuetudo Ecclesiæ statutum aut fundationem ita interpretetur, observari convenit, sicuti *loco cit. Ancharan.* admonet.

CAPITULUM IX.

Si eum.

PARAPHRASIS.

Legatus Apostolicæ Sedis Titio Clerico dedit literas ad capitulum cathedrale, eique mandavit, ut illum in Canonicum, & Fratrem suum reciperet, atque beneficium primò vacaturum conferret, sed quia hujusmodi mandato obtemperatum non erat, Titius ad Papam accessit supplicans ei, ut literas Legati approbaret, is rescripsit capitulo, & mandavit Apostolicâ authoritate, ut dictum Titium in Canonicum reciperent, ipsíque præbendam providerent, juxta continentiam literarum Legati. Hoc casu dubitatum fuit, utrùm Titius receptus censeri debeat authoritate Papæ, an authoritate Legati. Respondet Bonifacius VIII. authoritate papali receptum censeri, & ideò omnibus alijs eâdem Apostolicâ authoritate in ea Ecclesia receptis anteferendum esse.

SUMMARIUM.

1. *Jus expectativæ ad beneficium vacaturum certa personæ nemo dare potest de jure communi, nisi solus Papa.*
2. *Papa dispositionem inferioris, quamvis ob defectum potestatis invalida sit, si tamen ex certa scientia confirmet, suam facit, & vigorem illi tribuit.*
3. *Inter receptos in Canonicos authoritate papali, locus est regulæ juris: qui prior est tempore, potior est jure, si de assecutione præbendæ sit sermo, prioritatem hanc computando à tempore impetratæ collationis.*

1 NOtandum primò. Nemo præter Papam certæ personæ expectativam, seu jus dare potest ad beneficium vacaturum. *c. 2. & 3. de concessione præbendæ. c. 2. eodem in 6.* Potest tamen Legatus à latere spectato communi Canonico Jure certum beneficium suæ collationi reservare. *c. præsenti. 3. de officio Legati in 6. c. cum dilectus 28. de jure Patronatûs.* Et docui *lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 2.* Vide etiam, quæ dixi *in c. relatum 9. casu 3. hoc tit.*

2 Notandum secundò. Si Papa dispositionem inferioris ob defectum potestatis invalidam, ex certa scientia, Apostolicâ authoritate confirmet, tunc dispositionem ad se revocare, seu suæ Papalis authoritatis, ac vigoris facere, censetur.

3 Notandum tertiò. Inter receptos in Canonicos authoritate Papali in assecutione præbendæ locus est juris regulæ 54. *in 6.* Qui prior est tempore, is potior jure: sed prioritas hæc temporis attendi debet secundùm tempus impetrationis, seu datæ, non à tempore præsentationis, sicuti dictum *in c. eum, cui 7. hoc lib. & tit.* & tradit *Gloss. hic in notandis Gloss. in c. quamvis 8. de rescriptis in 6.* Vide, quæ dicentur *in c. hi qui 12. hoc tit* In his autem non multùm immorati necesse est, cùm tales expectativæ, & reservationes in Germania, & Gallia, propter concordata, non recipiantur, prout notavit *Cokier in Reg. 1. Cancellariæ. n. 22.*

CAPITULUM X.

Mandato.

Paraphrasis.

Si Papa Episcopo v. g. mandârit, ut Titio provideat de beneficio ad ipsius Episcopi, vel alterius v. g. Coepiscopi, collationem pertinente, debet ipse providere beneficium id, quod primò vacârit, sive ad suam, sive ad Coepiscopi pertineat collationem; sin autem contingat, utrumque simul vacare, tunc Episcopus debet providere de beneficio, quod suæ collationis est, idque propter ordinem Scripturæ, seu Bullæ Pontificiæ, in qua Episcopus præponitur Coepiscopo.

Summarium.

1. *In dispositionibus, quibus onus aut commodum imponitur, inspici debet ordo nominationis, ut priùs nominatus alteri anteponatur.*
2. *Ita ut ex ordine Scripturæ dignior etiam censeatur, qui priore loco nominatur, & colligatur major effectus charitatis erga primum, quàm erga posteriùs nominatos.*
3. *Nisi ordo juris, qui magis attendi debet, quàm ordo Scripturæ, aliud jubeat.*
4. *Aut servato Scripturæ ordine actus nullus redderetur.*
5. *Et nisi conjecturis insuper habitis, de intentione disponentis aliter constet.*
6. *Unde argumentum hoc ab ordine Scripturæ desumptum lubricum est.*

1 NOtandum. In dispositionibus, quibus onus imponitur vel præmium, commodum, aut honor defertur, inspicidebet ordo nominationis, ut, qui priùs nominatus fuit, alteri anteponatur. Ita *Domin. & Anchoran. hic Gl. in L. Gallus. 29. §. quidam ff. de liberis & posthumis. Bald. in L. 1. n. 17. c. de operis libertorum. Nicolaus Eberhard. loco primo ab Ordine.* Exempli causa si testator jubeat Titiam vel Cajam dotari ad nuptias celebrandas, intelligitur Titiam prætulisse, & tantùm in defectum ejus, si videlicet nubere noluerit, vel non potuerit, Cajam substituisse; & idem quandoque locum habet in copulativa *Et* consideratâ tamen conditione materiæ subjectæ, prout *Bald. cit. loco* notat; si quis reditum annuum emat, vel emphyteusin pro se & filio, quòd ante mortem patris filius nihil percipere debeat: nam universim loquendo, ordo Scripturæ ostendit ordinem voluntatis. *L. generaliter §. quod ergo ff. de fideicommissariis libertatibus. l. quoties 34. ff. de usufructu.* Ubi dicitur: si Titio & Mævio ususfructus legatus sit, ita ut alternis annis utantur, priùs Titio, deinde Mævio legatum esse, ita ut

is

is secundo anno fructus percipere debeat. Simile est, si testator duos equos habeat, quos leget Sejo & Sempronio, ita ut singulis unus dandus sit, pretiosiorem, seu potiùs electionem inter duos equos spectare ad Sejum, priùs nominatum, sicuti tradunt DD. apud *Eberhardum n. 7.*

2 Præterea ex ordine Scripturæ inducitur ordo Prælationis, ut is dignior censeatur, qui priùs nominatus fuit, ut videre est apud *Tuscum con. 196. V. Ordo. Eberhard. loco 1. n. 6.* Ubi exemplum dat de tribus nominatis tanquam idoneis ad dignitatem, eum, qui primo loco nominatur, alijs digniorem censeri. Ostenditur etiam ex ordine dispositionis seu scripturæ major charitatis affectus erga eum, qui priùs à testatore vel donatore nominatus fuit, ut in suprà posito exemplo de duobus equis, & tradit *Bald. in cit. L. quoties. argum. cit. L. Gallus §. quidam Tuscus. n. 8.* Item ex ordine Scripturæ, v. g. factæ delegationis, colligitur ordo processûs, videlicet quid priùs, & quid posteriùs actum, vel agendum sit, juxta *C. cum dilecta 22. de rescriptis*, & tradit *Barthol. in constitut. 1. codicis n. 17.* atque ita communiter concludunt DD. *cum Gloss. in c. in Christo 82. v. cur gradum distinct. 2. de consecrat.* quòd ordo multùm operetur, seu validum sit argumentum ab ordine Scripturæ ductum, prout loquitur *Nicol. Eberhard. junior Volumine 1. consil. 63. n. 9.*

3 Sed limitari debet primò, quòd ordo juris magis attendi debet, quàm ordo Scripturæ, adeò ut præposterus ordo Scripturæ reducendus sit ad ordinem juris, & intellectûs; v. g. si actor petat, reum cogi, & condemnari ad solvendum, tolerari potest libellus, quia ordo juris, & rationis præponderare debet, juxta quem notum est, priùs esse reum condemnandum, postea cogendum ad executionem *L. 1. C. de executione rei judicatæ.* Quæ doctrina sumitur *ex L. præposteri 25. C. de testamentis* & tradit *Bald. in L. conventiculam C. de Episcopis. Tuscus n. 35.*

Secundò. Si actus nullus redderetur, 4
positô, quòd eo modo videlicet priùs gestus fuisset, sicuti in dispositione reperitur, tunc benigniùs explicari debet, tanquam subsecutus, ut subsistere possit, v. g. si in instrumento scriptum sit, quòd pater filio donationem fecerit, postea autem scriptum sit, quòd eum emancipârit, intell gere debemus, emancipationem antecessisse, cùm alioquin donatio filio non emancipato facta subsistere non possit *L. 2. C. de inofficiosa donatione* & docent D. D. *in L. cùm in testamento 37. §. 1. ff. de hæredibus instituendis, Decius in c. quoniam. Abb. n. 5. de officio delegati.*

Tertiò. Talis conjecturæ ex ordine Scri- 5
pturæ desumptæ procedunt in casu dubio: sin autem constet, aut ex alijs vehementioribus conjecturis præsumi possit de voluntate disponentis, tunc habenda non est ratio ordinis Scripturæ *c. authoritate 7. de concessione præbendæ in 6.* & tradit *hic Ancharan. in fine cap.*

Denique monendi sumus, lubricum esse argumentum ab ordine desumptum, atque ex objecta materia, alisque adjunctis æstimandum, ne errori locus sit, unde Dominicus ab Archidiacono dixit *in fine hujus c.* quòd ordo Scripturæ regulariter attendi non debet.

CAPITULUM XI.

Si Clericus.

Paraphrasis.

Titius Clericus à Sede Apostolica literas impetravit ad quendam executorem, cui mandabatur, ut dicto Clerico præbendam proximè vacaturam conferret, & postea in Canonicum recipi faceret. Verùm cùm præbendam vacare contingeret, Clericus eam tanquam sibi debitam petere neglexit, hoc casu ait Bonifacius, non posse dictum Clericum aliam postea præbendam, si quæ in eadem Ecclesia vacaverit, virtute ejus Apostolici mandati

mandati petere, sed nec posse ipsi ab executore de ea præbenda provideri, propterea quòd gratia per ipsius negligentiam fuerit extincta. Sed aliter dicendum, si Clericus authoritate Apostolica ab initio Canonicus effectus sit, tunc negligentia non petendi præbendam proximè vacantem, ipsi non obstat, quò minùs petere possit aliam præbendam, quæ postea vacârit, & nulli alij de jure debita est, eò quòd ratione Canonicatûs, quem obtinet, alijs omnibus præferendus sit, dummodo nullus adsit per eandem Apostolicam authoritatem expectans. Et verò hoc ipso casu non executor præbendam postea vacantem conferre debet, quandoquidem is mandatum non habet, super hâc conferendâ præbendâ, sed eâ, quæ antea vacaverat; collator tamen ordinarius Titio Clerico illam conferre debet, ita ut, si alteri conferat, collatio irrita sit.

Summarium.

1. *Habens expectativam à Papa ad præbendam proximè vacaturam petendam, si petere eam neglgat, perdit hanc gratiam.*
2. *Nisi in Canonicum jam receptus jure Canonicatûs præbendam posteriorem peteret.*

¶ NOtandum primò. Si habens à Papa expectativam ad præbendam, quæ proximè vacatura est, eam non petat, ob negligentiam, extincta est gratia, postquam præbenda alteri collata fuit, consequenter etiam extinguitur mandatum executoris, cùm sit accessorium gratiæ. C. *si super 9. de officio delegati in 6.*

2 Notandum secundò. Receptus papali authoritate in Canonicum jus habet petendi præbendam, si quæ proximè vacet, dummodo alteri ante ipsum simili authoritate recepto debita non sit; quòd si Canonicus iste præbendam ita sibi debitam per negligentiam non petat, & ideò alteri conferatur, valet collatio, sed potest ille aliam, quæ post hanc vacaverit, eodem sui Canonicatus jure petere. Ratio est in textu, quia receptus in Canonicum, quamdiu Canoniam retinet, jus habet petendi præbendam.

CAPITULUM XII.

Ij, qui auctoritate.

Paraphrasis.

Quibus Clericis Canonicatus Apostolicâ authoritate collatus est, ij in assecutione præbendæ, seu Legatorum, seu aliorum quorumcunque authoritate super Canonicatu in eadem Ecclesia provisis, præferri debent. Porrò, qui mandato Legati, vel alterius cujusdam, Apostolicæ Sedis authoritate, sibi ad hoc specialiter commissâ, in Canonicum recipitur, is papali authoritate receptus censeri debet.

Summarium.

1. *Regula juris*, qui prior est tempore, potior est jure, *intelligi debet, si æquale utriusque jus sit.*
2. *Per Apostolicam authoritatem receptus in Canonicum censetur, si specialiter alicui, ordinariam potestatem ad conferendæ beneficia habenti, mandatum sit, ut ex hujus authoritate de beneficio certæ personæ provideat.*

NOtandum primò. Regula illa, *qui prior est tempore, potior est jure*, 54. *in 6.* intelligi debet, si æquale utriusque jus sit, seu par causa; non item si causa dispar, aut jus inæquale, quia ut *Gl. hic* ait, *V. antea. Ancharan. not. 3.* gratiæ & privilegia non æstimantur ex tempore, sed ex causis, & personis; cùm itaque Pontifex major, quàm alij, in conferendis beneficijs authoritate polleat juxta *c. dudum 14. §. not. igitur. infrà. hoc tit.* ita ut ipse jus expectativæ tribuere possit, quod alijs negatum est, ideò qui authoritate Apostolica receptus est in Canonicum, aliis etiam ante ipsum, inferiore auctoritate receptis, in

in assecutione præbendæ præferri debet; hac tamen locum non habent in Ecclesiis Germaniæ, in quibus juxta Concordata Canonicatus vacantes à Pontifice, & ordinario collatore mensibus alternis conferuntur, ita ut recepti Canonici omnes æquali jure in assecutione Canonicalis præbendæ, secundùm cujuscunque Ecclesiæ consuetudinem, gaudeant.

1 Notandum secundò. Si Legato à Latere vel alteri habenti odinariam potestatem conferendi beneficia, à Pontifice specialiter mandetur, ut certæ personæ, auctoritate Apostolica, Canonicatum provideat, ex tali mandato provisus, & receptus censeri debet per Apostolicam auctoritatem. Rationem dat *Ioann. Monach. hic*, quia si Legatus à latere beneficia conferat, suâ auctoritate procedit ut Ordinarius, non ut delegatus Papæ; si autem idem Legatus ex speciali commissione Pontificis, adeóque Papali auctoritate, beneficium conferat, tunc procedit ut delegatus. Major autem, & fortior est potestas in causa speciali delegati, quàm potestas ejus ordinaria *c. 3. de officio Legati*. Cæterùm si Papa mandet Legato à latere, ut Titio beneficium conferat, non addens Apostolica auctoritate, tunc censetur excitare officium, & potestatem ejus ordinariam, quemadmodum si aliud quidpiam ordinario præcipiat, cujus agendi potestatem habet, & non adjiciat, ut Apostolicâ auctoritate, adeóque ut delegatus, procedat. Sin autem Ordinarius potestatem talem non habet, v. g. Episcopus, ut contra exemptos procedat, vel Vicarius generalis, ut beneficia conferat, tunc Superior talem potestatem ipsi simpliciter committens censendus non est, potestatem ordinariam prorogare, sed novam delegare, secundùm *Gl. finalem receptam hic, Dominicum Bald. Franc. ibidem.*

CAPITULUM XIII.

Si postquam.

Paraphrasis.

Pontifex Canonicatum Titio Clerico contulit, dato executore, qui præbendam proximè vacaturam, nulli alteri debitam, eidem Titio provideri curaret. Accidit autem, ut Capitulum v. g. ad quod in ea Ecclesia præbendarum collatio spectabat, vacantem præbendam proprio motu conferret Cajo, ignorans gratiam expectativam à Pontifice factam fuisse Titio. Hoc casu ait Bonifacius VIII. collationem hanc à capitulo factam, in præjudicium Titij, non subsistere; nam hoc ipso, quòd is Apostolica authoritate Canonicus effectus fuit, jus ad præbendam proximè vacaturam consecutus est, eámque proinde cùm primùm vacavit (quando nulli alteri debita fuit) justè petere potuit, & ideò alteri conferri nequivit.

NOtandum. Si præbenda Canonicalis vacans non conferatur ei, qui auctoritate Papali in Canonicum receptus est, sed alteri, cui non debetur, irrita est collatio, non obstante, quòd Collatores ignorent. Ratio datur in textu, quia Canonico ita recepto præbenda proximè vacatura debita est, si alius non adsit, cui eâdem Papali auctoritate priùs recepto debeatur. De inferioribus autem Collatoribus alia ratio est, cùm enim jus expectativæ dare non possint, ideò si aliquis auctoritate Capituli v. g. Canonicus fiat, non consequitur propriè dictum jus ad præbendam proximè vacantem, ut ipsi ex justitia debita sit, quare præbendæ collatio alteri facta subsistet. Sicuti dixi *in c. inter 17. hoc tit. in antiquis.*

CAPITULUM XIV.

Dudum.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. Episcopo Prænestino in Gallias destinato, potestatem dedit, beneficiorum in ijs partibus resignationem, auctoritate Apostolicâ accipiendi, & personis idoneis conferendi. Posteà verò idem Papa Nicolao Cardinali tituli S. Laurentij, Camerario, Canonicatum Ecclesiæ Senonensis contulit, executoribus constitutis, qui eidem Camerario præbendam, siquæ tunc vacaret, vel proximè vacatura esset, assignari facerent, irritum fore declarans, si aliquid contra id à quoquam fuerit attentatum. Accidit postea, ut Nicolaus Fasallus canonicatum & præbendam, quam in eadem Ecclesia tenebat, in dicti Episcopi manibus resignaret, qui eandem (fortassè ignorans collationis & reservationis pontificiæ antea factæ in favorem Camerarij) Guilielmo contulit; tunc executores Apostolici eandem præbendam auctoritate literarum papalium Camerario, velutt ipsi debitam, assignârunt: sed Guilielmus possessor præbendæ permittere id noluit, ea propter Camerarius Papæ supplicavit, ut ipsi de remedio opportuno provideret, tunc Bonifacius rescripsit, tametsi dicto Episcopo potestatem illam concesserit, penes ipsum tamen Papam, majorem remansisse, & potestatem Episcopo datam Pontificiam censeri debere, ac potiorem esse Pontificis, eam præoccupantis, conditionem. Accedit, quòd secundùm Canonicas sanctiones generi per speciem derogatur, tametsi de genere in derogante specie mentio non fiat. Præterea tametsi Pontifici in supplicatione narratum fuisset de dicta potestate Episcopo concessa, tamen nihilominus eam gratiam Camerario fecisset, quia absurdum fuisset, si Pontificis tam latè patens potestas impediretur, adeò ut in omnibus provisionis literis, ad partes Gallicanas destinatis, potestatis Episcopis concessæ mentionem facere deberet. Ulteriùs rescriptum Pontificis, præsertim in hoc casu, quando Camerarius ante Canonicatûs renuntiationem Canonicus effectus fuit, ignorantes quoque ligare debuit, cùm non fuerit super incerto editum, neque ex alieno pendens arbitrio, seu voluntate alicujus, qui acceptare deberet, & ideò eo ipso Papa prohibuisse videtur, ne alius conferre posset, & sic potestatem Episcopo concessam, quoad eam speciem revocâsse. Et verò talis potestas revocati poterat etiam ab ignorante, quandoquidem de lucro tantùm ipsius Guilielmi agitur, non autem de dicti Episcopi præjudicio, consequenter Episcopus non potuit post revocationem in alium, licèt ignorantem, jus aliquod circa rem revocatam transferre. Quemadmodum, si servus calendario, id est debitorum nominibus præpositus, post mortem Domini præponentis, pecunias mutuas det, eas accipientium non facit, tametsi mors Domini & potestatis revocatio à contrahentibus ignorata sit; simili ratione Dominus, si peculium servo concesserit, solâ voluntatis mutatione illud revocat; quæ, cùm ita sint, mandat Papa alicui à se delegato, ut Guilielmum, præmissa canonica monitione, per censuras Ecclesiasticas compellat, non obstante Canonicatûs, & præbendæ sibi ab Episcopo facta collatione, cùm irrita illa fuerit, Camerario præbendam dimittere, & super ea deinceps ipsi molestus non esse.

SUMMARIUM.

1. *Per Collationem Canonicatus à Papa factam præbenda censetur affecta, ita ut collatio alteri ab ignorante etiam facta, irrita sit.*
2. *Libellus sustineri debet, in quo narratâ facti specie generalibus verbis judicis officium imploratur.*

3. *Majori*

3. *Majore & excellentiore modo residet in delegante potestas delegata, quàm in delegato.*
4. *Specialis gratia derogat generali, tametsi hujus nulla mentio fiat.*
5. *Nisi per generalem concessionem à Principe factam, jus propriè dictum parti acquisitum fuerit.*
6. *Et nisi privilegium sub generali concessione datum transierit in pactum.*
7. *Hinc resolvitur, quid de Concordatis Germaniæ derogandis sit sentiendum.*
8. *Tollitur autem commissio facta de beneficio conferendo per commissionis talis revocationem, quamvis ea nondum pervenerit ad notitiam ejus, à quo revocatur.*
9. *Quando solvatur mandatum morte mandantis?*

1 NOtandum primò. Per collationem Canonicatûs factam à Papa præbenda censetur affecta, si quæ tunc vacat, & alteri debita non est, vel quæ proximè vacatura, ita ut collatio alteri facta ab alio collatore etiam ignorante irrita sit. Ita *Gl. hic V. Canonicatum. Ancharan not.* 3. Sed hæ affectiones & reservationes per concordata Germaniæ sublata sunt.

2 Notandum secundò. Sustineri debet libellus, in quo, narrata specie facti, judicis officium verbis generalibus imploratur, ut justitiam administret, vel subveniat per juris remedium opportunum. Ita *Ancharan hic. not. 5. Franc. n. 5.* Et videri potest *Innocent. in c. cum dilectus n. 2. de ordine cognitionis.*

3 Notandum tertiò. Potestas alicui delegata majore & excellentiore ratione residet in delegante, quàm in delegato, quemadmodum aqua dignior, & præstantior est in fonte, quàm in rivulo, uti *hic Gl.* ait *v. eadem cum additione.* Et est potestas delegata quodammodo delegantis, quippe ab ipso derivata, & dependens, quam ob rem eam arbitratu suo limitare vel revocare potest; simpliciter tamen loquendo diversa, & alia est, cùm à delegato ad delegantem appellatio concedatur, prout docui *in c. 1. de officio Vicarij in 6.*

Notandum quartò. Si alicui gratia seu 4
concessio generaliter facta sit, alteri verò specialiter, specialis concessio derogat generali, tametsi ejus nulla mentio fiat. Consentit *c. 1. & c. pastoralis* 14. *de rescriptis.* Ratio est, quia in ijs, quæ dependent à voluntate Principis concedentis, non censetur is, generalem gratiam concedendo, auferre sibi potestatem, alteri gratiam specialem faciendi, per quam derogetur gratiæ generali. Simili ratione dicitur *in c. 3. de officio legati in 6.* quòd mandatum speciale derogat generali, etiam nullâ factâ mentione mandati generalis; & ideò delegatus in causa speciali superat in ea causa delegatum, aut legatum generalem, ita ut is se immiscere non possit; ex quo sequitur, quòd mandatum aut gratia specialis, licèt deroget, & adimat aliquid mandato, aut gratiæ generali, tamen propriè loquendo, ipsi contraria non sit, quemadmodum exceptio, cùm non sit comprehensa in regula, ipsi contraria non est, sed derogans, prout *hic notat Joann. Andr.* quòd species extracta de genere non continetur in genere.

Limitari debet primò. Nisi tale sit pri- 5
vilegium, seu donatio Principis, per quod parti propiè dictum jus acquisitum sit, v. g. decimarum, intra fines parochiæ percipiendarum, si enim postea alteri specialis decimarum intra eandem parochiam donatio seu concessio fiat, subreptitia censeri debet, si nulla mentio fiat antecedentis concessionis, quia huic juri acquisito Papa non facilè derogare, illúdve auferre, aut imminuere solet; at verò potestatem beneficia conferendi, dispensandi, aut à peccatis absolvendi, ita Pontifex aliquibus generatim delegare solet, ut tamen frequentet etiam alteri specialiter, & in certis casibus deleget; præterquam quòd constet tales gratias delegatas in totum auferri posse, arbitrio delegantis, multò itaque magis ex parte derogari.

6 Limitatur secundò. Nisi privilegium transierit in pactum, per quod etiam Princeps promissionem faciens se obligâsse censeatur. Licèt enim tale privilegium ex plenitudine potestatis ob gravem & publicam causam tolli, sive derogari possit à Principe, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 25.* nunquam tamen præsumitur derogare, seu potestatis suæ plenitudine uti, nisi id clarè exprimat.

7 Hinc quæstio decidi potest, utrùm summus Pontifex Germaniæ concordatis derogare possit. Dicendum enim est ex gravi causa, ad bonum publicum pertinente, Pontificem derogare posse per potestatis suæ plenitudinem, sicuti docui *lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 3.* At verò solitum non esse, neque convenienter posse derogare, nisi gravis & extraordinaria causa id postulet, prout videre est apud *Cokier de precibus primarij L. 5. §. 2.* quia concordata vim pacti, & contractus habent; & quidem reciproci, quidquid contradicat *Branden in concordatis q. 8.* quandoquidem Nicol. V. vicissim promisit, v. g. *per quamcunque reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, non impediemus nos, quò minùs de beneficijs, cùm vacabunt, de Februarij, Aprilis, Junij, Augusti, Octobris, Decembris mensibus liberè disponatur per illos, ad quos collatio pertinet.* Notum autem est, quòd etiam Princeps pacta & promissiones suas servare debeat, cùm ea sint de jure naturali ac gentium, cui Princeps adversari non potest secundùm *Gl. in L. 2. versu quoties C. de precibus imperatori offerendis.*

8 Notandum quintò. Mandatum, commissio, aut delegatio alicui facta ad conferenda beneficia per revocationem tollitur, tametsi revocatio non pervenerit in notitiam ejus, à quo revocatur. Ratio est in textu, quia in tali revocatione non vertitur alicujus damnum, quod caveri debeat, sed tantùm lucrum cessans, cujus ratio haberi non debet. Ita hanc rem intelligit *Anchoran. hic not. 12. Franc. not. 11. Zabar. in Clement. unica de renuntiatione coll. 4.* Quare ad quæstionem hanc, quam tractatam reperies apud *Sanchez. lib. 3. de matrimonio, disp. 30. n. 11. Suarez. lib. 8. de legibus c. ult.* num revocatio gratiæ, facultatis, aut jurisdictionis de egatæ, per revocationem concedentis, vel ejus successoris, sublata sit etiam, antequam in notitam perveniat eorum, quibus gratia, facultas, aut jurisdictio data fuit.

Resp. & dico primò. Si facultas aliqua, gratia, aut indulgentia, v. g. Religiosis generali lege edita, revocetur à Pontifice, post ejus promulgationem sufficienter factam, revocatio effectum sortitur, per se loquendo, tametsi Religiosis privilegiatis cognita non sit. Ita ex communi *Suarez cit. c. ult.* & docui *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. ult.*

Dico secundò. Si Princeps revocans concessionem, aut commissionem, exprimat velle se irritum, & inane esse, quidquid ex tunc sive ex eo tempore vi concessionis, aut commissionis gestum fuerit, certum est, quòd revocatio eum, quem Princeps vult, irritationis effectum habeat, tametsi res integra non sit. Ita *Abb. in c. auditam n. 13. de restitutione spoliatorum*, & alij *apud Rosellam V. excommunicatio n. 46.* & sumitur ex dictis in hoc c. quòd jurisdictio, aut facultas commissa pendeat ex voluntate committentis, sicuti rivus à fonte, sicuti lumen à sole.

Dico tertiò. Si Princeps revocet concessionem, commissionem &c. & aliud nihil exprimat, tunc censeri non debet velle, ut revocatio ante notitiam, aut insinuationem factam, effectum sortiatur, quotiescunque talis revocatio (loquor de particulari, non de ea, quæ fit lege generali) in notabile incommodum seu damnum cedere potest, sicuti etiam docui *in cit. c. 23. n. ult.* Sin autè non agatur de vitando incommodo, sed tantùm de lucro, seu commodo non capiendo, quia ex eo tempore, quo revocatio facta est, privilegiatus aut delegatus beneficia

cia tribuere non potest, sicuti priùs poterat, tunc habemus textum expressum hîc, quòd revocatio, etiam particulari sententia, aut rescripto Principis facta, effectum sortiatur, antequam privilegiato, aut commissario innotuerit.

Notandum sextò. Jus Expectativæ tendit ad beneficium aliquo modo determinatum, videlicet, quod proximè vacaturum est, quale jus inferiores Papâ dare non possunt. Interim potest Capitulum, v. g. Canonicum creare, ita ut habeat jus indeterminatum petendi, ut sibi provideatur, sicuti explicavi *in c. relatum 9. & c. dilectus 13. hoc tit.* & docet *Anchoran in c. hi qui 12. in fine hoc libro & titulo.*

9 Notandum septimò. Mandatum solvitur morte mandantis, si res adhuc integra est, seu negotium nondum cœptum. *L. mandatum 15. c. mandati.* Et habet id etiam locum in jurisdictione demandata, ut tacitè revocata sit per mortem mandantis. *L. & quia 6. ff. de jurisdict. omnium judicum.*

Limitari debet primò. Si procurator ad negotia quidpiam egerit, vel contraxerit post mortem aut revocationem probabiliter ab ipso ignoratam, acta valida censentur. *L. si mandassem. 15. leg. inter 26. ff. mandati.* Excepto procuratore ad matrimonium contrahendum. *c. ult. de procuratoribus, in 6.*

Limitatur secundò. Si simplex etiam mandatarius, aut nuncius post mandantis mortem, aut revocationem probabiliter ignoratam, expensas fecit, vel si mandatum habuit non tantùm donandi, (prout docui *lib. 3. tract. 4. c. 1. n. 5.*) sed onerosos contractus celebrandi, adeóque non agatur duntaxat de lucro non capiendo, sed damno vitando, actio competit adversus mandantem, ejúsve hæredes ad præstandum id, quod interest. §. *rectè quoque instit. de mandato*, & docet *Gl. in cit. L. mandatum. v. finitur. Mol. tract. 2. disp. 263. n. 4.*

Limitatur tertiò. Si mandatarius, aut servus calendario Præfectus, ignoratâ revocatione, debita domini acceperit, debitores ei bonâ fide solventes, liberantur. *L. siquis servo 18. L. cùm quis mandatum 38. §. si. debitorem ff. de solutionibus.* Tametsi itaque tali mandatario post mandatum revocatum bona fide solvens liberari debeat, tamen ei promittens contrahere non debet obligationem, uti hîc dicitur, & *L. ejus qui 41. ff. de rebus creditis*, quia proniora jura esse solent ad liberandum, propter æquitatis rationem, quàm ad obligandum. *L. Arianus 47. ff. de obligationibus.* Quare inquit *Gl. marginalis ibidem.* faciliùs exceptio datur, quàm actio *ex L. 1. §. eum ff. de pignoratitia actione.*

Notandum octavo. Si dominus servo peculium indulserit, solâ voluntate ipsi auferre potest, *L. non statim 8. ff. de peculio*: non tamen sola voluntate dominus ex rebus suis servo peculium statuere potest, sed opus est traditione aut acceptatione. *cit. L. non statim.* Quare *Gl. ibidem* ait, quòd non tam facilè resacquiritur, quàm amittitur, & quòd non semper contrariorum eadem ratio sit, prout etiam suprà notavi *not. in fine.*

CAPITULUM XV.

Quia sæpè.

Paraphrasis.

Pontifex contulit Canonicatum Titio, datis executoribus, qui ei præbendam, si tunc vacaret, alioquin proximè vacaturam, assignari curarent: postea verò idem Pontifex Canonicatum contulit Sempronio, datis executoribus, qui ipsi præbendam, & dignitatem, vel officium, cùm occasio se obtulerit, assignari facerent; cùm hi duo expectarent, accidit, ut præbenda, & dignitas, seu officium vacarent, v. g. per mortem Decani, aut Custodis. Quæritur, num præbenda debeatur Titio priori impetranti, an Cajo

posteriori. Respondet Bonifacius VIII. esse distinguendum, si præbenda separata est à dignitate vel officio, debetur primo impetranti Titio, cùm non fuerit intentio Papæ per secundum mandatum præjudicare Titio, seu jus ejus auferre, nisi id claris verbis exprimat; sin autem præbenda annexa est dignitati, vel officio, tunc in illius assecutione præferendus est posterior impetrans.

SUMMARIUM.

1. *Quòd Princeps per secundum rescriptum, aut gratiam velit alicui auferre jus acquisitum, non est præsumendum.*
2. *Inter connexa, qui unum assequitur, etiam alterum assequi debet.*
3. *Et hinc indirectè sæpius ratione accessionis de bonis temporalibus cognoscere potest Prælatus Ecclesiasticus, qui de principali, cui est annexio temporalium facta, cognoscere potest.*

1 NOtandum primò. Non est præsumendum, quòd Princeps per secundum rescriptum, vel gratiam factam, auferre velit jus acquisitum alteri, per prius rescriptum, aut gratiam priorem, ut hîc dicitur *& in c. quamvis 8. de rescriptis in 6.* Si tamen Papa exprimat, ut posterior in data præferatur alijs omnibus, servanda est voluntas Papæ, quippe in his beneficialibus plenam potestatem habentis, ut ait *Gl. in cit. c. quamvis.*

2 Notandum secundò. Sæpè contingit, ut aliquis jure connexionis aliquid accipiat, quod per se ac separatum accipere non posset. Ita *Gl. hic not. 2.* & dictum est *suprà c. super eo 6. hoc tit. & libro.* Deinde inter connexa, qui unum assequitur, etiam alterum assequi debet, cùm non possit unum admittere, & alterum refutare.

3 Corollarium. Inter duo cohærentia valde interest, utrum eorum principale sit; id enim attendi debet, ejúsque natura, ac conditiones considerandæ sunt, cùm alterum accessoriè consequatur: exempli causâ, in quocunque beneficio Ecclesiastico, ac prælatura duo insunt, jus spiritualis tituli, & temporalia dona, sive reditus. Quare cùm illud principale sit, ideò de beneficijs ac prælaturis disponere, & providere, lites circa ea ortas cognoscere, ac dirimere, ad Ecclesiasticos Prælatos pertinet, non ad sæculares potestates: tametsi enim sæcularis potestas cognoscere possit de bonis temporalibus Ecclesiarum, maximè, si feudalia sint, quatenus ea secundùm se spectantur, v. g. si prælatus litem habeat circa prædia cum vicino Comite Imperij, non tamen cognoscere potest, si lis oriatur circa bona Ecclesiarum, etiam feudalia, non secundùm se, & principaliter, sed tantùm accessoriè, si nimirum quæratur de beneficij, aut prælaturæ titulo, ad quem pertineat, vel de jure collationis, ad quem spectet; talis causa ex proprio objecto Ecclesiastica, & spiritualis est, adeóque extra limites sæcularis potestatis; consequenter sæcularis Magistratus de Bonis hujusmodi Ecclesiarum disponere non potest, ea transferendo, aut à titulis suis abstrahendo.

Vice versa autē licet Prælati Ecclesiastici, & ipsemet summus Pontifex de bonis feudalibus Ecclesiarum per se, ac directè cognoscere non possint, *c. ex transmissa 6. & c. sequenti de foro competente*, tamen per accessionem seu cohærentiam possunt id, quando illam definiunt, & consequenter cognoscunt, ad quem bona, beneficia, aut prælaturæ, seu feudalia sint, seu non feudalia, pertinere debeant.

CAPITULUM XVI.

Cum in illis.

PARAPHRASIS.

Si Papa mandet, ut Titio in aliqua Ecclesia [provideatur dignitas, personatus, aut aliud beneficiū quodcunque, nullâ de Animarum curâ mentione factâ; nō potest vi hujus mandati provideri beneficiū personatûs, aut dignitas curam Animarū annexam habens, propterea, quòd in illis, qui ad

ad curata beneficia promoventur, major quàm in alijs beneficiarijs idoneitas necessaria sit.

SUMMARIUM.

1. *Pastores Animarum debent prudentiâ, virtute, & doctrinâ bene esse instructi.*
2. *Beneficij nomine simpliciter prolati in strictiore acceptione non venit beneficium curatum.*

1 NOtandum primò. Qui curam Animarum susci-piunt, seu pastores Animarum sunt, debent esse prudentiâ, virtute, ac doctrinâ benè instructi, cùm ars artium sit regimen Animarum. *c. penult. de ætate & qualitate &c.*

2 Notandum secundò. Nomine dignitatis, personatus, & beneficij cujuscunque, in materia stricta non comprehenditur dignitas, personatus, aliúdve beneficium, si curatum sit: debet itaque in supplicatione, & impetratione exprimi, quòd beneficium curam Animarum habeat; alioquin literæ subreptitiæ erunt. Adde, si personatum, aut dignitatem obtinens, aliam dispensativè impetrare velit, necesse esse, ut mentionem faciat tam de cura Animarum, si annexa sit personatui priùs habito, quàm de cura, si annexa sit dignitati seu personatui acquirendo. *Clement. 1. hoc tit.*

§. Illis verò.

Si mandetur provideri Titio de personatu, seu dignitate, etiamsi curam Animarum habeat, spectante ad collationem, provisionem, præsentationem, aut dispositionem cujuscunque, vi hujus mandati provideri non potest prælatura aut dignitas electiva.

SUMMARIUM.

1. *Sub generali nomine beneficij non venit electivum.*
2. *Adde, quòd in rescriptis Papalibus per generalem clausulam ad quorumcunque præsentationem beneficium pertineat, non derogatum sit patronatui Laico.*

1 NOtandum. Generali vocabulo beneficij aut dignitatis pertinentis ad quorumcunque provisionem, aut dispositionem, in beneficialibus rescriptis, non comprehenditur beneficium, aut dignitas electiva. Ita *Franc. hic n. 2.* Ratio est, quia impetrationes reservationum, aut dispositionum papalium circa beneficia electiva (præsertim si prælaturæ sint, aut majores dignitates) ademptâ facultate eligendi, odiosæ esse solent, & Ecclesijs aliquando noxiæ, ideóque in rescripto specialiter exprimi debent. Accedit, quod *Franc. hìc* monet *n. 3.* Papam difficiliùs induci, ut per suum rescriptum universitas seu collegium gravetur, quàm ut personæ particulares. Simili ratione *in c. Deliberatione 4. de officio legati in 6.* decernitur, ut legatus, tametsi à latere sit, prælaturas & dignitates post Episcopatum in Ecclesijs Cathedralibus majores, si electivæ sint, reservare aut conferre non possit.

2 Adde, quòd in rescriptis papalibus per generalem clausulam, *ad quorumcunque præsentationem beneficium pertineat*, non censeatur derogatum patronatui Laico, sed opus sit derogatione speciali, & expressa, secundùm *Gl. receptam in Clement. 2. v. Apostolicis hoc tit.* & docui *lib. 4. tract. 2. c. 13. n. 5.*

§. Cùm autem.

Quia inter liberam collationem, præsentationem, & institutionem in beneficio, magna differentia est, ideo si mandetur, provideri Titio de beneficio pertinente ad collationem, v. g. Episcopi, non potest provideri de beneficio pertinente ad ejus præsentationem, aut institutionem; sed nec vice versa: cùm enim unus casus, ac veluti una species expressa fuerit in mandato, non debet illud, cùm strictæ interpretationis sit, ad alios casus, seu species extendi.

SUM-

SUMMARIUM.

1. *Neque collationis beneficij nomine in ſtricta ſignificatione venit inſtitutio.*
2. *Neque ſub certo modo providendi de beneficijs expreſſo, veniunt alij etiam modi non expreſſi.*

1 NOtandum primò. Beneficij collatio, ſi ſtrictè accipiatur, differt ab inſtitutione; nam collatio liberè fieri ſolet, inſtitutio verò præcedente præſentatione ex quadam neceſſitate, ſi præſentatus idoneus ſit. Electus verò dicitur confirmationem accipere à Superiore, prout docui *lib. 4. tract. 2. c. 10. n.* 1. At verò nomen proviſionis, ſeu ordinationis eſt nomen generale, comprehendens collationem, inſtitutionem, & confirmationem; quamvis in materia ſtricta non cenſeatur comprehendere electiva, ſeu confirmationem electorum, prout *Gl.* tradit *§. præcedente v. electionem. Ibidem Franc. n. 7.*

2 Notandum ſecundò. Si in literis beneficialibus unus modus providendi exprimitur, alij modi excluſi cenſentur; idem quoque ſentiendum de omni mandato, ſeu commiſſione, quòd caſus in ea expreſſus diligenter attendendus, & ad alios caſus propter ſimilitudinem, aut majoritatem rationis extendendus non ſit. *c. cui de non 27. infra hoc tit. c. ſuſceptum 6.* ubi id docui *in not. unico de reſcriptis in 6.*

§. Si verò.

Neque poteſt provideri de beneficio pertinente ad collationem plurium, ſi Papa mandet, ut provideatur tali de beneficio ad collationem unius pertinente, & vice verſa, niſi clauſula addita ſit *communiter vel diviſim.*

SI Papa mandet provideri de beneficio pertinente ad collationem, vel præſentationem aliquorum, non poteſt provideri beneficium pertinens ad collationem, aut præſentationem unius tantùm, niſi adjecta ſit clauſula *communiter vel diviſim*; & vice verſa, ſi Papa mandet provideri de beneficio pertinente ad collationem unius, v. g. Epiſcopi, non poteſt provideri beneficium, cujus collatio ad eum unà cum alio ſpectat. Ratio prioris partis eſt, quia à pluribus conjunctim, non licet deſcendere ad ſingulos, niſi addatur *conjunctim, vel diviſim. c. ult. infrà hoc tit.* Ratio poſterioris eſt, tum quia reſcriptum beneficiale non debet extendi, ut plures gravet, quàm expreſſum ſit; tum quia, quod ad plures pertinet, id propriè non eſt ſingulorum. Qua de re DD. nominatim *Bart. in L. ſervi electione §. 1. ff. de legatis. 1.* ubi aptè diſtinguit, quod eſt commune pluribus, tanquam univerſis, ſeu univerſitati, id ſingulorum dici non poteſt; quod autem commune eſt pluribus, ut ſingulis, id ſingulorum dici poteſt, ſed non verè ac propriè, cùm ſinguli de re, ſaltem tota, arbitratu ſuo diſponere non poſſint, prout notavit *Gl. in reg. 11. ff. Franc. hic n. 3.*

CAPITULUM XVII.

Si tibi abſenti.

PARAPHRASIS.

Si Epiſcopus tuus tibi abſenti Eccleſiaſticum beneficium conferat, tametſi per ejusmodi collationem, donec eam acceptaris, jus in beneficio non acquiras, ut tuum dici poſſit, tamen Epiſcopus, vel quicunque alius, idem beneficium alteri conferre, aut providere non poteſt, niſi tu acceptare recuſaveris; adeò ut ſi alteri conferatur, aut alius inſtituatur, proviſio, ſeu ordinario irrita ſit. Poteſt tamen Epiſcopus temporis terminum tibi præfinire, intra quem voluntatem tuam declarare debeas, eóque elapſo, ſi non conſenſeris, alteri, cui ipſe putaverit, liberè conferre; cæterùm priusquam conferat, etiam poſt lapſum terminum conſenſum addere non prohiberis, ita, ut ex eo tempore dati conſensûs Epiſcopus collationem alteri facere non poſſit.

SUMMARIUM.

1. *Conferri quidem poteſt abſenti & ignoranti beneficium, neque tamen acquiritur*

ritur illi, donec acceptaverit, aut ratum habuerit.

2. *Ampliatur doctrina hæc quatuor modis: & declaratur circa collationem motu proprio factam, aut ad instantiam.*
3. *Non potest tamen revocare dispensationem ex debito Ecclesiasticæ potestatis factam, donec alter, cui collatio absenti facta est, consentire noluerit.*
4. *In beneficiorum provisionibus solus consensus sufficit ad acquirendum jus in re, seu quasi dominium beneficij.*
5. *Ita ut Beneficiarius post collationem acceptatam, & ante possessionis apprehensionem, possit suum dicere beneficium.*
6. *Actui ex alterius voluntate pendenti, si jus non statuat acceptandi tempus, potest terminus ab homine præfigi.*

1 NOtandum primò. Absenti & ignoranti beneficium conferri potest, sed non acquiritur ipsi, donec acceptaverit, vel ratum habuerit.

2 Ampliari debet primò. Quòd idem dicendum sit de quacunque donatione. L. *absenti 10. ff. de donation.*

Secundò. Quòd idem sentiendum de quacunque gratia, seu beneficio Principis; quòd non prosit datum absenti, donec scierit, & acceptaverit *c. 1. §. ex part. junctis §. finali, de concessione præbendæ in 6. L. qui absenti 38. ff. de acquirenda possessione. authent. Quibus modis naturales efficiuntur sui. §. illud autem. versu generaliter coll. 7.* & docet *Abb. in c. 2. n. 7. Felin. n. 7. de constitution. b. Sanchez. lib. 3. de matrim. disp. 36.* Idque rationi valde congruum est, ne alioquin invito beneficium detur, contra regulam *69. ff.* Intelligi tamen debet hæc doctrina de privilegio per rescriptum particulare concesso, non autem de privilegio dato per legem generalem, hoc enim instar aliarum legum ipsa promulgatione vim suam accipere censetur, secundùm *Bart. in L. omnes populi n. 38. ff. de justitia & jure*, quem sequitur *Menochius in arbitrarijs casu 185. n. 46. Suar. lib. 8. de leg. c. ult. & n. 5. contra Panormitan. Abb. cit. loco, Decium. ibidem in 1. lectione n. 44.* Veruntamen quoad pœnam incurrendam, lege decretam, notitia ejus requiritur, prout docui *lib. 1. tract 4. c. 20. n. 1.*

Tertiò. Ampliari debet, ut locum etiam habeat in jurisdictione demandata, cujus exercitium nullam vim habere potest, nisi judex sciverit, & consenserit, secundùm *Bart.* communiter receptum *in L. Barbarius relectione 2. n. 14. de constitutionibus*, ubi dicit, non valere processum, si judex erret in fundamento jurisdictionis, quia nescit eam sibi competere. *argum. L. hæc autem 5. §. non defendi ff. ex quibus causis in possessionem eatur.*

Quartò. Ut locum habeat in licentiâ concessâ sacerdoti ad assistendum matrimonio; quòd ejus exercitium, seu usus non valeat, donec concessio seu licentia data innotescat ei, cui facta est, prout docet *Sanchez cit. disp 36. n. 8.*

Limitanda seu potiùs declaranda est doctrina hujus notandi, ut intelligatur, si aliquis proprio motu beneficium Ecclesiasticum conferat, gratiam, donationem, aut licentiam tribuat. Sin autem ad instantiam, seu præcedente petitione, tunc ipsa Superioris, seu ejus, à quo petitur, concessione perficitur, prout dixi *in c. dilectus 24. q. 1. hoc tit.* Neque refert, utrùm aliquis beneficium, vel gratiam per se ipsum, an per alium, v. g. nuncium ad id destinatum, vel per procuratorem, dummodo is specialis sit, seu ad hoc ipsum v. g. beneficium petendum, & acceptandū saltem in genere, seu indeterminatè, videlicet, cùm aliquod vacaverit, vel cùm se occasio obtulerit, acceptandum, commissionem habeat, petiverit, & acceptaverit, prout hîc Gl. tradit *v. habueris* & explicat *Franc. n. 8.* Sin autem procurator generalis, negotiorum gestor, aut amicus pro altero id ignorante acceptârit, tunc opus est, ut ille ratum habeat. Vide, quæ docui *in cit. c. n. 10.*

3 Notandum secundò. Speciale hoc est in beneficijs Ecclesiasticis, dispensationibus, & similibus gratijs, quæ ex debito Ecclesiasticæ potestatis officio procedunt, quòd, cùm semel concessæ alicui sunt, per declaratam voluntatem ejus, vel eorum, ad quos talis potestas pertinet, revocari non possit, sed expectari debeat, an is, cui concessio facta, consentire velit, sicuti notavit *hic Anchoran. col.* 1. & docui *lib. 3. tract. 4. c. 1. n. 6.* alioquin verò donationes, per expressum consensum donatoris obligationem, aut vim aliquam non sortiuntur, sed revocari possunt, donec donatarius sciens acceptaverit, sicuti latiùs explicavi *eit. c. 1. n. 5.* Adde, quòd collator ne quidem sub conditione, si Titius, cui collatio facta, non acceptaverit, alteri conferre possit, sicuti *Gl.* hîc monet *v. personam ex c. 2. de electione in 6. & Regula* 50. *in 6.*

4 Notandum tertiò. Licèt in alijs rebus non solus consensus sufficiat ad acquirendum dominium earum, nisi insuper apprehensio accedat *L. traditionib. 20. c. de pactis.* tamen in beneficiorum provisionibus sola acceptatione, seu consensu expresso voluntatis acquiritur jus in re, & quasi dominium, prout docui *lib. 3. tract. 1. c. 5. n. 7.* & tradit *Anchoran hic col.* 1. quòd faciliùs in istis juribus spiritualibus acquiritur jus in re, quàm in rebus corporalibus.

5 Notandum quartò. Beneficiarius cùm primùm sibi beneficium collatum acceptavit, etiam ante possessionis apprehensionem, potest illud dicere suum, cùm habeat jus in eo, & illud vendicare possit à possessore, aut detentore, atque pro juribus ejus agere: propriè autem dominus beneficij non est, tum quia spiritualium jurium non est propriè dominium, sed quasi dominium, tum quia hoc ipsum jus, seu quasi dominium tituli, ultra vitam ipsi concessum non est, & ideo non est jus proprietatis, quod ad successores transmittitur; quare si beneficium Prælaturæ, aut dignitati incorporatum sit, tunc majus & solidius jus dominij, & quasi proprietatis cujusdam Prælatus, ratione prælaturæ in eo obtinet.

Notandum quintò. Si actus pendeat ex 6 voluntate alterius, & lex non statuat tempus ad consensum, vel dissensum declarandum (sicuti electo statuitur mensis ad electionem ipsi intimatam acceptandam, vel respuendam *c. quam sit 6. de electione in 6.*) tunc terminus ab homine præfigi potest; verumtamen si res adhuc integra sit, & Superior voluntatem non revocaverit, etiam post terminum elapsum acceptari potest beneficium, vel similis gratia, uti hîc dicitur, & notat *Dominicus col. 1. Francus not. ult.* Vide *Gl. in Clement. v. infra mensem. de concessione prabendæ.*

CAPITVLVM XVIII.

Eum qui.

PARAPHRASIS.

Si quis beneficium, cui cura Animarum incumbit, vi occupat, seu scienter se injustè intrudit, ipso jure privatus est beneficio curato, si quod priùs obtinebat, quia non decet, ut stultus melioris, quàm periti conditionis existat; vel ut invasor eo, qui justè ingreditur, privilegio ampliore gaudeat: insuper violenti, qui propria auctoritate, seu potiùs temeritate dignitates, personatus, aut alia quæcunque beneficia occupare non verentur, eò ipsò jus, si quod in tali modo occupatis dignitatibus, personatibus, aut beneficijs habent, vel ad ea ipsis competit, amittere debent, ut si non virtutis amore, saltem pœnæ formidine à suæ temeritatis audaciâ refrænentur, Ita Bonifacius VIII. hîc.

SUMMARIUM.

1. *Vi, seu injustè, & scienter se intrudens in beneficium curatum, ipso jure eo privatus est.*
2. *Ita ut quamvis probabile quidem sit, & fortasse verum, quòd ad personam,*

tui, & dignitates non curatas extendenda non sit pœnalis hæc constitutio; probabilis tamen etiam sit extensio.

3. *Neque tamen est idem beneficium per vim occupare, & injustè se intrudere.*
4. *Quæ sit intrusionis pœna.*
5. *In criminis pœnam jus, si quod in beneficio habet, amittit, qui propria authoritate per vim Ecclesiasticum personatum, dignitatem &c. occupat.*

1 NOtandum primò. Si quis beneficium curatum vi occupat, vel se scienter injustè intrusit, ipso jure privatus est beneficio curato, quod ante obtinebat: per hanc constitutionem declaratur *cap de multa 28. hac tit.* ubi decidituir, si obtinens beneficium curatum, alterum curatum recipiat, & possessionem ejus consequatur, priùs habitum ipso jure amitti, & vacare. Hinc dubium ortum est, an idem sentiendum de eo, qui alterum curatum per vim occupat, aut possessionem ejus injustè, & quidem scienter, seu formali injustitia, accipit, ideóque se intrudit, num priùs habitum amittat, perinde ac is amittit, qui possessionem secundi curati justè assequitur; & affirmativè respondet Papa ob rationem in textu allatam, quia non decet, ut invasor &c.

2 Hinc verò ulteriùs dubitatum fuit, an hæc pœnalis constitutio locum etiam habeat in dignitatibus, & personatibus non curatis. Pro negativa quæstionis parte est, quia constitutio pœnalis extendi non debet ultra casum in ea expressum: cùm itaque prior pars constitutionis de curatis tantùm loquatur, non debet extendi ad personatus, aut dignitates non curatas. Et ita sentire videntur *Anchoran. & Lapus initio hujus cap.* Contrarium verò tenent *Gl. hìc. Domin. & Franc. argum. c. dudum 54. juncta Gl. in casu, de electione.* Rationem reddunt, quia hæc constitutio est declaratoria *cit. c. de multa.* at verò constitutio declaratoria, tametsi pœnalis sit, extendi debet ad omnes actus, aut clausulas constitutionis declaratæ, secundùm *Glossam celebrem in c. is qui 19. v. vel electi. de electione in 6.* Cùm itaque *citatum c. de multa* æquè locum habeat in dignitatibus, seu personatibus, ac in curatis beneficijs, sequitur, idem de hac constitutione dicendum.

Hæc sententia valdè probabilis & communis est, sed dubito, num vera sit; si quidem ex textu colligitur, datâ operâ, sermonem esse in priore parte Capituli de beneficijs curatis duntaxat, alioquin etiam dignitates, ac personatus expressi fuissent, sicuti in parte posteriore. Ad argumentum responderi potest hanc partem constitutionis priorem non esse merè declaratoriam, sed extensivam; nam Regula juris est, quòd constitutio pœnalis, vel odiosa intelligi debet cum effectu, *Regulâ juris 52. in 6. non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*, etenim quod nullum est, nullum effectum producit. *argum. c Perpetuæ 7. de electione in 6.* & docui *lib. 1. tract. 4 c. 18. n. 3.* Cùm itaque intrusus in aliquod beneficium injustè, ac sine titulo, illud verè non consequatur, dicendum videtur, quòd ita intrusus in Ecclesiam parochialem prioris curati beneficij privationem ipso jure non incurreret *excit. c. de multa.* nisi declaratio extensiva in hoc c. facta esset: hæc autem extensio, cùm pœnalis, & odiosa sit, extendi ulteriùs non debet ad dignitates non curatas, præsertim cùm major ratio prohibendi urgeat, ne curatorum beneficiorum possessio illegitimè acquiratur.

Notandum secundò. Non est idem bene 3
ficium per vim occupare, & se intrudere injustè, teste *Dominico hìc col. 1, Franc. n. 2.* videntur enim differre, sicuti species à genere, nam etiam is, qui post collationem sibi factam per vim occupat beneficium, injustè intrusus dici potest cùm non canonicè possessionem, & administrationem usurpet, sicuti ex communi testatur *Rebuff. in reg. 29. Cancellaria v. dummodo intrusus nõ fuerit*, quia licèt Clericus post collationem, aut institutionem verbalem in beneficio legitimâ auctoritate factam, possessionem ejus, si vacat, spectato communi jure (& n si

consuetudo Ecclesiæ sit, ut provisus per alium introducatur) apprehendere non prohibeatur, tamen id locum non habet, si alius in possessione sit, tunc enim eum propriâ auctoritate repellendo violentiam injustam inferre, atque seipsum intrudere censetur, *argum. L. si ex stipulatione 5. ff. de acquirenda possessione* & tradit *Abb. in c. super de causa possessionis & proprietatis.* Et fusiùs explicavi *in disp. de Prælatis q.* 13. Quòd autem non omnis, qui se intrudit, violentiâ utatur, per se notum est.

Præter hos modos intrusionis, quorum primus fuit violentiæ, alter, si quis absque Canonico titulo, sive sine collatione, aut institutione facta per Superiorem Ecclesiasticum beneficij possessionem aut administrationem usurpet. *c. ad aures 3. de excess. Prælatorum.* Alij plures numerantur apud *Selva tract. de beneficiis p. 3. q.* 11. *n.* 11.

4 Intrusionis pœna est, quòd intrusus inhabilis fiat ad id beneficium, in quod se intrusit, adeò ut in ejus assecutione necessàrium sit fieri mentionem intrusionis, quia alioquin præsumitur, Papam non concessurum fuisse, si vitium intrusionis sciviſſet, prout ex communi docet *Abb. in c. cum jam dudum n. 3. hoc tit.* ubi ait, id notandum contra eos, qui se intrudunt in beneficio, authoritate potestatis sæcularis, quia non intrant per ostium, sed aliunde conscendunt, & ideò indigni sunt pastoris nomine, vel prærogativâ, *c. relatum 21. de jure patronatus*, idémque *Rebuff. in Regula Cancellariæ 29. ubi de intrusione. Felin. in c. postulasti. de rescriptis in fine.* Ubi tamen is docet, si talis intrusus aliud beneficium postulet, facta mentione de primo, sed dissimulata intrusione, impetrationem secundi validam esse, eò quòd intrusio videatur quid extrinsecum, ad impetrationem beneficij secundi, atque nullo jure expressum, quòd intrusio aliquem inhabilem reddat ad alia beneficia assequenda. Verùm id reperies expressum *in Concil. Lateranensi Generali sub Leone X. Sess.* 10. collationes (à Principibus Laicis) factas nullas, & irritas esse decernimus, ac illis utentes reddantur inhabiles ad alia beneficia Ecclesiastica obtinenda, donec cum eis super hoc per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

Notandum tertiò. Qui beneficium Ecclesiasticum, dignitatem, aut personatum per vim propriâ auctoritate occupat, jus, si quod in eo habet, in criminis pœnam amittit. Quæ de re dixi *lib. 3. tract. 1. de justitia c. 7. in fine*, ubi annotavi ejusmodi pœnas, cùm sint juris acquisiti privativæ, in conscientia non obligare ante judicis sententiam.

Corollarium. Discrimen est, quòd is, qui curatum beneficium per vim occupat, illud ipsum, si jus in eo habeat, amittere debeat, & alio curato priùs habito destitui: qui autem beneficium non curatum per vim accipit, id solùm, si in eo jus habet, amittere cogitur, non item alia priùs obtenta. Ita sumitur *ex 2. & 3. notando.*

CAPITULUM XIX.

Is cui.

Paraphrasis.

Si Papa tibi gratiam fecerit, ut in tua, vel alia quadam Ecclesia, uni idoneæ personæ beneficium providere possis, non potes providere alicui jam habenti sufficiens beneficium, nisi illud dimittat, vel nisi in concessione, seu gratia expressum sit, quòd personæ etiam beneficiatæ conferre liceat; hoc enim casu providere poteris alicui habenti beneficium unicum tantùm, dummodo id curatum non sit; quòd si verò concessum tibi sit, ut providere possis alicui alia beneficia habenti, ita pluralitas ad duo, quæ sine cura Animarum sunt, restringi debet: sin aliter provisio fiat, irrita censenda est.

Summarium.

1. *Strictam potiùs, quàm amplam interpretationem meretur facultas à Pontifice*

tifice alicui concessa ad conferenda beneficia.

2. *Si in rescripto Papali expressum fuerit, quòd personæ jam beneficiatæ conferri possit beneficium, de uno præterea conferendo intelligi gratia debet; & de duobus, si clausula in genere dicat, quòd alia etiam beneficiata tali beneficiato conferri possint.*

1 NOtandum. Facultas concessa alicui à Pontifice ad beneficia conferenda, potiùs strictam, quàm amplam interpretationem meretur, quatenus Ordinarijs collatoribus præjudicat, vel contra jus commune tendit, ac dispensationem requirit. Ita videtur intelligenda decisio hujus cap. nam alioquin objici potest doctrina Lapi communiter recepta *in c. dudum in fine. hoc lib. & sit.* quòd facultas concessa ad conferendum beneficia, cùm sit gratia Principis, latam interpretationem habere debet, ita ut etiam curata comprehendat, *argum. c. olim 16. de verb. significatione.*

Responderi enim debet primò, cum *Dom. hic col. ult. Franco n. 3. Sanchez lib. 1. de matrimonio disp. 2. n. 3.* facultatem conferendi beneficia, tanquam gratiam Principis latè esse interpretandam, ut proinde omnia etiam curata beneficia comprehendat, quatenus agitur de præjudicio concedentis; exempli causâ, si Pontifex deleget alicui facultatem conferendi beneficia mensium Papalium: at verò strictiùs esse interpretandam facultatem, quatenus alijs ordinarijs collatoribus præjudicat, secundùm *Gl. finalem receptam in cit. c. olim*, quòd Principis privilegium ita interpretandum sit, ut non multùm lædatur jus tertij. Quare regula statui potest, cum *Sanchez. cit. loco*, quòd gratia Principis, quatenus alteri præjudicium gignit, odiosa, ideóque strictæ interpretationis esse debeat.

Secundò, Respondeti potest cum *Anchorano hic not. 4.* gratiam à Principe concessam ita interpretandam esse, ut quàm fieri potest, ad materiam, sive objectum, jure communi prohibitum, non extendatur; sicuti enim jus commune favorabile est, ita quæ ei adversantur, odiosa censeri debent; quam ob rem concessa alicui facultas conferendi beneficia intelligi debet conformiter juri communi, seu sicuti jus commune permittit, ac postulat; non autem permittit, sed vetat habenti unum sufficiens beneficium, aliud conferri, ergò in facultate conferendi beneficia, nisi aliud exprimatur, subintelligi debet, ut ijs conferatur, qui aut nullum aut non sufficiens habent. Confirmatur. Facultas conferendi beneficia, & facultas dispensandi super beneficiorum pluralitate diversæ sunt, à diversis autem fieri non potest illatio.

Addendum verò est, licèt in facultate 2
conferendi beneficia expressum sit, quòd personæ beneficiatæ, conferre liceat, id tamen strictè interpretandum esse, ut non, nisi unum beneficium habenti, alterum conferre concessum sit; sin autem dicatur, quòd ei personæ conferri possit, quæ alia beneficia obtinet, accipi debet duntaxat de duobus, juxta Juris regulam *40. in 6.* pluralis locutio duorum numero est contenta. Ideò autem nomine beneficiorum in hac materia non comprehenduntur curata, quia ob specialem residendi aliorúmque munerum obligationem, Canones peculiariter prohibent, ne curatis alia beneficia conferantur.

Objicies. Tametsi dispensatio super pluralitate beneficiorum strictam interpretationem mereatur, tamen ipsam facultatem dispensandi latè esse interpretandam, propter theoriam traditam à doctoribus *cit. disp. 2.* licèt facultas dispensandi remotè tendat in juris communis relaxationem, & præjudicium, tamen directâ & principali intentione continet gratiam, & favorem Principis; in omni autem re principale propositum inspici debet *L. siquis 4. L. rogasti 11. ff. si certum petatur.* Respondeo, ordinariè quidem verum est, quòd dispensandi facultas latè interpretanda sit, quia, cùm constet Principi propositum fuisse facultatem alicui concedere, & jura relaxare, id-

que ex gratia, & favore erga ipsum, talis favor latam interpretationem meretur; verumtamen excipi debet, nisi dispensatio versetur circa materiam valde præjudicialem, aut noxiam, præsertim Ecclesijs, quandoquidem omnis gratia Principis ita intelligi debet, ut quàm fieri potest, non tendat in aliorum, præsertim communitatis, aut Ecclesiæ, seu directè seu remotè præjudicium, ac damnum, prout *Anchoran. hic* notat *n. 4. Felin. in c. postulasti n. 11. de rescriptis, Sanchez cit. disp. n. 3.* Cùm itaque beneficiorum pluralitas Ecclesijs valde noxia sit, atque ministrorum paucitatem, inæqualitates, ac querelas, atque divini cultus diminutionem concilians, ideo facultas dispensandi in tali pluralitate strictam habere debet interpretationem. Vide, quæ docui *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. & 7.*

CAPITULUM XX.

Si beneficia.

Paraphrasis.

Si accidat, ut postquam Papa beneficia contulit, vel ea collationi suæ reservavit, ordinarius collator ejus rei ignarus, eadem beneficia alijs contulerit, qui propterea beneficia sua priora propter incompatibilitatem, vel pluralitatem resignârunt, hoc casu, ne inculpata ignorantia eis damnosa sit, statuit hîc Bonifacius VIII. ut si ipsi post cognitam Papæ collationem, vel reservationem beneficia, ita sibi de novo collata, dimiserint, ad priora sua beneficia, non obstante, quòd jam alijs personis collata fuerint, liberè revertantur; sin autem difficultatem exhibeant in illis dimittendis, ipsis ad priora revertendi facultas intercluſa sit; & idem observandum circa alios, qui ab his dimissa beneficia dimiserunt, ut si sine difficultate restituant recens accepta, ad priora dimissa liberè reverti possint, alioquin verò non possint.

Summarium.

1. *Papæ collatio aut reservatio impedit inferiorem Ordinarium, quo minùs validè conferre possit, tametsi rei ignarus sit, ita ut per solam manus appositionem fiat tale beneficium affectum Papæ.*
2. *Redire potest ad beneficium resignatum, qui ex falsa causa per probabilem ignorantiam beneficio priori renunciavit.*

NOtandum primò. Collatio, vel reservatio Papæ impedit, quò minùs inferior ordinarius collator validè beneficium tale conferre possit, tametsi rei ignarus sit. Ratio peti debet ex prærogativa potestatis Papalis, per quam præveniendo, collationem beneficiorum, aut eadem suæ collationi in futurum reservando, liberè potest alios inferiores ordinarios impedire. *argum. c. 2. hoc lib. & tit.* Addendum verò est, beneficia fieri affecta seu impedita, quò, minùs ab inferiore conferri possint, non solùm per collationem, & reservationem Papæ veram, & validam, sed etiam per solam manisappositionem, ut si Papa alicui beneficij commendam lederit, beneficij renuntiationem acceperit, aut beneficium contulerit, vel conferri mandârit, tametsi collatio seu provisio ob personæ inhabilitatem irrita sit, vel mandatum de providendo executioni non detur, quia subreptitium est, aut quia mors intervenit, vel ob aliam causam, seu impedimentum; in tali casu manet beneficium affectum Papæ, prout ex multorum sententia docet *Garzias p. 5, c. 1. §. 2. Cokier in Regul. 8. Gloss. 19.* quamvis *Francus hic n. 1. Abb. in c. inter n. 10. de excess. prælatorum. Petrus Gregorius Tholosanus, de re beneficiaria c. 24. n. 18.* doceant, si Papa beneficium non reservavit, & collatio ab ipso, vel ad mandatum ejus, à delegato, vel executore facta, irrita fuit, collationem ad Ordinarium reverti; quare secundùm hanc sententiam juxta Germaniæ concordata,

cordata, si intra tres menses post vacationem per mortem, in loco beneficij cognitam, provisio beneficij fiat quidem à Papa, sed invalidè, ordinarius postea conferre poterit: idque etiam idcirco, quia clausula concordatorum, ut nisi intra tres menses, auctoritate Apostolicâ provisum fuerit, ordinarius liberè disponere possit, favorabilis censeri debet, quippe in Ecclesiarum utilitatem adjecta, ne beneficia diu vacare contingat, & ideò intelligi debet de provisione valida.

Porrò si collatio Papæ effectum consecuta sit, videlicet per acceptationem provisi, tametsi is ante adeptam possessionem moriatur, certum esse debet, quòd beneficium vacet per mortem hujus provisi, adeò ut si ea contingat in mense ordinarij, is ad collationem procedere possit, prout etiam *Tolosanus cit. loco* significat.

2 Notandum secundò. Si quis beneficio renunciet ex falsa causa per probabilem ignorantiam, quia bonâ fide existimat collationem alterius beneficij validam fuisse, redire potest ad beneficium resignatum. Ita *Dominic. hic in principio, Franc. n. 3.* Ratio est, quia resignatio censetur fieri sub tacita conditione, si posterioris beneficij collatio valeat, priùs habitum resigno; deficiente autem conditione, deficit actus, prout videre est apud *Parisium lib. 1. q. 3. n. 33.*

CAPITULUM XXI.

Non potest.

Paraphrasis.

Si Clericus dispensationem impetret super beneficiorum pluralitate, & vel modicum beneficium retineat, dispensatio ei non prodest: deinde si Pontifex alicui indulgeat, ut duo beneficia curata, canonicè ipsi collata, recipere, ac simul retinere possit, intelligi id debet de duobus, quæ proximè post acceptum indultum ipsi collata fuerint, ita ut ad aliud (si fortè unum dimiserit) extendi nequeat. Denique si tibi à Sede Apostolica beneficium conferatur, cum clausulâ non obstante, quòd antea beneficium habeas, non ideò tecum super beneficiorum pluralitate, seu ut duo beneficia simul retinere possis, dispensatum censetur, quandoquidem expressio illa, seu adjecta clausula, id solùm operatur, ut impetratio beneficij secundi subreptitia censeri non debeat.

Summarium.

1. *Qualitas tacita, cujus expressionem jura, vel stylus curiæ, necessariò requirunt, vitiat gratiam.*
2. *Et si cum aliquo dispensetur, ut possit duo beneficia curata simul retinere, intelligi debet dispensatio talis de duobus proximè recipiendis.*
3. *Gratia Principis in dubio ita intelligi debet, ut dispensationem contra jus non inducat.*

NOtandum primò. Taciturnitas qualitatis, cujus expressionem jura, vel stylus curiæ necessariò requirũt, dispensationem, & quamvis gratiam vitiat, tametsi, eâ qualitate etiam expressâ, Papa gratiam fecisset. Ita ex communi *Dominic. hic. Franc. n. 2.* & docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 18.* propterea, quia expressio talis qualitatis est quasi forma legitimæ postulationis, quare non valet dispensatio impetrata super beneficiorum pluralitate, nisi omnia etiam modica, quæ habentur beneficia, narrata sint, sicuti hìc dicitur in principio; neque valet impetratio beneficij secundi, nisi impetrans mentionem faciat, de beneficio etiam modico, quod obtinet, vel ad quod jus habet, sicuti dicitur in fine *cap. & in c. si motu 23. hoc tit.* 1

Addendum insuper primò. Quòd etiam pensionis mentio facienda sit, si in titulum beneficij designata fuerit, uti videre est apud *Cokier in regul. cancellariæ 61. Garziam p. 1. c. 5. n. 81.*

Adden-

Addendum secundò. Quòd etiam qualitas, videlicet si beneficium, quod habetur, curatum sit, necessariò exprimi debet, eò quòd difficilior esse soleat impetratio alterius, vel dispensatio super pluralitate, sicuti suprà dixi *in c. is cui 19. hoc lib. & tit.* & sumitur *ex Clement. 1. juncta Gloss. V. vel alteri. hoc tit.* Sed & mentio fieri debet de beneficio injustè accepto, & possesso, ne melioris conditionis sit, qui injustè possidet, quàm is, qui justè, juxta *c. eum qui 18. juncta Gl. V. obtinebat. hoc tit.* Denique stylus curiæ requirit, ut etiam redituum, seu beneficij valor exprimatur, teste *Franco hic n. 3. Garzia p. 1 c. 5. n. 59. Cokier in cit. regul. 61.* Veruntamen in Germania & Gallia verus valor exprimi non solet, sed de 24. ducatis secundùm communem æstimationem mentio fieri, prout videre est apud *Rebuff. in praxi. tit. de forma novæ provisionis. V. cujus & illt. Georgium de Branden in concordatis notabili 2.* Quod verò attinet ad valorem beneficiorum priùs obtentorum, eum exprimi necesse jam non est, cùm Pontifex pro expresso habere soleat, teste eodem *Rebuffo, & Alphonso in cit. Reg. 61. post Gl. in cit. Clement. 1. V. vel alteri.*

Addendum tertiò. In unione beneficij unius cum altero beneficio, quæ fit per extinctionem beneficij uniti, utriusque verus valor exprimi debet, ut appareat Pontifici, quanta sit uniendi necessitas, quia, cùm talis unio odiosa sit, ideò fieri debet præmissâ cognitione causæ, & insuper vocatis ijs, quorum interest; quod ipsum etiam in confirmationibus unionum fieri debet.

2 Notandum secundò. Dispensatio alicui facta, ut possit duo beneficia curata recipere, & simul retinere, intelligi debet de duobus proximè recipiendis, adeò, ut si unum dimiserit, tertium accipere non possit; confert etiam huc *c. si Clericus 11. hoc tit. & lib.* Porrò hoc ipso, quòd super pluralitate beneficiorum continuam personalem residentiam, adeóque incompatibilem residentiam postulantium, dispensatum sit, censeri etiam debet dispensatum super ipsa residentia, secundùm *Gl. in c. quia in tantum 5. v. plures. hoc tit. Abbatem ibidem n. 4.* ubi notanter ait, licèt dispensatio sit stricti juris, & interpretationis, extenditur tamen ad necessariò connexa, seu consecutiva; quam ob rem dispensatum in uno eorum beneficiorum residere satis est, sed in quo? *Glossa hic, & Abb cit n. 4* ait: in arbitrio beneficiarij positum esse, num in hoc, vel alio residere, alterum verò per Vicarium regere velit: quod verum esse rectè monet *hic Dominic. §. illud, Franc. ibidem. n 5.* si Ecclesiæ æquales sunt, alioquin in digniore personaliter deservire debet. *argum. c. extirpandæ 30. §. qui verò hoc tit.* Id verò rectè monet *Gl. hic V. retinere*, tametsi in dispensatione super pluralitate adjecta sit clausula, dummodo in beneficio, in quo non residet, faciat per Vicarium deserviri, idque postea non impleatur, non ideò tamen collationem seu provisionem corruere, cùm enim absolutè facta sit, ideóque clausula ea propriè non habuerit vim conditionis, sed potiùs cujusdam admonitionis, comminationis, ac veluti modi observandi, quo non servato provisus post monitionem privari posset, juxta *c. relatum 4. de Clericis non residentib.*

Notandum tertiò. In dubio gratia Principis ita intelligi debet, ut dispensationem contra jus non inducat, propterea, quòd dispensationes sint odiosæ *argum. c. 1. & 2. de filijs Presbyterorum in 6.* & notat *Franc. hic in §. cum verò. n. 1.* Quam ob rem clausula adjecta in collatione beneficij, non obstante, quòd jam beneficium habeat, ita intelligi debet, ut dispensationem super pluralitate non operetur, cùm nihilominus clausula illa effectum habere possit, videlicet, ut subreptionem excludat; item ut provisus priùs habitum beneficium ad vitandam pluralitatem, vel incompatibilitatem liberè dimittere possit &c. prout videre licet apud *Franc. hic n. 2.*

CAPI-

CAPITULUM XXII.

Si Apostolicæ.

Paraphrasis.

Apostolicæ Sedis legatus in Ecclesia aliqua, suæ legationis authoritate, reservavit pro Titio Canonicatum, & præbendam proximè vacaturam, & irritum decrevit, si quid contra hanc reservationem fuerit attentatum; constitutis certis executoribus, qui canonicatum, & præbendam, si vacaverint, Titio conferant; postea verò Pontifex, cùm id cognovisset, ratum habuit, & Apostolicâ auctoritate confirmavit, atque eisdem, vel alijs executoribus mandavit, ut in hoc provisionis negotio auctoritate Apostolica procedant, juxta litterarum legati tenorem. Hoc casu provisio Titij post impertitam Apostolicam auctoritatem facta censeri debet Apostolica, & ideò Titius alijs omnibus, quibus postea Papa in eadem Ecclesia provideri mandavit (tametsi ipsis canonicatum actualiter contulerit) in præbendæ assecutione præferendus est.

Summarium.

1. *Reservare potest Legatus à latere, spectato jure communi, beneficium aliquod proximè vacaturum pro certa persona.*
2. *Qua Legatus talis agit ex munere ordinario, non censetur agere Apostolicâ auctoritate, sed auctoritate suæ legationis.*
3. *Nisi gratiam ab inferiore factam ex certa scientia interpositâ auctoritate Apostolicâ confirmet Pontifex.*
4. *Enumerantur plures effectus, quos dispositio ita confirmata habet.*

1 NOtandum primò. Legatus à latere, spectato communi jure beneficium, & præbendam proximè vacaturam reservare potest etiam pro certa persona, prout habetur *in c. præsenti 3. de officio legati in 6.* per hanc tamen reservationem non acquiritur personæ propriè dictum jus, si quidem jus expectativæ dare ad beneficium est proprium Papæ, sicuti docui *in c. si eum 9. suprà hoc lib. & tit.* & hæc causa est, cur Canonici postea recepti, cum auctoritate Papæ, in assecutione præbendæ præferri debent ijs, quibus Legatus præbendam reservavit, vel canoniam contulit, nam si per talem reservationem v. g. pro Titio factam, auctoritate Legati, ipsi jus quæsitum esset super præbenda, tunc Papa alteri postea canoniam vel jus expectativæ dando, juri Titij derogare non intenderet, quia nec datio, nec confirmatio Papalis censetur trahi retrò cum præjudicio juris tertij, ait *Franc. hic in fine.*

Notandum secundò. Quæ Legatus agit 2
ex munere ordinario, ea auctoritate legationis, non Apostolicâ agere censetur. Ita *Dominic. hic in principio Gl. & Franc. in c. si à sede 31. infrà hoc tit.*

Notandum tertiò. Si Papa gratiam ab 3
inferiore concessam, ex certa scientia, interpositâ auctoritate Papali confirmet, efficit eam Apostolicæ Sedis gratiam, & inde plures effectus & commoda consequi possunt, & quidem in proposito casu sunt hæc.

Primum. Si collatio aut reservatio beneficij facta ab inferiore irrita esset, per talem confirmationem convalesceret, sicuti suprà dictum *in cit. c. eum qui.* Secundum. Si Legatus officio aut vitâ defunctus fuerit, ante provisionem Titio factam, expirâsset gratia reservationis, prout *Gl. hic monet v. præferri, & cit. c. præsenti*, sed per Papalem reservationem pro certa persona jus ei acquiritur, idque semel acquisitum non perditur morte concedentis, sicuti tradit *Gl. citata*, & dicetur *in c. si cui 36. hoc tit.* Tertium. Quòd in assecutione præbendæ iste Titius præferetur alijs postea à Papa jus expectativæ habentibus, non obstante, quòd his à Papa canonia collata sit, quia collatio intelligitur facta sine præjudicio tertij. Quartum. Quòd de tali reservatione Papali seu jure expectati-

væ in impetratione alterius beneficij mentio facienda est *secundùm Gl. receptam hìc V. præferri Francum in c sequente n. 6.* & constat ex ijs, quæ antea dixi *hoc tit. in c. non potest.*

CAPITULUM XXIII.

Si motu.

Paraphrasis.

Si Papa Clerico obtinenti beneficium, proprio motu alterum beneficium conferat, non factâ mentione beneficij prioris, non ideò gratia hæc pontificia, quæ ex mera liberalitate processit, subreptitia censenda est. Verùm si talis gratia facta sit ad petitionem Clerici, vel ab altero pro ipso oblatam, tunc quantumcunque modicum beneficium in petitione taceatur, gratia seu concessio subreptitia erit: tunc autem proprio motu gratia concedi dicitur, cùm id in literis expressum est.

Summarium.

1. *Vitium subreptionis opponi non potest gratiæ, motu proprio concessæ, ob veri taciturnitatem.*
2. *Nisi taciturnitas jus tertij respiciat.*
3. *Neque tollitur per motum proprium subreptio per expressionem falsi.*
4. *Si ad instantiam obtenta sit gratia, neque subreptio ob veri taciturnitatem tollitur.*
5. *Non tamen censetur, motu proprio, concessa gratia, nisi exprimat concedens.*
6. *Utrùm per clausulam: ex certa scientia: tollantur personæ inhabilitates?*

NOtandum primò. Si gratia motu proprio Superioris concessa sit, ad eam enervandam, non potest vitium opponi subreptionis ob taciturnitatem veri: explicari debent singulæ particulæ hujus notandi. Primò, loquimur de gratia Superioris, & non solius Papæ, aut Principis, nam etiam in Legato, & alijs ordinarijs doctrina hæc locum habet, secundùm *Gl. receptam in c. ult. v. mentio de officio Legati in 6. Franc. hìc n. 1. Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 21. n. 48.* ubi ait, clausulam, *motu proprio*, magis convenire ordinarijs locorum, quippe, qui majorem personarum suæ Diœcesis cognitionem habent, & ideò subreptio propter taciturnitatem veri facilìùs excludi potest.

Secundò dictum est, ad enervandam gratiam non posse opponi vitium subreptionis; nam alia vitia gratiæ opponi possunt per viam juris communis, sicuti hìc notat *Joann. And. n. 1. Anchoran. not. 2. Gl. in Clement. si Romanus V. validam hoc tit. Sanchez lib. 8. disp. 21. n. 49.* ubi aiunt, licèt clausula, *motu proprio*, subreptionem tollat, tamen inhabilitatem personæ non tollit, nec dispensationem inducit, v. g. super ætate, irregularitate, natalium defectu, beneficiorum incompatibilitate: probari debet ex eo, quia clausula, *motu proprio*, non ampliat intentionem concedentis, gratiam probabiliter præsumptam, juxta *Gl. in Clement. 2. v. directas hoc tit. Abb. in c. ad aures n. 5. de rescriptis. Syl. v. rescriptum. q. 6. Sanchez n. 51.* At verò in dubio, & nisi aliud in rescripto, lege, statuto, vel quavis dispositione indicetur, intentio disponentis, aut concedentis censetur esse conformis juri communi. Quia etiam suprà dixi *in c. non potest 21. not. 3. hoc lib. & tit.* quòd in dubio gratia Principis dispensationem contra jus non inducat.

Hinc collige, si taciturnitas respiciat jus tertij, subreptionem non tolli per clausulam, *motu proprio*, sicuti docet *Abb. in c. ad aures n. 5. Felin. n. 50. de rescriptis. Franc. hìc n. 6. Sanchez n. 50.* v. g. si taceatur, quòd beneficium sit juris patronatûs; vel quòd beneficij unio facta sit per Ordinarium, licèt ea effectum nondum consecuta sit; vel quòd statutum particulare repugnet, qua de re regula traditur apud Sanchez: quòd motus proprius, jus in re vel ad rem alteri quæsitum non aufert.

Ter-

3 Tertiò dixi, per eam clausulam tolli subreptionem ex taciturnitate veri, non item tollitur subreptio per expressionem falsi, sicuti docet *Abb. in c. quia circa n. 7. de consanguinitate. Sanchez cit. disp. 21. n. 52.* & alij. Ratio est, quia clausula motus proprij, non operatur ultra intentionem concedentis, & verò allegatio falsi, si ea, ut ponimus, causa concedendi est, satis significat, non adfuisse veram concedendi voluntatem, cùm ex errore processerit, errantis autem non sit consensus. *L. 9. c. de juris & facti ignorantia.*

4 Notandum secundò. Si Princeps gratiam concedat ad petitionem, seu instantiam alterius, subreptionis vitium opponi potest, ostendendo veritatem, aut circumstantiam aliquam, quæ in petitione necessariò exprimenda erat, dissimulatam fuisse, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 17.*

Dicitur autem Princeps facere gratiam ad instantiam, seu petitionem alterius, quando eâ impellitur Princeps ad concedendum; alioquin verò nihil impedit petitionē antecessisse, & non ex ea, sed proprio motu, aut merâ benevolentiâ impulsum, concessisse, sicuti ex communi tradit *Gl. finalis hic. Menochius in arbitrarijs casu 201. n. 8.* & docui *cit. tract. 4. c. 23. n. 8.*

5 Notandum tertiò. Non censetur Princeps gratiam ultrò, & non ad instantiam alicujus concedere, nisi exprimat, quòd motu proprio concedat. Ita ex communi *Anchoran. hic not. 5.* Nam motu proprio gratiam dari aliud non est, quàm Principem nullius precibus motum esse ad concedendum: id autem, cùm in negatione consistat, aliter probari non potest, nisi per Principis assertionem, prout *Sanchez* notavit *lib. 8. disp. 4 n. 5.*

6 Sed dubitatur. Num ad hoc, ut Princeps beneficium, privilegium, aut officium conferens, impedimentum seu inhabilitatem scire censeatur, necessarium sit exprimi clausulam *ex certa scientia*? Ita affirmat *Gl. in c. statutum post principium v. literarum de rescriptis in 6. & in Clement. 2. in fine eodem tit.* Sed contrarium est asserendum *cum Menochio lib. 2. de præsumptionib. c. 20. n. 7. Mascardo de probationib. con. 845. n. 23. Sanchez lib. 8. disp. 4. n. 5.* satis esse, undecunque constare, aut à privilegiato, vel promoto ostendi, quòd Princeps vel Superior inhabilitatem cognitam habuerit; nam hoc ipso, quòd Princeps inhabilem secundùm jus positivum, in quo ipse dispensare potest, admittit, aut promovet, impedimentum tollere censetur, sicuti docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 7.* Imò verò nec sufficit clausulam exprimi, *ex certa scientia*, ut Princeps juris positivi inhabilitates à persona tollere, seu in ijs dispensare censeatur velle, prout benè annotavit *Menoch. n. 3.* quia in dubio non præsumitur Princeps velle subvertere legis dispositionem *L. si quando 35. c. de inofficioso testamento*, & clausula ea, *ex certa scientia*, solùm operatur circa substantiam gratiæ, suppositâ personæ habilitate, non autem operatur circa extrinseca probabiliter ignorata, sicuti *ex Felino in c. cuminter. 5. v. intellige. de exceptionib.* tradit *Menoch. cit. loco n. 5. Sanchez cit. disp. 4. n. 6.*

CAPITULUM XXIV.

Si pluribus

Paraphrasis.

Vacabant in Ecclesia quadam plures dignitates, & præbendæ; Papa ejus rei ignarus scripsit pro Titio indeterminatè, & in genere, ut si qua dignitas, vel præbenda, nulli alteri debita, vacaret, ipsi conferretur, dubitatum fuit, num dignitatem, vel præbendam, quæ majoris valoris est, an eam, quæ minoris vi ejus rescripti Titio conferri oporteret. Respondet Papa, si gratia motu proprio emanavit, cùm plenissima ejus interpretatio fieri debeat, referendam esse ad dignitatem, vel præbendam digniorem; sin autem æquales sint, assignandam esse Titio, quam is inter decem dies post notitiam, de ejus vacatione acceptā elegerit; sin au-

tem gratia ad petitionem alterius emanavit, tunc quia talis gratia strictam habere debet interpretationem, ad minorem dignitatem vel præbendam, aut si æquales sint ad eam, quam intra decem dies à nota sibi vacatione, is ad quem alioquin collatio ejus spectat, ad hoc elegerit, referri debet; quòd si verò is intra dictum tempus eligere negligat, ex eo tempore ad Superiorem electio liberè devolvatur.

SUMMARIUM.

1. *Gratia beneficialis ad instantiam concessa strictam interpretationem habet; latissimam verò, quæ motu proprio conceditur.*
2. *Saltem in quantum jus tertij non laditur, nec concordatis, vim pacti habentibus, contravenitur.*

1 NOtandum. Discrimen est inter gratiam beneficialem, aut dispensationem, quæ datur ad instantiam, seu petitionem alterius, & eam, quæ proprio motu conceditur, quòd illa strictam interpretationem meretur, hæc autem latissimè interpretanda. Et ita docent Canonistæ hîc. *Abb. in c. cùm in cunctis §. cùm verò n. 8. ibidem Joann. Andr. n. 18. de electione. Felin. in c. postulastis. 13. de rescriptis.* Ratio indicatur *in c. præcedente*; cùm enim talis gratia motus proprij ex mera Principis liberalitate procedat, major ejus esse debet favor, & benignior interpretatio, ita tamen, ut à concedentis voluntate probabiliter præsumpta, atque à verborum proprietate, vel communi eorum acceptione, nequaquam recedatur, prout explicavi *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 6.* & hoc modo intelligenda est *Glossa in Clement. 2. v. directas hoc tit.* cùm enim ait, quòd motus proprius non ampliat gratiam, vel vim verborum, intelligi debet, quòd non ampliat supra intentionem concedentis, aut ultra vim & acceptionem verborum.

2 Objici potest, quod *c. superiore* dictum est, gratiam motus proprij strictè esse interpretandam, quatenus vergit in præjudicium tertij; at verò reservationes istæ, & literæ beneficiales vergunt in præjudicium ordinarij collatoris: ergo strictam interpretationem habere debent. Resp. cum *Anchoran. hìc not. 1.* id verum esse, si tertio verum aliquod jus in re, vel ad rem acquisitum sit, cui Princeps secundùm ordinariam potestatem præjudicare non soleat, licèt possit secundùm plenitudinem potestatis, positâ causâ rationabili; quâ ipsâ ratione rescriptum beneficiale, licèt clausulam, *motu proprio*, & *ex certa scientia*; annexam habeat, tamen non ita intelligi debet, ut concordatis Germaniæ deroget, sed alia ratio est de reservationibus & derogationibus facultatis conferendi, spectato communi jure, cùm enim Papa sit supremus omnium beneficiorum collator, ideò spectato jure ordinario, & seclusis concordatis, liberè, & sine cujusquam injuria, & propriè dicto præjudicio ordinarios collatores prævenire potest.

CAPITULUM XXV.

Cùm in Ecclesia.

PARAPHRASIS.

In quadam Ecclesia duodecim erant Canonici, & tredecim præbendæ, nam Episcopus ex longa consuetudine vocem in Capitulo habebat, tanquam Canonicus, cùm Canonicus non esset, licèt præbendam haberet, sicuti Canonici. In hac itaque Ecclesia Papa, auctoritate Apostolicâ, mandavit provideri Titio præbendam, quæ proximè vacatura erat, nulli alteri debitam. Accidit autem, ut per mortem Episcopi proximè vacaret præbenda. Hoc casu ait Bonifacius VIII. Titium præbendam istam habere non posse, sed expectandum ipsi esse, donec alia præbenda vacet, ne alioquin contra Ecclesiæ consuetudinem, cui Pontifex mandato suo derogare non intendit, futurus Episcopus præbenda carere debeat, & Canonicorum numerus augeri.

SUM-

SUMMARIUM.

1. *Ut in Ecclesia aliqua major numerus sit præbendarum, quàm Canonicorum, statuto vel consuetudine introduci potest, vel vicissim.*
2. *Prout etiam introduci potest, ut, qui non est Canonicus, vocem habeat in Capitulo.*
3. *Quibus per sua rescripta non censetur derogare Pontifex.*

1 NOtandum primò. Statuto vel consuetudine introduci potest, ut in aliqua Ecclesia major numerus sit præbendarum Canonicalium, quàm Canonicorum, quia videlicet una præbenda, vel plures dantur, seu Episcopo, seu Cancellario Academiæ, seu Cantori, qui Canonici non sunt; sed & vice versa frequenter fit, ut major numerus sit Canonicorum, quàm præbendarum, cùm nihil obstet Canonicum creari, qui non habet præbendam Canonicalem, prout sæpè dixi, & notat *Anchoran. hic in principio.*

2 Notandum secundò. Etiam id consuetudine introduci potest, ut Clericus in Capitulo vocem habeat, qui tamen Canonicus non est. *c. cumana 50. de electione.*

3 Notandum tertiò. Papa per sua rescripta, & mandata non censetur derogare statutis, consuetudinibus, ac juribus particularium Ecclesiarum, nisi sufficienter exprimat, uti hic dicitur, & *in c. constitutus 19. de rescriptis. c. ei cui 29. infrà hoc tit. 6.* idque verum est, tametsi proprio motu emanaverit, prout tradit *Franc. in c. si motu. 3. hoc tit.* & docui *ibidem not. 1. §. hinc intellige.*

CAPITULUM XXVI.

Sitibi.

PARAPHRASIS.

Pontifex concesserat alicui Episcopo, ut ad debita Ecclesiæ suæ solvenda, reditus beneficiorum, intra certum tempus vacantium, percipere posset. Accidit postea, ut beneficium curatum, quod vacabat, Episcopus Clerico conferret, qui simile curatum obtinebat; hoc casu æquum non est, ut prius beneficium propter adeptionem secundi reputari debeat vacare, quamdiu Episcopus hujus secundi fructus percipit.

SUMMARIUM.

1. *Juri scripto, verborum proprietati tenaciter inhærenti, æquitas præferenda est.*
2. *Non vacat priùs beneficium incompatibile cum posteriore, nisi fructus posterioris percipiat provisus.*

NOtandum. Æquitas præferenda est juri 1
scripto verborum proprietati tenaciter inhærenti *L. placuit 8. c. de judicijs & reg. 90. ff.* in omnibus quidem, maximè tamen in jure æquitas spectanda est, quare licèt *in c. de multa 28. hoc tit.* decretum fuerit, ut si aliquis alterum curatum beneficium accipiat, post adeptam ejus possessionem, prius curatum ipso jure vacare debeat, ita ut alteri mox conferri possit, sicuti habetur *in c. sequente*, tamen id extendi non debet ad eum casum, si alterum adeptus beneficium curatum, nullos ex eo fructus percipiat, neque per ipsum stet, quò minùs percipiat, uti videre est in casu nostri Capituli, qui proinde per epikiam excipi debet, juxta ea, quæ docui *lib. 1. tract. 4. c. 19.* atque huc etiam applicari potest, quod docui *lib. 4. tract. 2. c. 5. q. 4.* quòd beneficiarius, qui beneficij fructus nullos percipere potest, pro eo tempore ad horas Canonicas non obligetur.

Advertendum autem est, quòd hîc tra- 2
dit *Joann. And n. 3. Anchoran. not. 3. Francus. n. 2.* Pontificem non absolutè dicere, priùs curatum non vacare, sed non esse reputandum, ut vacans ad eum effectum, ut alteri conferri possit, donec ex posteriore fructus percipiat provisus: ex quo inferunt, si fructus consequatur, non esse in electione curati, utrùm ex duobus beneficijs dimittere malit, cùm ex eo tempore bene-

beneficium priùs verè vacet, etiam in effectu.

CAPITULUM XXVII.

Cùm de non Sacerdotali.

PARAPHRASIS.

Si Papa mandet Titio provideri præbendam non Sacerdotalem, atque is velit sibi conferri Sacerdotalem, non potest id fieri: similiter si in Ecclesia aliqua sint præbendæ integræ, & dimidiæ, & Papa jubeat alicui conferri integram, non potest ipsi, quamvis consentienti dimidia præbenda conferri; eâdémque ratione, si Papa jubeat alicui præbendam certi valoris provideri, non potest tale mandatum, etiam volente eo, pro quo scribitur, in præbenda minoris valoris adimpleri, quia mandata hujusmodi, quorum fines diligenter observandi sunt, ad casus alios præter expressos extendi non debent.

SUMMARIUM.

1. *Extendi non debet mandatum, ultra mandata, etiam ex consensu partis.*
2. *Explicatur regula, quomodo in eo, quod plus est, minùs contineatur.*

1 NOtandum, Mandatum in forma specifica impleri debet, neque ad aliud, quàm mandatum sit, etiam ex partis consensu, extendendum. Ita hìc dicitur, & sumitur *ex L. diligenter 5. ff. mandati L. cùm 12. c. eodem.* & tradit *hic Dominic. & Franc. n. 12.* atque adeò hoc verum est, ut tametsi forma præscripta commissario vel executori cedat in commodum partis, huic suo commodo pars renunciare non possit, ita ut mandatum in alia forma, seu specie, executioni mandetur *argum. cit. L. diligenter*, quia qui formam mandati transgreditur, aliud facit, quàm mandatum est.

2 Objcitur Regula 110. *ff. in eo, quod plus est, semper inest & minus.* & Regula 35. in *6. plus semper in se continet, quod est minus*: ergò si Papa jubeat alicui conferri præbendã integram, vel valoris 200. aureorũ aũuorum, contentus esse censetur præbenda dimidia, vel præbenda centum aureorum, si contentus sit is, cui providendum. Confirmatur *exc. ex parte 27. de decimis ibi: ubi majus conceditur, minus etiam concessum videtur.* & Regula 53. in *6. cui licet quod est plus, licet utique, quod est minus.*

Ad objectionem Resp. cum *Dino in cit. regulam 35. Decio in regulam. non debet n. ff. n. 5.* Si id, quod minus est, comparatione majoris se habet, ut pars ad totum, veræ sunt regulæ allegatæ; sin autem quod minus est, habet ad majus, ut species diversa, tunc regulis his locus non est, sed alia ponenda, quòd in mandatis, dispensationibus, delegationibus beneficialibus rescriptis, & alijs ejusmodi, quæ strictæ esse debent interpretationis, ob identitatem, vel majoritatem rationis, non possit fieri extensio à casu expresso ad non expressum. *argum. L. solemus. 60. §. ult. ff. de judicijs.*

Ad confirmationem dico, *ex cit. c. ex parte* ostendi priorem partem Responsionis: cùm enim novalia sint veluti species quædam decimarum, ideò si Pontifex universim concedat Religiosis, ut ex terris parochiarum suarum decimas integras, seu quartã parte Episcopali non detractâ, percipiant, id etiam de novalibus intelligi debet. Ad regulam 53. similiter dicitur, eam veram esse, si minus habeat se, ut pars saltem virtualiter contenta in majore. *argum. L. ut in ea 22. §. sed quid ff. de adulterijs* & indicat *Gl. in c in literis 5. v. prædo de restitutione spoliatorum.* ubi dicitur *in L. in suis 11. propè finem ff. de liberis.* Quod bannitum, vel latronem, quem occidere licet, multò magis spoliare bonis concessum sit; item, si dispensatum sit cum illegitimo ad Sacerdotium, consequenter dispensatum ad Ordines inferiores, sicuti ex communi tradit *Sanchez. lib. 8. de matrimonio disp. 1. n. 35.* si cum Religioso dispensatum sit ad testamentum condendum, consequenter etiam posse eum codicillum facere *L. Marcellus*

cibus 15. ff. de donationibus causâ mortis & docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 10. in fine.* Non autem vera est dicta regula, si quod minus est, sit quasi species diversa, & non contenta in majore, seu potiore, uti constat *ex cit. L. solemus §. ult.* ubi dicitur, quòd judex deputatus ad causas criminales, non potest cognoscere in civilibus, aut pecuniarijs causis, licèt alioquin causæ criminales majores sint pecuniarijs, prout *Decius* notat *cit. loco.* Videri etiam possunt, quæ docui *in c. significante 34. de rescriptis.*

CAPITULUM XXVIII.

Licet.

Paraphrasis.

Si Clericus curatum beneficium obtinens, aliud curatum acceperit, & ipsius pacificâ possessionem nactus sit, vel per eum steterit, quò minùs nancisceretur, Episcopus seu collator ordinarius prius beneficium alteri conferre potest, sed eum, cui contulit, in possessionem corporalem inducere non debet, eo non vocato, qui beneficium per adeptionem secundi amisisse censetur, quia forsitan ipsi jus in eo retinendo competit.

Summarium.

1. *Beneficium, quod ipso jure vacat, conferri potest alij, non vocato possessore.*
2. *Provisus de beneficio, cujus alter possessionem adhuc habet, non debet in illius possessionem mitti, nisi vocato possessore.*
3. *Limitatur tamen hæc doctrina.*

1 Notandum primò. Si beneficium ipso jure seu per juris constitutionem vacet, alteri statim conferri potest, etiam non vocato possessore. Ita *Dominicus & Francus hic in principio.* Intelligi autem id debet, dummodo satis constet de facto, v. g. Clericum curatum aliud simile beneficium, ejúsque pacificam possessionem, consecutum fuisse, aut saltem per eum stare, quò minùs possessionem capiat; nam paria sunt in ordine ad istos effectus possidere, & per aliquem stare, quò minùs possideat. *argu. regul. 41. in 6.*

2 Notandum secundò. Tametsi alicui beneficij vacantis collatio facta sit, si tamen de facto non vacet, quia alius in possessione est, non debet provisus in possessionē mitti, nisi priùs vocato possessore. Ita hìc notant DD. communiter, & sumitur *ex L. ult. c si per vim &c.* ubi dicitur, quòd possessor non citatus, ne quidem ex Principis rescripto, vel judicis interlocutione, in possessione sua turbari debet.

3 Limitari debet primò. Nisi possessor ante collationem alteri factam citatus, & auditus fuisset, & contra ipsum, præmissâ causæ cognitione, pronunciatum, tunc eo non citato iterum provisus in possessionem mitti potest, prout *hìc Lapus & Ioann. Monachus* notat, dans rationem, quia in hoc casu datio possessionis est executio priùs factæ collationis, cum cognitione causæ. Secundò, nisi notorium, atque indubitatum sit, possessori, aut detentori nullum jus competere posse, tunc sine citatione, aut causæ cognitione, missio in possessionem rectè instituitur, secundùm *Lapum hic n. 1.* & sumitur *ex hoc cap.* quando ratio, cur possessor vacandus sit, ea affertur, ne fortè jus retinendi habeat: ergò ea ratione notoriè cessante, citatio, sicuti & causæ cognitio, omitti potest.

Porrò cognitio hæc fiet summariè, & de plano, sine figura judicij, ait *Lapus hic & Anchoran. not 7. juxta Clement. dispendiosam de judicijs.* Et in hoc ipso judicio, si collatio facta ostendatur, vel adversarius eam confiteatur, præsumitur esse Canonica, & legitima, neque admittitur quælibet exceptio impediens à missione in possessionem, nisi sit exceptio de crimine juncto cum infamia, vel exceptio obreptionis, vel denique alia, quæ aut manifesta sit, aut in continenti probari possit, prout *Lapus hic & Anchoran.* docent, & dixi de hoc *in c. constitutis 46. de appellationibus*, & consentiunt ea, quæ docui de executore *in c. dilectus 34. hoc tit.*

CA-

CAPITULUM XXIX.

Si cui.

PARAPHRASIS.

Si Papa absolutè mandáverit Titio provideri præbendam proximè vacaturam, postea autem vacet præbenda sacerdotalis, Titius verò non habeat ætatem ad sacerdotium requisitam; hoc in casu non potest ipsi ea præbenda conferri, sed debet aliam expectare.

SUMMARIUM.

1. *Beneficia, juxta varios Ordines, quos actu, vel in potentia proxima requirunt, varia sunt.*
2. *Per verbum aliquod generale in rescripto positum, non censetur derogare Pontifex particularibus Ecclesiarum statutis.*

1 NOtandum primò. Beneficia ex juris communis, aut particularis constitutione, alia sunt Sacerdotalia, quæ in proviso Sacerdotij Ordinem requirunt, actu, vel proximâ aptitudine, prout explicavi *lib. 4. tract. 2. c. 4. n. 2.* alia verò Diaconalia &c.

2 Notandum secundò. Non censetur Papa per aliquod verbum generale, positum in rescripto, derogare velle communi juri, aut statuto particulari Ecclesiæ, sed opus est expressione speciali, idque verum est secundùm *Ancharan. & Dominic. hic in Gl. 1.* tametsi clausula adjecta sit, *non obstantibus aliquibus, per quæ gratiæ effectus impediri possit*; non enim per talia verba generalia dispensatio, aut juris derogatio induci censetur, juxta ea, quæ suprà docui *in c. si motu 25. hoc lib. & tit.* sed opus est, ut in specie exprimatur personæ inhabilitas, seu defectus, in quo dispensatur; aut jus, seu statutum, cui derogatur, quamvis contrarium sentiat *Gl. hic. V. simpliciter. Lapus in cit. c. si motu.* & videri potest idem *Lapus hic n. 11. Franc. n. 4.*

CAPITULUM XXX.

Si pauper.

PARAPHRASIS.

Papa mandavit Episcopo in forma pauperum, ut Cajo pauperi Clerico beneficium secundùm merita probitatis ejus conferret. Accidit verò, ut idem Cajus, antequam mandatum executioni daretur, beneficium consecutus fuerit. Hoc in casu non potest Episcopus vi mandati hujus, quippe cessante jam causa mandati, beneficium Cajo conferre.

SUMMARIUM.

1. *Mandatum de beneficio conferendo executioni mandari non potest, sed cessat, cessante causa finali, ac principali; non autem mandatum exquendi, seu de mittendo in possessionem beneficij jam collati.*
2. *Non censetur Papa intendere mandato suo de providendo, ut beneficium novum illi conferatur, qui jam aliud ad sustentationem sufficiens habet: probabilis tamen etiam est contraria sententia.*

NOtandum. Cessante causa finali, ac principali, mandati, cessat mandatum, nec executioni tradi debet. Ita docui *ibi leg. hoc cap. lib 1. tract. 4. c. 22. n. 14.* nam literæ beneficiales, quæ dantur in forma pauperum, etiam literæ justitiæ appellantur, ficuti explicavi *in c. postulâsti 27. de rescriptis*, quia non sunt merè gratiosæ, sed debitæ aliquo modo ordinatis Clericis, si nec patrimonium habeant, nec beneficium, ex quo honestè se alere queant, prout ex communiore tradit *Abb. in cit. c. postulâsti. n. 3.* Itaque finalis, & principalis ratio mandati in forma pauperum, est paupertas, seu inopia Clerici; quâ cessante, videlicet beneficio sufficiente adepto, mandatum de providendo executioni tradi non debet.

Loquor autem de mandato providendi, adeóque beneficium pauperi conferendo; alia

alia enim ratio est de mandato exequendi, postquam beneficium collatum, ideóque gratia facta est, nam si Papa Clerico pauperi contulerit beneficium, & executori mandet, ut eum in possessionem mittat, hoc casu sufficit causam conferendi, videlicet paupertatem, substitisse tempore collationis, tametsi non subsistat tempore executionis, quia Clericus provisus interim v. g. hæreditate ditatus est, vel aliud beneficium canonicè consecutus; idque sumitur *ex reg. 73. in 6.* factum legitimè retractari non debet, licèt casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari, & benè annotavit *Dominic. hic col. 1.* In priore autem casu, si videlicet gratia impetrata à Papa non sit facta, sed facienda à Commissario, precum veritate inspectâ, juxta *c. 2. de rescriptis* verificari debent preces non tantùm secundùm tempus impetrationis litterarum, sed etiam secundùm tempus gratiæ à commissario faciendæ, v. g. dispensationis super voto, super matrimonij impedimento Apostolicâ auctoritate dandæ, prout tradit *Sanchez 8. de Matrimonio disp. 39. n. 12.* & latè dixi *lib. 1. tract. 4. c 22. q. 2.*

2. Sed quid, si Papa Titio nullum beneficium habenti, in forma gratiosa mandârit, beneficium conferri proximè vacaturum, isque interea beneficium ad sustentationem sufficiens consecutus sit, num executor seu commissarius mandatum exequi possit? Affirmant *Gl. hic. v. pauper. Ioann. Monachus n. 3. Ancharan. col. 1. Franc. n. 2.* dummodo beneficium, quod ex Papæ mandato confertur, non sit incompatibile cum priùs accepto. Ratio dari debet, quia carentia beneficij non est causa adæquata mandati de providendo, cùm sæpe Papa, beneficium habenti, aliud conferri jubeat, & hoc quidem certum est, si priùs beneficium sufficiens non sit. Sed contrarium mihi placet, si beneficium sufficiat ad congruam sustentationem. *argum. cit. c. postulasti & c. is cui 19. hoc lib. & tit.* ex quibus textibus habetur, quòd non censeatur esse inventio Papæ mandantis provisionem beneficij, ut provideatur ei, qui sufficiens jam habet, nisi id exprimat.

Veruntamen, cùm hodie frequens sit, ut beneficia plura simplicia, si compatibilia sint, impetrentur, & conferantur, relinquendo conscientiæ cujuslibet, num ea omnia cum superfluis reditibus retinere possit, ideò prior sententia teneri potest, quia, licèt, si tempore impetrationis Clericus beneficium habuisset, rescriptum obreptitium fuisset, non facta mentione beneficij, *cit. c. postulasti. cit. c. si motu*, tamen, cùm semel rescriptum, seu mandatum vigorem habuit, non debet ex superveniente adeptione beneficij, alioquin compatibilis, corruere, quandoquidem sufficiens adhuc causa rescripti gratiosi sustentans adest, videlicet favor & liberalitas Papæ, & impetrans saltem secundùm hujus temporis consuetudinem, tanquam non idoneus repelli non potest. Vide, quæ docui *in cit. c. 22. n. 14.*

CAPITVLVM XXXI.

Si à Sede.

PARAPHRASIS.

Si literis à duobus impetrantibus exhibitis appareat, idem beneficium eodem die collatum fuisse à Papa, vel Legato à latere, & ab Ordinario; nesciatur verò, utri ex duobus priùs facta sit collatio, potior esse debet possidentis conditio; sin neuter possideat, tunc is, cui Sedes Apostolica, vel Legatus ejus contulit, propter majorem conferentis prærogativam, alteri præferri debet.

SUMMARIUM.

1. *In causa dubia melior est conditio possidentis.*
2. *Si dubium sit, quæ potestas prævenerit alteram in causa, quæ ab utroque confici potest, attendi debet ad prærogativam Superioris.*
3. *Ex doctrina tradita duo deducuntur.* 1

NOtandum primò. In causa dubia melior est conditio possidentis, *regula*

170. *ff.* & docui *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 21. neque cogitur possessor rem tradere petitori in causa dubia, & non demonstrata, prout *hic Ancharan.* monet ex *c. inter. in fine. de fide instrumentorum*, cùm enim obscura sunt jura partium, contra eum, qui petitor est, judicari consuevit.

2 Notandum secundò. Si duæ potestates concurrant cum jure præventionis, & nesciatur, utra prævenerit, attendi debet prærogativa potioris, seu superioris; sic Papa in conferendis beneficijs concurrit nonnunquam cum inferioribus ordinarijs collatoribus, similiter & Legatus à latere, ita ut inter eos, spectato communi jure, præventioni locus sit, atque is provisus jus acquirat, cui priùs collatio facta fuit, uti docui *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 10. *n.* 2. sin autem dubium sit, utra priùs facta fuerit, ejus collatio præferenda, qui majore conferendi potestate fungitur, ita ut beneficia sibi etiam reservare possit, videlicet Papa, & Legatus à latere, prout suprà dictum *in c.* 2. *& c. hi, qui* 12. *hoc lib. & tit.*

3 Corollarium primum. Si Vicarius generalis per potestatem ipsi ab Episcopo specificè indultam, beneficium vacans contulerit Cajo, & Episcopus Titio, nec sciatur, uter prævenerit, præferenda est collatio Episcopi, eò quòd potestas in Episcopo major, & potior sit, Vicarij autem dependens, cui proinde Episcopus derogare potest. *argum. c. dudum* 14. *§. nos igitur hoc lib. & tit.* & docui in *disput. de jurisdictione ordinaria con.* 99. & monet *hic Franc. n.* 4.

Corollarium secundum. Cùm Camera Spirensis secundùm communiorem sententiam in jurisdictione concurrat cum Cæsare, seu Cæsarea Aula, & detur locus præventionis, ideò si in aliquo casu dubitetur, num in Cæsaris aula, an in Camera jurisdictio priùs cœpta, seu præventa sit, pro Aula pronuntiandum erit ob majorem, & superiorem ejus prærogativam, siquidem in Cæsare residet jurisdictio tanquam in fonte, & origine, atque secundùm plenitudinem potestatis, in Camera autem secundùm derivationem ac participationem. Qua de re *Thomas Baurmaister de jurisdictione Imperij Romani lib.* 2. *c.* 4. *n.* 20.

CAPITULUM XXXII.

Cum singula.

PARAPHRASIS.

Quia officia singula singulis personis committenda sunt, & dissolutionis atque evagationis materia, Religiosis antea alios, auferenda, ideò prohibet Bonifacius VIII. ne Monachus, aut Religiosus aliquis, pluribus Prioratibus, aut Ecclesijs curam animarum habentibus, licèt eæ per Presbyteros Vicarios Episcopo præsentandos, & ab eodem institutos administrari soleant, sine Apostolicæ Sedis licentia præesse præsumat: sin autem Religiosus Prioratum, aut curatam Ecclesiam obtinens, aliud simile beneficium recipiat, prius, cùm eo privatus existat, ipso jure statim dimittere debet, ut ab eo, ad quem id pertinet, alteri liberè conferri possit; quod si non fecerit, ex eo tempore ineligibilis factus sit, & tanquam ambitiosus ab utroque beneficio amoveatur. Quod verò attinet ad eos, qui tempore hujus editæ constitutionis plures prioratus, vel Ecclesiæ curam animarum habentes obtinebant, decernitur, ut intra mensem à notitia hujus constitutionis accepta numerandum, unum ex ijs, alijs dimissis, sibi eligant, alioquin nisi fecerint, eisdem, quæ suprà dictæ sunt, pœnis subjaceant.

SUMMARIUM.

1. *Ut singula officia Ecclesiastica singulis conferantur, consultum ac decens est.*
2. *Hoc capitulum specialiter de Religiosis, qui plura curata, v. g. personatus, & dignitates obtinent, agit.*

NOtandum primò. Consultum, ac decens est, ut Ecclesiastica officia singula singulis committantur, non autem uni plura,

plura, quia, uti dicitur in *c. 2. de Clericis non residentibus*, vix unum officium rectè implere quivis sufficit. Consentit *c. 1. distinct. 89.*

Notandum secundò. Quod in *Capitulo de multa 28. hoc tit.* universim decretum est, ne quispiam plures Ecclesias curatas, personatus, seu dignitates obtineat, id specialiter hîc de Religiosis, sub ijsdem, & alijs pœnis cavetur, prout iterum dicam in §. sequente.

§.

Prohibemus.

Paraphrasis.

Prioratus, Ecclesiæ, administrationes, & officia unius monasterij, quæ per ejusdem Monachos gubernari consueta sunt, non debent sine Sedis Apostolicæ auctoritate alterius monasterij Monachis committi, & quæ hactenus commissa sunt, dimitti debent, ut pereos, ad quos pertinet, liberè conferri, & ordinari possint; propterea, quòd Monachis in diversis monasterijs, quorum unum ab altero non dependet, locum habere non liceat, neque prioratus, Ecclesias, administrationes vel officia aliorum monasteriorum (nisi ad ea canonicè transferantur) gubernare. Qui verò contra hoc decretum agentes in posterum alienis Monachis prioratum, administrationem &c. commiserint, vel commissam reliquerint, ij in pœnam, eâ vice, potestate ordinandi, seu committendi privati sint, eáque ad diœcesanum, si monasteria non exempta, alioquin ad Sedem Apostolicam devolvatur: ij autem Monachi, qui contra eandem constitutionem prioratus, Ecclesias, administrationes vel officia alieni monasterij susceperint, vel jam susceptа non dimiserint, ipso jure ineligibiles existant.

Summarium.

1. *Suas singula monasteria proprias prælaturas, & administrationes, suis Religiosis conferendas, habent.*
2. *Explicatur doctrina hæc.*
3. *Neque potest unus duorum monasteriorum esse professus.*
4. *Nisi duo quidem sint monasteria, unum tamen ab altero dependens, sub unius Rectoris cura.*
5. *Et hinc Monachus ad aliud monasterium translatus, ut fiat hujus Abbas, vel Professus, prioris monasterij jus amittit, quamvis sit ejusdem Ordinis.*
6. *Cogi tamen non potest Monachus ab Abbate, ut ad aliud Ordinis ejusdem monasterium se transferat.*
7. *Neque possunt ad nutum solius Abbatis ad aliud monasterium transferri bona v. g. taliter in monasterio professi.*
8. *Utrùm etiam hæc dicta locum habeant in Canonicis Regularibus?*
9. *Vtrùm Capitulum generale, de uno monasterio in aliud, ut transeat Professus, cogere possit?*
10. *Vtrùm ab Ordinis non mendicantis Generali fieri possit hæc coacta translatio?*
11. *Alicujus monasterij Professus, qui beneficium, vel administrationem alterius monasterij Professo confert, eâ vice privatus existit jure conferendi.*

NOtandum primò. Monasteria singula 1
proprias prælaturas, administrationes, jura, & titulos habent, quæ non sunt communicabilia alijs monasterijs; neque dari possunt Monachis, seu Regularibus alterius monasterij, sine licentia Papæ, tametsi ejusdem Ordinis ac Regulæ sint. Ita ex communi *Anchoran. hic not. 6. Franc. not. 2. Navarr. in commentario 4. de regularibus, seu stabilitate, & transitu eorum n. 23.*

Pro majore intellectu adverte primò, si- 2.
cuti in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs, sunt Præposituræ, Personatus, & beneficia sæcularia Clericorum, ita in monasterijs sunt Prælaturæ, Personatus, & bene-

ficia regularia Religiosorum, videlicet Abbatia, Præpositura, Prioratus regularis; sed & Canonia regularis Ecclesiasticum beneficium est, secundùm *Gl. receptam in Clement. 2. V. beneficijs. de judicijs. Navarr. in comment. cit. n. 25.* ubi ait, etiam Monachatum beneficium simplex esse.

3 Hinc sequitur primò. Quòd Monachus seu Professus in duobus monasterijs esse non possit; ut hîc dicitur, *& in c. ult. de Religiosis domibus.* nam Monachus professionem facit, ac veluti spirituale matrimonium contrahit erga hoc monasterium, ei se totaliter tradens, tanquam possessio quædam, ac vicissim monasterium sibi obligans, sicuti ex communi docet *Abb. in c. non est. n. 3. de regular.* consequenter non potest jus ac titulum in diversis seu distinctis monasterijs habere, prout his ipsis allegatis juribus tradit *Navar. cit. n. 23.* quia si Religiosus, inquit, duo beneficia sui Ordinis in titulum haberet, in duobus Monasterijs, esset sub diversa obedientia, contra *c. ult. de Religiosis domibus.*

4 Sed excipi debet cum eodem Navarro ibidem, & traditur in hoc capitulo, *juncta Gl. V. annexi.* nisi duo sint monasteria, quorum unum ab altero dependet, & unius Rector seu Prior alterius monasterij Abbati subjectus sit; tunc potest Religiosus in utroque jus collegij habere, ut in uno sit Prior, in altero Professus. Qua de re dixi *in disput. de Prælatis. q. 202.*

5 Sequitur secundò. Quòd Monachus ex suo monasterio translatus, ut fiat Professus, vel Abbas alterius monasterij ejusdem Ordinis, hoc ipso amittit jus, ac titulum in priore monasterio, ita ut desinat esse membrum alterius, & incipiat esse membrum posterioris monasterij, prout docui *in cit. q.* & notat *Gl. recepta in c. constitutis 47. de electione V. vocem.* ubi ait, per eum textum reprobari illorum Monachorum intentionem, qui translati ad aliud monasterium, volebant prioris monasterij jura retinere, atque electioni Abbatis, tanquam capitulares, interesse, quod tamen impossibile sit, cùm nullus esse possit Monachus in duobus monasterijs, neque Abbas duobus monasterijs præesse.

6 Sequitur tertiò. Quòd Monachus cogi non possit ab Abbate, ut ad aliud ejusdem Ordinis monasterium se transferat, sicuti docui *in cit. q. 202.* & tradit *Navar. cit. loco n. 22.* ubi probat id, quia sicut beneficiarij sæculares non possunt cogi ad relinquenda beneficia sine culpa ipsorum, ita nec regulares à jure monasterij, in quo professi sunt, & alimentis inde debitis avelli; sed neque volens transferri potest ad aliud monasterium ex mero arbitrio, cùm votum professionis, quod cum loci stabilitate editum aliquo modo relaxetur, quod sine causa fieri non debet, nec sine superioris auctoritate, uti videre est apud *Dominic. hic & Franc. n. 3. & 4. Abb. in cit. c. non est. n. 6.*

7 Sequitur quartò. Quòd jura & bona monasteriorum arbitratu Abbatum ab uno ad alterum monasterium transferri non possint, est enim hæc alienatio, quæ, nisi ex justa causa necessitatis, vel utilitatis propriæ Ecclesiæ, & cum certis solemnitatibus fiat, prohibita est & irrita, ut *infrà hoc lib.* quæ etiam causa est, quòd per professionem Monachi omnia eius bona monasterio incorporantur *auth. ingressi C. de S. S. Ecclesijs*, & omnia bona, quæ postea Monacho contractu, aut hæreditate acquiruntur, eidem monasterio suo incorporantur. Sin autem ad aliud monasterium legitimè translatus sit, tunc ex eo tempore, omnia per Monachum acquiruntur monasterio secundo, uti docet *Abb. in c. quod ad te n. 8. de Clericis conjugatis. Navar. in cit. comment. 4. n. 24. versu* II.

8 Sed quæritur primò. Quæ in hujus capituli §. & à me dicta sunt de Monachis, num locum etiam habere debeant in Regularibus Canonicis. Affirmandum est, prout hîc indicant *Dominic. col. 2. Franc. n. 2.* quando aiunt *in hoc cap.* non agi de Clericis seu Canonicis sæcularibus, supponentes agi etiam de Canonicis Regularibus, & expressiùs

expressiùs tradit *Navar. in comment. 3. de regularibus n. 43. versu tum quia*, ubi generalem verissimam regulam tradit, & pluribus exemplis confirmat, quòd ea, quæ in jure de Monachis decernuntur, quamvis alioquin odiosa sint, etiam Regulares Canonicos, aliósque Religiosos comprehendant, si in iis eadem ratio locum habeat, sicuti in proposito, quandoquidem Regulares Canonici, non minùs, quàm Monachi professionem edunt cum stabilitate loci, atque in monasteriis suis jus Collegii, atque cuiusdam beneficii obtinent.

9 Quærit secundò *Navarrus in cit. commentario 4. n. 22. versu 2.* Quòd si Monachi aut Regulares Canonici in congregationem seu capitulum generale redacti sint juxta formam *c. penult. & ultimi de statu Monachorum*, num possint fieri coactiones, & facultates transeundi de uno monasterio, in aliud monasterium eiusdem Provinciæ. Ad quod breviter respondeo, inquit ipse, quòd non, quia dispositio illorum capitulorum, de statu Monachorum, non extendit se ad hoc, neque præcipit, quòd sit, aut fiat aliquis Generalis eorum, imò expresè disponunt, ut Superiores eorum remaneant subditi Episcopis. Hæc hucusque Navarrus. Ita apparebit, si legatur cit. capitulum penultimum, quod incipit: *in singulis*: ubi præcipitur, ut commune capitulum Abbatum & Priorum fiat, salvo jure Diœcesanorum Pontificum; & postèa pergunt jura, *quatuor præsides præsint capitulo universo, ita quòd ex hoc nullus eorum auctoritatem Prælationis assumat*; & postèa, *si Rectorem loci Visitatores cognoverint, ab administratione penitus amovendum, denuncient Episcopo proprio, ut illum amovere procuret. Quod si non fecerit, Visitatores hoc referant ad Apostolicæ Sedis examen.* Denique quòd Visitatores, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, visitent, corrigant, & reforment, quæ ad regulam spectant, significatur in eodem *cap. penult. juncta Gl. v. vice nostra.*

Quæritur tertiò. Si Canonici Regulares, aliive Monachi non mendicantes, v.g. Cistercienses, Carthusiani, Præmonstratenses, Generalem seu unum caput totius Ordinis habeant, num de monasterio in monasterium ejusdem Ordinis transferri possint? Resp. inspicienda esse cujuscunque Ordinis statuta, consuetudines, & privilegia Apostolica; nam secundùm ea Religiosi horum Ordinum censentur edere professionem suam, prout testatur *Navarr. cit. n. 22.* Quia verò hæc facultas translationis de monasterio in monasterium est contra primævam horum Ordinum institutionem, prout videre licet apud *Navarr. locis supra cit.* Ideò præsumenda non est, neque extendenda, nisi quatenus statuta, vel privilegia clarè significant. Deinde certum esse debet, hanc translationem non posse fieri pro libitu, aut sine causa necessitatis, vel utilitatis, cùm hoc ipsum tradat *Navarr. cit. n. 22.* de Ordine Prædicatorum, qui unus ex mendicantibus est, & probat ex libro instructionis officialium ejusdem Ordinis, ubi dicitur, quòd ad Generalem pertinet transferre fratres de Provincia in Provinciam, pro utilitate Ordinis, vel fratrum transferendorum; & subditur, licèt Magister habeat plenam, & generalem potestatem in Ordine, tamen nunquam est ei utendum hujusmodi plenitudine potestatis, ubi causa rationabilis non occurrit; ex quo *Navarrus* ibi colligit, Generalem vel Provincialem Ordinis mendicantis non posse talem translationem facere pro libitu, itaque multo minùs Generales, aut Visitatores Ordinis non mendicantis. 10

At verò in Societate nostra quædam sunt peculiaria juxta proprias constitutiones à Sede Apostolica approbatas, videlicet, quòd homines Societatis ratione vocationis, & instituti sui parati semper esse debent, ad discurrendum per quasvis mundi partes, quò fuerint à Summo Pontifice, vel Superioribus suis missi. *p. 6. constitutionum c. 3. & 9.* & ob eam rem Professi omnes speciale votum Pontifici edunt; item quòd Ecclesiæ

& Domus Professæ in Societate reditus nullos habere possint, Collegia autem bona immobilia, & reditus habere quidem possunt ad Scholasticorum, & Præceptorum sustentationem, ij tamen ad alium usum applicari nequeunt *c. 1. examinis Generalis*, & ideò subsunt dispositioni Præpositi Generalis, ut de eis non tantùm disponere possit, sed etiam ex justa causa reditus de Collegio ad Collegium, cum Societatis consensu, transferre, uti videre est apud *Suarez. to. 4. de religione lib. 2. de prælatis c. 28. n. ult.*

VII. Notandum secundò. Si administratio, aut beneficium regulari alterius monasterij professo committitur, aut commissum relinquitur, ij, ad quos facultas committendi pertinet, ea vice privati existunt, & devolutio potestatis fit ad Episcopum, vel ad Papam in exemptis; simile quid habetur in *c. cùm in cunctis 7. §. Clerici de electione.*

CAPITVLVM XXXIII.

Cum in Ecclesijs.

PARAPHRASIS.

Quando in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata Canonicus recipiendus, vel beneficij aut præbendæ collatio facienda est, absentes Canonici, si id commodè fieri potest, vocandi sunt, nisi consuetudo sit, ut ad talia non vocentur; alioquin verò, quòd in absentia eorum fieri contigerit, ab ijs postea infirmari poterit.

SUMMARIUM.

Utrùm ad omnes actus capitulares absentes etiam Canonici vocari debeant, pluribus exprimitur? qua in re multum potest, secundùm juris etiam concessionem, consuetudo.

I. QUæstio hîc tractari debet, utrùm ad actus capitulares omnes, etiam qui absentes sunt, Canonici seu Conventuales vocari debeant; in qua re distinguendum, num actus, qui in Capitulo tractandus est, sit electio, an verò alius capitularis actus, v. g. alienatio bonorum. Quod attinet ad primum membrum, si videlicet sit electio Prælati, Decani, vel ordinatio Canonici, alterúsve beneficiarij, tunc omnes etiam absentes vocari debent, si valdè remoti non sunt, & commodè vocari, & accedere possunt; nihilominus tamen, licèt, qui vocari debuerunt, vocati non fuerint, electio, aut collatio rata est, dummodò duæ partes Capitularium, ex ijs, qui adesse voluerunt, & potuerunt, præsentes sint, & major pars præsentium consenserit, prout hîc docet *Franc. n. 2.* Verùm qui vocati non fuerunt, agere possunt de contemptu, & petere, ut electio sine ipsis facta rescindatur, prout hîc dicitur, & docui *in aisp. de Prælatis q. 86.*

Excipitur primò. Nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum, nam in forma, & modo electionis instituendæ, consuetudinis præscriptæ rationem habendam esse, indicatur in hoc cap. & tradit expresè *Gl. hic v. sf commodè. Rota Romana in decisionib. antiquis, ubi de consuetudine decisione 11. n. 1. Cardinalis Tuscus tom. 2. practicarum conclusionum v. electio concl. 60. n. 10.*

Excipitur secundò. Nisi receptio Canonici à Capitulo fieri debeat, ad mandatum Superioris; hoc casu sufficit, si duæ partes, vel major pars Capituli congregati id faciat, secundùm *Lapum hic n. 2. Anchoran. not. 2. Dominicum versu, quæro an in quolibet.* Quòd si aliqui hoc in casu vocati non sint, non possunt quidem agere de contemptu; verumtamen opponere contra formam processûs, aut contra personam, vel receptum non prohibentur, sicuti ex *Archiepiscopo Dominicus* hîc tradit *col. 1.* nam eâdem ratione etiam alios actus possunt Capitulares impugnare, quòd illegitimè facti sint in absentia eorum, quippe cum ipsorum tanquam pertinentium ad Capitulum, interfit.

Aliam verò rationem esse aiunt *Lapus, Dominic. & Anchoran.* si Superior beneficij collationem fecerit, atque Capitulo mandet, ut exequatur, & possessionem tradat;

dat; quòd hoc casu unicus Capitularis, mandatum, seu gratiam jam factam, aliis nolentibus, exequi possit etiam extra Capitulum, licèt in excommunicatione existat, quæ etiam est doctrina *Glossæ in c. eam te v. deberes de rescriptis. Innocent. in c. bone 4. n. 7. de postulatione prælatorum. Abb. in tit. c. eamn. 12.* qui tamen cautiùs, ac limitatiùs loquitur, si Capitulum sit in negligentia, & monitum exequi recuset, quòd singuli Capitulares exequi possint, quando mandatum non est de aliquo jure, v.g. eligendi, aut decernendi, quod collegialiter perfici debeat, sed de solo facto, v.g. receptione, seu installatione certæ personæ, idque notandum esse monet *Abbas*, quia locum habere potest in omnibus universitatibus, quibus aliquid à Superiore mandatum.

Venio nunc ad secundum membrum, si videlicet alius capitularis actus sit, tunc refert, utrùm id, de quo agitur, sit commune Capitularibus, ut singulis, quia de singulorum interesse seu jure, commodo, aut incommodo agitur, tunc omnium consensus requiritur, & unus solus se alijs omnibus opponere potest, ac prohibere, ne statuatur in suum præjudicium juxta *L. Sabinus ff. communi dividendo*, ubi habetur, quòd in re communi *melior est conditio prohibentis*, & in *juris regula 29. in 6.* quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Ubi videri potest *Pinus Innocent. in c. ult. de majoritate. Abb. in c. cùm omnes n. 5. Decius n. 6. de constitutionibus. Gloss. in L. per fundum. 11. ff. de servitutibus prædiorum rusticorum.* Quando verò id, de quo agitur, pluribus competit, ut universis, id est, ut universitati, seu collegio, tunc necesse non est omnes consentire, sed quod major pars præsentium statuerit, id ratum esse debet, juxta *tit. lib. 3. decretal. de his quæ fiunt a majore parte Capituli*, præsertim *in c. 1.* ubi Abb. legi potest. Necessarium tamen esse aiunt, ut duæ partes Capituli seu Collegij adsint, quia duæ partes ordinis, totius curiæ vicem repræsentant *L. nulli 3. juncta Gl. celebri v. duæ partes ff. quod cujuscunque universitatis. Ibidem Baldus & alij.* Verùm in duarum partium numero ij numerari non debent, qui adesse non possunt, aut nolunt, prout tradit *Abb. in c. quapropter n. 4. & 12. de electione.* Et tradidi *in disp. de Prælatis q. 37.*

Quòd si verò aliquis in loco præsens non vocetur (sive per nuncium, sive per campanæ signum, prout loci consuetudo fert) qui interesse potest, & vult, is postea contradicere, & petere potest, ut acta rescindantur, prout tradit *Bart. in L. 2. ff. eodem.* Ubi ait, non valere acta, si aliqui vocati non sint, quia ij, si præsentes fuissent, alios in aliam sententiam, contradicendo, trahere potuissent, & *Baldus in cit. L. nulli* quòd fieret injuria quibusdam non vocatis, si alij sine his decernerent, & hoc annotandum esse admonet *Commentator supra Abbatem in c. eam te. de rescriptis. n. 12.* ubi agitur de præjudicio aliquo universitatis, quòd non sufficiat citare majores seniores, aut præsidentes.

Illud tamen non improbabiliter dicitur, si quispiam aliquid jussus sit facere coram Capitulo, v.g. literas Capitulo præsentare, aut cùm Episcopus in Canone jubetur negotia tractare cum Capituli consensu, satis esse, si major pars Capitularium adsit, prout tradit *Abb. in c. ex parte n 3. & c. postulasti. n. 14. de concessione præbendæ.*

Hoc verò communiter traditum est, quod *Gl. finalis hìc ait. Bald. cit. loco* ad tractatus, & actus capitulares, præter electiones, & provisiones beneficiorum, necessarium non esse, ut absentes à loco vocentur, cùm id jure statutum non reperiatur, sicuti de electionibus & provisionibus beneficiorum statutum.

Excipi debet primò. Nisi alia sit loci consuetudo, ea enim potissimùm attendi debet. Secundò. Nisi causa valde ardua sit, ut necessarium videatur, & ita consultum sit, omnes etiam absentes vocari, aut interim expectari, donec adveniant, præterquam si periculum in mora sit, prout tradit *Abb. in*

a. l. n. 15. de his quæ fiunt à majore parte Capituli, alioquin verò si non vocentur, vel non expectentur, non quidem irrita erunt acta, dummodo duæ partes, aut secundùm quosdam major pars adfuerit, sed quòd alij, qui non interfuerunt, si velint, acta rescindere possint.

Aliud insuper discrimen notari debet inter eos actus, qui sunt communes pluribus, aut Capitulo, ut singulis, & eos, qui sunt communes, ut universis, quia hæc acta, non nisi à congregatis, vel simul existentibus expediri possunt, prout declaravit *Bart. & Bald. locis supra cit.* At verò quæ communia sunt pluribus, ut singulis, ea seorsim expediri, aut consensus separatim præstari potest, v. g. si duo, vel tres jus præsentandi habeant, ut singuli, non ut collegium, prout annotavit *Gl. in supràcit. L. per fundum. & Ioann. Monachus, Dominicus, Ancharan. Franc. & alij supra. Gl. finali hic.*

CAPITULUM XXXIV.

Præsenti.

Paraphrasis.

Quod *c. 2. hoc tit. & libro à* Clemente VI. decretum erat, ut beneficia, quæ propriè in curia vacare dicuntur, videlicet per obitum beneficiariorum in curia, Pontifici reservata sint, id Bonifacius VIII. declarat, locum etiam habere, si decedant in locis vicinis curiæ. Vicinum autem locum censeri, si ultra duas diætas seu duorum dierum iter non distet ab urbe: quòd si accidat, curiam aliò transferri, v. g. Parisios, beneficia ibi decedentium Clericorum, si curiales non sunt, non censentur vacare apud Sedem, seu in curia; at verò curialium beneficia, si decedant in loco, ubi est curia, imò etiam ubi fuit curia, si fortè infirmitate impediti curiam sequi non possint, quantumvis locus remotus sit, apud Sedem, seu in curia vacare censentur. Vide, quæ dicta sunt *supra in c. 1. & 2. hoc lib. & tit.*

Summarium.

1. *Ut dicantur beneficia in curia vacare per obitum beneficiati in loco vicino curiæ, vicinus locus dicitur, qui ultra duorum dierum iter non distat à curia, attendenda tamen etiam consuetudo.*

NOtandum. Locus vicinus in casu isto dicitur, qui ultra duorum dierum iter non distat, communiter autem dici solet à Doctoribus hanc decisionem locum tantùm habere in isto casu, alioquin verò judicis arbitrio, spectatis negotij circumstantijs, relinquendum esse, quis locus vicinus sit, aut remotus secundùm *Gl. in c. Felicis 5. v. vicinarum de pœnis in 6. Gl. in L. 4. §. si tam vicinum ff. de damno infecto.* Et alij communiter apud *Menochium in arbitrarijs qq. casu 122. n. 26.*

Addit verò *Menochius n. 14.* cùm agitur de vicinitate, ratione domûs, seu habitationis, vicinum dici, qui vocem alterius è loco suo exaudire possit, prout habetur in *L. 1. §. eodem autem tecto. ff. ad Senatusc. Syllanianum.* Si dominus occisus sit, servos tanquam suspectos, quòd conscij fuerint, torqueri posse, si in vicino loco fuerunt, ut vocem clamantis exaudire potuerint.

Sequenda tamen etiam est consuetudo loci, cui verba loquentium, ac disponentium accommodari solent, uti docui *in lib. 1. tract. 4. c. 18. n. 5.* Juxta eam verò vicinos plerumque communiter appellamus, qui in eadem nobiscum platea habitationē habent, dummodo non valde longâ, isque inter se nimis dissiti sint.

CAPITULUM XXXV.

Si Apostolica.

Paraphrasis.

Si beneficia curata, quorum collatio pertinet ad inferiorem aliquem collatorem, v. g. Episcopum, aut Capitulum, vacent apud Sedem, dum ea vacat, is, ad quem

quem providere pertinet, liberè ordinare potest, ne diuturna vacatio periculum afferat animarum, quia etiamsi beneficium ejusmodi curatum in curia vacaverit, vivente Pontifice, si tamen ante mortem non disposuerit ordinarius inferior, ad quem pertinet, statim, etiamsi mensis elapsus non sit, ordinare potest.

SUMMARIUM.

1. *In beneficijs curatis speciale hoc est, quod vacante sede, cesset eorum, si in curia vacaverint, reservatio, ac de eo liberè possit ordinare inferior ordinarius collator.*

1 NOtandum. Speciale hoc est in beneficijs curatis, quòd vacante Sede cesset reservatio eorum, si in curia vacaverint, & libera dispositio ad ordinarium proprium collatorem spectet. Quòd verò ad alia beneficia attinet, quæ curata non sunt, respectu eorum non currit mensis, vacante Sede, & ideò electus Pontifex integrum mensem habebit ad collationem peragendam, ita ut inferior interim providere non possit, sicuti hic explicat *Anchoran. not. 3.* & benè tradit *Gl. in c. 3. v. numerandum hoc lib. & tit.* licet istud tempus, inquit, unius mensis currat ignoranti Pontifici, non tamen currit, Sede vacante, quòd satis probatur infrà *eodem tit. c. si Apostolica 35.* si enim ibi sit casus specialis; ergo ipsius contrarium est regulare.

CAPITULUM XXXVI.

Si cui.

PARAPHRASIS.

Si Pontifex alicui, v. g. Episcopo facultatem concesserit, nullâ nominatâ personâ, ut Apostolicâ auctoritate idoneis beneficia in certa Ecclesia providere, vel ea, quæ ad Sedem Romanam legitimè devoluta sunt, conferre possit, contradictores, eâdem authoritate, per censuram compescendo, talis concessio, etiam re integrâ, non expirat per mortem concedentis, cùm sit gratia specialis, quam decet esse mensuram: sin autem Episcopo potestas facta sit à Pontifice, ut certæ personæ assignet, idque in favorem seu gratiam ipsius personæ, non in gratiam Episcopi, cui mandatur, tale mandatum, & potestas extinguitur morte concedentis, tametsi res integra sit.

SUMMARIUM.

Quomodo extinguatur gratia à superiore concessa per mortem hujus.

NOtandum. Si à Principe, alióve Superiore alicui facultas concessa sit, quippiam agendi, indeterminatè, erga personas aliquas v. g. absolvendi, dispensandi, beneficia conferendi, non extinguitur concedentis morte, tametsi res integra sit, id est, is, cui facultas concessa, eâ nunquam usus fuerit: cujus rei ratio est, quia hæc est gratia, seu merum beneficium, decet autem concessum à Principe beneficium esse mansurum. *regula 16. in 6.* videlicet donec revocetur; potest enim privilegium subdito concessum revocari, nisi transierit in pactum, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 25.* 1

Alia verò ratio est, si Princeps vel quivis alius Superior facultatem alicui concesserit agendi quidpiam erga certam personam, eam absolvendi, cum ea dispensandi, beneficium conferendi, & is, qui concessit, re integrâ, id est, antequam collatio, dispensatio, vel absolutio facta est, è vivis excesserit, expirat concessio: cujus ratio est, quia mandatum expirat morte mandantis, si res adhuc integra sit, id est, si mandatum executioni mandari nondum cœptum sit. *L. mandatum c. mandati.*

Non obstat his *cap. si super. 9. de officio delegati in 6.* ubi dicitur. Si Papa certæ personæ gratiam fecerit, constituto executore, postea verò re adhuc integrâ, mortuus sit Papa, qui gratiam concessit, executorem procedere posse; nam eo in loco respondi, & tradit *Gl. hic v. moriatur* distinguendum

esse inter gratiam factam, & faciendam; gratia facta alicui, puta si Papa Romæ alicui Canonicatum contulerit, constituto executore, & postea statim moriatur, non extinguitur, sed manet, consequenter etiam executio, tanquam gratiæ accessoria, fieri potest. At verò gratia alicui facienda ab ipso mandatario, seu executore, expirat concedentis morte, si res integra sit, seu nondum cœpta executioni mandari, puta si Papa jusserit Episcopo, ut Canonicatum, si vacet, vel proximè vacârit, conferat Titio, qui est casus hujus Capituli.

CAPITULUM XXXVII.

Si Episcopus.

Paraphrasis.

Dubitatum fuit, si Episcopus v. g. Augustanus alteri Episcopo licentiam concessit in eadem Augustana diœcesi ordinandi, ísque Sacrum Ordinem contulit Clerico non habenti sustentationis titulum, uter Episcopus ei necessaria providere debeat, donec beneficium consecutus fuerit, ordinánsne, an is, qui ordinationis licentiam concessit. Respondet Bonifacius VIII. si Episcopus proprius alteri Episcopo ordinandi licentiam indeterminatè commisit, ipsemet ordinans providere debet, cùm in culpa fuerit, sine titulo aliquem ordinando; sin verò certas personas commisit, qui sustentationis titulo carebant, Episcopus, qui commisit, providere eis debet, donec beneficium ipsis contulerit; quòd si verò Episcopus Clerico suo dimissorias concesserit, ut à quocunque voluerit, Episcopo Ordines accipere possit, is, qui talem licentiam tribuit, vitæ necessaria providere debet, propterea, quòd talem licentiam eum dare non oportebat ijs, qui sustentationis titulum non habent.

Summarium.

1. *Licentia alteri indeterminatè concessa, ut Ordines in diœcesi non sua conferat, intelligi debet, sicuti sacri Canones exigunt.*
2. *Qui literas dimissorias generales alteri dat, titulum sustentationis non habenti, ipse tali providere debet, nisi solitâ clausulâ sibi caverit.*

1 Notandum primò. Si Episcopus suffraganeo suo indeterminatè, & generatim committat, ut ordinationem faciat, intelligi debet, sicuti Sacri Canones requirunt, ideóque ut ordinandi habeant titulum sustentationis, quare si Clericum titulo carentem in sacris ordinaverit, ipsemet ei providere cogitur. Consentiunt, quæ dixi *in c. Episcopus 4. hoc tit.*

2 Notandum secundò. Si Episcopus subdito suo sustentationis titulum non habenti literas dimissorias generales det, ipsemet ei providere debet; verumtamen cautelam dimissorijs apponi solitam refert hic Gl. *dummodo vobis constiterit de titulo sustentationis sufficiente, in quo conscientiam vestram oneramus.* Sin autem talis clausula non sit apposita dimissorijs, præsertim, si speciales sint, seu ad certum tempus destinatæ, tunc is solicitus esse non debet de titulo sustentationis, sicuti dixi *in cit. c. 4.*

CAPITULUM XXXVIII.

Quamvis.

Paraphrasis.

Pontifex cuidam Episcopo facultatem concessit sex beneficia, authoritate Apostolica, conferendi, si vacaverint per obitum, vel renunciationem; postea verò cùm unum ex his beneficijs vacaret, Papa scripsit cuidam alteri executori, ut certæ personæ conferret. In hoc casu Episcopus collationem facere non potest, propterea quòd gratiæ generali derogatur per gratiam specialem, licèt in ea mentio non fiat gratiæ generalis. Simili ratione si Pontifex alicui Episcopo concesserit facultatem conferendi beneficia diœcesis suæ, quorum collatio ad Sedem Apo-

Apostolicam devoluta, postea autem alicui unum talium beneficiorum specialiter conferat, aut conferri mandet, nullâ factâ mentione priùs concessæ Episcopo facultatis, collatio facta per Apostolicam authoritatem Canonica censeri debet.

SUMMARIUM.

1. *Non censetur ordinariè Pontifex sibi & suæ potestati præjudicare, quam habet ad conferenda v. g. beneficia, si alij concedat generalem gratiam beneficia v. g. conferendi.*
2. *Nisi talis concessio in pactum transijsset.*

1 NOtandum. In beneficialibus, ac rerum Ecclesiasticarum dispositione, in quibus quàm maximè Romanus Pontifex plenariam potestatem noscitur habere, *c. 2. hoc tit. & lib. Clement. 1. ut lite pendente.* si is alicui personæ, aut congregationi generalem gratiam faciat, nequaquam sibi præjudicare censetur, quo minùs in specie derogare, atque vel ipsemet per se disponere, aut providere, vel alteri in particulari casu providendi licentiam dare possit, prout etiam sumitur *ex c. dudum 14. §. nos igitur. hoc lib. & tit.* Ubi etiam ratio indicatur, quia in talibus pertinentibus ad gubernationem, & administrationem rerum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, Papa ita alijs gratias, & facultates largitur, ut tamen sibi ampliorem potestatem reservet: exemplum habes, si Romanus Pontifex alicui ordini regularium facultatem concesserit, monasteria monialium ordinis sui, si deficiant, ad virorum monasteria transferre, eo privilegio non obstante, postea in casu speciali, unionem canonibus sacris permissam instituere non prohibetur, ita ut ea valeat, & executioni mandanda sit, tametsi in literis unionis nulla illius privilegij mentio facta sit.

2 Declarari debet, si privilegium seu concessio papalis censeatur transijsse in pactum, quia videlicet Pontifex promisit, aut dixit se non contraventurum, tunc derogare non debet. Id verò intellige ordinariè, & secluſa gravi necessitate. Talia sunt Germaniæ concordata, sicuti supra dictum.

CAPITULUM XXXIX.

Si is cui.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. post promotionem suam ad Papatum, revocaverat omnes gratias, ab antecessoribus suis Nicolao IV. & Cælestino V. concessas, per quas jus tantùm ad rem, non item jus in re quæsitum fuerat. Exinde resolvitur, si Cælestinus Papa, v. g. Titio Clerico canonicatum contulerat, cum mandato, ut ipsi dignitas, & præbenda conferretur; & ante revocationem gratiarum facta fuerit eidem Clerico, collatio dignitatis. Hoc in Casu Titius retinere potest dignitatem, præbendam verò, nisi dignitati annexa sit, virtute gratiæ ipsi factæ à Cælestino, petere non potest. Alia ratio est, si dignitas Titio collata sit cum exspectatione præbendæ, atque ita res comparata, ut dignitas talis, non nisi Canonico conferri debeat, tunc enim ratione Canonicatûs, quem retinet, præbenda ei debetur.

SUMMARIUM.

1. *Non revocantur gratiæ beneficiales per mortem Papæ, etsi res sit integra adhuc.*
2. *Consuetudo facere potest compatibiles Personatum v. g. & Canonicatum in eadem Ecclesia.*

NOtandum primò. Per mortem Papæ non revocantur gratiæ beneficiales factæ, tametsi res integra sit, sive jus in re non quæsitum. Consentit *c. 1. si cui 36. hoc. lib. & tit.* quam ob rem ait *Gl. hic*, quòd dispositio revocatoria superveniens non tollat ea, quæ sunt in esse perfecto, sive non tollat jus quæsitum, nisi exprimatur.

Notandum secundò. Per consuetudinem introduci potest, ut aliquis in eadem Ecclesia Præposituram, aliámve dignitatem, seu Personatum obtineat unà cum canonicatu. Ita *Gl. hìc in notan. Franc. n. 2.*

CAPITULUM XL.

Quodam.

Paraphrasis.

Cælestinus V. Papa Titio contulit canonicatum datis executoribus, qui vacantem, vel proximè vacaturam præbendam eidem providerent; postea Cajo similem gratiam concessit, additâ etiam clausulâ, seu decreto irritante, videlicet, ut is aliis, etiam priorem gratiam à Sede Apostolica consecutis, anteferretur. Accidit autem, ut executores ignorantes posteriorem gratiam factam esse Cajo, præbendam vacantem Titio conferrent. Deinde Successor Bonifacius VIII. omnes gratias duorum antecessorum, quibus jus in re acquisitum non fuit, revocavit. Hoc in casu dubitatur, cuinam debeatur ea præbenda, Titióne, an Cajo. Respondet hìc Bonifacius, quòd neutri: non enim priori, sive Titio, quia collatio ipsi, quamvis ignoranti & ab ignorantibus facta fuerit, post & contra decretum Cælestini, quo voluit Cajum prioribus anteferri, adeóque prioribus gratijs derogari. Neque Cajo, quia ipsi collatio præbendæ facta non fuit, ideóque nec jus in re quæsitum, ante decretum Bonifacij revocatorium gratiarum, quæ à duobus antecessoribus data sunt.

Summarium.

1. *Vim suam obtinet, etiam erga ignorantes, decretum Papæ revocatorium.*
2. *Neque convalescit prima gratia, si data cum decreto irritante posterior postmodum revocetur, nisi obreptitia sit hac posterior gratia.*

NOtandum primò. Decretum Papæ revocatorium gratiarum, aut irritans facultates, à se, vel antecessoribus suis concessas, vim suam obtinet, etiam erga ignorantes. Ita *Joan. And. hìc in Gl. v. ignorantes. Lapus & Anchoran. not. 3.* Et habet id maximè locum in rebus beneficialibus, in quibus Papa plenam potestatem noscitur habere, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 2. in fine.*

Notandum secundò. Si gratia alicui facta sit cum decreto revocatorio, aut irritante gratiæ priùs collatæ alteri; postea verò gratia posteriùs data revocetur, non ideò convalescit gratia prior, quæ per decretum semel infirmata fuerat, quia, quod semel extinctum est, reviviscere non potest absque novo efficiente, seu concedente. Ita *Anchoran. hìc not. 5.* qui bene postea limitat, nisi posterior gratia ostendi possit obreptitia, alióve laborans defectu, quemadmodum, nec testamentum solemne revocatur per posterius minùs solemne, quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum *reg. 52. in 6.*

CAPITULUM XLI.

Mandatum.

Paraphrasis.

Si Pontifex mandârit alicui, ut beneficium proximè vacaturum, cujus collatio ad Capitulum Narbonensis Ecclesiæ pertinet, Titio Clerico conferret, in hoc mandato comprehenduntur tam beneficia, quæ ex statuto aut consuetudine à Capitulo in communi conferri solent, quàm ea, quæ à singulis Canonicis vice, & authoritate Capituli conferuntur. Verùm ad beneficia, quorum collatio specialiter annexa est dignitati, personatui, aut officio, tale mandatum se non extendit; idémque sentiendum, si collatio ad Canonicos ratione præbendarum suarum specialiter spectet, præterquam si in mandato expressum sit, ut Titio beneficium conferatur, cujus collatio ad Ca-

Capitulum ſpectat communiter, aut diviſim. Hoc in caſu etiam ea beneficia comprehendi cenſentur, quorum collatio ad Canonicos ſingulos, ratione propriarum præbendarum, pertinet.

SUMMARIUM.

1. *Tribus modis ad Canonicos ſpectare poteſt collatio beneficiorum.*
2. *Jura Collegij varia ſunt, ſi conſiderentur collegialiter, & ſi conſiderentur diviſim ſecundùm ſingulares perſonas.*

1 NOtandum primò. Collatio beneficiorum ad Canonicos tribus modis ſpectare poteſt. Primò conjunctim ſeu capitulariter, ita ut illi conferendum ſit, in quem major pars conſenſerit. Secundò, ut unus conferat, vice, & auctoritate Capituli, quod frequens eſt in Eccleſijs Germaniæ, ut certos menſes, aliáve diſtributa tempora habeant, in quibus vacantia beneficia, ſeu canonicatus, ſinguli Canonici, niſi menſes Pontificij ſint, Capituli vicem repræſentantes conferant, idémque de Gallicanis Eccleſijs teſtatur *Gl. hìc.* Tertiò, ſi jus collationis annexum ſit certo officio, aut præbendæ canonicali.

2 Notandum ſecundò. Alia ſunt jura Collegij conſiderati collegialiter ſeu communiter, alia verò ſunt jura Collegij conſiderati ſecundùm ſingulares, & diverſas perſonas, quæ in eo ſunt; quapropter, ſi quispiam Collegium aut univerſitatem quamcunque, non tantùm in communi, ſed etiam diviſim, & ſingulariter obligare velit, neceſſe eſt, ut id exprimat, quia nomen Capituli ſeu Collegij, cùm collectivum ſit, non ſignificat ſingulos, ſed univerſos, ſeu conjunctos.

TITULUS VI.

DE CLERICO ÆGROTANTE, VEL DEBILITATO.

CUm beneficia Eccleſiaſtica dentur Clericis propter præſtandum officium *c. ult. de reſcriptis in 6.* dubitari non immeritò poteſt, quid agendum, ſi Clericus Beneficiarius propter ægritudinem vel mutilationem officium præſtare non poſſit, ideò de hac re ſubjungitur

CAPITULUM I.

Cùm percuſſio.

PARAPHRASIS.

Gregorius I. Pontifex ſcribit ad Candidum Epiſcopum *lib. 2. regiſtri epiſt. 5.* quòd Clerico, non obſtante ejus infirmitate, per quam à ſervitio Eccleſiæ impeditur, ea omnia præbere debeat Epiſcopus, quæ ante infirmitatem Clericus ab Eccleſia percipiebat, quia niſi id fiat, alij eo exemplo deterrentur, ac proinde pauci invenientur, qui Eccleſiæ ſervire velint.

SUMMARIUM.

1. *Ex juris benignitate habetur proſerviente, qui infirmitate impeditus, officium præſtare non poteſt.*
2. *Beneficiarij Clerici benignè à Prælatis tractandi ſunt.*

1 NOtandum primum. Qui infirmitate impeditus eſt, quò minùs Eccleſiæ ſerviat, officiúmque præſtet, ex juris benignitate habetur pro ſerviente, ac reſidente, prout docui *in c. ad audientiam 15. de Clericis non reſidentibus, & c. unico eodem in 6.*

2 Notandum secundò. Clerici beneficiarij benignè à Prælatis tractandi sunt, ita ut debita ipsis stipendia non auferantur, aut minuantur, nam alioquin idonei ministri non reperientur, qui Ecclesijs servire velint, præsertim si onus & curam animarum sustinere debeant.

CAPITULUM II.

Presbyterum.

PARAPHRASIS.

Si Presbytero duo digiti, cum medietate palmæ, à prædonibus v. g. abscissi sint, Missam ei celebrare non licet, tum quia securè non potest propter debilitatem, tum quia sine scandalo non potest propter deformitatem.

SUMMARIUM.

1. *Irregularitatem ex corporis vitio duæ causæ inducunt.*
2. *Quæ ante susceptos Ordines nonnunquam irregularitatem simpliciter inducunt, ea post susceptos Ordines, si superveniant, sæpe tantùm irregularitatem secundùm quid inducunt.*

1 NOtandum. Duæ sunt causæ inducentes irregularitatem, ex corporis vitio, quarum singulæ sufficiunt, videlicet, si ex vitio seu debilitate impediatur congruum exercitium Ordinis, vel si notabilem deformitatem, ideóque aliquem horrorem inspectantibus afferat. Porrò si in casu aliquo speciali per jura definitum non sit, num infirmitas, seu debilitas tanta sit, aut tam deformis (prout hîc definitum est de duobus digitis, cum palma media abscissa) Episcopi ordinantis judicio committi debet. Vide quæ dixi *lib. 1. tract. 5. p. 5. c. 7.*

2 Id verò benè monet *Abb. hic n. 4.* & habetur in *c. præcepta 12. distinct. 55.* tametsi talis infirmitas, seu mutilatio ante susceptos Ordines, hominem faciat absolutè irregularem (imò minor requiritur ad irregularitatem inducendam deformitas in non ordinato) tamen post susceptum Ordinem non facit irregularem simpliciter, sed prohibitum tantùm ab eo Ordinis suscepti exercitio, quòd sine periculo, aut sine irreverentia, aut scandalo ab ipso præstari nequit. Exempli causa, presbyter mutilatus, aut cæcus licèt celebrare non possit, confessiones tamen audire non prohibetur.

CAPITVLVM III.

De Rectoribus.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesiæ Rector seu Parochus lepram contraxerit, ita ut ministrare Ecclesiæ non possit, Coadjutor ei assignandus est, qui animarum curam exerceat, eique ex Ecclesiæ reditibus portio congrua præbeatur.

SUMMARIUM.

Si impotentia Prælati diuturna sit, & non emendabilis videatur, dandus ei illi Coadjutor.

NOtandum. Si infirmitas seu impotentia Prælati, aut Rectoris Ecclesiæ diu duratura, vel non emendabilis videatur, dandus est ei Coadjutor. Distinguendum tamen est; vel enim Ecclesiæ Rector, aut Prælatus non tantùm officio, sed neque temporalium rerum administrationi præesse potest, qui est casus c. sequentis, quando lepra v. g. talis est, ut Rector in communi societate vivere non possit, tunc ab administratione & officio removendus est congruâ ei ex facultatibus Ecclesiæ portione designatâ, & alius in locum ipsius substituendus, & intitulandus est. Vel infirmus administrationem temporalium, ipsiusque beneficij retinere potest; hoc in casu, Coadjutor dari debet, ita ut reditus perveniant ad infirmum, atque ex eis congruam portionem dare teneatur Coadjutori, qui est casus hujus capituli.

CAPI-

CAPITULUM IV.

Tua.

Paraphrasis.

Si Sacerdos Parochiæ Præfectus leprâ percussus fuerit, ab officio removeri debet, & necessaria portio ex Ecclesiæ reditibus, quoad vixerit, ei providenda.

NOtandum. Si Parochus incidat in morbum incurabilem, ita ut officio, & administrationi Parochiæ præesse nullo modo possit, amovendus est, data ei congrua portione, ex reditibus Ecclesiæ, & alius in ejus locum substituendus, atque intitulandus. Ita probabiliter sentit *Gl. marginalis in c. præcedente.* & docuit ibidem *Innocent. supra hoc c. Vincentius & alij.* Et colligitur ex verbis, quando absolutè dicitur, ab officio removendum esse, congruâ ei ad sustentationem assignatâ portione, consequenter alius substituendus est, qui proinde non erit Coadjutor, sed Rector principalis, & totalis, licèt contrarium placuerit Joanni Andreæ, Abbati, & pluribus alijs, qui existimant propter morbum seu infirmitatem, etiam incurabilem, non posse unquam removeri, aut destitui beneficiatium, nisi is consentiat, seu renunciet, de hoc iterum dicam *in c. unico hoc tit. in 6.*

CAPITULUM V.

Ex parte.

Paraphrasis.

Cùm Episcopus Aurasiensis gravi & incurabili morbo, fermè per quadriennium, laborâsset, ita ut pastorale officium nullatenus potuerit exercere, Princeps Regionis, & cives à Metropolitano petiverunt, ut alium ipsis Episcopum provideret. Eam rem Metropolitanus Archiepiscopus Arelatensis Innocentio III. significavit, qui hîc respondet: cùm Episcopus iste ad renunciationem compelli non possit, & afflictio addenda non sit afflicto, sed potiùs ejus miseriæ condolendum, eò quòd vir bonus extiterit, & Ecclesiam sibi commissam benè gubernârit, ideò velle se tam Episcopo, quàm Ecclesiæ ejus providere; ideóque mandare, ut Coadjutorem ipsi adjungat Archiepiscopus, virum providum, & honestum, per quem tum Episcopo, tum populo salubriter consulatur.

Summarium.

1. *Coadjutor dandus est Episcopo, si morbum incurabilem hic contraxerit, ita ut officio Pastorali præesse non possit.*
2. *Cujus Coadjutoris duo sunt officia, ut Rectoris scilicet curam gerat, & Ecclesiæ.*

NOtandum primum. Si Episcopus morbum, seu infirmitatem incurabilem contraxerit, ita ut officio Pastorali præesse non possit, dandus est ei Coadjutor, uti habetur *in c. unico. eodem tit. in 6.* & videtur hoc esse speciale in Episcopo, quòd ob hanc causam incurabilis infirmitatis, aut senectutis decrepitæ, amoveri ab officio Episcopali nunquam possit, ita ut alius substituatur, *juxta ea, quæ docui in c. cùm non pridem. 10. de renunciatione §. alia.* cujus ratio est, quam Hostiensis tradit apud *Joannem And in c. præcedente prope finem*, quia inter Episcopum, & Ecclesiam suam, veluti spirituale indissolubile matrimonium intercedit, prout dixi *lib. 1. decretalium tit. de translatione Episcopi.* 1

Notandum secundum. Coadjutoris Episcopo, vel alteri Prælato, aut Rectori propter senium, aut infirmitatem assignati, duo sunt officia, & obligationes, videlicet primò, ut Prælati, seu Rectoris curam gerat; deinde curam Ecclesiæ, in ijs omnibus, quæ pertinent ad officium Prælati, cujus Coadjutor constitutus est. 2

CAPI-

CAPITVLVM VI.

Consultationibus.

Paraphrasis.

Si Archidiaconus morbo paralytico laborans officium linguæ amiserit, Coadjutor ei adjungendus est.

CUm hoc capitulo consentit *c.* 3. & juxta ejus explicationem intelligi debet, & magis explicabitur *in c. unico seq.*

CAPITULUM UNICUM in sexto.

Pastoralis.

Paraphrasis.

Bonifacius VIII. inprimis declarat, & statuit, Episcopis, & superioribus Prælatis, videlicet Archiepiscopis, & Patriarchis dare Coadjutorem, inter causas majores numerari, quæ ad Sedem Apostolicam, nulla obstante consuetudine, referri debeant. Verùm ne ea ex re Ecclesiæ, præsertim quæ ab urbe remotæ sunt, detrimentum patiantur, generalem sanctionem adjecit Pontifex, si Episcopus senio, vel corporali invaletudine gravatus, vel ex alia causa in perpetuum impeditus, pastorale officium non valeat exercere, quòd cum consilio, & consensu capituli sui, vel majoris partis, unum, vel duos Coadjutores, Apostolicâ auctoritate, associare sibi possit, ad officij sui executionem. Sin autem amens factus sit, ut voluntatem suam declarare non possit, tunc capitulum ejus, vel duæ partes capituli, eâdem Apostolicâ auctoritate, unum, vel duos Coadjutores assignent. Sin autem Episcopus senio vel morbo incurabili affectus, vel perpetuo impedimento detentus, sed non amens, nolit Coadjutorem sibi assumere, licèt à capitulo de hac re monitus, quia videlicet dicit, se Coadjutoris adminiculo non indigere, tunc capitulum Ecclesiæ conditionem, ac statum, factique circumstantias omnes, quàm citò fieri potest, ad Sedem Apostolicam fideliter, & expressè perscribat, recepturi humiliter, & efficaciter impleturi, quod ab eadem Sede ordinatum fuerit.

Summarium.

1. *Non semper novam legem inducit verbum* Statuimus.
2. *Sedi Apostolicæ reservatum est, dare Episcopo Coadjutorem, si is sponte assumere nolit, & tamen indigeat; in inferioribus verò dare Coadjutorem potest Episcopus.*
3. *Archiepiscopo tamen non conceditur, Episcopo, aut alij Prælato Ecclesiastico extra suam Diœcesin, dare Coadjutorem.*
4. *Sed in casu, quo Episcopus, ob amentiam v. g. impeditus, Coadjutorem petere non potest, poterit capitulum de uno, aut pluribus etiam Coadjutoribus providere.*

NOtandum primum. Verbum *Statuimus*, non semper inducit novam legem, cùm hîc adjungatur verbo *declaramus*, id est, quod ante statutum fuit, declaramus, & limitamus. Ita *Francus hîc not.* 1.

Notandum secundum. Inter ea, quæ Sedi Apostolicæ in signum specialis prærogativæ reservata sunt, est, dare Episcopo Coadjutorem, si is sponte assumere nolit; nam hoc est auferre, aut constringere exercitium Episcopalis jurisdictionis, itaque ad eum pertinet dare Prælato Coadjutorem, ad quem pertinet destituere, seu privare, prout ex communi hîc tradit *Anchoran. not.* 4. *Ioann. And. in c. ult. n.* 2. *eodem tit.* quare alijs inferioribus Prælatis, si officio præesse non possint, Episcopus Coadjutorem dabit. *argum. c.* 3. *hoc tit.* & monet *hîc Francus not.* 2.

Quærunt aliqui, quare Archiepiscopus, cùm sit superior Episcopi, non possit cogere ad acceptandum Coadjutorem? Resp. ex doctri-

doctrina *Ioan. And. hîc in addition. Gl. V. tantummodo.* Quia datio Coadjutoris est actus jurisdictionis in ordine ad Diœcesin, atqui Archiepiscopus, seu Metropolitanus nullam jurisdictionem erga Diœceses Episcoporum exercere potest, nisi ipsi in jure specialiter, & expressè concessum sit. *c. Pastoralis 11. de officio ordinarij*, ubi id docui & *in disp. de jurisdictione ordinaria q. 80.*

4 Notandum tertium. Ad Capitulum pertinet, si Prælatus, Episcopus, vel aliter exemptus, ob amentiam, aliúdve impedimentum præesse non possit, Coadjutorem, seu Curatorem ei petere *argum. L. 3. C. de curatoribus furiosis, & l. 1. in fine eodem*, ubi dicitur, quòd filius patri furioso curatorem bonorum petere possit, imò ipsemet, si idoneus sit, ad curandas res patris constitui. L. *2. ff. eodem.* Capitulum autem erga Episcopum habet se ut filius erga patrem, cùm sit subjectum Episcopo, ac veluti membra sub capite, quam ob rem Capitulum, licèt Prælato consentienti Coadjutorem dare possit, vel petenti ipsi, aut designanti consensum dare, non tamen invitum cogere potest, ut Coadjutorem accepter, quia inferior non exercet jurisdictionem erga superiorem. *c. cùm inferior 16. de majoritate, & obedientia.*

Sin autem Episcopus demens sit, ita ut consensum dare non possit, tunc Capitulum ipsum Coadjutorem unum, aut duos providebit, idque auctoritate Sedis Apostolicæ, ut hîc dicitur, & si insania diuturna fore videatur, Apostolicæ Sedi significandum, ut provideatur. *c. 3. de supplenda negligentia Prælatorum.*

Id moneo, tametsi hæc potissimùm dicantur de Capitulo Cathedrali erga Episcopum, tamen quodammodo etiam locum habere in Prælatis, imò etiam in Parochis, propterea, quòd nec Parochi, multò minùs Prælati propter senium, aut infirmitatem incurabilem, cogi facilè debeant ad renunciandum, sed Coadjutor ipsis assignandus. *argum. c. ultimi extrà eodem.* Excipiendus tamen videtur casus lepræ, si talis sit, ut leprosus in societate hominum manere non possit. *argum. c. tua. 4. hoc tit.* Quam sententiam sequitur *Ioannes Honorius in summa super hoc tit. n. 1.* & videri potest *summa magna in c. 1. causâ. 7. q. 1.*

§.

Præsenti.

Paraphrasis.

Coadjutor Prælato datus ex proventibus Prælaturæ portionem moderatam accipere debet, & ab alienatione qualibet bonorum Prælati, ipsiúsque Ecclesiæ, omnimodè abstinere, obligatus insuper ad plenam administrationis rationem reddendam tum ipsi Prælato, si sanæ mentis sit, tum Capitulo ejus, & Prælati Successoribus, si anteà rationem non reddiderit.

Summarium.

1. *Coadjutor Prælato datus alienare (immobilia aut mobilia pretiosa) non potest.*
2. *In casu tamen dementis omninò Episcopi, potest datus Coadjutor beneficia conferre, si ad Episcopum eorum collatio pertineat.*
3. *Ipse verò Episcopus conferet eâ, si possit ipse consensum præstare, cum consilio tamen Coadjutoris dati, si ad spiritualia hic datus sit.*
4. *Debet tamen etiam suæ administrationis rationem reddere Coadjutor datus, si ea ab ipso exigetur.*
5. *Expirat autem officium dati Coadjutoris, morte, aut depositione Episcopi.*
6. *Nisi sit datus Coadjutor cum succedendi facultate à summo Pontifice, cujus solius est, hanc gratiam concedere.*

1 NOtandum primò. Coadjutori Prælati alienatio rerum interdicta est. Excipiuntur tamen ea mobilia, quæ servando

ſervari non poſſunt. Sicuti *Gl. hic monet V. abſtinentes. Ioann. And. Francus & alij hic. argum. L. Lexquæ 22. C. de adminiſtratione tutorum*, ubi idem de tutore decernitur.

2 Sed quæritur. Num Coadjutor beneficia conferre poſſit? Reſp. & dico primò. Si Epiſcopus, cui datus eſt Coadjutor, demens ſit, vel ita affectus, ut ipſemet conferre, ſeu auctoritatem præſtare non poſſit, ad Coadjutorem id pertinet. Ita *Francus hic n. 3. Joann. And. in c. ult. extrà eodem tit. n. 9. argum. c. ult. de ſupplenda negligentia Prælatorum.* Non obſtat enim, quòd hîc prohibeatur omnis alienatio, collatio autem beneficij, præſertim libera, donatio quædam cenſeatur. *c. ult. de officio Vicarij in 6.* nam alienationis nomine, Adminiſtratori prohibitæ, intelligi debet voluntaria, non autem neceſſaria. *argum. L. alienatione 13. ff. familiæ herciſcundæ.* atqui beneficij collatio eſt alienatio, ſeu donatio quædam neceſſaria, ne beneficia diu vacare debeant. *c. 1. in fine. ne ſede vacante in 6.*

3 Dico 2. Si Epiſcopus ita comparatus ſit, ut conſenſum, & auctoritatem ipſemet præſtare poſſit, tunc ad eum pertinet beneficia conferre, cum conſilio, & conſenſu Coadjutoris, ſi is ipſi ad ſpiritualia datus ſit, & non tantùm ad temporalia. Ita *Joannes Monachus, & Anchoranus hic. Joan. And. in c. ult. circà concl. penult. de accuſationibus.* Nam ipſemet Epiſcopus officium, ac titulum Epiſcopatûs gerit; quamvis, quæ agenda ſunt, expedire eum oporteat cum conſilio Coadjutoris; non tamen arbitror, pertinere id ad ſubſtantiam actûs, ut Coadjutor adhibeatur, quandoquidem officium & titulus in Epiſcopo reſidet, ſicuti dixi.

4 Notandum ſecundò. Coadjutor adminiſtrationis ſuæ rationem reddere cogitur, ſi ab eo petatur. Et addit *Francus hic n. 2.* etiam iteratò peti poſſe, ut revideantur, dummodo ſuper rationibus factis tranſactum non fuerit, *juxta L. unicam C. de errore calculi.* Et in hoc differt Coadjutor à tutore, & curatore, qui rationes reddere non tenetur, niſi officio finito *L. ſi tutor 11. ff. de tutelis*, cujus diſcriminis rationem affert *Anchoran. hic not. 4. §. cùm furioſ. ff. de tutoribus*, quia Coadjutoris officium indeterminati temporis eſt, cùm neſciatur, quando moriturus ſit Prælatus; tutoris autem, & curatoris officium determinati.

Quæritur. Utrùm officium Coadjutoris morte, aut depoſitione Epiſcopi ſtatim expiret? Reſponſio eſt affirmativa ex communi, apud *Joann. And. in c. ult. n. 10. extrà eodem. Anchoranum hìc not. 12. Bart. in 2. quæſitum ff. de tutelis.* nam ſi ſuperveniat Adminiſtrator legitimus, ceſſat officium dativi, *cit. L. ſi tutor §. 1.* ſed Capitulum, vacante ſede, eſt Adminiſtrator legitimus, videl. à Canone datus. *c. hiſque in c. cùm olim 14. de majoritate, & obedientia.* Deinde efficaciter probatur ex eo, quia titulus Epiſcopatûs, & jurisdictionis Epiſcopalis reſidebat in Epiſcopo, Coadjutoris autem officium eſt coadjuvans, adeòque acceſſorium, & quodammodo dependens à principali, igitur eo ruente, ruit etiam acceſſorium. Id verò limitari debet, niſi ſit Coadjutor datus cum ſuccedendi facultate, cujuſmodi datio Coadjutoris à ſolo Romano Pontifice fieri poteſt, juxta *c. 1. de conceſſione præbendæ. c. 2. & 3. eodem in 6.* at verò per plenitudinem poteſtatis Pontificiæ quandoque inſtitui aliquis ſolet ſub titulo, ſeu nomine Coadjutoriæ, continentis merum pactum, & promiſſionem ſuccedendi, cùm tamen Epiſcopus Coadjutore non indigeat, neque eo utatur, quam ob rem tales Coadjutoriæ, valde exorbitantes, odioſæ ac ſtrictæ interpretationis eſſe cenſentur. Prout docet *Honorius hic in fine*, & videri poteſt *Garz. de beneficijs.*

TITU-

TITULUS VII.
DE INSTITUTIONIBUS.

POstquam de beneficijs, ipsiúsque beneficiarijs quædam dicta sunt, nunc de modis acquirendi beneficia, seu de institutionibus subijcitur.

CAPITVLVM I.
Non amplius.

PARAPHRASIS.

Non plures in Monasterijs, & Clericorum Collegijs, institui debent, quàm de bonis Ecclesiæ, absque penuria ali possint. *Sumptum est ex Concilio Arelatensi 4. sub Carolo magno c. 8.*

SUMMARIUM.

In Ecclesijs Collegiatis, & Conventualibus tot instituì debent, quot possunt commodè ali, deductis tamen deducendis.

NOtandum. Tot personæ in Ecclesijs Collegiatis & Conventualibus institui debent, quot ex reditibus Ecclesiæ commodè, & sine penuria ali possunt. Consentit *c. auctoritate 4. hoc tit. c. quoniam 9. de vita & honestate Clericorum.* & videri potest *Gl. in c. ult. de verborum significatione.* & quæ dixi *in c. cùm M. de constitutionibus.* & in morali Theologia *lib. 4. tra. 2. c. 16.*

Deducenda tamen sunt onera Ecclesiæ, atq; ita proventus æstimandi, ut hospitalitas erga peregrinos, misericordia erga pauperes, aliaque beneficentiæ opera non prætermittantur. *argum. c. de Monachis 12. de præbendis.* & notavit *hìc Abb. n. 2.* Præterea, si Ecclesia numerata sit, sive certus in ea Canonicorum, aut Regularium numerus statùtus, tunc ob quodvis redituum augmentum, numerum non augendum esse, admonet *Gl. hìc.* & annotavi *in cit. c. cùm M. in not. 4.*

CAPITULUM II.
In Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Cujusdam Ecclesiæ capitulum statutum habebat, juramento firmatum, de certo Canonicorum numero instituendo; cùm autem numerus ille imminutus esset, capitulares consuluerunt Eugenium Papam, utrùm eum augendo implere teneantur, non obstante, quòd in Ecclesiâ eâ Laici quoque alantur, qui & ipsi in numero Canonicorum computari soleant. Respondet Pontifex, cùm Laici in Canonicorum numero censeri non possint, ideò obligari eos, ut numerum decretum per Clericos, qui in Ecclesiasticis Ordinibus constituti, Deo in divinis officijs congruè servire valeant, implere non intermittant.

SUMMARIUM.

Ius Canoniæ non potest cadere in Laicum, nisi hic saltem sit persona Ecclesiastica.

NOtandum. Jus Canoniæ non potest cadere in Laicum, eò quòd in spirituali officio fundatum sit. *c. 1. dist. 21.* & tradit *Innocentius hìc.* ubi addit, quòd jus Monachatûs cadat in Laicum, videlicet conversum, qui tamen Ecclesiastica persona censetur, ita, ut gaudeat fori, & Canonis privilegijs.

Id verò intelligi debet de Monachatu præcisè spectato, juxta ea, quæ traduntur à Gratiano *in causa 16. q. 1. super c. hinc est 39.* Monachos quadringentis circiter primis annis in monasterijs non esse ordinatos Cle-

ricos; at verò secundùm præsentis Ecclesiæ consuetudinem plerique tituli Monachales, in Ecclesiastico officio fundantur, cùm obligationem chori, aliorúmque Ecclesiasticorum, annexam habeant.

Quærit hîc *Innocentius*, num fratres conversi in monasterijs, ad actus capitulares vocandi sint, & ipse affirmat. *Abbas autem hìc num. 6.* rectè distinguit, quòd electionibus interesse non debeant *c. ex eo. 32. §. in Ecclesijs. de electione in 6.* præterquam, si per diuturnam consuetudinem jus suffragij præscripserint; cùm enim non sint meri Laici, sed personæ Ecclesiasticæ, ideò juris spiritualis capaces esse possunt, uti constat *ex cit. c. Ex eo §. in Ecclesijs, c. cùm olim. 7. de arbitris.* & dixi fusiùs *in disp. de Prælatis q. 181.* at verò ad alios actus capitulares vocandi sunt, cùm sint membra Congregationis, seu Conventûs, nisi consuetudo obtinuerit, ut non vocentur.

CAPITVLVM III.

Ex frequentibus.

Paraphrasis.

Intellexerat Alexander III. quòd in Anglicanis quibusdam Ecclesijs prava consuetudo introducta esset, ut Clerici Ecclesiastica beneficia (absque Episcopi Diœcesani, vel officialium ejus consensu, quibus id de jure competit) accipiant, non cogitantes, quòd id à statutis Patrum alienum, & Ecclesiasticæ honestati contrarium sit: ea propter Cantuariensis Archiepiscopus ex commisso sibi officio istam iniquam consuetudinem extirpare volens, tam in eos, qui Ecclesiastica beneficia tali modo occupata detinent, quàm in eos, qui imposterum ita occupare præsumunt, excommunicationis sententiam protulit. Hæc cùm narrâsset Pontifex, subjungit, se sententiam ab Archiepiscopo latam Apolicâ auctoritate confirmare, ac mandare, ut Clerici, qui sententiam excommunicationis incurrerunt, nisi canonicè satisfecerint, non absolvantur.

Summarium.

Provisio beneficij alia est purè libera, alia est electiva, alia patronata, quarum collatio, sive approbatio, confirmatio, aut institutio ad Pontificem, vel Episcopum pertinet.

ADverte inprimis, quòd collatio, seu provisio beneficij, alia est libera, quæ collationis nomen, veluti proprium sibi vendicat. Et hæc, si sit simplicis beneficij collatio, facta à quocunque Clerico jus conferendi habente, Episcopi approbationem, aut examen non requirit jure ordinario, prout docet *Garz. de beneficijs p. 1. c. 3. n. 1.* quòd in simplicium beneficiorum libera collatione nulla specialis forma requiritur, neque citatio per affixum edictum, secundùm *Gl. in c. ult. v. observari. de electione. in 6.* At verò in provisione beneficiorum curatorum, seu parochialium, quo modo examen præmitti debeat, vide *Trident. sess. 24. c. 18. de reformatione. & Garziam cit p. 9. c. 2.*

Alia verò est provisio beneficij non libera, eáque iterum duplex: vel enim jus acquisitum est Clerico per canonicam electionem, ita, ut approbandus, & admittendus sit, si idoneus reperiatur; hæc provisio dici solet confirmatio, per quam non multum juris tribuitur; cùm electo jam per electionem aliquod jus in re, saltem imperfectum acquisitum censeatur. *argum. c. nihil. 44. de electione & c. inter. de fide instrumentorum.* ubi dicitur, quòd, qui confirmat, non dat, & tradit. *Abb. in c. auctoritate n. 5. hoc tit. post Gl. celebrem in c. quanto 10. v. relatio. dist. 63.* Vel præsentatio, aut nominatio tantùm antecessit à Patrono Ecclesiastico, aut Laico facta, cui tale jus competit, & per hanc præsentationem jus aliquod in re non acquiritur præsentato, sed ab ordinario per institutionem tradi

ri di debet, si idoneus reperiatur: atque hæc propriè dicitur institutio, seu juris beneficij translatio. Itaque institutio, si propriè loquendum sit, eorum tantùm beneficiorum est, quæ providentur antecedente præsentatione, sicuti confirmatio in ijs beneficijs accidit, quæ providentur præcedente electione, prout docui *L. 4. tract. 2. c. 10. n. 1.*

At verò in hoc c. nomen Institutionis DD. latiùs accipiunt pro omni provisione non libera, seu, quæ fit ad alicujus electionem, præsentationem, aut nominationem: tunc autem semper necessarium est examen, imò etiam edicti publicatio, ut vocentur ij, quorum interest. *c. ult. de electione in 6.* & tradit *Garzias p. 9. c. 4. n. 1. post Gl. finalem in cit. c. ultimo*, quæ ait, id tutum esse, tametsi textus tantùm loquatur de beneficijs, quæ præcedente electione providentur, & sequuntur *Ioann. And. & Francus ibid. n. 5.* eò quòd utriusque provisionis par sit ratio. *argum. c. 2. de jure Patronatûs*, quâ in re spectanda est consuetudo Ecclesiarum.

Notandum primò. Beneficia electiva, & quæ juris patronatûs sunt, non possunt accipi sine consensu, & auctoritate, adeóque institutione Episcopi diœcesani, aut vicarij ejus in spiritualibus: additur verò, consuetudinem, si quæ contraria sit, iniquam, ideóque non tolerandam esse. Consentit *Concilium Trident. Sess. 7. c. 13. de reformatione*, dum dicit præsentati, electi, vel nominati, à quibuscunque Ecclesiasticis personis (multò igitur magis à Laicis) etiam Sedis Apostolicæ Nuncijs ad quævis Ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, nec admittantur etiam prætextu cujusvis privilegij, aut consuetudinis, etiam ab immemoriali tempore præscriptæ, nisi fuerint à locorum ordinarijs examinati, & idonei reperti. Videri etiam potest *Sessio 25. c. 9. de reformatione.*

Quocum tamen non pugnat, quin beneficia electiva, & quæ juris patronatûs sunt, per legitimi temporis præscriptionem, cum bona fide, liberam collationem nanciscí possint, prout constat *ex c. cùm olim 18. de præscriptionibus, & notat Abbas hic n. 3.* quemadmodum & hoc fieri potest, ut Abbas v.g. vel Præpositus jus instituéndi, quod suapte naturâ, seu primæva institutione Episcopale est, sibi in certis Ecclesijs diœcesis per præscriptionem acquirat. *cit. c. cùm olim, & c. auditis 15. de præscriptionibus.*

Porrò quas pœnas, & inhabilitates Clerici incurrant, si à Laico v. g. patrono institutionem verbalem, aut realem in beneficijs Ecclesiasticis accipiant, videri potest in *c. siquis deinceps 12. & pluribus sequentibus c. 16. q. 7.*

Notandum secundò. Licèt spectato jure ordinario, & seclusis casibus exceptis, Episcopus jurisdictionem exercere non possit, erga Cœpiscoporum subditos, eos v. g. excommunicando, *c. nullus causa 9. q. 3. c. pastoralis 11. de officio ordinary*, potest tamen jurisdictionem exercere in casu, qui totius Provinciæ statum attinet, tollendo v. g. pravam consuetudinem ejus, aut quia Episcopi sunt negligentes. Ita colligitur *ex hoc c.* & tradit probabiliter *Glossa cadem q. 3. in summa v. quòd autem. Innoc. hic in fine. Abb. n. 2.* Vide, quæ docui *in disp. de jurisdictione ordinariâ q. 81. & 82.*

CAPITULUM IV.

Auctoritate Apostolicæ Sedis.

Paraphrasis.

In Ecclesijs Cathedralibus, aut Collegiatis, non debet Capitulo invito, aliquis instituí ultra numerum, quem facultates earum commodè sustinere possint. Consentit *c. 1. eodem tit.*

Summarium.

1. *Contra eum, qui à superiore proponitur, invito Capitulo, in Canonicum recipiendus, excipi potest, quòd facultates Ecclesia non sufficiant.*

2. *Niſi parciùs vivendo velint eum admittere.*

1 NOtandum primò. Si Superior Capitulo, aut Eccleſiæ Rectori præſentet Clericum, cum mandato, ut eum inſtituat, exceptio obijci poteſt, quòd Eccleſiæ facultates non ſufficiant ad alendum plures. Ita *etiam docui lib. 4. tract. 2. c. 16. n. 1.* Multò autem magìs excipi poterit, ſi Canonicorum, aut beneficiorum numerus determinatus ſit, præterquam, ſi proventus Eccleſiæ multùm aucti fuerint. *c. cùm M. 9. de conſtitutionibus.*

2 Addit verò Gl. Marginalis communiter approbata, quòd volentes Clerici ultra facultates Eccleſiæ, recipere poſſint, ſi parciùs vivere velint ob cultum divinum augendum, ita tamen, ut non egeant.

CAPITULUM V.

Addecorem.

PARAPHRASIS.

Præfatur Innocentius III. pertinere ad decorem tum Eccleſiæ S. Sophiæ, tum aliarum, quæ Conſtantinopoli ſunt, ut viri literati, morum honeſtate conſpicui, ex quibuslibet orbis partibus, in ijs inſtituantur; cùm itaque relatum fuerit, quòd Patriarcha Conſtantinopolitanus aliarum nationum Clericos ſpernens, Venetos tantùm in dictis Eccleſijs inſtituere velit, & non attendat, quòd in omni gente, qui facit juſtitiam, acceptus ſit Deo, neque ſanctuarium Dei jure hæreditario poſſideri deceat, ideò mandat Apoſtolicæ Sedis inibi conſtituto legato, ut viros literatos, atque idoneos, undecunque originem ducant, in ijs Eccleſijs, maximè autem in majore, aut Cathedrali inſtituere non prætermittat; alioquin Patriarcha indignum ſe reddet, ad cujus obedientiam, aliarum nationum Clerici compellantur; & legatus talia ad Pontificem referre debet, ut cognoſci queat, verúmne ſit, quod refertur, Patriarcham Venetis de ea re promiſſionem feciſſe.

SUMMARIUM.

1. *Diverſitas nationum Collegio Canonicorum honori eſt.*
2. *Ita ut reprobari debeat promiſſio, qua fit de certæ nationis hominibus ad Canonicatus aſſumendis.*

NOtandum primò. Nationum diverſitas non dedecet, ſed potiùs cohoneſtat Collegium Canonicorum, ut hinc etiam appareat, quòd omnes gentes Deus in unitate fidei, ac mutuæ charitatis copulavit: non tamen reprehendi poteſt multarum Eccleſiarum conſuetudo, ſecundùm quam indigenæ exteris in aſſecutione Canonicatuum, aliorúmque beneficiorum præferuntur. argum. *c. nullus 13. diſt. 61.* quod hìc allegat *Abbas n. 4.* dans rationem iſtam, quia indigenæ faciliùs, quàm alienigenæ in perpetua reſidentia continentur.

Notandum ſecundò. Id reprobari debet, ſi certæ genti, aut familiæ promiſſio fiat, quòd ex illa tantùm ad Canonicatus, & beneficia Eccleſiæ aſſumendi ſint, qua per tale pactum libertas Eccleſiæ impeditur, multi alij idonei negliguntur, & interdum minùs idonei promoventur. Cæterùm ſi beneficij alicujus fundatio acceptata ſit pro perſonis ex certa gente, civitate, aut familia oriundis, talis conditio, utpote quæ inhoneſta non eſt, impleri debet, dummodo, qui præſentantur, idonei ſint, quod praxis Eccleſiarum ſatis oſtendit.

Notandum tertiò. In Cathedrali Eccleſia magìs neceſſarium eſt, quàm in alijs inferioribus Eccleſijs, ut ſint viri literati, rerúmque periti.

CAPITULUM VI.

Cùm veniſſent.

PARAPHRASIS.

Apud Sedem Apoſtolicam controverſia agitabatur inter Eboracenſis Archiepiſcopi procuratorem, & Archidiaconum Richemundiæ,

mundiæ, super institutione personarum, & custodiâ Ecclesiarum vacantium. Hæc jura Archiepiscopus tam de communi jure, quàm generali consuetudine ad se pertinere dicebat; quosdam enim antecessores suos Archidiaconis aliquibus institutiones, & custodiam Ecclesiarum tanquam personale beneficium concessisse. Id ipsum verò negavit Archidiaconus, dixítque, Archidiacono, qui tunc erat, non personaliter, sed ipsi Archidiaconatui in perpetuum, cum Capituli Cathedralis consensu, tam institutiones, quàm custodias reali concessione in quorundam damnorum compensationem donatas fuisse; cùm autem Archidiaconi antecessores sui in istatum, aliarúmque libertatum, & exemptionum possessione continua fuissent, Archiepiscopum ipsi postea Archidiaconatum, absolutè & sine conditione contulisse; at verò post factam collationem asseruisse Archiepiscopum, se ipsi concessisse, institutionibus, & custodijs Ecclesiarum exceptis. Tunc Archidiaconus timens, ne si id disertè negaret, cùm nondum esset possessionem adeptus, vel penitus impediretur, vel saltem retardaretur, dixit, quòd non solùm de istis, sed imò etiam de omnibus proventibus suis faceret Archiepiscopus, quod sibi placeret. His & pluribus alijs utrinque propositis, Innocentius Papa III. interlocutus est, Archidiaconum esse in plenâ libertatum Archidiaconatûs possessione defendendum, donec ex parte adversa legitimè probatum fuerit, libertates Archidiaconis ab Archiepiscopis, ut personale beneficium, concessas fuisse: quandoquidem ita fieri potuit, ut Archiepiscopus tam ante, quàm post, & in ipsa concessione, eas libertates, videl. institutiones, & custodias, retinere voluerit, tanquam suas; vel donec legitimè probatum sit ab eodem Archiepiscopo, quòd ipsi Archidiaconus eas libertates per juramentum renunciârit. Quamquam in hoc posteriore casu, si ponamus concessionem illam realem, seu ipsi Archidiaconatûs dignitati factam fuisse, Archiepiscopo nihil juris, vel utilitatis accessurum est, quia Pontifex vel ad petitionem Ecclesiæ Eboracensis, vel ex officio per se ipsum Archidiaconatui consulet; quòd si igitur alterutrum eorum, quæ dicta sunt, probatum fuerit, Archidiacono, sin neutrum, ipsi Archiepiscopo silentium imponendum erit.

Summarium.

1. *Explicatur Capitulum.*
2. *Ad quem pertineat de jure communi institutio Ecclesiarum, & custodia earum vacantium.*
3. *Donatio sive concessio, alia personalis, & alia realis.*
4. *Quomodo in dubio præsumi possit, personalis an realis sit concessio.*
5. *Superiori si respondeat inferior, quòd de juribus suis pro arbitrio disponere possit, non ideò renunciat suis juribus.*
6. *Et quamvis Prælatus absque Ecclesiæ suæ consensu renunciare possit favoribus pro se introductis, non potest tamen in præjudicium Ecclesiæ suæ istis renunciare.*
7. *Prælato Ecclesiæ impedito, quò minùs pro juribus Ecclesiæ agere possit, Ecclesia, seu Capitulum, actionem instituere potest.*
8. *Subvenire potest Prælatus Superior Ecclesijs læsis, non tantùm ad instantiam Rectorum inferiorum, sed etiam ex officio.*

PRo intellectu hujus Capituli inprimis adverte, quòd Archiepiscopus prior ad judicium provocasse, & ideò actoris personam egisse censetur, quam ob rem etiam prior propositionem fecit. Egit itaque actione confessoriâ, seu negatoriâ in rem, petens judicari, sibi jus competere institutionis, & custodiæ, Archidiacono autem non competere. Porrò ad causæ hujus decisionem 1

sionem plurimùm pertinebat scire, uter litigantium in possessione esset, ut appareret, pro quo præsumptio esse deberet, & cui onus probationis imponendum, præsertim cùm possessio saltem incidenter in judicium devenerit; quandoquidem Archiepiscopus, seu Procurator ejus replicando dixit, concessionem institutionis, & custodiæ factam esse Archidiaconis precariò tantùm, vel cum dependentia ab Archiepiscopo, ita, ut fieret nomine, & auctoritate Archiepiscopi; quòd si verùm esset, Archidiaconus non fuisset in vera possessione, quia possessor esse non censetur, qui alieno nomine possidet. *L. quòdameo 18. ff. de acquirenda possessione. c. cùm venisset 9. de restitutione spoliatorum. c. si diligenti 17. de præscriptionibus.* Et idcirco Pontifex interlocutione pronunciavit, Archidiaconum in possessione esse, quia ex actis manifestum erat, ipsum suo nomine, & tanquam independentem potestatem haberet, liberè institutiones fecisse, & custodias habuisse. Videri potest *Innocentius. hic.* & quæ dixi *in c. cùm dilectus 6. de causa possessionis, & proprietatis.*

2 Notandum primò. Spectato communi iure institutio Ecclesiarum, & vacantium custodia pertinet ad Episcopum, vel Archiepiscopum in tota diœcesi, ita, ut ipse super hac re intentionem fundatam habeat. Ita habetur *in c. omnes Basilicæ & can. sequenti. causa 16. q. 7.* & *c. cum ex injuncto 12. de hæreticis.* Sed est contra *Gl. hic v. communi*, quæ movetur, *c. ad hæc 7.* & *c. ut nostrum 9. de officio Archidiaconi*; fallitur verò, quia ijs in locis sermo est de institutione reali, seu corporali, videl. introductione in possessionem, quæ haud dubiè secundùm jus commune Archidiacono competit; hîc autem nobis sermo est de institutione verbali, ac titulari, per quam jus ac titulus Ecclesiæ, vel beneficij acquiritur. At verò *in c. si in plebibus 20. dist. 63.* quod etiam à Gl. allegatur, sermo est de electione, quæ à Clericis, præeunte Archidiacono, tanquam duce eorum, unà cum populo facienda sit; confirmatio tamen, adeóque institutio Episcopo semper reservata fuit.

Notandum secundò. Quicunque habet Ecclesiæ alicujus institutionem, aut collationem, is etiam custodiam ejusdem habere censetur. Ita sumitur *ex hoc c.* Non loquimur autem de beneficijs electivis seu prælaturis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum. Harum enim vacantium custodia, & administratio ad Capitulum plerumque pertinet.

Notandum tertiò. Concessio, seu donatio alia est personalis, quia personæ fit, & cum ea extinguitur; alia verò est realis, quæ fit dignitati, ita, ut perpetua sit, & ad successores transiens, ita hîc apparet, & constat *ex regula 68. & 156. ff.* Explicavi id latiùs *in lib. 1. tra. 4. c. 23. n. 2.*

Quæres. Num in dubio personalis tantùm, an verò realis concessio, seu privilegium præsumi debeat? Resp. si ex verbis factæ concessionis colligi non possit, & concessio non sit merè gratiosa, seu privilegium Principis, sed alienatio quædam præjudicialis Ecclesiæ, concedenti, aut dignitati, sicuti in casu nostro, tunc in dubio, sic esse intelligendam, ut quæ minimum præjudicium adferat, nam alienationes rerum, & jurium Ecclesiasticorum odiosæ sunt, ideòque strictæ interpretationis, & nemo suum facilè jactare censetur. *L. cùm de indebito. 25. ff. de probationibus.*

Cur autem hîc præsumptio facta sit pro concessione reali, causam ex textu colligere possumus, quia Archidiaconi erant in antiquissima possessione; quare hinc doctrina elici potest, quòd ex uniformi, & continuo exercitio jurisdictionis præsumptio nascatur, id fieri jure proprio dignitatis, ita, ut si ordinarius loci proponat, id fieri precariò aut nomine, & auctoritate sua, ostendere ipse id debeat, prout hîc tradit *Gl. v. probatis. & Abbas n. 7. & 8.* Sed arbitror, imprimis inspiciendum esse, quomodo, & quâ verborum formâ, & quibus cum circumstantijs inferior collationem, institutionem, aut custodiam exercuerit, hinc enim apparebit,

rabit, suâne, an Superioris auctoritate fecerit, idque ex actis apparuisse existimo in casu isto, ita ut mox possessio Archidiacono fuerit adjudicata, & onus probandi in petitorio, Archiepiscopo impositum.

Notandum quartò. Si quis alteri, præsertim Superiori suo respondeat; facias, quod placet, de juribus meis, aut bonis; non ideò renunciationem, aut obligationem super se inducere videtur. Nam hoc verbum, quod placet, boni viri arbitrium, seu quod rationabile esse censetur, exposcit, argu. *L. Thais 41. §. sorore ff. de fideic. commissarijs libertatibus.* Accedit, quòd Archidiaconus ad vexationem redimendam verbis adeò generalibus, & ambiguis propter necessitatem se respondisse perhibuerit, & ideò ex verbis istis obligationem contraxisse censeri non potuerit.

Notandum quintò. Prælatus absque Ecclesiæ suæ consensu juri suo renunciare, aut se obligare potest, quatenus id cedit in præjudicium proprium, non item in præjudicium Ecclesiæ; quod intelligi debet in casu, si præjudicium Prælati separabile sit à præjudicio Ecclesiæ. *Ita Gl. hic v. abjurasse. Ioann. And. n. 10. Anton. & Abbas n. 16.* ubi is exemplum affert *ex lib. 2. feudorum de Capitulis Conradi §. item si Clerious.* Ubi ita dicitur, si Episcopus ratione Ecclesiæ suæ possideat feudum à Rege, quod propter culpam suam amittere debeat, eo vivente ad Regem, tanquam dominum, pertinet, post mortem verò Episcopi ad successorem revertitur.

Si autem damnum personæ separabile non sit à damno Ecclesiæ, ut si bona Prælati communia sint, item si Prælatus juraverit, se bona Ecclesiæ malè alienata non repetiturum, videtur, non obstante juramento, repetere posse. *argum. c. 2. de jure jurando*, quia tale juramentum fuit de objecto illicito, & secundùm jura impossibili, cùm non possit Prælatus curam, & administrationem Ecclesiæ abdicare, sive se obligare, ut commodis ejus, sicuti de jure potest, non provideat, *secundùm Gl. celebrem in c. 1. v. contractum de in integrum restitutione in 6.* & sumitur *ex L. legatus ff. de officio legati.*

Objicies. In casu *hujus cap.* non videtur præjudicium Archidiaconi fuisse separabile à præjudicio Archidiaconatûs, cùm Pontifex responderit, nihil juris, vel utilitatis consecuturum Episcopum, tametsi probaverit, Archidiaconum juramento renunciâsse juri institutionis, & custodiæ. Resp. primò. Ex doctrina *Innoc. n. 4.* non esse absurdum, nec textui contrarium, si totum concedatur; tunc autem dicendum, quòd Pontifex pro inconveniente habuerit, si juramentum Archidiaconi probatum fuerit, ut ipsemet pro institutione, & custodia ageret, ne videatur adversus juramentum agere *argum. cit. c. 2.* secundùm unum ejus intellectum, & ideò decentius videbatur, si Ecclesia pro eo, vel ex officio procederet, & jura Archidiaconatûs defenderet. Resp. secundò. Verba illa, quæ objiciuntur, intelligenda esse, juxta ea, quæ antecedunt, & sequuntur, intentio enim Archiepiscopi erat, ut jus institutionis sibi adjudicaretur: ad hanc intentionem, petitionémque respondit Papa, non serviturum ipsi, tametsi probaverit, quod allegabat, quandoquidem jus institutionis non consequetur absolutè, sed tantùm, dum Archidiaconi hujus persona, & officium durat.

Notandum sextò. Si Prælatus, seu juramento, seu alia de causa impeditus sit, quò minùs pro juribus Ecclesiæ in judicio agere, aut defendere se possit, Ecclesia, seu Capitulum actionem instituet. Ita annotavit *Gl. v. abjurásse*, ubi ait, notandum esse casum specialem, quòd Ecclesia habens Prælatum sine ipso agere potest, si is impeditus sit, & consentit *Ioann. And. n. 8.* idque secundùm se verum est, sed casui nostro applicatum difficultatem habet primò. Quia Eboracensis Ecclesiæ Prælatus erat Archiepiscopus, non Archidiaconus. Secundò. Quia quatenus agitur de præjudicio Ecclesiæ, Prælatus, non obstante suo juramento, agere posse videtur. Ad primum dici po-

test, quòd Archidiaconus Cleri totius caput sit, licèt absolutè pendens, & subordinatum Archiepiscopo, tamen in casu nostri Capituli exemptum, & non subjectum fuisse Archiepiscopo, quatenus potestas instituendi, & custodiæ ad ipsum, cum libertate, ac propriè spectare dicebatur, juxtà ea, quæ docui *in c. irrefragibili 13. de officio ordinarij.* Adde, *Abb. hic n. 9.* generaliorem doctrinam tradere, quòd non tantùm Episcopus agere possit pro juribus dignitatum sibi subjectarum, si habentes dignitatem non possint, aut negligant; sed etiam ipsa Ecclesia, seu Capitulum ejus Collegij, cui dignitates incorporatæ sunt, quia interest, ut membra ejus in integritate conserventur.

Ad secundum. Dicendum videtur, licèt ipsemet Archidiaconus nomine Ecclesiæ, seu Capituli opponere se potuisset, si Archiepiscopus jus instituendi, tanquam proprium, & non tanquam ex Archidiaconi personali cessione facta cum juramento vendicare voluisset, tamen propter juramentum Archidiaconi securius fore, ut ipsum Capitulum actionem moveat, *argum. cit. c. 2. de jurejurando.* & tradit *Innoc. hic n. 2.* patétque, quòd Ecclesia post mortem, vel cessionem Archidiaconi jus institutionis absolutè revocare potuerit, prout hìc notavit, & fusiùs explicavit *Andreas n. 10.*

7 Notandum septimum. Superior non tantùm ad instantiam rectorum inferiorum, sed etiam proprio motu, & ex officio Ecclesijs læsis subvenire, res malè alienatas, aut iniquè ab altero possessas, seu detentas repetere, vel in integrum restitutionem tribuere potest. *Ita hic textus*, & notavit *Abb. n. 9. & egregiè Bart. in L. 4. §. hoc autem judicium n. 2. ff. de damno infecto.* quòd judex, parte non præsente, officium suum impertiri possit, si vertatur utilitas publica, aut causa pia, vel personæ miserabilis, aut derelictæ.

CAPITULUM VLTIMVM.

Cùm ad nostram.

PARAPHRASIS.

Quidam electus est in Abbatem, qui inter dem Ecclesia priùs custos erat; hoc cas inquit Innoc. III. quòd idem Abbas custodiam obtinere non possit, cùm eam ratione Abbatiæ, tam custodiæ, quàm aliarum dignitatum, & præbendarum, donatio, sive collatio ad ipsum pertinet, non potest eam à se ipso recipere, cùm inter dantem, & recipientem personarum distinctio esse debeat; sed neque ab alio accipere potest, cùm alij jus conferendi non habeant.

SUMMARIUM.

1. *Amittit priorem dignitatem, qui habens eam, aliam dignitatem consecutus fuit.*
2. *Et quamvis priorem v. g. dignitatem alij conferre possit, qui novam acquisivit, si tamen dignitati huic jus conferendi aliquid annexum sit, non potest id sibi conferre.*

NOtandum primò. Hoc ipso, quòd personatum, aut dignitatem habens aliam consecutus est, vacat prior dignitas, ita ut conferri debeat, & quidem ab ipso promoto, si jus conferendi annexum ei dignitati, cujus possessionem assecutus est.

Notandum secundò. Prælatus præditus potestate conferendi beneficia, non potest conferre sibi ipsi, quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio personarum; quare sicuti nemo ligat, aut solvit seipsum; imò nec per se, ac directè dispensat aliquis secum ipse, sic nec præbendam, aut dignitatem Ecclesiasticam sibi ipsi aliquis conferre potest. Quare sicuti nec seipsum quisquam eligere potest, *C. in scripturis 9. caus. 8. q. 1.* Ita nemo, quamvis Clericus, atque idoneus sit, seipsum præsentare. *C. per nostras 26. de jure Patronatûs*, & generalius loquendo, nemo in proprio facto auctoritatem

tatem præstare potest. *Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

Adverte autem, quòd in textu dicitur, Prælatum, cui jus conferendi competit, non posse beneficium accipere ab alio, id intelligendum esse de omni alio, qui proprio jure conferre non potest; nam si potestatem conferendi prælatus alteri deleget, delegatus conferet jure, & auctoritate delegantis, & ideò deleganti conferre non potest, ne eadem persona in proprio facto auctoritatem sibi præstet, sed à Papa, vel Legato à latere, qui in beneficijs conferendis communi jure concurrunt, eáque proprio jure conferunt, beneficium accipere poterit inferior collator, prout hîc *Abbas notat in fin cap.* Ubi etiam rectè respondet ad objectionem de Pontifice, qui confessario suo dat jurisdictionem exercendam erga ipsum Pontificem, quòd in isto casu in absolvendo non sit merus commissarius Papæ, sed potiùs delegatus, & Vicarius Dei, à quo talis absolvendi potestas per Sacerdotalem ordinationem data est, ita, ut aliud non requiratur ad absolvendum, nisi persona subdita. Pontifex igitur voluntariè se subjiciens Sacerdoti complet, ac veluti actuat radicalem potestatem ejus, quam in ordinatione accepit.

CAPITULUM I.
eodem Titulo in sexto.

Etsi.

Paraphrasis.

Capitulum Sede vacante conferre non potest beneficia, quæ ad Episcopi collationem spectant; at verò præsentatos à Patronis, si idonei sint, admittere, atque instituere potest, tametsi talis admissio, & institutio ad Episcopum pertineret, si is in vivis esset.

Summarium.

1. *In collatione beneficiorum non succedit Capitulum, Sede vacante, si collatio talis ad Episcopum pertineat, succedit tamen in potestate admittendi, & constituendi præsentatos, & confirmandi electos &c si hæc talia sint jurisdictionis Episcopalis.*
2. *Ita tamen, ut aliqui distinguant inter admissionem, & institutionem.*

NOtandum primum. Capitulum, vacante Sede, licèt non succedat in potestate conferendi beneficia, quorum collatio ad Episcopum pertinet, succedit tamen in potestate præsentatos admittendi & instituendi. Consentit *c. 2. ne Sede vacante &c.* Ratio discriminis est, quia collatio beneficij est gratia, & donatio quædam. *c. ult. de officio vicarij in 6.* At verò confirmatio præsentati, si idoneus reperiatur, est necessitatis, & debiti cujusdam. Capitulum autem, vacante Sede, succedit in ijs, quæ ratione Episcopalis officij expedienda sunt, sive in jurisdictione, & administratione Episcopali *c. his qui 11. de majoritate. c. cùm olim 14. eodem tit.* Præterquam quòd donare, & fructus distrahere non possit *c. si quæ de rebus 42. causa 12. q. 2.* Et ita tradit *Gl. communiter recepta v. non possit.* & videri potest *Garz. p. 5. c. 7. n. 50.* & quæ docui *in disp. de jurisdictione ordinariâ q. 85. de sequentibus.* 1

Coroll. primum. Per præsentationem præsentato jus ad rem acquiritur, si idoneus sit. Ita *Joann. And. & Francus hic n. 2* quandoquidem institutio in beneficio ipsi de jure debita est, ita, ut absque injuriâ, seu violatione juris negari non possit.

Coroll. secundum. Capitulum, vacante Sede, confirmationem electis dare potest. Ita habetur expressè *in cit. c. cùm olim de majoritate.* Cùm enim electus plus juris habeat, quàm præsentatus, prout dixi *in c. 3. extrà hoc tit.* ideò confirmatio ejus magis debita, & necessaria est, quàm præsentati institutio.

Coroll. tertium. Capitulum, vacante Sede, non potest eligere aut præsentare, si talis actus ad Episcopum propriè spectet. Ita ex communiore *Garz. p. 5. c. 7. n. 52. con-*

tra Francum hic n. 3. nam actus electionis, & præsentationis in eum tendit, qui jus non habet, ideóque est species donationis, seu dationis gratuitæ; at verò commendare beneficia saltem ad tempus, donec Episcopus electus, & confirmatus sit, Capitulum non prohibetur, cùm sit actus quidam jurisdictionis, seu administrationis necessariæ. Ita *Joann. And. in c. 2. n.* 3. *hoc tit. Francus hic in fine.* Videri potest idem *Francus in c. unico. de majoritate, & obedientia in sexto.*

2 Notandum secundò. Aliud est præsentati admissio, & aliud institutio. Ita *Gl. hic communiter recepta.* Diversimodè tamen Doctores id explicant. Nam Joannes Monachus, & Andreas hîc tradunt, nomine admissionis intelligi receptionem, seu approbationem, titulique traditionem; nomine autem institutionis intelligunt corporalem in beneficium introductionem: quo sensu videtur etiam loqui *Trid. sess.* 7. *c.* 13. *de reformatione.* At verò Archidiaconus, & Anchoranus *not. 2. Francus n.* 2. ajunt, admittere aliud non esse, quàm ad examen recipere; instituere autem, jus & titulum tribuere.

CAPITULUM II.

Si is.

Paraphrasis.

Si Patronus ad beneficium parochiale vacans Clericum præsentet, qui in sacris Ordinibus non est, is repelli non debet, dummodo alioquin idoneus sit, & intra annum Sacerdos fieri possit.

NOtandum. Clericus in minoribus ad parochiale beneficium promoveri potest, dummodo intra annum sacerdotium suscipere queat. Consentit *c. licet* 14. *de electione in sexto. c. præterea* 5. *de ætate & qualitate* &c. & dixi de hoc in *c. cunctis* 7. *§. inferiora: de electione.* Necessarium tamen est, ut vigesimum quartum ætatis annum compleverit juxta *cit. c. licèt, & cit. c. cùm in cunctis.* & notant *hic Dominicus & Francus n.* 1.

TITULUS VIII.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIÆ NON VACANTIS.

HIc titulus ideò hoc in loco ponitur, ut intelligatur Ecclesiasticorum beneficiorum collationem, institutionem, & uno verbo concessionem faciendam non esse, nisi cùm ea vacant.

CAPITULUM I.

Qui in vivorum.

Paraphrasis.

Qui in locum Sacerdotum adhuc viventium se substitui permiserunt, ab Ecclesiastica communione removendi sunt.

Ita ex Gelasio Papâ refertur. Pauliter decreverat Gregorius I. Pont. in Epistola ad Natalem Salonitanum Episcopum, relatus à Gratiano *capit.* 40. *caus.* 7. *q.* 1. Eum, qui contra justitiæ regulam in Archidiaconatum alterius se provehi consensit, ab ejusmodi Archidiaconatûs honore deponimus; qui si ulteriùs in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione communionis sacræ noverit esse privatum.

Summarium.

Non potest beneficium, quod unius est, si nondum vacet, alteri conferri, ita, ut collatio non tantùm irrita sit, sed pœnam

pœnam etiam excommunicationis, & inhabilitatis ad hoc beneficium incurrat, qui se instituí permisit.

NOtandum. Beneficium, quod unius est, non potest alteri conferri, cùm duo idem beneficium habere non possint, *c. tuæ. 20. de præbendis.* Quare electio, collatio, vel institutio in beneficio non vacante, irrita est, consequenter institutus, seu provisus removeri debet; imò in pœnam, si scienter se instituí fecit, puniri potest, ita, ut ipsi participatio Corporis & Sanguinis Christi secundùm antiquos Canones ad tempus interdicatur, juxtà *c. Inprimis 7. causa 2. q. 1.* & dixi de hoc *in lib. 5. tra. 5. c. 7. n. 3.* Addit *Abbas hic n. 4.* quòd is, qui in beneficium non vacans scienter se instituí permisit, non possit illud deinde impetrare, si vacet, nisi suam intrusionem, seu sacris Canonibus reprobatam institutionem, atque inde contractam inhabilitatem expresserit, *argum. c. super litteris 20. & c. postulâsti 27. de rescriptis.* ubi videri possunt, quæ ibi docui, & *in lib. 1. tra. 4. c. 12. n. 19.*

CAPITVLVM II.

Nulla.

PARAPHRASIS.

Ecclesiæ ministeria, beneficia, & Ecclesiæ, antequam vacent, nemini vel conferri, vel promitti possunt, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium se credit successurum: cùm enim in ipsis etiam gentilium legibus successionis pactio, vivente eo, cui succedendum, damnata sit, multò magis turpe, & non tolerandum censeri debet, si in Ecclesia parochiali futuræ successionis exspectatio locum aliquem habeat. Cùm autem Ecclesiasticas præbendas, & officia quælibet in Ecclesia aliqua vacare contigerit, non diu maneant in suspenso, sed intra 6. menses personis ad hoc idoneis conferantur. Quòd si Episcopus, quando ad eum collatio spectat, intra dictum tempus conferre intermiserit, ad Capitulum collatio ea vice devolvatur: sin autem ad Capitulum collatio pertineat, & intra tempus semestre conferre negligat, Episcopus, cum religiosorum seu Deum timentium virorum consilio conferat. Sin autem utrique neglexerint, Metropolitanus sine ipsorum contradictone conferre debet. Ita *Concilium generale Lateran. sub Alex. III. c. 8.*

SUMMARIUM.

1. *Gratiæ exspectativæ sacris Canonibus adversantur.*
2. *Sicuti pactum, seu promissio de hæreditate viventis non valet (nisi sub certis limitationibus) ita nec promissio beneficij non vacantis.*
3. *Debent tamen beneficia, si vacent, intra sex menses conferri, ad cavendam devolutionem (nisi circa certa quædam beneficia aliter statuant jura) ita ut mora purgari non possit.*

NOtandum primum. Gratiæ expectativæ, seu promissiones beneficiorum, dignitatum, & prælaturarum nondum vacantium sacris Canonibus adversantur. Consentit *c constitutus 11. infra hoc tit. Trid. concilium sess. 24. cap. 19. de reformatione.* & dixi de hac re *l. 1. tra 4. c. 10. n. 1.* At verò beneficij vacantis collatio ab eo, qui conferendi jus habet, promitti potest; quia per talem promissionem non acquiritur jus in re, ideò si alteri postea re ipsa conferatur beneficium, quamvis contra promissionem priorem, collatio valida censeri debet, *argum. L. quoties 15. de rei vindicatione. & c. sicut 22. de sponsalibus.* ubi dicitur, quòd sponsalia de futuro solvantur per sponsalia de præsente.

Notandum secundum. Pactum, seu promissio facta de hæreditate viventis non valet, tanquam, quæ bonis moribus repugnat. *L. donari 29. §. donationem ff. de donationibus. & L. ult. c. de pactis.* ubi dicitur

citur, quòd *omnes hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur, & plenæ tristissimi, & periculosi eventûs. Quare enim, quodam vivente, & ignorante, de rebus ejus quidam pacisscentes conveniunt?* Adde ex *L. 2. §. ult. ff. de his, qui ut indignis &c.* si quispiam cognati viventis bona, aut partem bonorum in eventum mortis ejus donaverit, hæreditate tanquam indignum privandum esse.

Limitari debet, prout *in cit. L. ult.* habetur, si is, de cujus hæreditate agitur, consenserit, & in eadem voluntate usque ad mortem permanserit, tunc valet saltem per modum donationis, mortis causâ factæ. Quin etiam inter vivos donationem quis facere potest rei præstandæ in morte, seu post mortem suam, ita, ut executio donationis ab hærede fieri debeat. *L. unicâ. c. ut actiones, & ab hæredibus* &c. & *L. scrupulosam 11 de contrahenda stipulatione §. post mortem, & §§. seqq. Institutis, de inutilibus stipulationibus & L. hæreditarium. 9. ff. de rebus auctoritate judicis possidendis.* ubi dicitur, quòd stipulatio post mortem promissoris concepta facit esse debitum hæreditarium, quia ab hærede peti potest, licèt à defuncto non potuerit, quia dies non cesserat.

3 Notandum tertium. Beneficia vacantia intra 6. menses conferri debent, alioquin devolutio fit ab Episcopo ad Capitulum, & vice versâ, ab his ad Metropolitanum, posteà ad Pontificem, & ideò devolutio interposito 6. mensium spatio gradatim fit, sicuti explicavi *lib. 4. tra. 2. c. 11. n. 5.* Devolvitur autem facultas pro ea tantùm vice conferendi ipso jure post tempus elapsum, ita, ut mora purgari non possit, etsi statim conferat collator. Prout dicetur *in c. quæ 5. hoc tit.* Et quòd in hoc casu mora purgari non possit, dixi in *c. 3. de suppleudâ negligentiâ Prælatorum.*

Porrò hæc constitutio locum non habet in Prælaturis Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium, in his enim vacatio ultrà tres menses durare non debet, alioquin, qui eligere debuerunt, pro ea vice privati existunt, & electio ad proximum superiorem devolvitur. Uti habetur in *c. ne pro defectu 41. de electione*, ubi id explicavi, & *in disp. de Prælatis. c. 9.*

CAPITULUM III.

Relatum.

Paraphrasis.

Clerici quidam acceperunt promissiones, seu gratias exspectativas ad beneficia proximè vacatura, & posteaquam ea vicârunt, ad Sedem Apostolicam extrajudicialiter appellârunt, ne aliis conferrentur. Ad hoc respondet Alexander III. cùm in Concilio Lateranensi ejusmodi promissiones sublatæ fuerint, appellationem istam attendendam non esse, quò minùs beneficia personis idoneis conferantur.

NOtandum. Adversus collationem beneficij, aut prælaturæ, ne ea fiat, appellare non potest is, cujus non interest, seu qui jus in beneficio non habet; cùm enim in casu hujus capituli promissio beneficij secundùm Canones irrita fuerit, ideò nullum ex ea jus constitutum est, consentit *L. 1. ff. de appellationibus recipiendis.*

CAPITULUM IV.

Proposuit.

Paraphrasis.

Cælestinus III. Papa mandaverat Præposito, & Capitulo Cameracensi, ut Ottum Presbyterum reciperent in Canonicum, & præbendam proximè vacaturam, quæ ad ipsorum collationem pertineret, eidem assignarent, constituto executore Decano. Verùm cùm Capitulum in recipiendo Tito contumax esset, Decanus eundem de præbendâ proximè vacaturâ auctoritate Apostolicâ investivit. Post mortem Decani vacavit præbenda, quam Capitulum alteri contulit.

tulit. Ea propter Titus ad Cælestinum III. accessit. Is, quod à Decano factum erat, ratum habuit, ideóque collationem Capituli alteri factam cassavit, Titum verò per annulum investivit. His relatis Innocentio III. Cælestini Papæ Successori, respondit is, licèt per plenitudinem potestatis Papalis de jure possit suprà jus dispensare, tamen nolle se investituram de præbenda vacatura, quæ à Decano contra Canonum statuta facta est, habere ratam. Veruntamen, cùm dictus Presbyter à Cælestino Papa non de vacatura, sed præbenda vacante investitus fuerit, eò quòd præbenda, posteaquam Capituli collatio irrita declarata fuit, vacâsse censeatur, ideò mandat Capitulo, ut amoto quolibet præbendæ detentore eam Tito cum plenitudine honoris Canonici assignet.

Summarium.

1. *Collatio præbendæ irrita est, si fiat alteri, quam Pontifex mandavit, conferendo Canonicatum.*
2. *In beneficialibus Papa censetur agere secundùm plenitudinem potestatis, quando agit contra statuta Canonum.*
3. *Institutio in beneficio absenti facta, & admissa tribuit quidem jus in re, non tamen possessionem.*

1 NOtandum primum. Si quispiam auctoritate Apostolicâ Canonicus creatus sit cum exspectatione præbendæ proximè vacaturæ, eáque postea vacans alteri conferatur, irrita est collatio hæc. *c. si postquam 13. de præbendis in sexto.*

2 Notandum secundum. Papa etiam in beneficialibus censetur agere secundùm plenitudinem potestatis, sive secundùm potestatem suam non ordinariam, sed absolutam, quando contra statuta Canonum agit, videlicet, ut quis investiatur super præbendâ vacaturâ: quia tamen talis dispensatio, seu Canonum relaxatio odiosa est, ideò ea non facilè utitur Pontifex; & universim loquendo, quòd Papa, aut Princeps quilibet in dubio censendus non sit secundùm potestatis suæ plenitudinem agere adversus jura, *ex hoc cap.* colligitur, & excommuni tradit *Gaill. lib. 1. observatione 14. n. 5.* contra jura, intellige propria, seu, quæ ipsi tanquam legislatori subjecta sunt, nam Princeps est suprà jus, prout videre licet apud Petrum Antonium de Petra *in tract. de jure consueto non tollendo per Principem c. 27. n. 1. & c. 28. n. 1.* at verò contra jura naturalia, aut divina Princeps, ipséque Papa dispensare non potest, qua de re dixi *in lib. 1. tra. 4. c. 22. n. 3.* & videri potest Petra *in cit. tra. c. 24.*

3 Notandum tertium. Investitura, seu institutio in beneficio, quæ in absentia rei fit, per annulum v. g. tribuit tantùm titulum, seu jus in re, non item possessionem corporalem. Ita sumitur *ex hoc c.* & docui *in disp. de Prælatis. q. 114.*

CAPITULUM V.

Quia diversitatem.

Paraphrasis.

Eboracensis Archiepiscopus accedens ad Innocentium III. Papam questus fuit, tametsi ad ipsum in Ecclesijs Diœcesis suæ collatio præbendarum, & confirmatio electionum pertineat, tamen tempore suspensionis suæ, & postea, quosdam sine auctoritate ipsius intrusisse se, in præbendas, & Prælaturas, confirmatione, & benedictione suâ non acceptâ: idcircò Papa Legato suo à latere mandat, ut illos, qui præbendas, vel dignitates ad Archiepiscopi provisionem spectantes, absque ejusdem auctoritate, in ijs Ecclesijs acceperunt, ad earum resignationem, prævià monitione, per excommunicationis censuram, & aliorum beneficiorum subtractionem, appellatione remotâ, compellat, non obstante confirmatione, si quæ à Sede Apostolicâ obtenta fuit, in forma communi, per quam beneficia,

cia, & præbendæ confirmantur, ficuti juſtè & pacificè poſſidentur; præterquam, ſi aliqui, vel ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ mandato, vel ex decreto Concilij Lateranenſis per devolutionem ad alium collatorem, juxta *c. 2. hoc tit.* beneficia adepti ſint. Veruntamen in ſemeſtri tempore, quo collatio beneficiorum fieri præcipitur, ne alioquin poteſtas pro ea vice conferendi aliò devolvatur, tempus ſuſpenſionis computari non debet; nam conſtitutio ea Lateranenſis contra negligentes promulgata eſt, ſuſpenſus autem, & ſi velit, tamen non poteſt beneficia conferre. Neque enim verò, quia ob culpam ſuam ſuſpenſionem contraxit, ideò ad Capitulum devoluta eſt collatio, ſed ad eum tantùm tempore ſuſpenſionis ipſius ſpectare debet conferendi jus, qui etiam non exiſtente collatoris negligentiâ conferre poteſt: ſed neque tempus illud, quo Archiepiſcopus ad Sedem Apoſtolicam acceſſit, apud eandem remanſit, & receſſit, in ſemeſtri ſpatio computari debet. Denique tempus ſemeſtre non à die vacationis præbendæ, ſed à die notitiæ ejus computari debet.

Summarium.

1. *Intruſus quis dicatur.*
2. *Actus, qui de jure non ſubſiſtit, non redditur validus per confirmationem in forma communi factam.*
3. *Præfixum in jure tempus non currit impedito facti, vel juris impedimento.*
4. *Epiſcopo ob excommunicationem impedito à collatione beneficij devolutio fit ad Pontificem.*

1 NOtandum primum. Qui beneficij Eccleſiaſtici poſſeſſionem, vel adminiſtrationem uſurpat ſine auctoritate ejus, qui conferendi jus habet, dicitur intruſus. De hoc etiam habetur *c. 2. de inſtitutionibus.*

2 Notandum ſecundum. Confirmatio in forma communi non reddit validum actum, qui de jure non ſubſiſtit. Nam confirmatio ſupponit *eſſe*, quia non entis non eſt qualitas; & confirmatio non eſt ſine ſubjecto. Ita etiam docui *in tit. de confirmatione utili, & inutili.*

Notandum tertium. Tempus à jure præfixum non currit impedito, facti vel juris impedimento. Id verò intelligi debet, ſi tempus definitum ſit in odium negligentiæ, prout explicavi *in diſp. de Prælatis q. 3.* ſecus autem dicendum, ſi tempus definitum ſit ob merum alterius favorem, *argum. L. genere ff. de his, qua notantur infamiâ.*

Corollarium. Tempus ſemeſtre, intra quod beneficia conferri debent, juxta *c. 2. hoc tit.* non currit ignoranti vacationem, quandoquidem is, qui ignorat, negligens, aut culpabilis dici non poteſt, prout annotavit *Gl. in c. 3. v. numerandum. de præbendis in ſexto.*

Notandum quartum. Si Epiſcopus, vel Archiepiſcopus propter ſuſpenſionem, vel excommunicationem beneficia conferendi poſſit, non fit devolutio poteſtatis ad Capitulum, vel Metropolitanum, ſed ad Pontificem pertinet interim Eccleſijs providere. Conſentit *c. 1. ubi id explicat Gl. in notandis, de ſupplendâ negligentia Prælatorum in 6.* Quare ſi Papa non provideat, & Epiſcopus à cenſurâ liberetur, ex eo tempore integrum ſemeſtre tempus habere debet ad conferendum, ut ante ejus lapſum ad Capitulum devolutio non fiat.

Intellige autem hæc, ſi poteſtas providendi ad Epiſcopum ſolum ſpectat; ſecus autem eſt, ſi ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul. *c. unicum. ne ſede vacante in ſexto.*

CAPITVLVM VI.

Cum noſtris.

Paraphraſis.

Significatum fuit Innocentio III. Præpoſituram Eccleſiæ Lauſanenſis tanto tempore vacâſſe, ut ſecundùm Lateranenſis Concilij conſtitutionem ejus collatio ad Pon-

Pontificem esset devoluta, eapropter Papa Episcopo, & Canonicis Ecclesiæ Lausanensis mandavit, ut dictam præposituram thesaurario Lausanensi conferrent, executores etiam super ea re constituens. Sed Episcopus, & Capitulum respondérunt Pontifici, Præposituram non vacare, quia licèt is, qui antea, præpositus erat, in Episcopum Ecclesiæ Sedunensis electus fuisset, tamen post consecrationem suam denuò à Canonicis cum assensu Episcopi Lausanensis ad Præpositurum electum fuisse, eámque, uti anteà, ab ipso possideri. Verùm hoc ipsum executores dicebant esse Juri Canonico repugnans, & ideò, eo non obstante, se Præpositurum, tanquam de jure vacantem, thesaurario contulisse. In hac controversia Innocentius III. auditorem dedit, qui decrevit, quod ab executoribus actum est, videlicet collationem thesaurario factam non subsistere; propterea, quòd litteræ per thesaurarium à Sede Apostolicâ impetratæ subreptitiæ fuerint, propter suppressionem veri, & suggestionem falsi; quandoquidem Præpositura de facto non vacabat, constat autem, possessionem plus facti habere, quàm juris. Porrò Innoc. hanc auditoris sententiam approbat, & mandat Episcopo Basileensi, & Abbati S. Mariæ, ut, nisi Episcopus Sedunensis ostenderit, sibi vel ex speciali Sedis Apostolicæ indulgentiâ, vel ex alia justâ, & necessariâ causâ Præpositurum post consecrationem suam collatam fuisse, ipsum ad resignationem ejus, si sponte noluerit, compellat. Deinde Capitulum Lausanense ad eandem Præpositurum thesaurario conferendam inducant.

SUMMARIUM.

1. *Etiam in electivis beneficijs sex mensium spatium, inter quod conferri debent, locum habet, exceptis Prælaturis cathedralibus & regularibus.*
2. *Non vacat Episcopatus per assecutionem alterius dignitatis, vel personatûs.*
3. *Collatio tamen Episcopo facta de inferiore beneficio, ordinarie irrita est.*
4. *In rescripto super beneficio, de jure vacante, à Pontifice obtinendo, debet fieri mentio possessionis de facto ab alio obtentæ, quamvis hæc colorata tantùm sit.*
5. *Neque enim absolutè vacare censetur beneficium, cujus alter adhuc possessionem coloratam obtinet.*
6. *Et hinc cum bona fide, & legitimi temporis decursu per remedium extraordinarium præscriptionis titulus etiam in beneficio tali acquiri potest.*
7. *Ita ut conferri tale beneficium non possit, in cujus coloratâ saltem possessione alter est, nisi hoc priùs citato, cognitio saltem summariè habeatur.*

NOtandum primum. Constitutio Concilij Lateranensis relata *in c. 2. hoc tit.* ne beneficia ultrà 6. menses vacent, alioquin collatio eorum ad alium devolvatur, locum etiam habet in beneficijs electivis, exceptis Prælaturis cathedralibus, & regularibus: harum enim vacatio tempore trimestri definitur, sicuti suprà dixi. 1.

Notandum secundum. Episcopatus non vacat per adeptionem alterius dignitatis, vel personatûs. Ita sumitur *ex hoc c.* & docui *lib. 4. tra. 2. c. 8. n. 3.* & notavit hîc *Abbas n. 4.* Ratio est, partim quia in materia odiosa nomine generali dignitatum, & personatuum, Episcopatus ob specialem prærogativam, & excellentiam comprehendi non censetur *in c. de multâ 28. de præbendis.* partim quia Episcopatus propriâ auctoritate renunciari, aut deseri non potest *c. 2. de translatione Episcopi*, sed neque à Papa renunciatio recipitur, nisi ex causis certis, quæ exprimuntur *in c. nisi cùm pridem 10. de renunciatione.* 2.

Notandum tertium. Episcopo, ordinariè loquendo, beneficium conferri non potest, ideóque irrita censetur collatio, sicuti ex 3.

ti *ex hoc Capitulo* colligitur, & *ex cap. cùm in cunctis 7. §. cùm verò de electione.* & docui *in cit. c. 8. n.* 4. Excipi tamen debet, nisi vel Papa specialiter dispenset, vel justa, & necessaria causa postulet, ut Episcopo v. g. exulanti, vel reditus sufficientes non habenti beneficium aliud, alioquin incompatibile, conferatur. *argum. hujus textûs.* & tradit *Abbas hic n. 7. & 15.* & docui *in suprà cit. loco.*

4 Notandum quartum. Si beneficium tanto tempore vacet, ut ob negligentiam inferiorum collatorum ejus collatio ad Papam devoluta sit, impetrari potest apud Sedem Apostolicam. Veruntamen licèt de jure vacaverit, si tamen defacto non vacet, quia alius est in possessione, eâque coloratâ, in hoc casu necessarium est, ut hujus rei mentio fiat in rescripto, alioquin subreptitium censebitur; tunc autem dicitur possessio colorata, si quis institutus sit à legitimo collatore, & institutio notoriè irrita non sit, ut in casu hujus cap. ubi Episcopo Sedunensi Præpositura collata fuit à Capitulo, assentiente Episcopo Lausanensi, sub prætextu justæ, ac necessariæ causæ. At verò si propriâ auctoritate, seu absque legitimi collatoris consensu, beneficium quis accipiat, pro intruso, & manifestè injusto possessore habendus est, ideóque hujus possessionis in rescripto mentionem fieri necesse non est; eâdémque ratione, si collatio facta sit alicui manifestum defectum habenti, ita, ut collatio notoriè irrita sit, tunc colorata possessio dici non potest, prout *Abb. hìc tradit n. 23.*

Addit verò non improbabiliter *Innoc. hìc n. 1.* si collator beneficium conferat alicui, qui per se habilis est, videl. cet Clericus, sed per accidens, quamvis notoriè inhabilis, v. g. irregularis, quòd devolutio collationis non fiat ad superiorem ratione negligentiæ secundùm constitutionem Lateranensem, sed ratione delicti, quia indigno facta fuit collatio *c. cùm in cunctis. cit. §. Clerici sanè de electione*, & dixi de hoc *in disp. de Prælatis c. 9.*

Notandum quintum. Beneficium absolutè loquendo non dicitur vacare, si Clericus in ejus possessione coloratâ sit, tametsi jus, ac titulus ejus non subsistat, propter occultum defectum, Ratio est, quia vacatio cãtentiam possessionis significat; possessio autem magis in facto, quam in jure consistit, ita tamen, ut si notoriam injustitiam habeat, in jure plerumque non attendatur, juxta ea, quæ docui *lib. 3. tra. 1. de justitia c. 8.*

Corollarium 1. Clericus cum bona fide, & legitimi temporis decursu beneficium possidens, quamvis institutio ejus retrò non fuerit Canonica, seu legitima, viâ præscriptionis illud acquirere potest, prout hìc rectè observavit *Panormitanus n. 6.* ubi ait, quòd possessio in beneficialibus haberi possit absque justo titulo: & ideò falsùm censeri debet, quod aliqui dixerunt, possessionem beneficij Ecclesiastici necessariò involvere titulum, seu causam proprietatis. Qua de re dixi *in disp. de restitutione spoliatorum.* Neque obstat his *c. 1. de regulis juris in 6. beneficium Ecclesiasticum non potest sine institutione Canonicâ obtineri*; id enim verum est ordinariè loquendo, non ideò tamen excluśum censeri debet extraordinarium usucapionis remedium.

Corollarium 2. Verba narrativa in rescriptis beneficialibus, quippe ambitiosa, verificari debent, non tantùm de jure, sed etiam de facto. Ita *Gl. hic v. non vacare.* Sed arbitror, hìc maximè attendendum esse, ut verba accipiantur, sicuti communiter accipi solent, & ita ponantur in supplicatione, ut statum rei Pontifex sufficienter intelligat; si enim aliquid non exprimatur, quod si cognitum fuisset, non ita facilè Papa, vel non tali modo concessisset, aut contulisset, rescriptum obreptitium erit *c. super litteris 20. de rescriptis* idque evenit in proposito casu, quia Pontifex non facilè, & absolutè thesauratio Præposituram contulisset, si sciviśset, Episcopum in pacifica, & coloratâ ejus possessione exis-

te-

re. Idque verum censeri debet, tametsi in rescripto executionis dictæ apposita sit clausula: *quolibet injusto detentore amoto*: quia, ut Abbas hîc monet, quæ apponuntur in litteris executoribus, non confirmant rescriptum adversus vitium subreptionis.

6 Notandum sextum. Beneficium, in cujus colorata possessione aliquis existit, non potest alteri conferri, nisi priùs ipso citato, & præcedente summariâ cognitione causæ cassatus sit color possessionis, sive ejus injustitia ostensa. Ita sumitur *ex hoc c. & exc. licet Episcopus 28. de præbendis in 6.* & admonet hîc *Panormit. n. 23.* ubi addit, secus esse dicendum, si possessio manifestè injusta sit, tunc necessarium non esse, in impetratione, aut rescripto mentionem ejus fieri.

Notandum septimum. Ex justa causa superior à Clerico suo beneficij possessore exigere potest, ut ejus titulum, & jus exhibeat, si videlicet jura possessioni ejus resistere videantur, ut quia incompatibilia beneficia tenet. *c. 3. de officio ordinarij in sexto.* vel si jus commune resistat, quia ni-mium pluralitatem beneficiorum, aut quia Episcopatum quis obtinet, quo cum alia beneficia, spectato jure ordinario, non consistunt, ut in casu hujus Capituli.

CAPITULUM VII.

Post electionem.

Paraphrasis.

Archidiaconatum Richemundiæ vacantem Eboracensis Archiepiscopus contulit Magistro Honorio, mandans Capitulo Eboracensi, ut ipsum reciperet; sed Capitulares parere recusârunt, quia Antecessor Innocentij III. Capitulo privilegium concessit, ut canonicorum, & personarum ordinatio, & collatio ad Archiepiscopum spectaret, ita, ut secundùm antiquam ejus Ecclesiæ consuetudinem idoneam, & honestam personam Decano, & Capitulo ad præbendam, vel dignitatem vacantem præsentaret. Sin autem contra consuetudinem aliquis introductus esset, pro Canonico, aut Persona non agnosceretur. Deinde si Archiepiscopus intra tempus sex mensium non conferret, Capitulum, Apostolicâ auctoritate, collationem faceret. Quia itaque contra hoc privilegium egisse videbatur Archiepiscopus, quandoquidem in literis Capitulo directis, nulla Decani mentio fiebat, ideò Capitulares mandatum exequi noluerunt; atque existimantes Archidiaconatûs collationem, tum propter Concilij Lateranensis constitutionem, tum propter privilegij Apostolici tenorem, ad Capitulum esse devolutam, Romanum de S. Cadmundo Archidiaconum fecerunt, investientes eum, & solenniter installantes: pro cessu verò temporis idem Archiepiscopus, postquam M. Honorius cum juramento Archidiaconatui, prout referebatur, renuntiavit, eandem dignitatem contulit dicto Romano, qui proinde tum ratione hujus, tum ratione antecedentis collationis à Sede Apostolica confirmationem petivit. His ita propositis Innocentius III. pro Magistro Honorio respondit, quandoquidem Archiepiscopus ipsi Archidiaconatum primitus contulit, ideóque dignitas ista, seu personatus, cùm vacaret, secundùm jurisdictionem, nec debuit, nec potuit in alium transferri, ideò suprà dicto Romano, qui contra justitiæ regulam Archidiaconatum alterius affectavit, silentium in hac causa imposuit, decernens, ut collatio M. Honorij, facta ab Archiepiscopo Eboracensi, effectum sortiretur. Veruntamen, si super renunciatione juratâ, vel alio quopiam aliquis adversus Honorium querelam habuerit, judiciario ordine experiri deinde poterit. 4

Summarium.

1. *Capituli nomine etiam Decanus comprehenditur.*

2. *Nullus*

2. *Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur, quamvis hæ sint inter se contrariæ.*
3. *Qui sciens alteri collatum beneficium, sibi conferri permittit, inhabilis fit ad hoc ipsum beneficium postea, si vacet, obtinendum.*
4. *Renunciatio beneficij, cui utiliter objiciatur?*

1 NOtandum primò. Nomine Capituli comprehenditur etiam Decanus, cùm sit pars præcipua Capituli, pars autem in toto continetur. Ita *Gl. hic v. mentio.* Et sumitur ex isto c. secundùm integram ejus lectionem, cùm enim rescriptum datum M. Honorio oppugnaretur, quòd in eo mentio Decani facta non esset, à quo investiri deberet, defendit se Honorius, eámque defensionem approbâsse videtur Pontifex, quòd licèt in literis Archiepiscopi Capitulo directis expressa mentio facta non esset Decani, non tamen excluſus videri poterat. At verò Prælatus nomine Capituli comprehendi non solet, sed Capitulum, & Episcopus, Conventus, & Abbas tanquam disparata, & unum in altero non contenta communiter accipiuntur, *secundùm Gl. receptam in Clementinam ut ij. de ætate & qualitate.*

2 Notandum secundò. Tametsi agendo, sive petendo in judicio non possit quispiam se fundare super diversis causis, seu titulis *L. 1. ff. de servo corrupto*, potest tamen se defendendo juxtà *L. nemo & ff. de exceptionibus. & juris regulam 20. in 6. nullus pluribus uti defensionibus prohibetur tametsi ea inter se contrariæ sint*, inquit *Gl. ibidem.* v. g. privilegij & præscriptionis, ita, ut si Abbas v. g. defendendo possessionem exemptionis suæ per privilegium contra ordinarium Diœcesanum in probatione succumbat, posteà per præscriptionem defendere se possit *c. auditis 15. de præscriptionibus* & tradit *Gl. in L. contra 16. L. de inofficioso testamento*, quòd habens duas exceptiones, si in una succumbat, ad alteram transire possit. Idquè sumitur ex hoc c. quando Romanus contra M. Honorium se defendens, non tantùm collationem Capituli, sed etiam, si ea fortè minùs valida censeretur, Archiepiscopi collationem allegavit, & à Pontifice confirmationem petivit.

Hinc Abbas *n. 5.* colligit cautelam, ut si dubites de valore factæ tibi collationis, novàm à Sede Apostolica provisionem petas non ideo enim censeris renuntiare collationi primæ, aut eam irritam fateri, cùm te per utramque defendere possis contra adversarem.

Notandum tertiò. Si beneficium uni collatum sit, & postea alteri collatio fiat, ea irrita est. Imò *secundùm Gl. hic v. resignationem* qui beneficium alteri collatum scienter accipit, inhabilis ad illud redditur, ita, ut sine dispensatione postea obtinere non possit, etiamsi vacet, prout etiam dixi *in cap. 1. in fine hoc tit.* Sin autem aliquis per ignorationem, & bona fide à legitimo collatore beneficium non vacans accipiat, petere deinde potest, ut beneficium quodcunque vacans sibi ab eodem conferatur secundùm *Gl. in c. 3. v. in alia causa 7. q. 1.* & signatur *in c. inter 17. de præbendis*, quòd conferens alicui præbendam, quam non potest, eâ evictâ, aliam, quam potest, conferre teneatur; idque ex Canonica quadam æquitate, quia adjuvati non, non decipi beneficio oportet *L. in commodato 17. §. antepenult. ff. commodati.*

Notandum quartò. Clericus, cui beneficium à legitimo collatore collatum est, potest agere judicio possessorio adipiscendæ possessionis, nec possessor beneficij objicere ei potest renunciationem, si fateatur, renunciationem factam fuisse, posteaquam sibi beneficium collatum erat; cùm enim per talem collationem beneficij non vacantis, nullum ipsi jus acquiri potuerit, repellitur exceptio ejus, tanquam cujus nihil interest, prout *Gl. hic* admonet *v. renunciationem.* Et sumitur *ex c. olim. 25. de rescriptis in fine.* Ex quo habetur, quòd non propterea, quia in controversia beneficiaria liti-

litigans ostendit alteri litiganti jus in beneficio non competere, hinc evincit, jus sibi competere, cùm fieri possit, ut neutri competat; quam ob rem usitatum est, ut litigans in tali casu impetrare possit à Papa gratiam provisionis novæ in forma *si neutri*. Veruntamen, si notorium fuisset, M. Honorium sponte renuntiâsse beneficio, tunc Papa non mandâsset collationem ipsi factam executioni mandari, propter vitium intrusionis vitandum, prout constat *ex c. 2. de causa possessionis & proprietatis*. Sed quia de hoc non constabat, & renunciatio liberè facta non præsumitur, & difficilioris probationis esse solet, ideo Pontifex mandavit in possessorio adipiscendæ pro Honorio esse pronuntiandum, reservatâ quæstione proprietatis, si propter factam renunciationem, aliâsve causam quispiam legitimè experiri vellet. Alioquin verò agenti possessorio adipiscendæ obstare solet exceptio defectus proprietatis, si ejus probatio in continenti facienda, ab adversario, seu possessore (dummodo jus opponendi se habeat) offeratur. *L. 3. §. ibidem ff. ad exhibendum* & tradit Gl. *communiter recepta in c. 1. v. contentionem de restitutione spoliatorum*. Secus autem est, si exceptio, quæ objicitur, altioris indaginis esse videatur, sicuti paulò antè dixi.

CAPITULUM VIII.

Cùm super.

Paraphrasis.

Controversia erat inter C. Clericum, Episcopum, atque Capitulum Ecclesiæ Tridentinæ; petebat enim Clericus præbendam sibi assignari, eò quòd in Canonicum ejus Ecclesiæ Cathedralis assumptus fuisset, sed Capitulum excipiendo proposuit adversus Concilij Lateranensis constitutionem receptum fuisse. Verùm Innoc. definiendo respondit: cùm id à Capitulo probatum non fuerit, imò verò allegando proprij facti turpitudinem, in hoc casu audiri non debeat, ideo dicto Clerico in eadem Ecclesia, cùm primùm se occasio obtulerit, præbendale beneficium conferendum esse, quia receptus in Canonicum præbendâ diu carere non debet.

Summarium.

1. *Potest agere contra Capitulum de præbenda sibi tribuenda, cùm occasio fuerit, si quis in Canonicum receptus sit.*
2. *Propriam turpitudinem allegans audiri non debet ordinariè, & nisi casus sint excepti.*

NOtandum primò. Receptus in Canonicum potest agere contra Capitulum, ut provideatur sibi de præbendâ, cùm se occasio obtulerit. Ita *Innoc. hic & Abbas n. 6.* nam Canonico debetur præbenda. *c. relatum 9. de præbendis*. Itaque habet jus, & actionem ad eam petendam; neque obstat, si quis objiciat, si obligatio sit contracta sub conditione, ante ejus eventum actionem non competere. *§. ex conditionali. Institutis de verborum obligatione*. Hanc autem videri obligationem sub conditione, si beneficiũ vacaverit &c. Respondetur enim, obligationem à Capitulo contractam non fuisse conditionalem, sed puram, & absolutam, licèt ad exequendi obligationem facultas, seu occasio requireretur, quæ fortasse se anteà obtulerat, & tamen vel verbo, vel re ipsa, seu conferendi omissione Capitulum negabat, Clerico præbendam deberi; & ideò agere potuit, & petere, ut contra Capitulum judicaretur: nisi dicere malis cum *Innoc.* hîc, Clericum istum petivisse certam præbendam, quæ cùm alteri jam collata fuerit, Pontifex eam collationem ratam quidem habuit, propterea, quòd receptio in Canonicum, facta à Capitulo, non afficiat præbendam proximè vacaturam, quò minùs valeat collatio, si alteri fiat; nihilominus Pontifex ex officio, & proprio motu, licèt ad hoc non ageretur, ju-

dicavit, Clerico dicto aliam præbendam, oblatâ occasione assignandam esse.

2 Notandum secundò. Allegans propriam turpitudinem audiri non debet. Ita hîc Papa respondit, exceptionem Capituli objicentis, quòd Clericum receperint per gratiam exspectativam vacaturi Canonicatûs, & ideo receptio, seu collatio irrita esse debeat, nequaquam admittendam esse, quia frustrà legis auxilium invocat, qui committit in legem. *c. quia 14. de usuris*, & nemo de improbitate suâ consequetur actionem *L. itaque 12. §. sed furtis ff. de furtis. c. inter 8. de donationibus.* Sunt tamen aliquæ exceptiones, de quibus *in c. ex tenore 13. hoc tit.*

CAPITULUM IX.

Literas.

Paraphrasis.

H. Clericus Canonicus erat in Ecclesia Collegiata S. Wiscardi Bremensis; postea creatus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis; ac demum consecutus Præposituram dictæ Ecclesiæ S. Wiscardi, cui Præposituræ præbenda canonicalis annexa erat; quia itaque prior canonicalis præbenda, quæ de jure vacare debebat, alteri intra tempus à jure definitum, collata non fuerat, sed eam Præpositus unà cum altera, quæ Præposituræ annexa erat, retinebat, D. Clericus eam à Pontifice, quia ad ipsum juxta Lateranense Concilium collatio devoluta fuerat, impetravit, constitutis super ea re executoribus; coram quibus comparens Præpositus allegavit consuetudinem generalem, secundùm quam idem plures præbendas possideret; addiditque, Archiepiscopum Bremensem non tantùm de Præpositura, sed etiam ipsa præbenda, cum Capituli consensu investituram fecisse. Executores, quid in hac causa agere deberent, Innoc. III. consuluerunt, si quis Clericus ad præbendam eligatur, utrùm ea, quam priùs habuit, vacare censeatur, an verò per sententiâ ei abjudicari debeat; & num fortè propter confirmationē Archiepiscopi existimandum sit, præbendam non vacare. Ad hæc respondet Pontifex, si res ita se habeat, sicuti executores retulerunt, præbendam, licèt non de facto, tamen de jure vacare, & ideo Præpositum ad ejus resignationem, remotâ appellatione, cogendum esse, & factâ resignatione, cùm etiam defacto vacare incipit, Dorotheo Clerico conferendam.

Summarium.

1. *Consuetudo, ut quis in eadem Ecclesia, & eodem tecto plura uniformia beneficia obtineat, reprobatur.*
2. *Collatio, aut confirmatio beneficij, quæ manifestè contra Canones est, non tribuit coloratam possessionem.*

NOtandum primò. Licet per consuetudinem introduci possit, ut aliquis Clericus plures Canonicatus obtineat in Ecclesijs diversis, ea tamen consuetudo reprobatur, si in eadem Ecclesia, sive sub eodem tecto plures Canonicatus, seu alia uniformia beneficia aliquis obtineat. Ita habetur *hic & in Clementina ult. de præbendis* ubi Glossa finalis singulariter admonet, quòd jura plus abhorrent à pluralitate præbendarum uniformium in eadem Ecclesia, quàm à duobus beneficijs curatis in diversis Ecclesijs; quandoquidem hæc pluralitas concessa est, jure annexionis, si videl. aliquis dignitatem, vel personatum curam Animarum habentem adeptus sit, cui parochialis Ecclesia unita, & annexa sit *c. super eo 6. de præbendis in 6.* Sin autem præbendatus aut Canonicus personatum cum cura, aut sine cura adeptus sit, cui similis præbenda, aut Canonicatus, qualem antea habuit, annexus sit, prior Canonicatus & præbenda ipso jure vacat. Ratio est, quia talis imminutio numeri præbendarum cedit in diminutionem cultûs divini, atque inde oritur, ut dum aliqui ex Clericis abundant, alij, qui æquè, aut magis idonei sunt, penuriam pati debeant.

1 Notandum secundò. Collatio, vel confirmatio beneficij, quæ manifestè est contra

tus Canones, non efficit possessionem colo-
ratam, si quis vi hujus collationis instituatur; quam ob rem hujus possessionis necesse non est fieri mentionē, in impetratione, aut rescripto, pro beneficio, quod tanto tempore vacavit, ut ejus collatio ad Sedem Apostolicam devoluta fuerit. Ita colligitur *ex hoc cap.* & dixi hoc ipsum *in c. cùm nostris 6. hoc tit.*

CAPITULUM X.

Ex parte.

Paraphrasis.

In Eccl'esia Astensi quædam præbendæ canonicales ampliùs quatuor annis vacârant, quas deinde Episcopus Clericis quibusdam contulit, sed instituti existimantes, collationem esse factam contra Concilium Lateranense, adeóque irritam, ad Archiepiscopum accesserunt, ab eóque aliam provisionem, & institutionem in præbendis impetrârunt; insuper etiam Capitulum Astensis Ecclesiæ assensum dedit, ut in possessionem mitterentur, tribus tantùm Capitularibus se opponentibus, atque dicentibus, quòd neque Archiepiscopi collatio valeret, quia & ipse intra tempus 6. mensium, à Canone indultum, in conferendo negligens fuerit; sed pars altera Capituli replicabat, tempus semestre non posse computari Archiepiscopo, nisi à tempore, quo de præbendarum vacatione cognovit. Postea autem utraque pars concorditer confessa fuit, in Ecclesia Astensi certum Canonicarum numerum non esse definitum, neque præbendas discretas. Quam ob rem Innoc. III. respondet, Concilij Lateranensis constitutionem de beneficiorum ultra 6. menses vacantium devolutione in præbendis istis locum non habere, nihil obstante, quòd fortasse Ecclesia Astensis Canonicorum defectum passa fuerit; ideò Innoc. III. definit, collationes tam Episcopi, quàm Archiepiscopi, quas jure devolutionis se fecisse existimârunt, irritas esse. Veruntamen, quia totum Capitulum institutos recipere desiderabat, tribus tantùm se opponentibus, sed nihil rationabile afferentibus, ideo mandat quibusdam, ut si Astensis Ecclesiæ suppetant facultates, secundùm hactenus observatam consuetudinem, dictos Clericos pro Canonicis haberi curent.

Summarium.

1. *Qui jure devolutionis beneficium confert, potest etiam in possessionem mittere.*
2. *Devolutio propter negligentiam ordinariorum collatorum, quomodo fiat?*
3. *Non est locus devolutioni, si determinatus numerus non sit in Ecclesia.*
4. *Unius etiam capitularis oppositio impedire potest, ne id decernatur, quod in Ecclesiæ damnum redundet.*

NOtandum primò. Qui beneficium con- 1
fert jure devolutionis, potest etiam provisum in possessionem mittere, aut saltem mandare, ut in possessionem inducatur ab ijs, quibus ex cujusvis Ecclesiæ consuetudine competit, quandoquidem introductio in possessionem est accessoria juri per Canonicam collationem acquisito. Prout *hic Abbas* annotat *n.* 1.

Notandum secundò. Collatio præben- 2
darum Canonicalium quandoque pertinet ad solum Capitulum, tunc autem, si per 6. menses, capitulares conferre intermittant, devolutio fit ad Episcopum; ab hoc post 6. menses alios ad Archiepiscopum, ita, ut & ipsi 6. menses competant, numerandi à tempore notitiæ habitæ, de vacatione præbendarum; quam ob rem contra provisum auctoritate Apostolica jure devolutionis ad Sedem opponi potest, Episcopum, vel Archiepiscopum ignorâsse electionem. Hæc omnia colliguntur ex hoc cap. & intelliguntur ex ijs, quæ dicta sunt in *c. 2. & in cap quia 5. hoc tit.*

Notandum tertiò. Si in Ecclesijs, in quibus reditus ad communem Capituli mensam pertinent, numerus Canonicatuum, & annexarum præbendarum determi-

na-

minatus non sit, non vacat Canonicatus, aut præbenda per mortem, aut renunciationem Canonici, sed potiùs extinguitur, quam ob rem non est locus devolutioni ad superiorem propter negligentiam collationis. Ita hîc habetur, & explicavi in *lib. 4. tra. 2. c. 16. n. 5.* ubi etiam docui, quòd Prælatus, & Capitulum, aut Conventus regularis à Superiore compelli possint, ut recipiant tantum numerum Canonicorum beneficiariorũ conventualiũ, quantũ spectatis Ecclesiæ cujuscunq; facultatibus comodè alere possunt; & in tali casu Superior præfigere potest terminum, intra quem ordinatio fieri debeat, cùm enim à jure tempus definitum non est, terminus ab homine, seu Superiore definitus censetur instar termini à jure definiti.

4 Notandum quartò. Si quid contra Canones, aut quod Ecclesiæ noxium sit, in Capitulo, aut Conventu, aut Collegio quolibet decernendum sit, aliqui pauci, vel unus solus se opponere potest, ne decernatur, & specialiter quidem, ne extraneus aliquis se immisceat actibus Collegij, v. g. electioni, si ipsi tale jus non competat, prout colligitur *ex hoc c.* ubi id tradit *Gl. V. opponere, ex c. 1. de his*, quæ fiunt à majore parte Capituli: & docui *in disp. de Prælatis. q. 69.* Ratio dari debet, quia cujusque capitularis interest, ut jura Collegij & Ecclesiæ suæ serventur.

CAPITULUM XI.

Constitutus.

Paraphrasis.

Episcopus Laudunensis Henrico Canonico facultatem concessit proximè vacaturam præbendam sacerdotalem conferendi. Posteà Archiepiscopus Remensis Apostolicæ Sedis Legatus, eidem Apostolicæ authoritate præcepit, ut ad sacerdotalem præbendam, quæ proximè vacatura esset, unà cum Capitulo aliam personam non reciperent, nisi quam dictus Henricus recipi vellet. Porrò ut Henricus magìs sibi caveret de hac facultate, ad Sedem Apostolicam iter arrepturus appellavit, ne præbenda sacerdotalis, quæ proximè vacaverit, alicui conferretur. Hæc cùm intellexisset Innocentius III. scribit Laudunensi Episcopo, & Capitulo, atque mandat, ut eam personam, cui suprà dictus Henricus præbendam proximè vacaturam conferendam existimarit, sine contradictione admittant; & Episcopus alteri, contra formam concessionis à se factæ Canonico Henrico, conferre non præsumat, alioquin irritum revocandum esse, si quid post appellationem â dicto Henrico interpositam attentatum fuit. Verùm quia ejusmodi concessiones, si in exemplum traherentur, in Sacrorum Canonum fraudem fieri possent, quibus prohibetur, ne beneficia Ecclesiastica concedantur, aut promittantur, antequam vacent, ideò declarat Papa, nolle se, ut occasione hujus mandati specialem gratiam continentis, talis licentia aliquibus in fraudem abuti volentibus, concessa sit.

Summarium.

Non potest Episcopus concedere licentiam conferendi beneficij vacaturi determinati.

NOtandum primò. Non potest Episcopus, aliúsve collator alicui concedere facultatem conferendi beneficia vacatura, sive, ut alijs verbis dicam, non potest Episcopus alicui delegare facultatem conferendi beneficia, nisi postquam vacant. Ita hîc decrevit Innocent. III. & habetur in c. *deliberatione 4. S. prohibemus de officio Legati in 6.* Ratio dari debet, quia tali facultate quispiam abuti posset in fraudem Concilij Lateranensis. *c. 2. hoc tit.* Si enim aliquis certum beneficium nondum vacans consequi cuperet, subornaret amicum, qui ab Episcopo ejus conferendi facultatem impetraret; eâque amici benevolentiâ fretus

mortem

mortem machinari posset beneficiario alicui ipse succedere cuperet. Excipe, quòd Episcopus, vel similis Prælatus generali suo Vicario committere possit facultatem conferendi beneficia indeterminatè, & in genere, non autem determinatè, & in specie, sive loquamur de determinatione beneficij, sive de determinatione personæ, prout fusiùs explicavi *in c. 2. de officio Vicarij in 6. & disp. de jurisdictione ordinaria concl. 99.*

Notandum secundò. Rescriptum Principis, quod gratiam specialem continet, non efficit jus commune, neque in consequentiam trahi debet, ut alijs in simili casu idem concessum censeri debeat.

CAPITVLVM XII.

Dilectus.

Paraphrasis.

Mortuo Episcopo cujusdam Ecclesiæ, cùm Canonici electionem differrent, Archiepiscopus existimans eligendi potestatem ad se devolutam esse, in Episcopum elegit Canonicum Guilielmum; id cùm Innocentio III. per eundem Canonicum suggestum esset, respondit Papa, quòd Canon Lateranensis Concilij ad Archiepiscopatum, vel Episcopatum se non extendat, sed tantùm ad personatus, & alia beneficia minora, & ideò postulante justitiâ se eam electionem cassare.

Summarium.

In materia odiosa nomine dignitatum non venit Episcopatus.

NOtandum. In materia odiosa nomine dignitatum non comprehenditur Episcopatus, cùm non sit simplex dignitas, sed culmen dignitatum *c. penult. de præbendis*, & ideò speciali expressione indigeat, prout etiam annotavi *in lib. 4. tra. 2. c. 4. n. 4.*

CAPITULUM XIII.

Ex tenore.

Paraphrasis.

Inter Clericum *I.* ex una parte, & Abbatem, atque conventum de Bello ex altera parte, controversia erat, super ipsius Clerici provisione; quam causam Clericus actor à Pontifice impetravit quibusdam committi. Coram his post litem contestatam dictus *I.* scripturam Abbatis & Conventûs produxit, in qua continebatur, quòd primò vacaturam Ecclesiam, quæ ad ipsorum spectaret collationem, ipsi conferre vellent; sed Abbas, & Conventus excipiendo dixerunt, hanc promissionem repugnare Concilio Lateranensi, ejusmodi exspectativas irritas decernenti. Hoc intellecto Innocentius III. pro Abbate, & Conventu pronuntiavit, ac mandavit, ut Abbas, & Conventus ab impetitione Clerici absolveretur, ipsique silentium super hac causa imponeretur.

Summarium.

1. *Casus, in quo propriam turpitudinem allegans audiendus est.*
2. *Referuntur complures similes casus.*

NOtandum. Licèt allegans propriam turpitudinem sive agendo, sive excipiendo audiendus non sit, sicuti habetur *in c. cùm super 8. hoc tit.* ne quispiam ex propria iniquitate commodum ferat *L. ita demùm 36. in principio. ff. de ijs, qui arbitrium* &c. & tradit Bartolus *in L. jusjurandum. §. procurator n. 5. ff. de jurejurando.* Fallit tamen hæc regula, si etiam actor in turpitudine versetur, eámque alleget, vel fateatur, tunc exceptio allegantis turpitudinem recipitur *L. 2. c. de conditione ob turpem causam. & regula 65. in 6. in pari causa, vel delicto melior est conditio possidentis.* Et hic est casus hujus Capituli. Cùm enim Clericus paciscendo de

beneficio proximè vacaturo deliquerit, reus conventus eum repellere potest, tametsi ipse quoque ejusdem delicti particeps fuerit. Videri potest Georgius Eberhardus *tom. 1. Consilio 36. n. 40.*

Casus autem dicti Capituli: *cùm super.* longè diversus est ab isto, nam in eo Capitulo Clericus non fundabat se super promissione Canonicatûs, sed nec eam confitebatur, ac proinde Capitulum allegans ejusmodi promissionem præcessisse, & ideò factam à se collationem, de jure repelli debuit; at verò in casu hujus Capituli, Clericus actionem suam fundavit super promissione facta seu expectativa contrà Lateranense Concilium, & ideò propriam turpitudinem allegans repelli potuit à Capitulo, licèt hoc in pari delicto existeret.

2 Aliæ quædam exceptiones sunt, in quibus propriam allegans turpitudinem audiendus sit, videlicet si periculum animæ vertatur, aut de honore Sacramenti agatur, ut in causa matrimoniali *c. Tertio loco. 13. de præsumptionibus. c. consanguinei 11. de sententia, & re judicatâ.* vel si agatur de injusto damno alterius, maximè Ecclesiæ, vitando, ut si Prælatus revocet alienationem rerum Ecclesiasticarum à se malè factam, allegans proprij delicti turpitudinem, quâ de re infrà.

CAPITULUM XIV.

Accedens.

Paraphrasis.

Abbas, & Conventus promiserant alicui Clerico, se collaturos ipsi beneficium, quando potuerint; cùm autem posteà intermitterent, Clericus ab Innocentio III. judices delegatos super ea re impetravit. Coram his comparentes Monachi exceperunt, quòd eâ promissione non teneantur, quia facta sit contra Concilium Lateranense, quò ejusmodi gratiæ exspectativæ irritæ declarantur. Hoc cognito respondet Papa, aliud esse, si Prælatus promittat, se beneficium collaturum, cùm potuerit, & aliud, cùm vacaverit, quandoquidem in pluribus casibus facultas conferendi offerre se potest, ita ut collatio non cadat sub exspectationem beneficij vacaturi. Et ideò mandat Pontifex, ut Abbas, & Monachi, cùm potuerint, dicto Clerico beneficium Ecclesiasticum assignent.

Summarium.

1. *Actio ex nuda promissione de Jure Canonico oritur.*
2. *Mutata hujus Capituli constitutio per c. 2. eodem in sexto.*

NOtandum primò. Ex nuda promissione acceptata secundùm forum Canonicum producitur jus, & actio, quare dixi *in c. 1 de pactis.*

Notandum secundò. Episcopus, & Capitulũ non prohibentur recipere Canonicũ cùm promissione, quòd præbendam ei conferre velint, cùm potuerint, aut cùm occasio se obtulerit, partim quia hæc conditio, & obligatio de jure inest, & ideò nova non imponitur; partim, quia per eam promissionem non datur gratia exspectativa beneficij proximè vacaturi, cùm aliæ occasiones providendi se offerre possint, v. g. per novæ præbendæ creationem, aut præbendæ divisionem, prout hìc notat Gl. n. *casibus.*

Notandum tertiò. Quòd hujus Capituli constitutio mutata sit *in c. 2 eodem tit. n. 6.* ubi decernitur, ut talis promissio conferendi beneficij, cùm occasio se obtulerit, vel cùm potuero, irrita sit, quia sub tali pollicitatione, tanquam pallio verborum, aperitur via ad promittenda beneficia vacatura contra Concilium Lateranense, & mortis alienæ votum ingeritur, Ecclesijs, ac Prælaturis, & Personis Ecclesiasticis gravamina plurima inferuntur; ideò prohibetur, & cassatur ibi quælibet talis promissio, sub quovis modo, aut forma verborum de cætero fiat.

Cæte-

CAPITULUM XV.

Postulastis.

Paraphrasis.

Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ consulit Innocentium III. si præbendarum collatio ad Archiepiscopum, & Capitulum conjunctim pertineat, & præbendas ultrà 6. menses vacare contingat, utrùm jus conferendi pro ea vice in solo Archiepiscopo permaneat. Ad id respondet Papa, in hoc casu neque ab Archiepiscopo ad Capitulum, neque à Capitulo ad Archiepiscopum, sed ad superiorem juxta Lateranensis Concilij constitutionem devolvi collationem; præterquam, si Archiepiscopus conferendi jus habeat cum Capitularibus, non ut Prælatus, sed ut Canonicus. Quamvis etiam in isto casu, si dolosè impediêrit, ne collatio fieret, dolus ei suffragari non debeat.

Summarium.

1. *Beneficiorum collatio ad varios spectare potest.*
2. *Devolutionis materia locum non habet in casu dolosi impedimenti.*
3. *Episcopus ex gratia speciali etiam ut Canonicus Capitulo suæ Ecclesiæ Cathedralis interesse potest.*

1 NOtandum primò. Beneficiorum collatio interdum pertinet ad solum Episcopum *c. 3. de institutionibus.* Interdum ad Capitulum solum *c. ex parte 10. hoc tit.* Interdum ad Episcopum, & Capitulum simul, ut hîc, & in *c. unico. ne sede vacante in sexto.* Interdum ad Prælatum inferiorem *c. ex tenore 13. hoc tit.* Idque propter Ecclesiarum consuetudines, aut privilegia. At verò spectato communi jure ad Episcopum pertinet collatio, & beneficiariorum institutio *c. cùm ex injuncto. 12. in fine de hereticis.*

2 Notandum secundò. Si collatio ad Episcopum, vel Archiepiscopum, & Capitulum simul pertineat, propter negligentiam conferendi intra tempus legitimum devolutio fit ad superiorem ipsorum, cùm enim tam Episcopus, quàm Capitulum in culpa, seu negligentia sit, ut ponimus, neutra pars inde commodum reportare debet; sin autem Capitulum beneficia conferre vellet, sed ab Episcopo impediretur, hoc casu non currit Capitulo tempus semestre, quò minùs etiam postea conferre possit. Sicut Joann. And. hîc docet *circa Gl. ult.*

Notandum tertiò. Episcopus, si ex gratia speciali etiam Canonicus sit in Capitulo Ecclesiæ suæ Cathedralis, tunc duplicem personam repræsentare potest, ut quibusdam actibus Capitularibus interfit, ut Episcopus, sive Prælatus; quibusdam verò, ut Canonicus. Quòdsi tanquam Canonicus interfit, non sedebit primo loco, sed post Præpositum, vel Archidiaconum secundùm Ecclesiæ cujuscunque consuetudinem, prout tradit *Gl. in c. à collatione 11. de appellationibus in 6.* ubi similis doctrina continetur, si Episcopus collationi beneficij interfit, ut Canonicus, & ab ea appellatur, ad eundem, tanquam Prælatum appellari posse. *argum. L. 1. § solent ff. quando appellandum sit.* Secus autem esse, si interfuit collationi tanquam Episcopus; cùm enim ipse collationem fecerit, quamvis cum Capitulo, ad eundem appellatio tendere non potest, quemadmodum nec devolutio ob negligentiam fieri ad eundem.

Notandum quartò. Si superior per dolum impediat, quò minùs inferior collationem faciat, cessare debet devolutio, ne videlicet proprius dolus alicui patrocinetur, aut ex propria iniquitate aliquis commodum ferat *c. sedes 15. de rescriptis.*

CAPITULUM XVI.

Cum dilecto.

Paraphrasis.

Intellexit Honorius III. quòd Comitissa Flandrensis fecerit provisiones de beneficijs nondum vacantibus, & eorundem

præsentationem alijs commiserit, ideò scribit Episcopo ac Præposito Cameracensi, & mandat eis, ut eas promissiones, & concessiones irritas declarent, atque inhibeant, ne talia inposterum attententur.

Summarium.

1. *Jus patronatûs ad mulierem pertinere potest.*
2. *Ad quem jus patronatûs spectet annexum rebus dotalibus.*
3. *Neque facultas præsentandi concedi potest ad determinatum beneficium, si nondum vacet beneficium.*
4. *Quare hic omittatur explicatio Capitulorum in sexto h. tit.*

1 NOtandum primò. Ad mulierem pertinere potest jus patronatûs, seu præsentationis ad beneficia; idque vel ratione fundationis, ædificationis, aut dotationis, quam ipsa fecit, & ideò jus patronatûs proprio facto acquisivit, vel ratione successionis universalis, fidei commissi, aut successionis particularis, videlicet emptionis, donationis juxta varios juris patronatûs transferendi modos, de quibus dixi *lib. 4 tra. 2. c. 13. n. 20.* & videri potest *Rochus de jure patronatûs. in definitione. V. ipse, vel is q. 6. Garzias p. 5. de beneficijs c. 9. n. 142.*

2 De eo verò dubitant Doctores, si jus patronatûs annexum sit rebus dotalibus v. g. villæ, quæ à muliere marito in dotem data est, num jus præsentandi, constante matrimonio, ad maritum pertinere debeat, an ad uxorem. Pro uxore responderunt hîc *Anton. & Abbas n. 8.* quia uxor manet domina rerum dotalium, licèt administratio, eáque plena, ad maritum spectet. *L. in rebus 30. C. de jure dotium.* Sed placet magis sententia contraria, quæ est *Rochi cit. V. q. 28. Lambertini de jure patronatûs p. 1. lib. 1. q. 5. a. 8. Garzia n. 159.* quòd ad maritum pertineat præsentatio, cùm ipse non sit merus administrator rerum dotalium, sicuti tutor v. g. rerum pupilli, sed secundùm Juris civilis fictionem, dum matrimonium durat, veluti dominus censeatur, secundùm omnes effectus, & commoda, præterquam si aliqua restrictio in jure expressa reperiatur, juxta *tit. L. in rebus junctâ Gl. v. naturali jure.*

Notandum tertium. Quemadmodum collatio beneficij non vacantis promitti non potest, sed neque ejus conferendi facultas concedi, ita etiam de præsentatione dicendum. Ratio dari debet, quia idem subest periculum, ne aliquis spe beneficij assequendi, ad quod se præsentandum, ideòque non repellendum, scit, beneficiario alicui insidietur. Cum hoc tamen non pugnat, quin Patronus, præsertim Laicus, generaliter committere alicui possit, tanquam procuratori suo facultatem præsentandi ad beneficia, si vacaverint, prout *Ioann. Andreas, & Abbas hic* admonet *n. 6.* dummodo id non fiat in fraudem; rationem dare debemus, quia id patrono nuspiam prohibitum in jure reperitur, nam versamur in materia permissoria, cùm communi jure cuilibet permissum sit generalem bonorum procuratorem constituere, propterea quòd usus procuratorum, cùm dominus rebus suis interesse non potest, perquam necessarius sit *L. 1. ff. de procuratoribus.* Quæ, *in eodem tit. lib. 6. decretalium* ponuntur Capitula, in ijs agitur de exspectativis, gratijs, & collationibus beneficiorum per concursum, & præventionem papalem, quæ cùm in Germania propter concordata inter Nicolaum V. & Fridericum Imperatorem sublata sint, ideò ijs omissis ad alium Titulum accedamus.

(o)

TITU-

TITULUS IX.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

CAPITULUM I.

Novit.

PARAPHRASIS.

Cælestinus Papa monasterium Glastonienſe erexerat in Eccleſiam Cathedralẽ, eámq; univit Eccleſiæ Cathedrali Bathonienſi, ita, ut idem eſſet Epiſcopus utriuſque; ſed Monachi querebantur, eam unionem in grave monaſterij præjudicium tendere, quia peream religioſa obſervantia pereat, eleemoſynæ, & hoſpitalitatis officia tollantur. Quam ob rem Innoc. III. Cælestini Succeſſor quibusdam mandavit, ut monaſterium ſub Prioris regimine eſſe curent, & Epiſcopo certam redituum portionem aſſignari, unio autem Eccleſiarum permaneat; at verò poſt obitum Epiſcopi Bathonienſis Prior & Conventus Glaſtonienſis denuo ſupplicârunt eidem Innocentio, quia tempus advenerit, ut abſque ſcandalo ruina monaſterij reparari, ſeu monaſterium reſtitui poſſet, præſertim cùm id ipſum Eccleſia Bathonienſis, & Rex cum magnatibus ſuis, atque Epiſcopi quidam cum multis Abbatibus peterent, ſupplicârunt, inquam, ut monaſterium, diſſoluta unione, ad priſtinum ſtatum à Prælato regulari gubernandum reduceretur. Verùm Innocentius III. reſpondit, conſiderare ſe, quòd vacante Epiſcopali Sede non debeat aliquid innovari, cùm nemo tunc adſit, qui Epiſcopalia jura tueatur; deinde, quòd videri poſſet plus perſonæ, quàm Eccleſiæ faviſſe, ſi unionem, quam vivente Epiſcopo Bathonienſi fecerat, eo mortuo ſtatim diſſolveret, ideò ſe petitionem Monachorum exaudire non poſſe. Cæterùm, poſtquam Bathonienſi Eccleſiæ Præſul ordinatus fuerit, dicti Prior, & Conventus jus ſuum perſequendi liberam habebunt facultatem; interim verò monaſterium ſub cura Prioris gubernari debet.

SUMMARIUM.

1. *Duobus modis poteſt Eccleſia erigi in Cathedralem.*
2. *Ad ſtatus Eccleſiarum mutandos moveri debet Pontifex, non perſonæ alicujus favore, ſed ob publicam utilitatem.*
3. *Alienationes rerum Eccleſiæ vacantis facere non poteſt Capitulum. Neque ea, quæ ex ſpeciali jure conveniunt, Epiſcopo, Capitulo conveniunt.*

NOtandum primò. Eccleſia Regularis erigi poteſt in Cathedralem, ſeu Epiſcopalem. Id verò duobus modis accidere poteſt. Primò, ut monaſterium proprium Prælatum habeat, à quo gubernetur, qui & Epiſcopus ſit, quamvis ad ejusmodi regularem Cathedralem Eccleſiam etiam non Profeſſus, videlicet Novitius, aut ſæcularis Clericus, eligi poſſit. Sicuti habetur *in c. nullus 28. §. ad dignitatem, junctâ Gl. v. regularibus de electione in 6.* Secundò. Ut monaſterium ſit alicui dignitati annexum, ita, ut quicunque eſt v. g. alicujus alterius Eccleſiæ Epiſcopus, vel Archidiaconus, ſit etiam Epiſcopus & Prælatus monaſterij.

Quod ut pleniùs intelligatur, advertendum, unionem monaſterij duobus modis fieri poſſe alicui v. g. Epiſcopatui. Primò ut prælatura, & tituli monaſterij omninò ſupprimantur, ſeu extinguantur. Secundò ut conventus, & Eccleſia regularis permaneat,

& idem sit utriusque Ecclesiæ Prælatus, idem videl. qui est Episcopus, ut Archidiaconus unius Ecclesiæ, sit etiam Episcopus, aut Prælatus Ecclesiæ regularis, conveniens tet *cap. Et temporis 48. causâ 16. q. 1.* Atque in hoc casu, si Prælatus, non in monasterio, sed in altera Ecclesia sæculari resideat, constitui debet Prior, seu Præpositus regularis, à quo professi immediatè secundùm regularem disciplinam regantur, ejúsque officium manet, tametsi Prælatus, seu Superior videl. Episcopus, aut Archidiaconus mortuus sit, & ideò sedes vacet. Iste est casus hujus Capituli, & videri potest *Gl. v. unendo*, & quæ docui *lib. 4. tra. 2. c. 9. n. 2.*

2 Notandum secundum. Pontifex ad mutationes Ecclesiarum, & status earum instituendos moveri debet non personæ alicuius favore, sed publica utilitate, atque ad aliud statuendum, quàm Ecclesiæ utilitas exigere videatur, nullâ quantumvis potentium supplicatione inclinari eum convenit.

3 Notandum tertiò. Tametsi ad Capitulum, vacante Sede, jurisdictio, & administratio rerum, ac jurium Episcopalium devolvatur. *c. his, quæ 11. c. cùm olim 11. de majoritate, & obedientia.* Alienationes tamen & donationes facere prohibetur *c. si qua de rebus 42. causâ 12. q. 2.* cùm Capitulum res Ecclesiæ vacantis conservare, non auferre, vel distrahere debeat. *C. hæc hujus 38. eadem q 2.* Quam ob rem dum Sedes, seu prælatura vacat, securum non est cum Capitulo de juribus Episcopatûs v. g. in judicio contendere, aut contractum, vel transactionem instituere, quia Ecclesia tunc defenso e caret, prout constat ex hoc *c. & c. ult. eodem tit.* nam cui alienare concessum non est, is rem in judicium deducere non potest, secundùm *Gl. in c. edoceri 21. v. debeant. de rescriptis.* Et erit in arbitrio Prælati postea electi, & confirmati, num acta per Capitulum, si necessitatis ratione non nitantur, approbare, vel improbare velit, sicuti in eadem *Gl.* annotatur *argum. c. 3. de his, quæ fiunt à prælato*, & habetur expressè *in ctt. c. si qua de rebus*, & docui fusiùs *in lib. 1. tra. 4. c. 7. n. 25.*

His adijcio, tametsi, Sede Episcopali vacante, Capitulum ad comitia imperialia admittitur, non tamen admitti Archiepiscopalis v. g. Moguntinæ Ecclesiæ Capitulum ad electionem Imperatoris, cùm id jus eligendi quibusdam Archiepiscopis ratione dignitatis eorum specialiter competat, prout annotavit Dominicus Arumæus de Comitijs fol. 193. Quòd autem Capitulum non succedat in ijs, quæ Prælato speciali jure conveniunt, docui *in disp. de jurisdictione ordinaria. q. 86.* & videri potest. *Honorius super hoc. tit. n. 7.* nam Capitulum succedit in jurisdictione, & administratione propter unionem, quæ est inter ipsum, & Episcopum, tanquam inter corpus, & caput. Hæc autem communio non intervenit secundùm ea, quæ Episcopo jure, ac privilegio speciali, ac veluti extrinseco, id est, in ordinariam non transeunte, competunt, prout colligitur etiam ex ijs, quæ docui de prælatis q. 102.

CAPITULUM II.

Illa.

Paraphrasis.

Vacante Ecclesia Cathedrali S. Leucini Capitulum existimans collationem prebendarum ad se devolutam esse, prebendam contulit alicui Clerico; postea Papa eandem contulit M. R. quem Capuanus Archiepiscopus ex mandato & auctoritate Apostolicæ Sedis investivit; quare inter hos duos provisos controversia orta, & ad Innoc. III. delata fuit; qui respondet, se collationem à se factam M. R. confirmare, non obstante priore collatione alteri facta per Capitulum, tametsi ea à Sede Apostolica in forma communi confirmata fuerit, cùm in jure cautum non reperiatur, quòd Capitulum vacante Sede, succedat in prebendarum collationibus;

nibus; sed neque dici possit, præbendarum collationem ob conferendi negligentiam ad Capitulum fuisse devolutam, cùm nemo prælatus tunc fuerit, qui eas de jure, vel de facto conferre posset.

SUMMARIUM.

1. *Confirmatio in forma communi non facit actum, de jure nullum, valere.*
2. *In collationibus liberis beneficiorum non succedit, vacante Sede, Capitulum.*
3. *Possunt tamen beneficia talia tum vacantia à Capitulo ad tempus commendari.*
4. *Devolutio tamen locum non habet, si non fuerit facta collatio debito tempore, vacante Sede.*

1 NOtandum primum. Si actus alicujus communitatis v. g. decretum Capituli de jure non subsistat, confirmatio Papæ in formâ communi non dat ei valorem, prout dixi latiùs *in tit. de confirmatione utili.*

2 Notandum secundò. Capitulum non succedit Episcopo in collationibus beneficiorum; id verò intelligi debet de collationibus liberis, non item de ijs provisionibus, quæ fiunt per confirmationem electi, vel institutionem præsentati. Ratio discriminis est, quia libera collatio inter meras gratias, ac donationes numeratur *c. ult. de officio Vicarij in 6.* eadémque ratione præsentatio alicujus ad beneficia *argum. c. ult. de concessione præbendæ.* At verò confirmatio, & institutio ex necessitate, atque justitiæ debito fiunt, si electus, aut præsentatus idoneus reperiatur, & ideò talia vacante Sede expedire ad Capitulum spectat *c. cùm olim 14. de majoritate.*

De eo autem dubitatur, num Capitulum, vacante Sede, conferre possit beneficia jure devoluto propter negligentiam, aut delictum inferioris collatoris. Affirmat *Ioann. And. in c. quamquam n. 2. de electione in 6. Abbas hic n. 3.* sed contrarium rectiùs tenuit Abbas sibi contrarius *in c. cum olim n. 2. de majoritate*, & traditi *in cit q. 102.* & confirmatur *ex hoc c.* quando dicitur, quod Capitulum, Sede vacante, conferre non possit beneficia, nisi in casibus jure concessis; itaque versamur in materia prohibitoria, ut, si concessum aliquid non reperiatur, prohibitum intelligatur, sicuti *Gl.* hîc monet *v. cùm nusquam ex c. 3. de translatione Episcopi.*

Porrò tametsi beneficia vacantia, quorum libera collatio ad Episcopum spectat, Capitulum, dum sedes vacat, conferre non possit, commendare tamen ea debet, seu administratorem interim statuere, quia id ad necessariam jurisdictionem, & Ecclesiæ gubernationem pertinet, sicut docet *Abbas hic n. 4.* generalem regulam tradens; quicunque Sedis, aut beneficij vacantis custodiam habet, is administratorem ponere potest; quod arbitror accipiendum etiam esse de potestate sæculari, ut si jus guardiæ, aut custodiæ ad ipsum pertineat, videl. ad Regem, aut Principem, tanquam advocatum, juxta *c. generali. 13. de electione in 6. Gl. in Clement. unica v. jurisdictio. de majoritate.* quòd possit administratorem in temporalibus ponere. 3

Notandum tertiò. Vacante prælatura non currit tempus definitum pro beneficiorum collatione, neque locus est devolutioni propter negligentiam; si enim nullus Prælatus sit, nulla ejus negligentia esse potest, ait *Gl. finalis hic.* Eadémque ratione, dum Ecclesia vacat, non currit contra eam præscriptio, cùm legitimo actore, & defensore careat *c. de quarta 4. junctâ Gl. v. caruisset de præscriptionibus.* 4

CAPITULUM III.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Episcopum Burginensem & Ecclesiam S. Mariæ de Castro forti; nam procurator Ecclesiæ petebat ab Episcopo restitutionem libertatis eligendi prælatum, & terrarum, ac rerum quarundam, quibus Ecclesiam spoliatam esse

esse dicebat; in hac causa coram judicibus delegatis post litem contestatam, factæ sunt positiones, & concessiones, atque testium receptiones; atque causa ita instructa ad Innoc. III. remissa fuit, tunc procuratoribus utriusque partis coram eodem Pontifice constitutis, postquam diu litigatum esset, interlocutione pronuntiavit Pontifex, quia testium depositiones, vacante Sede Burginensi, atque legitimo defensore destitutâ factæ fuerunt, ideò reprobandas esse.

Summarium.

1. *Interdicto possessorio agi potest etiam in rebus incorporalibus.*
2. *Vacante Sede de bonis, seu juribus Episcopatûs nec inchoari, nec continuari judicium potest ordinariè.*

1 NOtandum primò. In rebus incorporalibus, seu juribus, v. g. electionis, agi potest interdicto possessorio possessionis recuperandæ, aut retinendæ, videl. ut liberè & quietè Prælatum eligere liceat, sicuti priùs licebat. Ita sumitur *ex hoc c.* & consentit *c. 3. de causa possessionis.*

2 Notandum secundò. Vacante Sede, sive mortuo prælato non tantùm judicium, seu agendo, seu defendendo de bonis, ac juribus Episcopatûs inchoari non potest, sed neque inchoatum continuari, & ideò testium receptio v. g. quæ sede vacante fit, pro irrita habetur. Id tamen limitant Hostiensis & Joann. And. hic, nisi sint senes, aut valetudinarij, ut propter moræ periculum eorum testimonia recipienda sint, argu. *c. ult. post principium, ut lite non contestata &c.*

Coroll. Hæc causa est, cur mortuo Prælato procurator ad litem judiciariam constitutus revocatus esse censeatur, tametsi lis ante mortem contestata fuerit *juxta Clement. ult. de procuratoribus.* Ubi id *Gl.* notavit *v. revocari. Joann. And. hic n. 2.* Verùm *cit. Gl. post Innoc. in c. 1. n. 4. hoc tit.* existimat, quòd mortuo Prælato Conventus per syndicum agere possit, non tantùm de juribus proprijs Conventui (qua de re dubium esse non debet, & colligitur *ex c. 3. de causa possessionis & proprietatis*) sed etiam de juribus Capitulo & Prælato communibus; quod si verum esset, procuratoris potestas in hoc casu revocata non censeretur. Hanc ipsam constitutionem in utramque partem examinat *Zabar. in tit. Clement. ult. q. 7. Abbas* autem *hic n. 3.* absolutè negat, quòd Capitulum etiam circa jura communia in judicio agere possit per syndicum vacante Prælaturâ, consequenter etiam dicendum, mortuo Prælato revocari procuratoris mandatum. Et hæc sententia magis placet, cùm enim ad Prælatum administratio, & jus agendi in judicio, circa jura communia Ecclesiæ magis, quàm ad Capitulum, seu Conventum pertineat, ideò sine Prælato Capitulum agere non potest, prout constat ex ijs, quæ dixi *in c. cùm ri 21. de rescriptis*; quare si Ecclesia diu vacet, ut agere, vel defendere se in judicio necessarium videatur, curator, seu defensor constitui debet, secundùm *Innoc. in c. 1. n. 3. hoc tit. argum. L. 1. & 3. c. de curatore bonis statuendo*; sin autem sit Ecclesia Collegiata inferior, tunc Capitulum seu Collegium unà cum Episcopo, immediati Prælati vicem subeunte, in judicio agere, aut defendere Ecclesiam poterit, saltem si necessitas sit, aut vacatio diu duret, alioquin expectandum, donec Prælatus constituatur secundùm *Abb. hic n. 5.* argum. *c. n. pro defectu 41. de electione.* Adde, similiter propter necessitatem contractum instituti posse, Ecclesiâ vacante adhibitâ auctoritate Superioris, vel curatore Ecclesiæ constituto, prout videre est apud *Joann. Franciss. Pannum de potestate Capituli q. 8. p. 2.*

TITU-

TITULUS X.

DE HIS, QUÆ FIUNT A PRÆLATIS SINE CONSENSU CAPITULI.

CAPITVLVM I.

Irrita.

PARAPHRASIS.

Rei Ecclesiasticæ donatio, venditio, aut permutatio facta ab Episcopo sine approbatione, & subscriptione Capituli irrita est.

SUMMARIUM.

1. *Ad valorem contractûs circa res Ecclesiasticas de jure communi SS. Canonum requiritur scriptura.*
2. *Hujus tamen communis doctrinæ plures afferuntur limitationes, præsertim circa consensum, & subscriptionem Capituli ad validam alienationem.*

1 NOtandum primò. Ad substantiam, ac veluti formam alienationis rei Ecclesiasticæ, quæ immobilis est, aut mobilis pretiosa, & servando servari potest, requiritur consensus Capituli. De hac re egi *lib. 3. tit. 4 de justitia c.* 10. ubi docui *n.* 4. requiri etiam consensum, & auctoritatem Superioris.

Notandum secundò. Iste est unus casus, in quo spectato communi jure Ecclesiastico ad valorem contractûs requiritur scriptura, & subscriptio Capitularium. Alioquin verò traditur regula negativa ad substantiam contractûs non requiri scripturam, nim spectato jure naturali in consensu partium fundetur *L. pactum 17. C. de pactis Gl. inc. 1. v. in scriptis, de censibus in 6.* nisi id jure expressum sit. Veruntamen, licèt contractus cum Ecclesia institutus in scripturam redigi debeat, tamen non ubique receptum est, ut Capituli subscriptio accedat, sed satis esse censetur, si in instrumento manu notarij scripto de Capituli consensu mentio fiat.

Limitari debent, quæ dicta sunt, primò. Satis esse, si consensus Capituli postea superveniat, sive Capitulum alienationem præcedentem, cognitâ causâ necessitatis aut utilitatis, ratam habeat; idémque sentiendum de consensu Superioris. *argum. L. Julianus in §. si quis à pupillo ff. de actionibus empti*, ubi dicunt DD. quòd contractus initus cum pupillo sine tutoris auctoritate claudicat, quia obligat alterum contrahentem, si tutor postea consensum, & auctoritatem adjiciat. Item *argum. si qua de rebus causa 12. q. 2.* ubi dicitur, quòd contractum cum Capitulo celebratum, Sede vacante, successor consensu suo ratificare possit, prout dixi *in c. 1. me sede vacante &c.* Pro ratione assignare debemus Ecclesiæ favorem, nam quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. *regula 61. in 6.* & videri potest *Lex non eo minùs 14. de procuratoribus.* 2

Limita secundò. Quod ad donationem, vel alienationem, quam facit Episcopus de bonis mensæ suæ erga Capitulum suum Cathedrale, solennitas non requiritur, prout docet *G. in Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis v. Ecclesiam. Guilelmus Redoanus de bonis Ecclesiæ non alienandis rubrica 33. casu 10. Honorius super hoc tit. n. 5.* quia res manet in dominio Ecclesiæ propter unionem, quæ est inter Capitulum, & Prælatum, tanquam inter corpus & caput *c. novit 4. hoc tit.* & simile est, quod docent *DD. in L. voluntas. L. de fidei commissis*, si prohibita sit à patre alienatio fundi, non prohiberi fratrem, quò minùs fratri donet, vel aliter in ipsum transferat.

Addo tamen, talem alienationem rescindi posse à successore, ostenso, eam justâ ratione utilitatis, aut necessitatis nixam non fuisse, cùm Prælatus non sit dominus rerum prælaturæ, sed procurator, & administrator *c. 2. de donationibus.* Sed ex causa, justa videl. si mensa Episcopalis abundet, Capitulares autem indigeant, donatio fieri potest, etiam salvo juramento non alienandi sine licentia Papæ, cùm non sit propriè alienatio, prout notavit *Gl. in Clem. ult. v. Ecclesiam. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

Limita tertiò. Si Capituli consensus requiri non possit, quia v. g. belli tempore dissipatum est, tunc propter necessitatem alienatio fieri potest convocatis alijs Clericis, vel etiam in horum defectum alijs testibus. *argum. c. nullus. 39. causa 17. q. 4.* & videri potest *Abbas hic n. 7. Redoanus in cit. rubrica. casu 1. n 21.* ubi ait, si Prælatus solus, & absque Capitulo reperitur in Ecclesia, tantundem potest solus in alienatione bonorum, quantum cum Capitulo.

Limita quartò. Quòd Capituli consensus, & aliæ solennitates non requiruntur in alienatione rei modicæ, & parùm utilis, prout ex communi docet *Abb. in c. ult. n. 9. de Ecclesijs ædificandis*, & docui *in supra cit. c. 10. n. 5. in fine.*

Limita quintò. Quòd Episcopus, vel similis Prælatus de proventibus mensæ suæ alienando etiam possessionem aliquam possit Ecclesiæ, vel Monasterio ædificando, vel Xenodochio, aut pauperibus alendis subvenire, vel in similem pium usum expendere, dummodo quinquagesimam partem censûs non exhauriat, *c. Apostolicæ 9. de donationibus c. bona 74. causa 12. q. 2.* Et non requiri consensum Capituli, aliasque solennitates, cùm à Jure talis facultas concessa sit, dummodo Ecclesia abundet reditibus, & ideò in notabile ejus detrimentum non cedat, tradit *Gl. in cit. c. bona. Abbas in cit. c. ult. n. 14. Redoanus casu 9. Paulus Piascius in praxi Episcopali p. 2. c. 5. n. 27. Honorius super hoc tit. n. 5.* Veruntamen in quibusdam Ecclesijs Episcopus in capitulatione juramentum edere solet, quòd census annuos Episcopatûs non imminuet, aut nihil alienabit sine Capituli consensu: quo tamen nihil obstante, ex fructibus mensæ suæ, non contractis debitis, in pias causas erogare potest.

Limita sextò. Si evidens sit necessitas alienandi, & Superior consuli, aut consensus ejus postulari non possit, tunc non obstante juramento, quod v. g. Episcopi facere solent, non alienandi res Ecclesiæ, inconsulto Papa, alienationem instituere potest Prælatus propter necessitatem *argum. c. nullus ante cit.* & docuit *Abbas in cit. c. ult. n. 1. Piascius n. 28. Redoanus casu 8. n. 2.* ubi ait, neque Capituli consensum in tali casu requiri, sicuti, si res modicæ, & parùm utiles alienentur. Quâ eadem ratione, si Prælatus, vel Capitulum, Sede vacante, propter necessitatem, pecunias mutuas acceperit, Ecclesiamque obligavit, ostensâ ea necessitate, successor solvere tenetur, prout et communi docet *Redoanus casu 11. Piascius cit. p. 2. c. 5. n. 30. Abbas in c. 1. n. 1. de solutionibus*, & hoc notandum esse monet *Sylvest.* ijs, qui Superiorem habent in loco valde remoto degentem.

Limita septimò. Quòd Mendicantes, qui bona immobilia, & reditus possidere non possunt, talia sibi donata, aut legata sine ulla solennitate alienare possint, teste *Redoano rubrica. 33. casu. 3. n. 22.* ubi generalem regulam tradit, quòd solennitas, quæ exigitur in alienatione, tunc non est in obligatione, si fiat alienatio rei, quæ retineri non potest. Idem docet *Sa v. alienans n. 7.*

Limita octavò. Si res, v. g. domus, plus incommodi afferat, quàm commodi; quia plus in eam expendi debet, quàm exinde percipi possit, etiam absque solennitate alienari posse videtur, dummodo hæc causa notoria sit. Ita idem *Redoanus casu 11. argum. c. non licèt 20. causâ 12. q. 2.* Quia Prælatus tunc utiliter gerit Ecclesiæ negotium, & alioquin si talis alienatio prohibe-

vellet, consequens foret, ut, quod pro Ecclesiarum utilitate statutum, in earundem detrimentum tenderet. Consultum tamen semper est, tractatum præmittere, & consensum Capituli requirere *c. sine exceptione causa 12. q. 2* ita tamen, ut si causa alienandi evidens, & necessaria sit, Capitulũ repugnare non possit: quemadmodũ hoc idẽ dicitur de patrono Ecclesiæ, licèt ejus consensus in alienatione requirendus sit, si tamen causa & necessitas alienandi manifesta sit, quòd contradicere, aut opponere se non possit, cùm nec Patronus, nec Capitulum Ecclesiæ utilitatem, aut Prælati administrationem quatenus eam Ecclesiæ necessitas exigit, impedire queat, prout singulariter notavit *Abbas in c. cùm accessissent n. 5. de constitutionibus.*

Limita nonò. Quòd Prælatus fundum antea legitimè in feudum, vel emphiteusin concessum, & ad Ecclesiam liberè reversum, iterùm sine alia solennitate, modo simili concedere possit, etiam non requisito consensu Capituli, *Extravag. ambitiosæ Pauli II. Pontificis.* dummodo eadem causa concessionis durare videatur, & non cum conditione graviore Ecclesiæ concessio fiat, aque pensio augeatur, si fundus melior effectus sit, prout hanc rem explicat *Praesentsp. 2. c. 5. n. 20. Molin. tra. 2. de justitia disp. 466. n. 2.*

CAPITULUM II.

Continebatur.

Paraphrasis.

Abbatissa quædam cuidam nomine H. decimas concessit, Conventu non requisito. Postea verò, cùm concessio videretur irrita, sub alia forma eidem nova facta est concessio, Cum conventûs assensu. Dubitatum fuit, utra concessio valeret. Respondet Alexander III. priorem concessionem validam esse, si facta fuit Conventu sciente, & non contradicente. Sin autem conventus ignoravit, aut contradixit, secundam concessionem subsistere.

Summarium.

1. *Rerum ad Monasterium pertinentium administrationem habet Abbatissa.*
2. *Ad quam rerum Ecclesiæ alienationem à Prælato faciendam, temporalem tantùm, aut perpetuam, personalem, vel realem, requiratur expressus Capituli consensus?*

NOtandum primò. Abbatissæ competit administratio rerum ad Monasterium pertinentium, & earum, quippe Ecclesiasticarum, prohibita est alienatio, nisi fiat præcedente tractatu, & consensu Conventûs Sanctimonialium. Ita *Abbas hic n. 4.* ubi ait, quòd Abbatissa, non obstante sexu fœmineo, habet administrationem rerum monasterij, sicuti Abbas habet in monasterio virorum; consequenter, ordinariè loquendo, Abbates, & Præpositi Regularium non possunt se immiscere administrationi, sed habent tantùm visitationem, & regularis observantiæ curam cum spirituali jurisdictione. 1

Notandum secundò. In alienatione rerum Ecclesiasticarum temporali non requiritur Capituli consensus expressus, sed sufficit tacitus, quia taciturnitas Capituli scientis, & non repugnantis habetur pro consensu. Ita *Gl. hic* fermè communiter recepta à Canonistis. Veruntamen, cùm casus hujus Capituli non satis explicatus sit, ideò certa ex eo doctrina colligi non potest, sed necessè est, ut aliorum Canonum adminiculo hanc rem decidamus. 2

Itaque distingue. Si non perpetua, sed temporalis, sive ad certum tempus fiat alienatio, seu concessio, v. g. locatio fundi, num ea fiat ad tempus longum, videl decem annorum, aut ultra; an verò ad tempus non longum; & iterum, num locatio personalis tantùm sit, sive nomine proprio ipsius Prælati, Rectoris, aut beneficiarij facta, an verò realis, seu facta nomine dignitatis, aut Ecclesiæ.

Dico primò. Concessionem, seu locationem realem, sive nomine Ecclesiæ, ad tempus longum non potest facere Prælatus absque Capituli expresso consensu, & alijs solennitatibus jure requisitis. Ita colligitur *ex Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Et docent DD. *in c. nulli eodem tit.* quòd nomine alienationis rerum Ecclesiasticarum prohibitæ comprehenditur etiam ea concessio, quâ dominium utile, seu jus tantùm utilitatis transfertur, quod fit per locationem ad decem annos, vel ultra, *juxta Gl & DD. in c. ult. ff. si ager vectigalis, vel emphiteuticarius &c. Covarr. lib. 2. resolutionum c. 16. n. 1. Molin. tra. 2. disp. 445. n. 2.* Contractum quidem hoc tempus est à Paulo II. *in cit. Extravag.* ad locationem ultra triennium, ut etiam talis prohibita sit, perinde ac si ad tempus longum facta sit: sed eam extravagantem quoad hoc in multis regionibus non receptam esse, monui *lib. 3. tra. 4. c. 10. n. 5.*

Dico secundò. Prælatus absque consensu Capituli expresso, aliisque omissis solennitatibus fundum nomine Ecclesiæ, seu in utilitatem Ecclesiæ locare, aut concedere potest ad tempus breve, seu non longum. Ita sumitur *ex c. ult. ne Prælati vices suas &c.* Et idem fortasse est intellectus hujus Capituli, & tradit *Covarr. lib. 2. resolutionum c. 15. n. 6.* Ratio est manifesta, quia ad Prælatum pertinet administratio rerum Ecclesiæ; atqui ad administrationem ac bonam œconomiam spectat, ut fundi, cùm proprio labore excoli frequenter non possint, alijs elocentur pro pensione. Accedit, quòd hæc locatio propriè non sit alienatio, cùm nullum jus dominij transferatur in conductorem, seu colonum, itaque in ea non requiruntur solennitates juris statutæ pro alienationibus rerum Ecclesiasticarum.

Nihilominus spectato communi jure in talibus Capituli consilium requiri debet, sed non ideò Prælatus illud sequi tenetur, nisi Capitulum ostendat locationem Ecclesiæ noxiam esse; atque de tali locatione, seu concessione, quæ sciente Capitulo, aut saltem non rationabiliter repugnante facta fuit nomine Ecclesiæ, dicitur, quòd eâ Successor stare teneatur, sicuti dicitur *in cit. c. ult.* & bene declarat *Covarr. cit. c. 15. n. 6.* Si Rector alicujus hospitalis (nam bona hospitalis, auctoritate Episcopi constituti, inter pia, & Ecclesiastica numerantur) ad annum tantùm constitutus, ipsius fundum locaverit ad triennium, vel aliud tempus jure concessum, obligari Successorem ad locationis contractum servandum, quamvis, si Ecclesia læsa sit, restitutionem in integrum petere non prohibeatur.

Advertendum tamen, quòd in *Concilio Tridentino Sess. 25. c. 11. de reformatione* prohibitæ sint illæ locationes, quæ fiunt ad plures annos per anticipationem pensionis, eò quòd in Successoris detrimentum, si interim Prælatus locans moriatur, cedere soleant.

Dico tertiò. Si reditus ex fundo ad Prælatum, seu mensam ejus propriè spectans, non requisito Capituli consensu, concessionem, seu locationem facere potest pro tempore vitæ suæ *argum. c. veniens 8. ubi Abbas n. 1. de transactionibus. & idem Abbas hic n. 7.* Ratio dari debet, quia nullum contrahitur periculum seu Ecclesiæ, seu Successori, quia locatio expirat per mortem concedentis, seu locantis, cùm sit personalis, seu dependens à vita concedentis tanquam usufructuarij. Vide, quæ docui in *cit. c. veniens, & lib. 3. Moralis Theologiæ tra. 4. c. 10. n. 9. & videri potest Alexander de Nævo super Abbate in cit. c. nli. n Prælati vices suas &c.*

CAPITVLVM III.

Cùm nos.

PARAPHRASIS.

Alienatio rei Ecclesiasticæ facta ab Episcopo, Capitulo contradicente, irrita est, & à Successore servari non debet, nisi eam Capitulum postea ratam habuisset.

SUMMA.

SUMMARIUM.

1. *Factam à Prælato alienationem potest ex intervallo postmodum approbare Capitulum.*
2. *Ita, ut alienatio talis valere censeatur ab initio.*

1 NOtandum. Alienationem factam à Prælato Capitulum consensu suo, etiam postea, sive ex intervallo interposito approbare potest. Ita *Gl. hic ferme communiter recepta. V. ratam. Innoc. in c. dudum, n. 3. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, & dixi *in c. 1. limitatione 1. suprà hoc tit.* Idémque censeri debet de Judicis, seu Superioris decreto, & auctoritate, in alienationibus, aut transactionibus videlicet rerum immobilium factis nomine minorum; item de domini consensu in feudi alienatione, satis esse, si postea consensus adijciatur etiam ex intervallo secundùm *Bartolum in L. si quis mihi §. jussum. n. 5. ff. de acquirenda hæreditate*, & expresè tradit *Baldus in L. cum ipse n. 5. L. de contrahendâ emptione.*

Sed obstare videtur *L. obligari §. tutor junctâ Gl. V. debet. ff. de auctoritate tutoris. & §. tutor Institutis eodem tit.* ubi dicitur, quòd tutor consensum & auctoritatem statim in ipso negotio præstare debet, vel in continenti, seu non ex intervallo. Respondetur tamen cum *Gl. marginali hic ex Baldo cit. n. 5.* esse id specialiter constitutum de pupillo, propterea, quòd spectato civili jure pupillus non censeatur habere consensum, nisi per consensum tutoris veluti informetur. Quare nisi in ipso negotio concurrat tutoris consensus, valere non potest, quod agitur. Id verò intellige in ordine ad obligandum pupillum, seu firmandum contractum ex parte pupilli. At verò ad obligandum alterum contrahentem voluntas tutoris etiam postea accedere potest juxta *L. Julianus 13. §. si quis à pupillo. ff. de actionibus empti*, & dixi *in c. 1. hoc tit. limit. 1.*

2 Quæres. Num alienatio facta à Prælato sine consensu Capituli, si is postea unà cum tractatu superveniat, censeatur ab initio fuisse valida; an verò ex tempore adhibiti consensûs. Posteriorem partem tenet *Abbas hic. n. 5.* & sumitur *ex reg. 18. in 6. non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*; quando respondet, contractum per supervenientem consensum convalescere, & non per solum tractum temporis, sicuti in regula negatur. Rationem dare debemus: licèt enim actum, qui ab initio irritus est, impossibile sit, ita convalescere, ut ab initio valuerit, nisi fortè secundùm juris fictionem; secus tamen dicendum, si actus spectato jure naturali valuerit propter adhibitum consensum domini, aut legitimi administratoris, licèt propter omissam solennitatem spectato jure positivo non subsistat, tunc enim solennitas hæc postea supervenire, & ita actus omnimodè confirmari potest, perinde ac si ab initio etiam positivo jure valuisset *argum. L. 1. C. de contractibus judicum.*

CAPITVLVM IV.

Novit.

PARAPHRASIS.

Episcopus, aliúsve Prælatus cum Canonicis, aut Fratribus suis unum corpus facit, cujus ipse caput est, & alij membra. Quare non decet, ut Prælatus omissis membris aliorum consilio in Ecclesiæ tractandis negotijs utatur, cùm id honestati, & SS. Patrum statutis contrarium sit. Quam ob rem displicet Alexandro III. quòd Jerosolymitanus Patriarcha sine Fratrum suorum consilio, Abbates, & Abbatissas, aliásque Ecclesiasticas personas instituat, & destituat. Id verò Pontifex deinceps fieri Apostolicâ auctoritate prohibet, insuper tales institutiones, ac destitutiones irritas esse decernit.

SUMMARIUM.

1. *Communitas sive collegium est quòddam corpus fictum in favorabilibus*

etiam venient sub nomine, quisquis, *non autem in odiosis.*

2. *Suæ Ecclesiæ negotia majoris momenti cum consilio sui Capituli ordinariè peragere debet Episcopus, nisi præscriptio, aut alia notabilis causa aliud suadeat.*
3. *Ita ut sapiùs non sufficiat consilium, sed consensus requiratur.*

1 NOtandum primò. Communitas, sive collegium est quoddam corpus fictum, ac veluti persona ficta : quam ob rem in favorabilibus, si materia sub ecta permittat, per vocem, *quicunque*, etiam Capitulum, aliæque legitimæ communitates, sive collegia comprehenduntur ; secus autem dicendum de dispositione odiosa, cùm communitas non sit propriè persona, prout annotavit *Abbas hic n. 1. argum. c. grave 29. de præbendis.* Ubi specialiter exprimitur, suspensionem ibi latam generaliter de Capitulis etiam esse intelligendam. Quòd verò vocula, *quis, quicunque*, si materia subjecta, & identitas rationis permittat, etiam fœmineum sexum comprehendat, legi potest *in L. 3. §. hæc verba ff. de negotijs concessis.*

2 Notandum secundò. Episcopus negotia Ecclesiæ, etiam institutiones, & destitutiones Prælatorum cum consilio Capituli sui peragere debet ; alioquin, quod agitur, tanquam contra canonem actum pro irrito haberi debet *juxta L. non dubium C. de legibus* & tradit *Gl. finalis hic.*

Excipe primò. Nisi in Ecclesijs sit præscripta consuetudo, ut Episcopus aliúsve Prælatus negotia tractet, & jurisdictionem exerceat, non requisito Capituli consilio *c. 3. de consuetudine in 6.* Excipe secundò. Si negotia exigua, seu parvi momenti sint, per solum Episcopum, seu Prælatum expediri possunt, sicuti *Abbas hic* docet *n. 6.* & indicat *Innoc. in c. ult. n. 2. de majoritate.* Ratio est, quia ad Prælatum solum administratio, & cura Ecclesiæ pertinet. Excipe tertiò. Quòd propter causam rationabilem v. g. revelationis periculum, etiam in arduis Prælatus Capituli consilium requirere non teneatur, *secundùm eundem Abb. hic. n. 6.*

Cæterùm in alienationibus rerum, & cæteris negotijs, quæ communiter ad Prælatum, & Capitulum pertinent, aut in quibus Capituli specialiter interest, denique quotiescunque Ecclesiæ, vel Successoribus præjudicium generari potest, non sufficit consilij requisitio, sed plerumque etiam consensus requiritur, prout docui in *disp. de jurisdictione ordinaria.* ubi de jurisdictione Episcopi. Et tradit *hic Abb. n. 7.* At verò in alijs negotijs expediendis, si sit dissensus inter Capitulum, & Prælatum, magis decet, ut membra capiti se conforment, quàm ut caput membris insentetia, ac voluntate adhærere debeat.

CAPITULUM V.

Quanto.

PARAPHRASIS.

Intellexerat Alexander III. quòd Patriarcha Jerosolymitanus in beneficiorum collationibus, confirmationibus, & alijs Ecclesiæ negotijs tractandis, posthabitis Canonicis, aliorum Clericorum, & Laicorum consilio uteretur, interdum etiam Canonicorum absentium nomina concessis privilegijs subscribi faceret, ea propter admonet hic Patriarcham, ut negotia talia cum fratrum suorum seu Canonicorum, vel sanioris partis eorum consilio pertractet, & quæ statuenda sunt, statuat, atque errata corrigat, absentium autem nomina subscribi non sinat, cum talia instrumenta irrita sint, & ipse Patriarcha de crimine falsi argui possit.

SUMMARIUM.

1. *Negotia suæ Ecclesiæ cum suis Canonicis agere debet Episcopus ;*
2. *Adhibendo saltem eorum consilium.*
3. *Qui absentium nomina, tanquam præsentium, instrumento adscribi jubet, reus habetur de crimine falsi.*

Notan-

NOtandum primò. Reprehensionem meretur, si Episcopus, omissis Canonicis fratribus suis, negotia Ecclesiæ cum aliorum Clericorum, aut Laicorum consilio peragat. De hoc dixi *in c. præcedente.*

2 Notandum secundò. Satis esse videtur, si Episcopus in tractandis Ecclesiæ negotijs utatur consilio partis sanioris Capituli, seu eorum Capitularium, qui magis idonei sunt ad consilium dandum: nam ita magis satisfit Sacrorum Canonum intentioni. Ita sumi videtur *ex hoc cap.* & est indubitatum, si consuetudo talem consultandi modum confirmet: quid autem de jure communi, dicam *in c. sequente.*

3 Notandum tertiò. Crimine falsi tenetur is, qui nomina absentium testium, tanquam præsentium, aut absentium Canonicorum, tanquam qui præsentes consensum dederint, instrumento apponi facit. Ita hîc, & *in Lege qui veluti 13. Cod. ad legem Corneliam de falsis &c.* Et tale instrumentum irritum est, prout hîc dicitur, & explicat *Gl. finalis.* Quare jure cautum, ut testium subscriptiones per comparationem scripturæ recognoscantur, *Authent. de instrumentorum cautione, & fidei collatione. 6.* Veruntamen necessarium non est, ut testis, qui subscriptionem, aut sigillum apponit instrumento, sciat, quid in eo contineatur *L. hac consultissima 21. eod. de testamentis. L. Cajus 39. ff. de pignoratitiâ actione.* Nisi instrumento notarius inseruerit, in præsentia testium partes v. g. contraxisse. Porrò si testis instrumento, in quo aliquid in præjudicium ipsius continetur, sciens subscribat, cùm reclamando impedire posset, censetur consentire, & approbare *secundùm Gl. in cit. L. Cajus V. non obesse. versiculo tu autem dicas. Abbas in c. in litteris. n. 5. de transactionibus.* & adde, quæ ibi dixi, & suprà *in c. 2. hoc tit.*

CAPITULUM VI.

Ea noscitur.

Paraphrasis.

Cùm in quadam provincia jus præsentandi ad Ecclesias Parochiales pertineret ad Collegia Regularium, Abbates per se, vel missis litteris personas idoneas Episcopis præsentárunt, sed Monachi, antequam eæ receptæ essent, vel postea, contradixerunt. Ad hoc respondet Cœlestinus III. præsentationes in hoc casu ad Prælatos non aliter spectare, nec validas esse, nisi fiant ex consensu Conventûs. Quare si constiterit, consensum Conventûs, vel majoris, & sanioris partis ejus, non interveniisse, institutiones rescindi debere, præterquam, si approbatâ consuetudine, aut per privilegium concessâ libertate, Abbates ostenderint, in Ecclesiarum aut beneficiorum suorum collationibus conventûs Consensum requirendum non esse.

Summarium.

1. *Potest quidem præsentatio ad beneficium fieri ab absente, per litteras v. g. vel procuratorem; qui præsentatur tamen, personaliter præsens esse debet.*
2. *Si præsentatio ad Prælatum, & Conventum communiter pertineat, non valet ea, quæ à solo Prælato v. g. fit, nisi Conventus consentiat.*
3. *Et quidem major hujus, & sanior pars.*
4. *Habet tamen Prælatus Regularis magis liberum, & à Conventu independens in multis administrationis, & jurisdictionis exercitium.*
5. *Ita tamen, ut hæc doctrina suas etiam exceptiones patiatur.*

NOtandum primò. Præsentatio Clerici ad beneficium fieri etiam potest ab absente per litteras, aut per procuratorem: qui autem præsentatur, debet esse personaliter præ-

præsens ; id enim ipsa vox præsentationis postulat, ut videri, cognosci, & examinari possit, num idoneus sit, qui præsentatur, prout *Gl.* notat *in Clement. 2. v. præsentari de sepulturis.* Si tamen persona anteà satìs nota sit, existimat *Abbas hìc n. 3.* valituram præsentationem factam de absente.

2 Notandum secundò. Si præsentatio ad beneficium communiter pertineat ad Prælatum, & Conventum, ea non valet, neque exinde consequens institutio, nisi Conventus consenserit. Idem pari ratione dicendum de beneficiorum collatione, *argum. C. unici. ne sede vacante in 6.* Verùntamen *Gloss. hìc. V. contradicunt, & Abbas* existimant, satis esse, si Conventus tacitè consentiat, quia scit, præsentationem, aut collationem à Prælato fieri, & cùm possit impedire, aut se opponere, non contradicit, secundùm doctrinam fermè communiter receptam *in c. 2. hoc tit.* quòd in alienationibus parùm præjudicialibus & non perpetuis sufficiat tacitus Capituli consensus. Ego verò arbitror, distinguendum esse, utrùm ad solum Prælatum præsentatio spectet circa consensu Conventûs, tunc vera est doctrina : an verò ad Prælatum & Conventum communiter *juxta cit. c. unicum.* tunc non sufficit consensus tacitus, quia in ejusmodi actibus legitimis, cujusmodi sunt electio, præsentatio &c. quæ verbis, aut scripto explicari debent, non supplet consensus tacitus, secundùm doctrinam Baldi in *L. patruus. n. 15. ff. communia utriusque judicij. Sylv. v. consensus. q. 1.*

3 Notandum tertium. Non sufficit, ut major pars Capituli alienationi consentiat, nisi etiam sit sanior. Volo dicere : etiamsi major pars consensum præbeat, quòd nihilominus minor pars sanior se opponere possit, ostendendo Ecclesiæ damnum proventurum *juxta c. 1. tit. sequentis*, & ideò non incongruè etiam legitur in textu hujus *cap. majoris, vel sanioris partis*, quia, etiamsi major pars Capituli dissentiat, potest tamen pars sanior ostendere alienationis utilitatem, ac necessitatem, & ita contra partem majorem obtinere. Ita *Gl. hìc v. majoris.* Communiter verò, quando ad actum aliquem expediendum requiritur Capituli consensus, intelligi debet de parte majore Capituli *juxta cit. c. 1.*

Quæres : Utrùm in monasterijs Prælatus regularis ita negotia Ecclesiæ agere debeat cum consilio Fratrum seu Conventûs, sicuti Episcopus, aliúsve Prælatus sæcularis cum consilio Canonicorum, spectato communi jure. Respondetur, quòd Abbas, sive Præpositus regularis magìs liberum, & à Conventu independens administrationis, & jurisdictionis exercitium obtinet, quàm alij Sæculares Prælati. Sumitur ex *cap. nullam 9. causa 18. q. 2. quæ ad cultus divini reverentiam, vel ad utilitatem monasterij pertinent, Abbatis solicitudo, ad quem totam potestatem pertinere convenit, debet adimplere*, ubi *Gl. v. totam*, ait, quòd solicitudo ita pertinet ad Abbatem, ut non pertineat ad Monachos ; Et Abbas eodem allegato textu ait *hìc n. 4.* quòd tota potestas monasterij est penes Abbatem. Idem tradit *Imola in c. cùm ori.* Ibidem *Abbas n. 2. de rescriptis. Sylv. V. Prælatus. q. 5. Tabrena V. Abbas n. 11.* ubi ait : quòd castigatio Monachorum ad Abbatem pertinet, neque tenetur Capituli consensum requirere. Non obstat, inquit *Tabrena*, quòd Episcopus non corrigat Clericos sine Capituli consensu, aut consilio ; nam sicuti per consuetudinem contrarium introduci potest, ut Episcopus Capitulum non requirat, ita per regulam Ordinis à Pontifice approbatam introductum est, ut coercitio ista, & aliorum monasterij negotiorum cura Prælato soli incumbat, idque convenienter statui Religiosorum, qui per votum obedientiæ Prælato in humilitate penitùs subijciuntur. *c. non dicatur 11. causa 12. q. 1.*

Excipe primò. Quòd in alienationibus rerum Ecclesiasticarum consensus Capituli, seu Conventûs Regularis necessariò requiritur *c. 2. hoc tit.*

Excipe

Excipe secundò. Quòd in negotijs valde arduis Conventûs consilium requiri debet, nisi causa rationabilis excuset, quò minùs requiratur, secundùm Sylv. *cit. loc.* vel nisi consuetudo præscripta alicubi sit, ut Prælatus, ne in his quidem Conventûs totius, sed aliquorum tantùm v. g. seniorum, seu majorum consilium requirat. Quâ ratione *Abbas ait hic n. 4.* quòd per consuetudinem creatio Monachi ad solum Prælatum pertinere possit, licèt secus sit de jure communi, propterea, quòd singulorum interesse videatur, quinam in Conventum recipiantur.

CAPITULUM VII.

Cum Apostolica.

Paraphrasis.

Inter Capitulum S. Stephani, & Monachos de Platea controversia orta fuit, super decimis, in qua compromissum est in Archipresbyterum, & Magistrum Scholarum. Bituricenses Monachi proposuerunt decimas sibi à quodam milite donatas, & donationem ab Archiepiscopo Bituricensi, tanquam Diœcesano, confirmatam fuisse, ideóque ipsos auctoritate S. Hieronymi defendendos, qui ad Damasum scripsit, (sicuti Gratian. refert *in c. ult. causa 16. q. 1.* quamvis in scriptis Hieronymi non reperiatur) si aliqua fuerint malè detenta à Laicis, quæ divini juris sunt, & in usum transeant Monachorum, Episcopo præbente consensum, constabunt eis omnia perpetuâ firmitate: sed pars adversaria allegabat consensum Episcopi absque Cleri consensu non sufficere ex Leonis I. auctoritate *in c. sine exceptione 52. causâ 12. q. 2.* decernentis, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri consensu, atque tractatu id eligat, quod sit profuturum Ecclesiæ. His utrinque allegatis dubitârunt arbitri, & Innoc. consuluerunt, si decimas, quas Laicus detinebat, Ecclesiæ conferat, num ad confirmandam donationem Episcopi auctoritas sine Cleri consensu sufficiat. Respondet Papa, Laicum decimarum detentorem monendum esse, ut eas Ecclesiæ restituat, ad quam de jure spectant; sin autem induci non possit, & alteri Ecclesiæ, præsertim Religioso Conventui, donare consentiat, donationem cum Diœcesani consensu perpetuò firmam fore, nam auctoritates, seu Canones allegati, licèt diversi sint, non tamen adversi, seu contrarij; cùm aliud sit alienare rem, quæ ab Ecclesia possidetur, aliud verò rem, quæ à Laico detinetur, ad usum Ecclesiæ revocare. In alienatione illa Episcopi consensus sine Cleri consensu non sufficit juxta Leonis I. Canonem. At verò in revocatione secundùm Hieronymi sententiam, sufficit consensus Episcopi, cùm etiam per hanc revocationem Ecclesiæ consulatur. Accedit in Consilio Lateranensi sub Alex. III. inhibitum fuisse, ne personæ religiosæ Ecclesias, aut decimas sine Episcopi consensu à Laicis accipiant, quâ loquendi formâ per obliquum indicatur, Episcopi consensum sufficere; id verò de ijs decimis intelligendum, quæ Laicis in feudum perpetuum concessæ sunt.

Summarium.

1. *Cum Diœcesani consensu, nihil requisito Capitulo, potest monasterium v. g. retinere decimas, in feudum Laico concessas, ante Concilium Lateranense, & hic, & nunc monasterio traditas.*
2. *Argumentum à speciali ad tacitè excludendum aliud speciale, sive, ut alij loquuntur, argumentatio ad sensum contrarium in jure efficax est.*

NOtandum primum. Si Laicus decimas, quas in feudum à Prælato Ecclesiastico habet, ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. acceptas, velit alteri Ecclesiæ, vel monasterio, à quo feudum non recognoscit, assignare, id fieri potest cum Diœcesani consensu, etiam non requisito consensu Capituli. Ratio redditur in textu, quia hæc non censetur alienatio, sed potiùs revocatio rei Ecclesiasticæ ad Ecclesiam saltem universalem, ad quam principaliter spectat, prout annotavit *Suarezius to. 1. de religione lib. 1. de divino cultu c. 26. n. 13.* Oportet tamen distinguere; vel enim Laicus ante Lateranense Concilium decimas justè obtinuit à Prælato in feudum datas, vel detinuit injustè. Hoc posteriore casu moneri, &, si fieri possit, induci debet, ut eidem Ecclesiæ, ad quam de jure pertinent, restituat; sin autem adduci non possit, tunc Episcopus loci consentire potest, ut alteri Ecclesiæ, vel monasterio donentur, cùm præstet, decimarum jus apud aliquam Ecclesiam, aut monasterium esse, quàm apud Laicum; & ideò altera Ecclesia, ad quam decimæ de jure pertinerent, propter bonum publicum, & auctoritatem Prælatorum Ecclesiasticorum rationabiliter contenta esse debet, sicuti si miles calicem consecratum abstulisset ex Ecclesia aliqua, & vel non posset, vel nollet eidem restituere, induci posset cum Episcopi consensu, ut alteri Ecclesiæ daret *argum. hujus textûs.* Sin autem decimas justè, & cum legimis requisitis, accepit in feudum, tunc iterum distinguendum. Vel enim eas reddere vult Ecclesiæ proprietariæ, à qua habet, & potest suo arbitratu, etiam non requisito Episcopo. *argum. c. 2. §. sanè de decimis in 6. ubi Gl. tradit*; sin verò alteri Ecclesiæ, aut loco Religioso, Episcopi consensus accedere debet, prout habetur *in cit. §. sanè & c. 3. de privilegiis* propterea, quòd Laici de rebus Ecclesiasticis, cujusmodi est jus decimarum, absque Prælati Ecclesiastici auctoritate disponendi facultatem nullam habent *c. 1. & sequentibus causa 16. q. 7.* At verò post Lateranense Concilium Prælatis præter Romanum Pontificem, concessum non est, decimas in feudum dare Laicis, quam ob rem, si cognitum sit, post illud tempus decimas Laico sine Romani Pontificis consensu datas fuisse, eas Laicus omnino restituere debet Ecclesiæ, ad quam pertinent. Verumtamen si particulari Ecclesiæ illi, ob quamcunque causam, etiam injustitiam, & violentiam Laici, restitutio facienda non sit, tunc in alteram Ecclesiam, maximè monasterium, seu Religiosorum congregationem, cum Episcopi auctoritate transferri posse colligitur ex textu *hujus cap. & cit. c. ult. causa 16. q. 1.*

Notandum secundò. Efficax in jure est argumentum, quod dici solet à speciali ad tacitè excludendum aliud speciale, illud vocari solet argumentatio ad sensum contrarium. Si enim legislator de uno affirmavit, de altero præterito indirectè negâsse censendus est, quando ita materia comparata est, quòd etiam alterum expressisset, nisi excludere voluisset, ut in proposito exemplo, cùm Concilium Lateranense in translatione decimarum à Laico ad Ecclesiam, vel monasterium Episcopi consensum dixerit esse necessarium, nullâ factâ mentione Cleri, indirectè censetur negâsse consensum Cleri necessarium esse. Verumtamen si ex sensu contrario absurditas quædam sequeretur, aut alterius Legis correctio, tunc huic argumentationi locus non est; prout admonet *Gl. finalis in c. de multa 28. de præbendis*; quòd lex non censetur sublata, nisi ei expressè derogatum, seu revocatio expressa sit.

CAPITULUM VIII.

Tua nuper.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Innocentio III. num Episcopus, seu electus, cum Archidiacono sine Cathedralis Capituli consensu, ve-

ne-

cantem Ecclesiam parochialem, monasterio alicui, habenti in ea Parochia jus patronatûs, donare, & incorporare possit. Respondet Papa ex decreto Leonis I. *in c. sine exceptione 52. causâ 12. q. 2.* quòd Episcopus sine Cleri totius tractatu, & assensu res Ecclesiasticas alienare non possit. Cùm itaque ejusmodi perpetua collatio, donatio, & incorporatio parochiæ, facta monasterio, alienationis species sit, sequitur eam ab Episcopo sine Capituli sui tractatu & assensu fieri non posse.

Summarium.

1. *Non debet absolutè vocari Episcopus, qui legitimè quidem electus est, nondum tamen est consecratus.*
2. *Unio Parochialis Ecclesiæ monasterio in perpetuum facta, censetur alienatio.*

1 NOtandum primum. Episcopus, antequam consecratus sit, non debet absolutè vocari, sed cum addito *electus*, Episcopus. Ita sumitur *ex hoc c.* & docui *in disp. de Prælatis. q.* 138. ubi simile quid dixi de Romano Pontifice & Imperatore, & *q.* 153. *de Archiepiscopo ex c. 3. de auctoritate, & usu pallij.*

2 Notandum secundum. Si parochia monasterio uniatur in perpetuum, censetur esse alienatio, ideóque requiruntur ordinatiæ juris solennitates: hodie autem tales uniones Episcopi facere non possunt, ob Trident. constitutionem *sess. 24. c. 13. de reformatione.*

Corollarium. Cùm summus Pontifex non facilè soleat juribus Ecclesiarum detrahere, & alienationes facere, ideò in unionibus parochiarum, si quæ fiant monasterijs, Episcopi & Capituli Cathedralis, aliorúmque, quorum interest, consensus requiri solet ante unionem.

CAPITULUM IX.

Pastoralis.

Paraphrasis.

Episcopus Heliensis quæsivit ex Innocentio III. posteaquam decreto Dionysij Papæ *in c. 1. causa 13. q. 1.* Parochiæ divisæ sunt, ita ut singularum obventiones in usus cujusque Ecclesiæ necessarios, atque ministrorum sustentationem cederent, utrùm concessum sit Episcopo sine Romani Pontificis auctoritate, vel saltem sine Capituli sui consensu, Religiosis conferre alicujus Ecclesiæ Parochialis proventus, Vicario sustentatione necessariâ reservatâ. Præterea, cùm in Lateranensi Concilio sub Alexan. III. *c. 7. §. prohibemus.* prohibitum sit, ne Ecclesijs novæ pensiones imponantur, aut veteres augeantur, num Episcopo liceat cum Patroni consensu totam Ecclesiam Parochialem, aut portionem aliquam ejus de novo conferre Religiosis in proprietatem. Ad hæc respondet Papa, neque prius, neque posterius posse facere Episcopum absque Capituli sui consensu, nisi Romanus Pontifex licentiam tribuat. Interim verò salva manet constitutio Canonica *C. Bonæ rei 72. causâ 12. q. 2.* quòd quinquagesimam partem redituum Episcopus ad causas pias applicare possit. De hoc dixi *in c. 1. limitatione 5. hoc. tit.*

Summarium.

1. *Oblationes, & subventiones, quæ fiunt intra fines Parochiæ, pertinent ad Parochialis Ecclesiæ Fabricam, & rectoris, ac aliorum ministrorum sustentationem.*
2. *Ut alij Ecclesiæ indigenti subveniatur, potest Episcopus cum consensu Capituli, Ecclesiæ abundanti pensionem imponere.*

1 NOtandum primò. Oblationes, & obventiones, quæ fiunt intra fines Parochiæ, pertinent ad Ecclesiæ Parochialis fabricam,

bricam, & rectoris, atque reliquorum ministrorum sustentationem. Exinde inferunt *Anton. & Abbas hic. n. 2.* si ad ædes hominis Laici, aut privatæ personæ imago sacra constituta esset, ad quam fideles oblationes deferrent, eas pertinere ad Ecclesiam Parochialem, intra cujus fines ædes sitæ sunt, nam oblationes istæ hoc ipso, quòd fiant ob Dei cultum, pertinent ad Ecclesiam, & sunt sub administratione Rectorũ, & Prælatorum Ecclesiæ. Plura de hoc dicentur *in c. 3. de Ecclesijs ædificandis.*

2 Notandum secundò. Episcopus cum consensu Capituli potest Ecclesiæ abundanti reditibus pensionem imponere, aut veterem augere, ut alteri Ecclesiæ, vel beneficiario alicui indigenti, aliúsve necessitatibus succurratur. Ita sumitur *ex hoc. c.* & docet *S Thomas 2.2. q* 100. *a.4. ad 4.* quem allegavi *lib.4. tra. 2. c.19. q. 3. editione 3.* ubi etiam explicavi, an & quâ ratione Episcopi in Germania tales pensiones imponere soleant, videlicet ex causa justa, vacante beneficio, & ad tempus durantis necessitatis; alioquin verò Romanæ curiæ consuetudo ejusmodi pensionibus adversatur, sicut ibidem docui.

CAPITULUM ULTIMUM.

Etsi membra.

Paraphrasis.

Capitula Ecclesiarum Cathedralium Senonensis Provinciæ questa sunt apud Innoc. III. quòd Archiepiscopus Senonensis, & Coëpiscopi procuratores missos à Capitulis ad Concilium Provinciale admittere noluerint ad tractatum, eo intellecto Papa rescribit, & mandat, ut Capitula ista ad Concilium invitentur; & eorum nuncij ad tractatum admittantur, maximè in ijs negotijs, quæ ad ipsa quoque Capitula pertinent.

Summarium.

1. *Capitula Ecclesiarum Cathedralium ad concilia provincialia invitari debent.*
2. *Non tamen spectato jure communi, vocem decisivam habent, nisi eorum propriè casus aliquis intersit.*
3. *Et hinc aliud est tractatus, seu discussio alicujus materiæ, aliud decisio illius, sive sententia, aut consensus.*

NOtandum primò. Ad Concilia Provincialia Ecclesiarum Cathedralium Capitula, invitari debent, ita, ut si personæ, vel per procuratores suos adveniant, etiam ad tractatus admitti debeant; maximè in ijs negotijs, in quibus etiam ipsorum Capitulorum interest, nam quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. *29. Reg. in 6.* Adverte primò. Quòd Capitula invitari debent; nam cogi non possunt ad veniendum, nisi alia sit Ecclesiarum consuetudo. Secundò, quòd Capitula Cathedralia, licèt ad tractatus, & consultationes admitti, debeant, tamen vocem decisivam spectato communi jure non habent, nisi eorum propriè interest, ita, ut consensus requirendus sit.

Videri etiam potest *Trident. sess. 24. c. 2. de reformatione*, ubi præcipitur, ut Metropolitanus, eóque impedito Episcopus antiquior quolibet triennio synodum cogere non prætermittat, quò Episcopi omnes, & alij, qui de jure vel consuetudine interesse debent, exceptis ijs, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omninò teneantur. Qui autem præter Episcopos de jure vocari, & venire debent, perinde ut Episcopi, sunt Prælati ij, qui similem Episcopali jurisdictionem obtinent, teste *Azor tom. 2. lib. 3. c. 47. q. 2.* Alij autem Abbates, ac Præpositi propter consuetudinem provinciarum talem accedendi obligationem, & jus decidendi in Provinciali Concilio habere possunt, teste eodem *Azor cit. to.* Ordinem autem sessionis in Concilio Provinciali videre licet apud Zerolam in praxi *p. 2. v. concilium. & in declarationibus super cit. c. 2.*

Notandum secundò. Aliud est tractatus, seu discussio alicujus causæ, & negotij, & aliud electio, sententia, aut consensus,

sus, prout *exc. 2. dist. 63.* colligitur; tractatus enim præcedit, hæc autem sequuntur, quare si ex statuto, vel mandato aliquis ad tractatum admitti debeat, hinc tamen consequens non est, quòd vocem decisivam, aut suffragium quoque habere debeat. Circa *Gl. finalem* dicendum, quòd Laici potestate præditi, Concilijs interesse possint, tanquam testes, patroni, ac defensores, non item, ut ipsas controversias fidei, aliáque Ecclesiastica negotia tractent, multò minùs decidant *argum. c. 2. dist. 63. & notavit Joann. And. hic in fine c.* atque tradit S. *Ambrosius lib. 5. epistolâ 32. ad Valentianum Augustum.* Agnovit Gratianus imperator in epistola lecta in Aquilien. Concilio. Theodosius, & Valentinianus junior in epistola ad Concilium Ephesinum. Nam Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent *c. 2. de judicijs.*

TITULUS XI.

DE HIS, QUÆ FIUNT A MAIORE PARTE CAPITULI.

POstquam dictum fuit de negotijs Ecclesiæ, quòd à Prælato cum Capituli consilio, & in quibusdam casibus cum consensu ejusdem tractari debeant, sequitur, ut de ijs jam negotijs, quæ proprie ad Capitulum spectant, agatur.

CAPITVLVM I.

Cùm in cunctis.

PARAPHRASIS.

Quandoquidem ratio dictat in cunctis Ecclesijs id, quod pluribus, & sanioribus Fratribus visum fuerit, sine cunctatione observandum esse, ideò grave, & dignum reprehensione est, quòd in aliquibus Ecclesijs interdum pauci non tam ex ratione, quàm propriâ voluntate Ecclesiasticam ordinationem impediunt, & procedere non permittunt, quare *in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. c.* 16. decretum fuit, ut nisi pauciores, & inferiores rationabiliter aliquid objecerint, atque ostenderint contrarium, id quod à majore, & saniore parte Capituli statutum fuerit, remotâ appellatione semper prævaleat, & effectum suum consequatur. Neque constitutioni isti obstare debet, si quispiam ad Ecclesiæ suæ consuetudinem conservandam se juramento astrictum proponat, cùm non juramenta, sed potiùs perjuria dicenda sint, quæ contra Ecclesiæ utilitatem, & SS. Patrum instituta tendunt; si quis autem talem consuetudinem, quæ nec ratione juvatur, nec sacris Canonibus congruit, jurare præsumpserit, à perceptione Corporis Dominici, donec dignam egerit pœnitentiam, alienus maneat.

SUMMARIUM.

1. *Quod major parti, vocem decisivam habenti, in Capitulo congregatorum placuit, executioni mandandum est, appellatione remotâ.*
2. *Absentes à loco vocari ordinariè, aut expectari non debent.*
3. *Nisi negotium arduum esset, aut tendens in præjudicium absentium.*
4. *Auditur tamen minor pars contradicens, si major pars irrationabiliter concluserit aliquid, aut in damnum Ecclesiæ.*

5. *Non obstante juramento de servandis statutis, aut consuetudinibus.*

1 NOtandum primò. In Capitulo, seu Collegio, quod pluribus seu majori parti congregatorum, atque vocem decisivam habentium visum fuerit, id legitimè ordinatum censeri debet, atque executioni, remotâ appellatione, mandandum. Dummodo etiam sit pars sanior, id enim præsumitur, nisi pars minor, vel etiam unicus objecerit, atque ostenderit, irrationabiliter decretum esse.

Pro pleniore intellectu adverte primò. Necesse non esse, ut pars major omnium, v. g. Canonicorum consentiat decreto, sed congregatorum, seu præsentium in Capitulo, dummodo duæ partes eorum, qui adesse possunt, ac volunt, congregatæ sint secundùm sententiam communiorem Doctorum; nam duæ partes Ordinis in urbe positi totum Ordinem repræsentant, ait *Gl. in L. planè 4. v. duæ partes ff. quod cuicunque universitatis &c. argum. ejusdem L. & L. præcedentis. atque Glossæ marginalis super eadem L. planè*: major pars præsentium, & consentientium sufficit, ut universitas consensisse censeatur.

2 Notandum secundò. Absentes à civitate, vel loco vocari, aut expectari ordinariè non debent secundùm *Gl. receptam in c. 2. v. ipsorum de testibus in 6.* ubi ait, id esse speciale in electione, quòd etiam absentes, si commodè vocari possint, vocandi sint *c.* 3 *quia propter 42. de electione.* Limitatur primò. Nisi negotium arduum, seu magni momenti sit, sicuti *Abbas hic* admonet *n.* 15. & ex communi tradit *Gl. marginalis in cit. c. 2.* Limitatur secundò. Nisi id, quod decernendum est, tendere possit in singulare præjudicium absentium, prout *Gl. hic* observavit, *v. constitutum argum. c. cùm omnis*, ubi videri potest *Felinus & Gl. ibid. v. constitutum.* Ubi rectissimè tradit, si quid decernendum sit, quod tendat in præjudicium singulorum, sive, si agatur de juribus non universitatis, sed singulorum proprijs, non sufficere consensum partis majoris, sed necesse esse, ut omnes consentiant *argum. L. per fundum 11. ff. de servitutibus rusticorum prædiorum.*

Notandum tertiò. Siquidem à majore parte irrationabiliter, aut in damnum Ecclesiæ decretum sit, alij pauciores, minores, aut etiam unicus contradicere potest, & se opponere. Ita *argumento hujus textûs* notavit G. *recepta in c. Nicæna 12. dist. 3.* quòd unus potest contradicere toti universitati, si habet rationabilem causam, & *Gl. marginalis ibidem*, quòd unicus Canonicus potest se opponere toto defensione Ecclesiæ suæ. Neque necesse est in hoc casu appellare, cùm contradicens nihilominus querelam ad Superiorem deferre possit; quia enim non versamur in causa judiciali, decretum non transit in rem judicatam, prout hîc *Abbas* notavit *n. 13. argum. c. contentationi 8. juncta G. v. gravatum. de appellationibus in 6.* Quam ob rem nihil obstante tali appellatione non tantùm licitum est capitularibus, sed etiam consultum, ut ad executionem procedant, prout hîc ex communi tradit *Joann. And. n. 2.* postea verò si appellatio justa cognoscatur, revocabitur, quod actum fuit, prout hîc de omni extrà judiciali appellatione benè explicat *Innoc. n. 2.* Nihilominus utile est, appellare ob plures effectus, de quibus *Joann. And. hic & Abbas n. 13.* potissimùm verò, quia inferior ordinarius de causa cognoscere, sive immiscere se non poterit, si ad Superiorem provocatum sit. *teste Innoc. hic n. 1. And. n. 2.* Sin autem appellatum non sit, tunc Collegium quatenus jurisdictione præditum est in singulos, vel immediatus Superior rectâ viâ cogere potest reluctantem ad obediendum decreto, seu ordinationi, quæ communi, seu plurium consensu facta est, prout *Innoc. hic docet n. 3.* Præterquam, si excipiat, & probare velit irrationabilitatem, aut Ecclesiæ damnum, aut proprij juris præjudicium.

Corollarium. Egregiè hîc tradit *Innoc. n. 4.* & refert *And. n. 4.* approbat *Abbas n. 13.* quòd quilibet capitularis contradice-

n

re debet, his, quæ malè fiunt, aut decernuntur à Capitulo: alioquin si taceat, consentire censebitur, & cum alijs reus esse. Ratio est, quia tacens consentire censetur, si contradictione suâ possit impedire, & ratione muneris quis debeat, propterea quòd sit pars, & consors Capituli, ideóque quæ à Capitulo aguntur, etiam aliquo modo ad ipsum pertineant. Hoc etiam docui *lib. 1. tra. 2. c. 3. n. 3. §. 2.* Id verò discrimen esse ait Innoc. quòd si aliquid in damnum Ecclesiæ, vel singulorum decretum sit, capitularis appellare possit ad Superiorem; sin autem in damnum injustum personæ tertiæ privatæ, appellationi locus non sit, cùm nihil intersit appellantis. Verùm in hoc casu capitulares evangelicè denuntiari possunt.

5 Coroll. secundum. Juramentum de servandis statutis, aut consuetudinibus non debet extendi ad ea, quæ Ecclesiæ damnosa, & SS. Patrum Canonibus reprobata sunt, cujusmodi censetur tale statutum, aut consuetudo, ut non valeat, quod decretum est, nisi omnes consentiant, cùm per hoc facultas ordinandi, quæ justa, & utilia sunt, præpediatur, atque quilibet Ecclesiæ commoda impedire possit.

Hinc generalem regulam colligit hîc *Abbas n. 9.* quòd nullum juramentum tendens contra utilitatem Ecclesiæ obligat, imò verò perjurium censetur, sicuti hîc dicitur: idque notandum esse rectoribus civitatum dicit, qui jurare solent statuta, in quibus aliqua continentur adversus Ecclesiasticam libertatem; Regibus quoque, Episcopis, aliisve Prælatis, si in capitulatione sua jurârint illicita, impossibilia, vel adversaria canonibus, aut libertati Ecclesiasticæ. Prout habetur *in c. 1. de jurejurando in 6.* Ratio dari debet, quia juramentum circa materiam juris intelligitur secundùm terminos juris, uti docui *lib. 4. tra 3. c. 9. n. 2.* cùm igitur consuetudo Ecclesiæ damnosa, aut sacris Canonibus reprobata de jure non subsistat, sequitur, neque juramentum de ea observanda subsistere. His adde doctrinam *Joann. And. hîc n. 7.* cui consentit *Gl. c. in his disp. 11.* Communiter tenetur, inquit Andreas, quòd juramentum, quo singulares è Collegio jurârunt, servare statuta, non impedit, quò minùs ea collegialiter tolli possint; arctat enim juramentum singulares, quamdiu sunt statuta, & sic servat totus orbis. Et postea: sicuti juramentum de obediendo Prælato non obligat, sublato eo, sic nec juramentum de obediendo statuto obligat, sublato illo.

CAPITULUM II.

Quæsivit.

Paraphrasis.

Claremonensis Episcopus retulit ad Cælestinum III. quòd interdum aliqui ex Canonicis, etiam minimis, Ecclesiam suam absque aliorum Canonicorum, ipsiúsque Episcopi assensu, interdicto subijciant, eò quòd pensio Ecclesiæ debita soluta non sit, aut Clericus, vel paræcianus aliquis deliquerit. Ad id respondet Papa, interdictum tale servandum non esse, sed nec universim loquendo, interdictum locale, ob quod Ecclesia silere debeat, ferendum esse, nisi gravis excessus fuerit, atque Episcopus & Capitulum consensum dederint; alioquin si quis deliquerit, is ipse Ecclesiasticæ coërcitioni subijciatur, cùm pœnæ auctores suos tenere debeant, nec pœna sit ulteriùs protrahenda, quàm delictum fuerit in excedentes repertum.

Summarium.

1. *Alijs majores inter Canonicos censentur, qui ætate, scientiâ, morum gravitate, ac officijs præcedunt alios.*
2. *Interdictum locale, quando, & quomodo ferri possit?*
3. *Quomodo pœna delicti non afficiat, nisi delinquentes?*

1 NOtandum primò. Inter Canonicos, qui ætate, scientiâ, morum gravitate, officijs ac dignitate præcedunt, alijs majores cen-

censeri debent *argum. hujus c. v. etiam minimis.* quorum proinde suffragia, & sententiæ plus æstimari debent *argum. c. dudum 22. de electione*, & consentit hîc *Abbas not.* 1.

2 Notandum secundò. Ut interdictum locale feratur etiam particulare, seu in certam Ecclesiam, aut sacrum locum, requiritur primò. Delictum valde grave junctum cum Ecclesiæ injuria, aut dehonestatione. Secundò. Ut admissum sit non à persona privata, sed à communitate, aut capite communitatis, seu personâ publicâ. Tertiò. Auctoritas Episcopi & consensus Capituli ejus. Vide, quæ dixi *lib. 1. tra. 5. p. 4. c. 1. n. 3. & c. 4.*

3 Notandum tertiò Pœna ob delictum inflicta suos tantùm tenere debet auctores: neque decet, ut innocens unà cum nocente pœnis involvatur. Idque verum est per se, ac directè, & si de pœna propriè dicta sermo sit; indirectè tamen, & interdum per accidens ob justam causam etiam innocentes cum nocentibus incommodis, & damnis involvi possunt, juxta ea, quæ docui *incit c. 1. n. 3. & lib. 2. tra. 3. c. 12. q. 3.* & ita intelligenda est regula *23. in 6. sine culpa, nisi causa subsit, non est puniendus aliquis*, id est, jure suo privandus, prout bene explicat *Gl. in c. 2. v. culpâ caret. de constitutionibus* & docui ibidem *limitatione 2.*

CAPITULUM III.

Ex ore.

Paraphrasis.

Quidam B. nomine à Cælestino III. impetravit literas pro filio suo B. ad Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Augustanæ, ut intra mensis spatium eundem filium eligerent in Præpositum, misso etiam annulo investituræ, atque constitutis quibusdam Apostolici mandati executoribus. At verò Capitulum, postquam intellexit C. Præpositum suum in Brixiensis Ecclesiæ Episcopum electum, & confirmatum fuisse, licèt dictas literas recepissent, tamen non sine contemptu terminum designavit, intra quem executoribus super Apostolico mandato respondere deberet, atque interim H. Decanum Ecclesiæ Augustanæ in Præpositum elegit, cui dictus B. filius reverentiam tanquam Præposito exhibuit. Postea H. mortuus est, & Capitulum istum elegit eum, ad quem hujus Capituli literæ destinantur, opponente tamen prædicto B. atque ad Sedem Apostolicam appellante. Hæc controversia inter H. & B. postquam Romæ à Cardinale, cui eam Papa commiserat, auditis allegationibus, & attestationibus cognita, & Pontifici relata fuisset, is hic decisionem retulit, quia legitimè constitit, quòd B. de Præpositura nunquam fuerit investitus, licèt mandatum esset, ut investiretur; sed etsi investitus fuisset, tamen investitura à Cælestino III. certâ ex ratione (forsan propter ætatis defectum) cassata fuit. Denique tametsi cassatio non intervenisset, tamen, quia dictus B. ipsi H. reverentiam, quæ Præposito debetur, exhibendo, juri suo renuntiasse videtur, ideò considerat Pontifex, quòd B. non poterit de jure competere, aut per appellationem Ecclesiæ concordem ordinationem impedire: denique quia intellexit, eum, cui hîc scribitur, à majore tum dignitate, tum numero parte eorum, quibus eligendi jus competit, in Præpositum canonicè electum fuisse, ideò electionem hanc auctoritate Apostolica confirmat, & ipsi B. super Præpositura silentium indicit.

Summarium.

1. *Qui reverentiam debitam dignitati exhibet alteri, videtur jure suo, quod habet, ad illam dignitatem cedere.*
2. *Electus à Capitulo, cui jus ad eligendum competit, potest sua priora beneficia*

ficia in manus Capituli resignare, ante consecrationem.

NOtandum primò. Si Clericus, qui in beneficio pro Præpositura jus prætendere potest, ejus possessori reverentiam exhibeat, quæ Præposito debetur, juri suo renuntiare censetur. Quam ob rem cauti sint actores, & procuratores eorum, ut beneficij possessorem, vel intrusum, contra quem actio est, non absolutè vocent Præpositum, aut Parochum (ne id fateri videantur) sed, qui se asserit Parochum &c.

2 Notandum secundò. Si Capitulum habeat jus eligendi Decanum, vel Præpositum, tunc Decanus, vel Præpositus, postquam electus fuit in Episcopum, renuntiare potest in manibus Capituli, & liberam facultatem dare alium eligendi, saltem spectato isto jure. Cùm enim Præpositura, vel Decanatus ejus non vacet ante consecrationem, ideò per renuntiationem vacat. Ita *Abbas hic in fine contra Joann. And. n. 5.* atque id in Germania observant, sicuti dixi de præbendis.

CAPITULUM IV.

Ex parte.

Paraphrasis.

Archiepiscopus Rothomagensis proposuit Canonicis suis, ut cum ipso pro restaurandâ Ecclesia Cathedrali aliquam reditum portionem tam pio, & necessario operi singuli deputarent, quo in tractatu variæ fuerunt Canonicorum sententiæ; cùm autem ea res ab Archiepiscopo relata esset Innocentio III. is hic respondet, si aliqui contradixerint ijs, quæ ab Archiepiscopo, & majore, ac saniore Capituli parte statuta sunt, postpositâ contradictione, quòd sententia plurium firmitatem debeat obtinere.

Summarium.

1. *Major & Sanior pars Capituli cum suo Episcopo, etiam de reditibus singulorum diminuendis in restaurationem necessariam fabricæ statuere potest, quamvis minor pars contradicat.*
2. *Quando decisio hujus Capituli in alijs casus locum habeat.*

NOtandum. Major, & Sanior pars Capituli cum Episcopo, seu Prælato statuere potest, etiam contradicente parte minore, ut ex mensa capitulari cum diminutione redituum singulorum Canonicorum portio aliqua deputetur pro Ecclesiæ restaurandâ fabricâ. Ita intelligit *Antonius de Butrio hic.* Ratio dari debet, quia est communio inter Ecclesiam materialem & Ecclesiam quasi formalem, quam Episcopus unà cum Capitulo constituit; adeò quidem, ut secundùm primævam beneficiorum institutionem proventus dividi debeant, ita, ut portio una proveniat mensæ Episcopali, altera mensæ capitulari, tertia Ecclesiæ fabricæ, quarta Pauperibus. Nam hæc censetur fuisse fundatorum voluntas, ut ex largis eorum dotationibus his omnibus videl. fabricæ, Prælato, ministris Ecclesiæ, atque pauperibus provisum sit, consequenter si una pars harum, v. g. Ecclesiæ fabrica indigeat, & ex alijs partibus videl. Episcopi, & Capituli commodè afferri possit subsidium, charitatis, & communionis, lex ipsáque primæva bonorum Ecclesiasticorum institutio id postulare videtur. Num autem necessitas talis adsit, cui per hunc modum subveniri commodè possit, ad Episcopum, & Capitulum pertinet, decernere, ita ut minor pars majoris sententiam sequi teneatur; imò si evidens sit, capitularem mensam abundare, Ecclesiæ autem fabricam necessitatem pati, tunc Episcopus Capitulum etiam compellere poterit ad subveniendum, quandoquidem ad hoc de jure obligatur, prout *hic Abbas* notavit *in fine Capituli*, & sumitur *ex c. 1. & c. de his: de Ecclesijs ædificandis &c.* 1

Sed quæstio est, utrùm hujus Capituli decisio locum etiam habeat in alijs pijs, ac necessarijs operibus, si, v. g. Episcopo, atque majori parti Capituli videatur Clericorum 2

corum Seminarium erigendum, atque ex singulorum Canonicorum Ecclesiasticis proventibus aliquid contribuendum? Pro negativa constitutionis parte est regula recepta, quòd major pars universitatis de rebus, aut juribus singulorum, vel cum præjudicio singulorum statuere non potest, nisi omnes consentiant *argum. L. per fundum 11 ff. de servitutibus rusticorum prædiorum.* Et tradit *Gl. recepta in c. cùm omnes 8. de constitutionibus.* Nihilominus affirmantem partem tenent *Innoc. And.* & *Abbas hic.* Ubi singulariter tradunt, quòd major pars universitatis, seu Collegij decernere possit cum præjudicio, seu diminutione juris singulorum, si singuli jus illud non participent, ut proprium, ac singulare, sed ut jus Ecclesiæ, alteriúsque universitatis. Quæ est probabilis resolutio, secundùm quam dicendum, quòd pars major, & senior communitatis, universitatis &c. paciſci, aut transigere possit circa jus, v. g. pascendi, aut ligna cædendi ad universitatem, v. g. oppidum spectans, ita, ut singuli oppidani eo jure in proprium commodum gaudeant, cùm non sit jus singulorum, sed jus communitatis, licèt usus, aut fruitio singulorum sit. Ita similiter jus percipiendi reditus beneficiales principaliter pertinet ad Capitulum, seu Ecclesiam, licèt secundùm usum, & fruitionem partes, ac portiones divisæ, & attributæ sint singulis. Necessarium tamen est, ut dispositio, aut decretum tale fiat propter necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ; utilitas enim necessitati æquiparatur. Sin autem fiat pro operi alioquin pio, sed extraneo sive ad Ecclesiam illam non multùm pertinente, aut sine necessitatis ratione, tunc pars minor, vel unicus se opponere, & impedire potest, pretendendo proprium, seu singulare præjudicium.

TITULUS XII.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

CUm in superioribus titulis dictum sit de beneficijs Ecclesiasticis, eorúmque collationibus, & num fieri possint Sede vacante, an Prælatus collationes facere possit sine Capitulo, & quomodo Capitulum conferre, vel alia Ecclesiastica tractare debeat, annectitur hîc alia Canonica doctrina, quòd Ecclesiastica beneficia purè, integrè & sine diminutione conferenda sint.

CAPITULUM VNICVM.

Ut nostrum.

PARAPHRASIS.

Relatum fuerat Innocentio III. quòd Cancellarius Mediolanensis Ecclesiæ ultra annum vacârit, & ideò ad Sedem Romanam collatio devoluta sit: quare quidam mandavit, ut certæ personæ conferretur. cùm autem Archiepiscopus varia, imo contraria replicaret, causam ad se avocavit Papa, & cùm coram ipso tamen procurator Archiepiscopi, tum H. Clericus, cui idem Archiepiscopus occulto Cancellariam contulit, tum testes constituti essent, narratum fuit, quòd dicto H. Archiepiscopus sigillum tradidit post alterum mandatum Papæ, sive tractam avocationem. Ea propter Pontifex causam quibusdam delegavit sub ea forma, ut si cognoverint, sigillum fuisse traditum post causæ avocationem, conditionem irritam pronuntient. Sicuti ag poterat *in c. Ut nostrum 56. de appellation*

bus. Porrò his ita actis ulteriùs replicavit Archiepiscopus, cùm nemo sine accusatore damnetur, neque circa hoc negotium in forma judicij processum fuerit, ideò testium depositiones ipsi non præjudicare. Quæ querela cùm adversus Pontificem tenderet, noluit is prætermittere, quin commissæ à se inquisitionis causam, & ordinem plenius exponeret, ne Pontifex perperam alicui processisse videatur, præsertim cùm ratio, quæ redderetur, posteris profutura sit. Quandoquidem enim juris explorati est, quòd, actore non probante, is, qui queritur, etsi nihil præstiterit, absolvi debeat, ideò videri potest Pontifex Archiepiscopo reo convento, malitiosè, vel imprudenter probationis onus super tribus Articulis imposuisse, videl. quòd Cancellariam personæ idoneæ, & modo Canonico, & tempore competente contulerit. Verùm cùm collatio facta Clerico H. occulta esset, & ideò suspicione non carens, atque elapso anno nullus Cancellarius appareret, justa præsumptio erat, collationem Cancellariæ ad Papam esse devolutam, & ideò à Pontifice sine culpa conferri statim potuisse, nam licèt is Dei locum in terris teneat, tamen de occultis divinare non potest. Quam ob rem tum ob hanc præsumptionem, tum ex eo capite, quòd Archiepiscopus priùs responderat, Cancellariam se non contulisse, facultas hæc probandi collationem factam esse legitimè, non gravamen, sed gratia censeri debet, neque ex malitia, sed benignitate profecta. Ulteriùs, ut etiam de modo collationis Canonico Papa probationem exigeret, ipsemet & Archiepiscopus causam dedit, quando sæpiùs per literas Papæ significavit, ac demum per testes probavit, Cancellariam à se collatam esse parte proventuum sibi retenta. Quare non immeritò Papa talem concessionem suspectam habuit, & idcircò, cùm non tam ex potestatis plenitudine, quàm ex debito officij possit, imò teneatur, de subditorum excessibus, in ordine ad correctionem inquirere veritatem, præsertim ipsomet Archiepiscopo causam præbente, inquisitionem fieri mandavit. Igitur omnibus consideratis in tribus Archiepiscopus culpabilis reperitur, videl. circa contrarietatem responsi, cùm nemini omninò, sed multò minùs Pontifici debuerit ex certa scientia contraria respondere; circa carnalitatem animi, quia non ex affectu carnis, sed judicio discreto officium, ac beneficium Ecclesiasticum personæ magis idoneæ conferre debuisset. Demum circa inhonestatem facti, quia non licitum est, ex qualibet pactione, seu conventione, aut sub modo, seu præscripto tenore officium Ecclesiasticum conferre, & sibi proventus retinere, cùm in Concilio Lateranensi prohibitum fuerit, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium partem aliquam proventuum suis usibus, aut commodis retinere præsumat, & alibi cautum reperiatur, quòd Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferri debent. Quam ob rem in hoc puncto distinguendum, num collator beneficij proventus ipsius ante collationem perceperit, nec ne, si enim ipse non percepit, sed alius, & ex collatione consequatur, ut ipse percipiat, censeri debet pravitas simoniaca. Sin autem ante collationem percepit proventus, iterum distinguendum, num collator ante collationem statuerit, ut pro justa & necessaria causa proventûs ad tempus detineantur, an verò conveniat cum eo, qui beneficium accepturus est, vel cum mediatore aliquo, ut, beneficio illi collato, collator ipse fructus percipiat. Priùs illud licitum censeri debet, posterius nequaquam, ne via aperiatur simoniacas pravitates palliandi.

SUMMARIUM.

1. *Quando actore nihil probante in judicio reus absolvendus sit, quamvis nihil pro sua innocentia probaverit.*

2. *Collationem beneficij palàm fieri decet.*

3. *Si Collator beneficij in hujus collatione paciſcatur, partem redituum ſibi relinqui, ſimoniaca collatio eſt, non autem ſi ordinariâ, & legitimâ authoritate, onus tale ob juſtam, & neceſſariam cauſam imponatur.*

1 NOtandum primum. Si actor in judicio nihil probaverit, reus, etſi nihil præſtiterit, ſive innocentiam ſuam non oſtenderit, abſolvi debet. *L. 4. C. de edendo. c. ult. §. ſane de jurejurando.* Excipe, ſi magna præſumptio ſit contra reum, onus probandi ipſi injungi poteſt, ſicuti hîc dicitur, & in *L. Quintus §. 1. ff. de donationibus inter virum & uxorem.* ubi habetur, quæ conſtante matrimonio apud mulierem reperiuntur, à marito profecta cenſeri, & ideò contrarij demonſtrandi onus mulieri poſſidenti incumbere, & tradit *Gl. recepta in c. ex inclinatione 3. de procuratoribus.*

Aliæ exceptiones habentur in *L. cùm de indebito 25. ff. de probationibus.* Si quis pecuniam tanquam indebitè ſolutam repetat, & reus conventus neget ſolutionem factam, eámque actor probaverit, onus probandi pecuniam debitam fuiſſe, imponitur ei, qui negavit; ſin autem confeſſus fuerit, ſe pecuniam accepiſſe, præſumptio eſt, non indebitam fuiſſe ſolutam, cùm nemo facilè pecunias ſuas abijciat, vel indebitas ſolvat, & ideò probandi onus actori incumbit, præterquam ſi pupillus, aut minor ſit, vel mulier, aut miles, aut agricola, aut alius ſimplicitate gaudens, cujusmodi perſonis ſuccurri ſolet, quare niſi is, qui pecunias accepit, eas ſibi debitas oſtenderit, reſtituere cogitur. Denique reus probationes ultrò aſſumere non prohibetur, tametſi actor nihil probaverit; tunc verò, ſi probationes legitimæ agnoſcantur, id comodi reus conſequetur, ut pro ipſo ſententia poſitivè feratur, videl. rem ad ipſum ſpectare, aut innocentem eſſe, cùm alioquin, ſi neque ipſe, neque actor probâſſet, tantummodo à judicio illo abſolveretur, quia contra ipſum nihil demonſtratum ſit. *L. circa 14. ff. de probationibus.*

Notandum ſecundò. Tametſi collationem beneficij palàm fieri deceat, tamen occulta facta non debet irrita cenſeri. In *Gl. hic v. occulta*; in eóque differt collatio ab electione Eccleſiaſtica, quæ niſi publicata ſit, non valet. *c. quia propter 42. de electione.* Veruntamen ad fidem faciendam de collatione beneficij requiruntur duo teſtes, vel inſtrumentum, uti videre eſt apud *Garz. p. 8. c. 4. n. 10.*

Notandum tertiò. Simoniacum cenſetur, ſi collator in collatione beneficij partem redituum ſibi dari paciſcatur; veruntamen, ſi non per modum pacti, ſed per auctoritatem ordinariam, pars aliqua redituum ob juſtam, & neceſſariam cauſam, de beneficio vacante ſubtrahatur, etiam ut in ipſius conferentis v. g. Epiſcopi comodum aliquo modo cedat, ad ſolvenda Epiſcopatûs debita v. g., id ſuapte naturâ Simoniacum non eſt, nam hac ratione Papa annatas, ſeu primi anni fructus poſtulat ex præſatûs, quas per confirmationem tribuit; imò id eſſe licitum etiam Epiſcopis, tradit *Innocentius & Gl. finalis hic argum. c. penult. in verborum ſignificatione.* Qui tamen textus nihil probat, ſed potiùs contrarium indicat; ſiquidem ibi Papæ privilegio conceſſum fuit Epiſcopo, ut fructus beneficiorum vacantium per biennium ad ſolvenda debita Eccleſiæ percipere poſſit; itaque ſpectato communi jure rectiùs hæc poteſtas Epiſcopo negatur, quod etiam Romana curia tenet, *argum. rubricæ hujus tit. & c. ult. can. 1. q. 3.* quòd beneficia abſolutè, & ſine diminutione conferri debent. Item *argum. Clement. 2. de rebus Eccleſiæ non alienandis.* Ubi unio beneficiorum cum Capituli conſenſu Epiſcopo permittitur, ita tamen, ut ſuæ vel Capituli menſæ non uniantur, cujus rei rationem affert *Gl. recepta ibi v. menſa*, ne vel Prælatus vel Capitulum in proprio facto auctorizet.

Sed quòd nihilominus in quibusdam Eccleſijs Germaniæ conſuetudo vigeat, ut

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

beneficijs, v.g. parochialibus, loco primorum fructuum, seu annatæ nomine, quidpiam dematur ad Episcopales proventus augendos, dixi *lib. 4. tract. ult. n. 46.*

TITULUS XIII.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON.

CUm in præcedentibus titulis frequenter mentio facta sit alienationis Ecclesiasticæ, num ea fieri possit à Prælato cum Capituli, aut sine Capituli consensu, & num à Capitulo, vacante Sede, ideò ad pleniorem consequendam doctrinam universim subjicitur titulus iste.

CAPITULUM I.

Non licet.

PARAPHRASIS.

Non est concessum Episcopo, vel Abbati, qui duas Ecclesias subditas sibi habet, terram, v.g. agellum, unius Ecclesiæ auferre, & dare alteri: permutationes tamen bonorum cum utriusque partis consensu instituere non prohibetur.

SUMMARIUM.

1. *Abbas, seu Prælatus tam regularis quàm sæcularis, si quasi episcopalem jurisdictionem in Ecclesias aliquas habeat, potest in alienationibus rerum talis Ecclesiæ auctoritatem interponere.*
2. *Liberam tamen facultatem Episcopus non habet, res, & jura unius Ecclesiæ in aliam transferre pro suo placito.*
3. *Potest tamen duobus modis à Prælato in alienatione rei Ecclesiasticæ auctoritas præstari.*
4. *Quod sit discrimen inter hos duos modos?*
5. *Cujus Superioris auctoritatem Prælatus regularis requirere debeat?*

NOtandum primò. Si Abbas seu Prælatus regularis, aut sæcularis erga Ecclesias quasdam veluti Episcopalem jurisdictionem obtineat, auctoritatem interponere potest in alienationibus, & permutationibus rerum Ecclesiasticarum, nam auctoritatem interponere in alienationibus ejusmodi, pertinet ad jus Episcopale. *c. Abbatibus 41. causâ 12. q. 2 c. in venditionibus 40. causa 17. q. 4.* & annotavit *Abbas hic n. 3.* 1

Notandum secundò. Episcopus non habet liberam facultatem res, & jura unius Ecclesiæ transferendi ad aliam Ecclesiam. Ita *hic & in c. Ecclesiæ 43. causa 16. q. 1.* Ubi tamen *Gl.* admonet, & *Gl. super hoc c. v. ad aliam communiter recepta*: quòd Episcopus id possit ex justa causa, videl. si una Ecclesia abundet, & altera indigeat *argum. c. 3. de Ecclesijs ædificandis.* Dummodo tractatus cum Rectore, vel defensore Ecclesiæ, & Capituli consensus interveniat *argum. c. tua 8 de his, quæ fiunt à Prælatis &c.* Neque enim hæc reputari debet injuria, si dicta necessitas translationem postulet, quia Ecclesiæ particulares sunt membra unius Ecclesiæ universalis, & ideò sibi mutuò subvenire debent, sicuti monet *Abb. hic n. 4.* Ante omnia tamen ex cujusque Ecclesiæ reditibus providenda sunt necessaria Rectori, & ministris ejus, & Ecclesiæ fabricæ *c. penult. eit. tit.* Eleemosynæ quoque pauperibus loci ejus. 2

Pro pleniore intellectu eorum, quæ hîc & in toto tit. dicuntur, adverte ex *Molina* 3

lina tra. 2. disp. 468. & aliorum communi. quòd Prælatus duobus modis alienationi rei Ecclesiasticæ robur, & auctoritatem præstare possit. Primò, ut ipse sit auctor principalis alienationis, si v. g. Episcopus cum consensu Capituli Cathedralis rem aliquam alienet de mensa sua, vel si inferioris vacantis Ecclesiæ rem constituto defensore cum consensu Capituli, aut Conventûs ejusdem Ecclesiæ inferioris alienet *juxta c. 1. eodem tit. in 6.*

Secundò. Ut ipsemet Prælatus non alienet, sed Collegium, aut Rector, vel Prælatus inferioris Ecclesiæ, superior autem Prælatus, videlicet Episcopus alienationi consensum præbeat, qui dici solet *auctoritas*, nam qui consensus absolutè vocari solet in minoribus, seu inferioribus, in superiore vocari solet auctoritas, *secundùm Gl. in cit. c. 1. V. tractus.* & videri potest *Molina cit. lo. n. 3.* Discrimina plura sunt inter auctoritatem priore modo, & auctoritatem modo posteriore acceptam. Primò. 4 Auctoritas sive consensus rectoris; qui est auctor alienationis, necessariò intervenit in ipso contractu, quia iste consensus pertinet ad substantiam contractûs, at verò auctoritas ac consensus superioris in posteriore casu, postea intervenire potest, sicuti & Capituli consensus, prout ex communiore tradit *Francus cit. c. 1. n. 12.* Secundò. Quòd consensus rectoris, si principalis auctor sit alienationis, debeat esse expressus; at verò si non sit auctor principalis, sed consentire debeat alijs, & ratificare alienationem, videtur sufficere consensus tacitus, qui est cum scientia, & patientia; quæ videtur esse sententia *Innocentij hic*, & sumitur ex regula recepta, si jus non requirat consensum expressum, sufficere tacitum, quia expressi & taciti eadem est vis. Tertiò. Si Prælatus superior, v. g. Episcopus, Ecclesiæ sibi subditæ bona ita alienet, ut ipse sit auctor alienationis, tunc si dicta Ecclesia Conventum non habeat, opus est, ut consensus Capituli Cathedralis accedat, prout tradit *Gl. in c. 1. V. tenues. eodem tit. in 6. ibidem Francus n. 24. argum. ejus textûs*, & sumitur ex *Clement. 2. eodem tit.* ubi dicitur, quòd Episcopus Ecclesiam sibi subditam unire possit interveniente consensu Capituli sui, quasi non posset sine consensu, idque maximè locum habet, si alienatio, vel unio facienda sit in aliam Diœcesin, vel ad exemptos. Sin autem non Episcopus, seu Prælatus, Episcopali jurisdictione præditus sit auctor alienationis, sit Parochus v. g. seu rector Ecclesiæ, non habentis Conventum, tunc opus non est consensu Capituli, quia rector Ecclesiæ, si Conventum non habeat, idem potest, quod alius cum Conventu.

Quæres. Cujus Superioris consensum, seu auctoritatem Prælatus regularis requirere debeat post Conventûs sui consensum? Respond. & dico primò. Si Prælatus regularis exemptus non est, Episcopi debet habere consensum in alienationibus. Ita colligitur ex *suprà cit. c. Abbatibus & cit. in venditionibus.* & docet *Gl. ab omnibus recepta in summa. causâ 12. q. 2.*

Dico secundò. Si Prælatus est exemptus, & immediatè subditus Pontifici, qui ab eo confirmationem accipit, tunc ejusdem consensum, & auctoritatem postulare debet, uti notat *Gl. recepta in Clement. 1. V. proprij. hoc tit.*

Dico tertiò. Si Prælatus exemptus Ordinis sui Generalem habeat, tunc ipse Generalis loco Episcopi est, ideóque ejus vel Provincialis juxtà cujusque Ordinis statuta consensus requiritur. Prout ex communi docet *Turrecremata super eàdem summâ. Suar. tom. 4. de religione lib. 2. c. 27.*

CAPITULUM II.

Qui res.

PARAPHRASIS.

Si aliqui res, & bona Ecclesiæ à Regibus accipiant, atque horrendæ cupiditatis impulsu, bona egentium rapiant, irrita est acceptio; & qui acceperunt, à com-

mu-

munione Ecclesiæ, cujus facultates auferre cupiunt, excludantur.

Summarium.

1. *Laicus, quamvis Patronus Ecclesiæ sit, aut alia dignitate sæculari præfulgeat, non potest tamen res Ecclesiæ conferre, aut donare.*
2. *Bona Ecclesiæ censentur esse pauperum.*

1 NOtandum primum. Laicus quacunque dignitate fulgeat, res Ecclesiasticas conferre, aut donare non potest, cùm administratio, & distributio rerum Ecclesiæ ad Prælatos Ecclesiasticos spectet. Consentit *c. de rebus 22. causa 12. q. 2. & c. in Canonibus 7. causa 16. q. 1.* Si quis oblata Deo acceperit, vel dederit præter Episcopum, id est, sine licentia Episcopi, anathema sit. Alias pœnas, & censuras latæ sententiæ leges *in c. generali 13. de electione in 6. & in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 10. §. & cum fructuum.*

Ampliari debet doctrina, ut etiam locum habeat in patrono, sive eo, qui Ecclesiam dotavit, quia post donationem, seu fundationem factam res Ecclesiæ sunt, ac divini juris, & sub gubernatione, ac jurisdictione Prælatorum, *juxta c. 6. causa 10. q. 1.* ubi ex concilio Toletano 4. *Can. 32.* refertur: noverint conditores basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesijs conferunt, nullam se potestatem habere, sed juxta Canonum instituta, sicuti Ecclesiam; ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere. Et hoc notari debet propter dominos Laicos, qui ornamenta, quæ loco consecrato, & cum Episcopi auctoritate erecto donârunt, postea si castrum vendant, ea secum auferunt, quasi propria sint.

2 Notandum secundum. Bona Ecclesiæ censentur esse pauperum, ut *hic & in c. ult. causa 16. q. 1.* Dantur enim ministris ad sustentationem eorum necessariam, ita ut quæ supersunt, pauperibus distribui debeant, juxta *cit. c. ult.*

(o)

CAPITULUM III.

Consensus.

Paraphrasis.

Concilium Toletanum *4. Can. 68.* definivit, ut rectores, qui Ecclesiijs suis aliquid relinquunt, vel eisdem prædia, aut familias acquirunt, possint aliquos ex familia, id est, servorum, & ancillarum numero, secundùm modum rerum Ecclesiæ adjectarum manumittere, sicuti Canones antiqui decreverunt. Ita tamen, ut manumissi cum peculio, & posteritate suâ sub patrocinio Ecclesiæ permaneant, atque impositas sibi obsequiales operas, quatenus ipsis possibile est, prosequantur.

Summarium.

1. *Manumittere potest servum Ecclesiæ rector, qui suâ industriâ aliquid acquisivit Ecclesiæ.*
2. *Tenetur tamen, qui sic manumittitur ad operas officiales eidem Ecclesiæ præstandas.*

1 NOtandum primum. Rectori Ecclesiæ, si quidpiam Ecclesiæ contulit, aut industriâ suâ acquisivit, remunerationis loco concessum est, ut Ecclesiæ servum manumittere possit. Hinc colligit *Abb. n. 2.* quòd Prælatus acquirens bona Ecclesiæ liberiùs possit de bonis Ecclesiæ, etiam donando, ex causa justa disponere, quàm alius Prælatus, qui res Ecclesiæ non auxit.

Ampliari debet, quòd Prælatus, sive Rector Ecclesiæ, tametsi nihil ei acquisiverit, possit tamen servos bene meritos manumittere, juxta *c. si quos de servis 57. causa 12. q. 2.* Ex quo gradatim colligi potest, quòd Prælatus donationes remunerationis moderatas, secundùm quantitatem meritorum, & utilitatis Ecclesiæ præstitæ, facere possit, & promissas exolvere teneatur *argum. c. quicunque 66. eadem q. 2. & L. sed etsi. 25. §. consulit. ff. de petitione hæreditatis.*

ubi

ubi dicitur, quòd remuneratoria donatio sit veluti species quædam permutationis.

2 Notandum secundum. Servus, sive mancipium Ecclesiæ aliter manumitti non debet, nisi ut operas officiales eidem Ecclesiæ præstet tum ipse, tum posteritas ejus. Ita hîc *& in c. liberti 61. causa 12. q. 2.* ubi dicitur, si tales manumissi, seu liberti à patrocinio Ecclesiæ recesserint, & alteri personæ adhæserint, atque admoniti redire contempserint, tanquam ingratos iterum in servitutem esse redigendos; & *in c. longinquitate 64. eâdem q.* decernitur, ut liberti Ecclesiæ professionem faciant, se de familijs Ecclesiæ esse, & ejus obsequium nunquam derelicturos. Idémque habetur in *c. libertus 65. eadem q. 2.* Itaque discrimen est inter libertum Ecclesiæ, seu ab Ecclesia manumissum, & alium libertum, quòd alterius libertus operas officiales, & fabriles patrono non debeat, nisi is pactus sit, seu exegerit in manumissione; uti colligitur *ex L. 3. & sequentibus ff. de operis libertorum.* Quamvis secus dicendum sit de operis obsequialibus, videlicet assurgendo, honorando, in jus non vocando patrono &c. hæ enim naturaliter debentur secundùm *Gl. in L. fabriles. 6. §. operæ. ff. eodem.* & sumitur *ex L. ult. C. de bonis libertorum.* At verò Ecclesiæ libertus operas officiales debet ex Canonis constitutione. Veruntamen talis Ecclesiæ libertus, sive alius quicunque ad operas adstrictus patrono, ad Ordines promoveri non debet *c. quicunque 5. dist. 54.* Videri possunt, quæ docui *lib. 3. tra. 4. c. 12. n. 10. & Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 26.* ubi agit de donationibus remuneratorijs, quas Prælati facere possunt.

CAPITULUM IV.

Episcopi.

Paraphrasis.

Si Episcopus nihil ex suo contulerit Ecclesiæ, servum ejus manumittere non debet, quia impium est, si quis nihil contulerit Ecclesiæ, ut damnum eidem inferat. Quare successor Episcopi manumissum, seu libertum absque ulla contradictione in servitutem revocabit, cùm manumissio irrita censeatur.

Summarium.

Quæ malè sunt alienata ex Ecclesiarum, successor revocare potest, & debet.

Huic Capitulo obstare videtur *C. si quis 56. causa 12. q. 2.* Respondeo, in illo loco sermonem esse de servis bene meritis, hos enim in compensationem meritorum libertate donari æquum est, & ideò à successore non potest revocari manumissio, cùm Ecclesiæ noxia non censeatur, prout etiam in c. præcedente dixi.

Notandum. Quæ à Prælato malè alienata sunt, successor revocare potest, ea duntaxat ostenso, quòd alienatio illegitimè facta fuerit. *L. jubemus 14. C. de SS. Ecclesijs.* & videtur nulla exceptio opponi posse, ne ea quidem, quæ est defectus dominij, quippe cujus probatio sæpè difficilis est *c. sæpe 18. de restitutione spoliatorum.* Et ita Ecclesia sæpe lædi posset, nisi statim restitueretur in possessionem, quam theoriam ponit *hic Abbas. n. 2. argum. hujus textûs V. absque aliqua oppositione* & confirmari debet ex regula recepta, quòd ex facto Prælati Ecclesiæ damnum idem non debet.

CAPITULUM V.

Nulli.

Paraphrasis.

Nemini licet rem immobilem Ecclesiæ alienare, sive agrum, sive servum rusticum, sed nec specialis hypothecæ titulo obligare, nomine autem alienationis comprehenditur conditio (videlicet testamenti; alij legunt, conductio scilicet ad tempus longum) donatio, venditio, per-

permutatio, & contractus emphyteuticus perpetuus. Quare Sacerdotes omnes ab ejusmodi alienatione abstinere debent, alioquin pœnam timere possunt, quam Leonis Imperatoris constitutio minatur, videlicet depositionem ab officio *L. jubemus 14. §. œconomus. C. de SS. Ecclesijs*; & refertur in *Auth. de non alienandis rebus Ecclesiasticis collatione 2. c. 5. §. quia verò Leonis.*

Summarium.

2. *Res immobiles Ecclesiæ alienari non debent, nisi casus necessitatis, pietatis, aut incommoditatis urgeat.*
2. *Quod idem dicendum est de rebus Ecclesiæ mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt, & de annuis reditibus.*
3. *Ita ut nec possint speciali hypothecæ subijci.*
4. *Quidnomine alienationis prohibita in materia favorabili intelligatur.*
5. *Quid nomine Ecclesiæ in hac materia veniat.*

1 NOtandum primum. Res Ecclesiæ immobiles alienari non debent. Excipitur autem casus necessitatis, cujusmodi est, si debita Ecclesiæ aliter solvi non possint *c. hoc jus. causâ 10. q. 2. Gl. in summa ejusdemq.* Imò hæc fermè unica causa censetur, ob quam fundus pupilli, judicis interveniente decreto alienari possit *L. magis puto 5. §. non statim ff. de rebus eorum, qui sub tutela &c. L. ob æs 12. eod. de prædijs minorum.* Item causa pietatis, videlicet redemptionis captivorum, aut pauperum alimoniæ *C. aurum 70. eadem q. 2.* Cujusmodi haud dubiè est etiam necessitas alienandi vasa sacra, & supellectilem sacram, ut Ecclesiæ, & animæ Christianorum ab hostibus fidei defendantur. Item causa incommoditatis, majorisque utilitatis comparandæ *c. sine exceptione 52. causâ 12. q. 2.* Vide, quæ dixi *in c. 1. limit. 8. de his, quæ fiunt à Prælato. &c.*

2 Porrò rebus immobilibus alienari prohibitis æquiparantur mobiles pretiosæ, si servando servari possint, ut vasa argentea, aurea, gemmæ, vestes pretiosæ, si asservari possint *L. lex quæ 22. C. de administratione tutorum.* Annumerari quoque, & inter immobilia bona censeri debent annui reditus, v. g. ex pecunia in societatem locata *argum. c. 2. junctâ Gl. V. jura hoc tit. in 6.* alioquin verò pecunia non ad servandum comparata est, sed ad expendendum, aut elocandum *c. ejciens. dist. 88.* ubi dicitur, quòd pecunia non ad alium usum appositа sit, nisi ad emendum. Quare hæc facultas Prælato atque tutori libera permissa, imò etiam mandata est *cit. L. lex.* Denique annumerari debent ea, ex quibus utilitas, aut fructus diuturnus capi potest, cujusmodi est ovium grex, aut jumenta fundo colendo ex longo tempore affixa, nisi superflua esse appareat *L. ult. cod. quando decreto opus non est. auth. de non alienandis §. nos igitur.* Videri potest *Molina tra. 2. disp. 456. n. 4.*

3 Notandum secundò. Prælatus non potest res Ecclesiæ alienari prohibitas speciali hypothecæ subijcere. At verò ad firmandum contractum legitimè institutum bona Ecclesiæ obligare potest generatim non adhibita solemnitate aut Capituli consensu *argum. hujus textûs.* & tradit *hic Joann. And. n. 3. Abbas n. 3. Honorius n. 5.*

4 Notandum tertiò. Nomen alienationis, in hac materia favorabili Ecclesiæ, ubi de prohibita alienatione agitur, accipitur latissimè pro omni dispositione, per quam dominium directum, aut utile transfertur; imò etiam ut hypothecam saltem specialem comprehendat, ut *hic & in L. ult. cod. de rebus alienis non alienandis.* ubi Bartolus ait, si res prohibetur alienari, consequenter etiam pignore obligari, quia per pignus perveniri potest ad alienationem, ut fusiùs dixi *lib. 3. tra. 4. c. 10. n. 2.* Præterea licèt per locationem ad tempus non longum, sive infra decennium non censeatur dominium utile transferri, tamen Pau-

lus II. *in Extravag. Ambitioſæ.* omnem rei Eccleſiaſticæ locationem ultra triennium prohibuit; quamvis hanc Extravagantem non receptam eſſe ubique, ſuprà monui. Et hæc in materia favorabili: alioquin verò alienationis nomen in jure accipi tantùm ſolet pro ea actione, quâ dominium directum transfertur, uti conſtat *ex* L. 1. *C. de fundo dotali. &* L. *alienatum* 67. *ff. de verborum ſignificatione junctâ.* L. *1. Cod. de jure emphiteutico.* ubi negatur, quòd emphiteuticus contractus alienatio ſit, quia, ut *Gl.* ibi ait *V. alienationis*, dominium directum non transfertur. Videri poteſt *Molina diſp.* 464. Denique nomine Eccleſiæ in hac favorabili materia comprehenditur omnis locus pius Epiſcopi auctoritate conſtitutus. Ita ſumitur ex hoc cap. nam Leonina conſtitutio, quæ ita extenſa eſt, ſicuti apparet *in Authent. hoc jus. C. de SS. Eccleſijs*, & refertur *in c. 2. cauſa* 10. *q.* 2. in iſta materia approbatur, ac veluti canonizatur, ut ait *Abb. hic n. ult.* & idem quoad beneficium reſtitutionis in integrum docui *lib. 3. tra. 4. c.* 11. *n.* 3.

CAPITVLVM VI.

Si quis.

PARAPHRASIS.

Si Presbyter, Diaconus, aut Defenſor Eccleſiaſticum prædium alienandi ſubſcripſerit, cùm id Deo exoſum ſit, anathemati ſubijci debet, niſi fortè, qui alienavit, & qui accepit, celeriter reſtituendo ſibi proſpexerint; alioquin ſi id non egerint, præter pœnam jam nominatam, alienationis inſtrumentum, quod ab initio infirmum eſt, reſcindatur; inſuper quibuſcunque Eccleſiaſticis perſonis liceat ſe alienationi opponere, atque rem alienatam cum fructibus Eccleſiaſticâ imploratâ auctoritate repoſcere.

SUMMARIUM.

1. *Subſcribentes auctoritativè alienationi rei Eccleſiaſticæ malè factæ pœnam incurrunt.*
2. *Et alienatio, ſi cauſa legitima non ſubſit, ipſo jure nulla eſt.*
3. *Repetere autem poſſunt, & debent rem malè alienatam cum fructibus, non tantùm illi, qui eam alienaverunt, non obſtante juramento de non repetendo.*
4. *Sed in defectum eorum etiam alij, præſertim illius Eccleſiæ Clerici.*
5. *Et Eccleſiæ duæ actiones in tali caſu competunt; perſonalis una, contra malè alienantem; altera realis, adversus alienatam ſibi reſtituendam.*

NOtandum primum. Qui alienationi rei Eccleſiaſticæ malè factæ auctoritativè ſubſcribunt, criminis, ac pœnæ conſortes ſe reddunt. Conſentit *L. jubemus 14. C. de SS. Eccleſijs §. œconomus ubi ſuri paſſus.* ubi ait *Gloſſa*, quòd facientes, & conſentientes pari pœnâ teneantur.

Notandum ſecundum. Tametſi forma, ſive ſolennitas contrahendi ſervata ſit, ſi tamen cauſa alienandi rem Eccleſiaſticam non adſit, ipſo jure irrita eſt alienatio: quod verò dicitur, eam reſcindi debere, pertinet ad factum revocationis, vel ad declarationem nullitatis.

Notandum tertium. Qui malè alienavit, & qui auctoritatem, vel conſenſum dedit, rem Eccleſiaſticam unà cum fructibus repetere poſſunt, & debent, & quidem non obſtante juramento *argum. c. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis &c.* & tradit *Abb. hic n. 7.* cùm enim ex juſtitia obligati ſint ad retractandum, ideò juramentum non obligat, ne fiat vinculum iniquitatis *c. quanto. de jurejurando.* Honeſtius tamen erit, ſi alius pro jurante repetat, ne alioquin, ſaltem ſpecie externâ, agere videatur contra juramentum, quæ videtur eſſe mens *Gloſſæ in c. 1. V. contractum. de reſtitutione in integrum in 6.*

Notandum 4. In defectum eorum, qui ex officio malè alienata repetere debent, videlicet Prælatus, Capitulum, & ſuperiorum,

borum, si nolint ij, aut non possint, quilibet de Clero, seu Ecclesiastica persona, agere potest ad restitutionem, seu revocationem, secundùm *Innoc. in c. cùm olim n. 3. de testibus.* Versatur enim hîc jus publicum *c. jus publicum. dist. 1.* ubi *Gl.* ait, quòd, qui sacerdotem lædit, vel rem sacram ab omnibus, tanquam de publico crimine, accusari potest: præferendi tamen sunt ejusdem Ecclesiæ Clerici Parochianis Laicis, atque extraneis.

Porrò Ecclesia in casu illegitimæ alienationis duas actiones habet, una est personalis contra alienantem, ut illatum Ecclesiæ damnum resarciat, altera est in rem, seu realis, nisi malis dicere esse possessorij interdicti adversus rei alienatæ possessorem, prout *hic Gl.* notavit *V. alienata*, & colligitur *ex L. 3. C. si tutor vel curator &c.* Tametsi verò contra alienantem agi non possit dictâ personali actione, si Ecclesia per restitutionem indemnis reddita sit *L. 1. §. si plures. ff. de eo, per quem factum fuerit.* Cùm æquum non sit, Ecclesiam cum alterius damno locupletari. Accusatio tamen instituì potest ad pœnam, sive satisfactionem pro injuria, sicuti docet *Gl. in c. monemus 18. V. reddere. causa 12. q. 2.* ubi ait: vel Ecclesia agit contra ementem v. g. ad pœnam, vel ad interesse; si ad pœnam, potest adhuc agere contra alienantem, quia pœna unius non liberat alterum. Sin ad interesse, non potest agere, quia jam suum consecuta est, & ideò interesse desijt. Utrùm verò emptor, seu is, cui alienatio facta, pretium repetere possit, declarat *hic Abb. n. 12.* & explicavi *lib. 3. tra. 4. c. 10. n. 4. in fine.*

CAPITVLVM VII.

Ad aures.

Paraphrasis.

Prælatus Ecclesiæ sylvas per agricolas eradicari, & terram arabilem fieri curavit. Postea quæsivit, an ea terra ijsdem agricolis in emphyteusin pro censu annuo jure hæreditario dari possit. Respondit Alex. III. ipsis, vel filijs eorum eam terram posse tali pacto tradi in emphyteusin, nisi alijs cum majore Ecclesiæ utilitate simili modo tradi possit.

Summarium.

1. *Terra facta arabilis, utilis Ecclesiæ, in emphyteusin dari potest.*
2. *Eo modo, secundùm quem majorem inde utilitatem consequi possit Ecclesia.*

NOtandum primò. Si Ecclesiæ utilis sit terra arabilis, colonis tradi potest in emphyteusin ad aliquot generationes *Auth. de non alienandis. §. emphyteusi.* Et verò plerumque manifesta est utilitas, aut necessitas, terras incultas & quæ multo labore indigent, in emphyteusin tradendi: nihilominus, spectato communi jure, adhibendus esset consensus Capituli, & superioris, nisi consuetudo aliud obtineat. 1

Notandum secundò. Ecclesia fundos suos eo modo elocare, aut in emphyteusin dare debet, secundùm quem majorem utilitatem consequi potest. Ita *Gl. hic*, & sumitur *ex cap. sine exceptione 52. causa 12. q. 2.* ubi indicatur, ita semper alienationem esse instituendam, ut magis profutura sit; quare *in eodem c.* indicatur, & bene admonet inter alios *Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. c. 27. n. 3.* alienationem unius rei minùs utilis ita faciendam esse, ut loco ejus alia utilis, & commodior comparetur, dummodo id fieri possit. 2

CAPITVLVM VIII.

Vt super.

Paraphrasis.

Ravennatensis Archiepiscopus consuluit Cælestinum III. cùm antecessor ipsius possessiones, & reditus à Rege, & alijs locis provenientes perceperit in suos usus, quoad vixit, neque alij infeudârit, num censeri debeant, esse de mensa Episcopali, ita, ut ipse ratione juramenti

Sedi Apostolicæ præstiti, de non alienando, alienationis contractum super talibus celebrare non possit. Respondet Papa, sive intelligantur esse de mensa, sive non esse, consultius fore, ut non alienentur; si tamen possessiones minùs utiles Ecclesiæ videantur, eas pro utilioribus, cum fratrum suorum vel majoris partis consensu, alienandi, vel permutandi liberam habet facultatem.

Summarium.

1. *De mensa Prælati censentur possessiones, quarum ipse reditus percipit.*
2. *Quando fundus aliquis censeatur de mensa Episcopi, vel Prælati.*

1 NOtandum primò. Possessiones, quarum reditus Prælatus percipere solet, censentur esse de mensa ejus, & ideò alienari prohibitæ. Videri potest *Innoc. hic & Molina disp. 468. n. 20.* ubi explicat, possessiones dici de mensa Ecclesiæ, quæ pertinent ad sustentationem Prælati, Conventualium, ministrorum, pauperum, & uno verbo, qui de Ecclesiæ reditibus vivere debent; sin autem reditus possessionum divisi sint, tunc etiam mensas diversas censeri, ut alia sit Episcopalis, alia capitularis &c. Hinc resolvitur, si ager feudalis, aut emphyteuticus per mortem, vel delictum coloni ad Ecclesiam reversus sit, atque Prælatus per annum non concesserit alteri, sed ipsemet coluerit, quòd censeatur incorporatus mensæ, ita, ut alienari liberè non possit, *secundùm Archidiaconum, & Abb. hic. n. 10.* & videri potest *Bart. in L. ult. n. 8. de bonis vacantibus lib. 10.* ubi alias considerationes affert, videlicet si fundus reversus per officiales ad hoc deputatos inscriptus sit inter possessiones de mensa *L. si*
2 *quando C. eodem tit.* vel si Prælatus declarârit, quòd velit esse de mensa, alioquin verò, si ager, cujus dominium utile alienatum fuerat, ad Ecclesiam revertatur, cadémque alienandi causa cum Ecclesiæ utilitate perseveret, non censetur facta incorporatio, sed ager in eodem statu permanere, ita, ut vigore primæ infeudandi, aut in emphyteusin dandi ordinationis rerum simili modo alteri personæ idoneæ concedi possit, prout hîc *Innoc.* explicat *ff. provenientes. And. n. 5. Abb. n. 11.* ubi ait quòd hæc non censetur alienatio, sed executio ordinationis antiquæ.

Sin autem donatione, hæreditate, Legato, alióve acquirendi titulo res de novo Ecclesiæ acquiratur, statim incorporata esse censetur hoc ipso, quòd dominium Ecclesiæ acquisitum sit, prout hîc Innoc. significat, & clarè docet *Abb. n. 11.* tum verò Prælatus sine Capituli consensu, & aliis solemnitatibus renuntiare possit hæreditati, aut legato, tractavi *in cit. c. 10. n. 7.*

Notandum secundò. Tametsi Prælatus jurârit, se res Ecclesiæ non alienaturum, potest tamen alienare ex causa necessitatis, aut utilitatis, & cum consensu Capituli; nam juramentum circa materiam juris intelligitur secundùm terminos juris, & ideò restringitur ad illicitam alienationem.

CAPITULUM IX.

Ad audientiam.

Paraphrasis.

Intellexerat Cœlestinus III. Exonenses Canonicos quosdam Ecclesiæ Exoniæ prædia in damnum ipsius aliis inconsultis Canonicis, in perpetuum locâsse agricolis: ideò mandat Episcopo Cicestrensi, si ita esse cognoverit, ut locationes istas tanquam illegitimas revocet, & aliter non possint revocari prædia, aut pensiones pecuniariæ, quas agricolæ solverunt, eisdem restituantur, Canonicos locatores ad pecunias solvendas, remotâ appellatione, compellat.

Summarium.

1. *Prædia Ecclesiæ inter Canonicos distributa non possunt in perpetuum locari sine juris solemnitatibus.*

2. Ali-

2. *Accipiens prædium Ecclesiæ illegitimè alienatum in pœnam pretium amittit; nisi bonæ fidei emptor fuerit, aut de evictione caverit, quibus in casibus à malè alienante repetere pretium potest.*

1 NOtandum primò. In quibus Ecclesijs præbendæ distinctæ sunt, & singulis Canonicis assignata prædia, non possunt Canonici singuli ea in perpetuum locare, sine juris solemnitatibus, & Capituli consensu, ac superioris licentia; nam hæc prædia, quoad proprietatem non sunt beneficiarij v. g. Canonici, sed sunt Ecclesiæ; ususfructus autem tantùm pertinet ad beneficiarium. Notum autem est, quòd locatio expirat per mortem usufructuarij, quia resoluto jure dantis, resolvitur jus accipientis. *L. lex. ff. de pignoribus.* Et hæc ratio ostendit, quòd si beneficiarius prædium præbendæ suæ etiam ad paucos tantùm annos v. g. sex, locaverit sine auctoritate legitima, ante finitum tempus moriatur, locatio revocetur, prout hîc docet *Abb. n. 2.*

2 Notandum secundò. Qui Ecclesiasticum prædium contra jura seu illegitimè alienatum accepit, in pœnam, pretium, aut pensionem amittere debet, *argum. hujus c.* & habetur *in* L. *jubemus* 14. *§. sane C. de sacrosanctis Ecclesijs.* Si tamen bonæ fidei emptor, aut conductor solvit, repetere potest ab eo, qui secum contraxit, videlicet Beneficiario, aut Prælato. *Argum.* L. *si fundum* 27. *C. de evictionibus.* Imò etiam ab Ecclesia, quatenus inde locupletior facta est *c. 1. de deposito.* cùm æquitas non permittat aliquem cum alterius detrimento fieri locupletiorem L. *nam hoc. 14. ff. de condictione indebiti*, & tradit Gl. *in cit. §. sane.* Sed etsi malâ fide, sive sciens emerit, aut conduxerit quis Ecclesiasticum prædium, si tamen de evictione pactus est, sibique cavit, pretium, vel pensionem solutam recuperare potest ab alienante v. g. Prælato *cit. L. si fundum*, & sumitur *ex hoc c.* quando generatim dicitur, si pensio soluta colonis restituì debeat, ad ejus refusionem compellendum esse alienantem, quia delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare *reg. 76. in 6.*

CAPITULUM X.

Possessiones.

Paraphrasis.

Episcopus non debet alienare possessiones ad mensam suam, vel Capituli sui pertinentes: neque Ecclesias, in quibus Monachi ministrare consueverunt, Clericis vel Laicis assignare.

Summarium.

Beneficia regularia non debent conferri Clericis sæcularibus.

NOtandum primum. Possessiones, quæ mensæ Episcopali, vel Capitulari incorporatæ sunt, alienari non debent *c. ut super* 8. *hoc tit.*

Notandum secundum. Ecclesiæ & beneficia regularia, seu quæ longissimo tempore à regularibus administrabantur, non debent ab Episcopo Clericis sæcularibus attribui, multò minus Laicis; consentit *c. cùm de beneficio 5. de præbendis in 6.* ubi id docui. Idémque sentiendum est, si regularia beneficia jure devolutionis conferantur *Clement. unica de supplenda negligentia*, &c. ibi: *quæ consueverunt per sæculares Clericos gubernari, sæcularibus Clericis, alias verò, quæ Religiosis duntaxat committi sunt solita, vel conferri, Religiosis monasteriorum conferendo*; ex quo regulam colligit *Abb. hic in fine c.* quod non major est potestas in eo, qui successit, quàm in eo, qui neglexit.

CAPITULUM XI.

Ad nostram.

Paraphrasis.

Cùm monasterium Tusiense maximis debitis gravatum esset, Abbas, & Conven-

tus villam quandam B. Laico in feudum dedit, tali pacto, ut 80. libras pro monasterio exolveret; idque Laicus implevit, sed postea advertentes Abbas, & Conventus, monasterium læsum esse, supplicârunt Innocentio III. ut feudum revocare liceret, allegando, Laicum primo anno ex proventibus villæ ultra 80. libras percepisse, & pluribus deinde annis fructus lucratum fuisse. Quam ob rem mandat Papa quibusdam, si monasterium enorme tale dispendium ex concesso feudo incurrisse compererit, ut Laicum compellant, dictum feudum monasterio liberum, & quietum, postpositâ appellatione, dimittere, pecuniâ tamen, quam pro exoneratione debitorum, vel in utilitatem monasterij expendit, ab Abbate, & Conventu receptâ; eò quòd fructus percepti sufficere ipsi debeant in laboris compensationem.

Summarium.

1. *Potest Ecclesia, si in contrahendo læsam se sentiat, etiam coram Iudice Ecclesiastico contra Laicum, restitutionem in integrum petere.*
2. *In casu restituendæ Ecclesiæ potest emptor v. g. bonæ fidei, pretium expensum repetere, nisi ex fructibus tantum percepisset, quantum expendit.*

1 NOtandum primum. Si Ecclesia in contrahendo, vel alienando læsa, petere velit in integrum restitutionem, coram Judice Ecclesiastico, causam etiam agere potest contra Laicum, dummodo non sint bona feudalia pertinentia ad dominum Laicum *juxta c. si Clericus, & sequent. de foro competenti.* Et ita intelligit *Innocentius hic & Abb.* licèt *Hostiensis, & Andreas* arbitrentur, alienationem fuisse irritam, quia consensus Episcopi adhibitus non fuit, & ideò jure actionis ordinariæ per viam nullitatis alienationem revocatam fuisse, juxta ea, quæ docui *lib. 3. tra. 4. c. 11. n. 1.* Sed textus Capituli ipsis repugnare videtur; cùm Pontifex se non fundet super nullitate contractûs, sed super læsione enormi, de qua etiam, num ea intervenerit, cognosci mandat.

Neque obstat, quòd Hostiensis testatur, plus, quàm quadriennij spatio fundum possedisse Laicum, & ideò restitutioni in integrum locum non fuisse *c. 1. de restitutione in integrum in 6.* quia, ut ibidem docuit, læsione valdè enormi, etiam post quadriennium Ecclesiæ succurri potest, præsertim si Prælatus, qui alienavit, mortuus fuit.

Dicet aliquis. Si in alienatione rei Ecclesiasticæ Ecclesia damno affecta est, non fuit ea Ecclesiæ utilis: igitur irrita censeri debet alienatio ob defectum causæ, ut locus non sit restitutioni in integrũ. Respondetur cum *Gl. hic V. enorme. Molina tra. 2. disp. 40. n. 15.* si præcedente tractatu, seu cognitione causæ subsequatur consensus eorum, qui consentire debent, tametsi error in ea contingat, alienationem mero jure subsistere, licèt per in integrum restitutionem subveniri possit.

Notandum secundum. Justa causa, rem immobilem Ecclesiæ alienandi, esse censetur, si magna debitorum onera adsint, quibus Ecclesia aliâ ratione se exolvere non possit. Ita sumitur *ex hoc c.* & tradit *Abbas n. 3.* & dixi suprà.

Notandum tertium. Si restitutio in integrum fiat, is, qui pro alienante, sive in utilitatem ejus, quidpiam expendit, v. g. emptor pretium solvendo, item, si in rem sibi traditam laborem, & industriam collocavit, repetere ea potest, nisi ex perceptis fructibus compensatio eidem facta sit. Ita sumitur ex *hoc c.* & L. *quid si 24. §. restituto. ff. de minoribus.* ubi dicitur, quòd restitutio ita facienda sit, ut unusquisque integrum suum recipiat, hoc enim nomen restitutionis in integrum statum significat, ut neutra pars sit in damno, aut lucro, ait *Gl. hic v. sufficere*; idémque dicendum videtur, si alienatio rei Ecclesiasticæ revocetur propter nullitatem; nam si bonâ fide, sive ex probabili ignorantia omissæ solemnitatis emptor

ptor rem accepit, recuperare debet pretium, & melioratione, atque fructus interim perceptos lucrari, quia si aliter diceremus, ipse in damno esset, & Ecclesia in lucro, & ideò Ecclesia ipsum decipere voluisse videretur, prout colligitur *ex c. vulturana 25. junctâ Gl. causâ 12. q. 2.* & docet *Anchoranus consilio 122.* & videri potest *Abb. hic* Sin autem malâ fide acceperit, in pœnam privari poterit à judice juxta *cit. L. jubemus* & tradit *Gl. in cit. c. vulturana.*

CAPITULUM XII.

Cum Laicis.

Paraphrasis.

Quia Laicis, etiam pijs & religiosis, de rebus Ecclesiasticis nulla disponendi potestas concessa est, quippe quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ideò dolendum est, quòd quidam Laicorum, refrigescente caritate, immunitatem Ecclesiasticam, quam SS. Patres & sæculares Principes multis privilegijs munierunt, constitutionibus suis, seu potiùs destitutionibus impugnare illicitè præsumant, dum alienationes feudorum, & aliarum Ecclesiasticarum possessionum facere, jurisdictiones exercere, mortuaria, & alia juri spirituali annexa sibi vindicare audent. Quare in Concilio Lateran. sub Innoc. III. ad consulendum Ecclesiarum indemnitatibus, & tanta amovenda gravamina, decernitur, ut ejusmodi constitutiones, ac venditiones Ecclesiasticorum bonorum, ac feudorum, sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu, prætextu potestatis Laicæ factæ (cùm talis non constitutio, sed destitutio, ac destructio, atque jurisdictionis usurpatio sit) nullius roboris sint, & præsumptores tales Ecclesiasticâ censurâ coërceantur.

Summarium.

1. *Violatio immunitatis Ecclesiasticæ à Laicis ex defectu charitatis, & pietatis provenit.*
2. *Statuta Laicorum de rebus Ecclesiasticis, vel quæ his annexa sunt, nulla sunt.*

NOtandum primum. Immunitas Ecclesiasticæ libertatis tum quoad personas, tum quoad bona Ecclesiarum non tantùm ex Patrum traditione habetur, sed etiam ex Principum consensu, & datis privilegijs. De hac re egi in *lib. 4. tra. 9. c. 8.* 1

Notandum secundum. Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ, quæ fit à Laicis ex defectu charitatis, ac pietatis erga Deum proficiscitur, quod ex contrario colligitur: nam qui charitate & pietate erga Deum accensi sunt, ij Ecclesias donis, ac privilegijs augent, ideò qui charitate, ac pietate destituti sunt, ejusdem Ecclesiæ Immunitatem imminuere satagunt.

Notandum tertium. Potestates Laicæ de rebus Ecclesiasticis statuere nihil possunt, cùm ex sint extra terminos jurisdictionis suæ, ac proinde talia statuta ipso jure irrita censentur. Idque non tantùm intelligi debet, si decernant de ijs rebus, quæ intrinsecè, ac per se spirituales sunt, sed etiam si de ijs, quæ secundùm se quidem temporalia sunt, ut pecuniarij proventus, oblationes funebres &c. attamen annexa, sive cohærentia spiritualibus, qua ratione oblationes funebres annexæ sunt ministerio spirituali, & proventus annui Ecclesiarum, ac monasteriorum annexi sunt spiritualibus titulis beneficiorum tum sæcularium, tum regularium. 2

Quærit *hic Abb. n. 6.* num valeant statuta Laicorum ordinaria de pompa funebri, ne in ea excedatur? & bene respondet, si materia, circa quam ordinatur, non conferat ad pietatem, aut animæ salutem, sed potissimùm ad pompam publicam, valere statutum, ut si ordinetur circa vestes lugubres, ne nimius sumptus fiat *argum. c. animæ 22.* & *c. quàm præposterum 25. causa 13. q. 2.* Sin autem materia, circa quam ordinatur, conferat ad pietatem, & animæ salu-

salutem, adeóque ea sit spiritualis, vel spiritualibus per se annexa, v. g. circa officia, cantum, cereos benedictos, oblationes, & similia, de horum moderatione statuere ad Ecclesiasticas, non civiles potestates spectat.

Notandum quartò. Violatores Ecclesiasticæ potestatis olim erant excommunicandi, sed posteriore jure ipso facto excommunicati sunt. *c. noverit 49. & c. gravem 53. de sententia excommunicationis*, & in bulla Cœnæ Domini, prout videre est *in cit. extra. 9. c. 2.*

CAPITULUM I.
in sexto.

Dudum.

Paraphrasis.

Vacante aliqua Ecclesiâ parochiali Episcopus Dulmensis cum consensu Capituli sui, decimas ejus parochiæ transtulit ad Ecclesiæ suæ Archidiaconatum, quia tenues reditus habebat, ut Archidiaconus se commodiùs sustentare posset. Parochus postea investitus super ijs decimis actionem movit Archidiacono, petens eas sibi restitui: Archidiaconus excepit, ab Episcopo cum Capituli consensu donatas esse sibi decimas, tanquam Archidiacono propter redituum tenuitatem, ejúsque donationis, seu translationis instrumentum pro[illegible]t. Intellectâ hac controversiâ re[illegible]dit Innoc. III. cùm Ecclesia paroch[illegible]lis, dum vacaret, legitimo caruerit defensore, quem Episcopus deputare debuisset, antequam translationem faceret, & quia tractatus diligens, ac solemnis, qualis in ejusmodi perpetuis Ecclesiasticarum rerum concessionibus, & alienationibus præcedere debet, habitus non fuit, ideò eam ordinationem, & concessionem ex consilio Fratrum suorum se irritam declarare, atque decimas ad Parochiam pertinentes eidem sententialiter adjudicare, præsertim cùm dictæ concessionis, aut translationis nulla evidens necessitas, vel utilitas appareat.

Summarium.

1. *Episcopus, si velit, ut auctor principalis, res Ecclesiæ alicujus inferioris alienare, aut transferre, debet habere sui Capituli consensum.*
2. *Et in tali casu, si inferior Ecclesia Capitulum, aut rectorem non habeat, dandus ei est curator, aut defensor.*
3. *Neque tamen potest ea fieri à Rectore v. g. ante acceptam possessionem.*
4. *Neque sufficit verbis tantùm asserere in genere, causam alienationis in instrumento exprimi.*
5. *Quamvis nonnunquam pro justâ causâ possit esse præsumptio.*
6. *Utrùm, & quomodo tutus sit in scientia ad rem Ecclesiæ in se alienatam, retinendam, quamdiu non repetitur, quando in alienatione solemnitates juris non intervenerunt.*

NOtandum primum. Si Episcopus res Ecclesiæ inferioris alienare, aut transferre velit, ita, ut ipse sit principalis auctor alienationis, debet habere Capituli sui consensum. Ita sumitur ex *hoc c.* & tradit *Abb. in c. 1. n. 5. de his quæ fiunt à Prælatis &c.*

Dico autem, si sit auctor &c. secus enim est, si Ecclesiæ inferioris rector, vel præpositus alienet cognitâ causâ necessitatis, aut utilitatis cum Episcopi auctoritate; in hoc casu non requiritur consensus Capituli Cathedralis, sed Capituli inferioris Ecclesiæ, si collegiata est, si tamen non sit collegiata, sufficit auctoritas Rectoris, & Episcopi atque idem sentiendum, si Ecclesia inferior vacet, eique constitutus sit defensor, is ob cognitam necessitatem alienationem instituet, cum auctoritate Episcopi, & consensu Collegij, si sit collegiata Ecclesia. Videri potest *Imola in cit. c. 1.*

Notandum secundum. Si res Ecclesiæ vacantis alienanda esse videatur, vel alia trans-

transferenda, dandus est illi curator, seu defensor, cum quo tractari debet, ac discuti, num causa sufficiens alienandi subsit. Ita hîc, & explicat *Abb. in c. 1. n. 7. ne Sede vacante &c.* ubi ait, si vacante Ecclesia Cathedrali bona alienari debent propter necessitatem, id sine auctoritate Papæ, aut curatoris ab ipso ad hoc specialiter dati fieri non posse. Requiritur autem major causa, seu necessitas, ut Ecclesiæ vacantis, ac viduatæres alienari, aut distrahi possint juxta *tit. titulum, ne Sede vacante aliquid novetur* & testatur *Gl. in c. 1. v. Sede eodem tit.*

3 His addit *Francus* hîc *n. 2. ex Innoc. & Joann. Andreæ*, non valere alienationem rei Ecclesiasticæ, quam Rector facit, vel consensu suo ratificat, ante acceptam possessionem: nam Ecclesia adhuc æstimatur tanquam vacans, atqui alienationes facere, vel in eas consentire est actus administrationis, qui possessionem acquisitam requirit.

Notandum tertiò. Episcopus non prohibetur rem unius Ecclesiæ transferre ad aliam Ecclesiã, si justa causa, aut necessitas id suadeat, & solemnitates requisitæ interveniãt vid. tractatus cum rectore, vel defensore, & consensus Capituli Cathedralis. Ita *Gl. hic v. tenues. Francus n. 5. Gl. in c. 1. hoc tit.* Sumitur ex textu hujus cap. quia alienatio hæc revocata fuit non ex defectu posteritatis, sed quia non præcessit tractatus, nec constitutus fuit defensor.

Intellige autem doctrinam, si Episcopus sit auctor alienationis, & Ecclesia, à qua aliquid aufertur, Collegiata non sit, requiri consensum Capituli, si alienatio aut translatio non sit rei modicæ, idque maximè locum habeat, si ita propriè dicta alienatio faciendasit.

4 Notandum quartò. Ut alienatio rei Ecclesiasticæ subsistat, quàm maximè requiritur, ut verè constet causa necessitatis, vel utilitatis saltem existimatæ, & judicatæ. Ita *Anchoranus hic not. 3. Francus n. 4.* quòd in ejusmodi solennitatibus, quibus partes renunciare non possunt, non sufficiant verba assertiva, videl. si dicatur in instrumento, alienationem factam esse propter Ecclesiæ utilitatem, idque aliter non probetur. Nam alioquin facile esset Legis decreta, & requisita subterfugere. Quam ob rem *Gl. in c. sicut 16. v. exprimantur de judicijs.* ait, quòd allegans solemnitatem actus interveniisse, debet id probare.

Ulteriùs declarandum est. Primò cum *Suarez. tom. 4. lib. 2. de religione c 27. n. 8.* spectato communi jure necessarium non esse, ut de antecedente tractatu, seu cognitâ justitiâ causæ separatum instrumentum edatur; sufficit enim, si in eodem instrumento Prælatus, & Capitulum testentur, exponendo causam utilitatis, quia v. g. fundus utilis non erat, vel debita Ecclesiam valdè gravabant &c. tunc fides instrumento legitimè subscripto, aut obsignato, vel notarij manu confecto, licèt contra talem præsumptionem admittatur probatio in contrarium.

Secundò. Si constet, antecessisse tractatum, & subsecutum consensum Capituli, 5
præsumptio esse debet pro justitia causæ. Ita plurbus allegatis *Mascardus con. 75. n. 11.* ubi ait, si constet de solennitate alienationis rei Ecclesiasticæ, præsumitur fuisse utilem Ecclesiæ.

Tertiò. Quod dicitur de tractatu, & consensu Capituli, intelligi debet de Capitulo congregato, quia capitulares singulares, seu separati Capitulum non faciunt: neque singulorum, quamvis omnium consensus, Capituli consensus est *argum. c. Tertio 5. de probationibus.* & ex communi tradit *Suarez n 8.*

Quartò. Tametsi in instrumento nuda reperiatur narratio alienationis factæ à Prælato cum Capituli consensu ex causa legitima, si tamen alienatio temporis diuturnitate videl. annis 30. non fuerit impugnata, præsumptio esse solet pro justitia causæ. Idémque dicendum, si in instrumento nulla fiat mentio adhibitæ solennitatis, ex plurium doctrina docet *Mascardus n. 14. cum*

eit. quòd ex temporis vetuſtate ſolennitates extrinſecæ præſumuntur interveniſſe, propterea quòd de ſolennitate peculiare inſtrumentum edi potuerit, idque amiſſum eſſe; potuit etiam conſtare omnibus de neceſſitate, ut tractatu nullo opus eſſet, conſenſus autem Capituli poſtea acceſſiſſe; potuit & alienationem publico edito inſtrumento confirmare. Veruntamen ad has præſumptiones firmandas non ſufficit ſola temporis diuturnitas, aut vetuſtas, ſed etiam neceſſaria eſt ſcientia, & patientia eorum, qui alienationem, ſi malè facta fuiſſet, probabiliter revocaſſent, prout rectè in hoc ipſo caſu notavit Felinus *in c. ſicut. n. 33. de re judicata* ubi etiam reſolvit, teſtamentum Cardinalis antiquum, quod fieri non potuit ſine licentia Papæ, nullâ factâ mentione licentiæ, pro valido habendum eſſe, ſi in curia teſtator fuit, ita, ut probabile ſit Papam ſciviſſe; ſecus ſi extra curiam, ita, ut Pontifex probabiliter ignorârit.

Quæritur. Num is, qui rem Eccleſiaſticam juſtè à Prælato emit, non intervenientе conſenſu Capituli, vel ſine Superioris auctoritate, ſpectato jure naturali, & in conſcientia tutus ſit, rem retinendo, donec repetatur. Negat *Suarez cit. c. 27. n. 20.* Probat tum ex eo, quòd effectus legis non ceſſet, etſi finis, & ratio legis in caſu particulari ceſſet; tum quia hîc deficit poteſtas alienandi, quippe cùm non aliter conceſſa ſit Prælato, niſi adhibitis ſolennitatibus; tum quia hîc deeſt forma ſubſtantialis alienationis, defectus autem formæ nullitatem actûs inducit, quippe cùm ſine forma actus non ſubſiſtat.

Sed contrarium probabiliter docet *Navar. de alienatione rerum Eccleſiaſticarum n. 17. & de ſpoliis Clericorum §. 2. n. 6. Sylveſter v. alienatio. n. 12. Sà n. 3. poſt Innoc. in c. quia de immunitate Eccleſiæ.* Si ſubſtantialia contractûs interveniant, videl. mutuus conſenſus, & abſit fraus, aut læſio Eccleſiæ, in conſcientia tutum eſſe eum, cui alienatio facta eſt Nec diſſentiunt Doctores *apud Maſcardum n. 9.* Si in aliqua diſpoſitione intercedere debeat ſolennitas, reſpiciens certum finem, habito eo fine & effectu, propter quem ſolennitas requiritur, licèt revera non intervenerit, valere actum; quod intellige, ſpectato jure naturali, & donec beneficio juris Civilis reſcindatur.

Ad hanc ſententiam moveor primò. Quia ita facilè explicatur receptiſſima doctrina *Gl. in c. ne Sede vacante &c.* & in generalibus terminis tradit *Sanchez lib. 7. de religione c. 31. n. 28.* generale id eſſe, in omni contractu celebrato cum Eccleſia, abſque debita licentia, aut ſolennitate, ut favor Eccleſiæ claudicet contractu, atque contrahenti cum illa non liceat reſilire, & Eccleſia, ſi velit, ſtare poſſit contractui. Quemadmodum hoc idem evenit in contractu celebrato cum pupillo, minore, ſervo, Religioſo, prout ibidem *Sanchez* explicat *n. 31.* ubi ait, contrahenti cum minore abſque tutoris auctoritate, vel cum Religioſo ſine Prælati auctoritate, vel cum Eccleſia ſine adhibita ſolennitate, integrum eſſe agere, ut minor, Eccleſia, vel Religio compellatur, declarare ſolenniter, num velint ſtare contractu, an ab eodem recedere. *L. Julianus 13. §. ſi quis colludente &c. ff. de actionibus empti.* Cùm itaque impoſſibile ſit, ex contractu reciproco aliquem ita obligari, ut alter nullo modo viciſſim obligatus ſit, quia id eſt contra rationem contractûs reciproci, v. g. emptionis & venditionis, ſequitur etiam Eccleſiam aliquo modo obligari, videl. naturaliter, ſicuti in ſimili explicavi de pupillo *lib. 1. tra. 4. c. 9 n. 9.*

Ad primum Argumentum prioris ſententiæ reſpondeo, id ſupponi, quod in controverſia eſt, videlicet contractum ſine ſolennitate inſtitutum per legem ita irritari, ut neque naturaliter, ſeu in conſcientiæ foro valeat.

Ad ſecundum. Poteſtatem non deeſſe, in Prælato ſaltem, ſi Capitulum ſciat, & non contradicat, adeóque tacitè conſentiat, ad alienationem faciendam, ut prout-

do

de aliquo modo valeat, & aliquem effectum producat.

Ad tertium. Formam eam censeri substantialem alienationi spectatæ secundùm juris, & fori externi effectus, non item secundùm jus internum conscientiæ.

CAPITULUM II.

in Sexto.

Hoc consultissimo.

Paraphrasis.

In Concilio Generali Lugdunensi sub Gregorio X. prohibitum est Prælatis omnibus, ne Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, aut jura earum, Laicis submittant, seu subijciant, absque consensu Capituli sui, & Sedis Apostolicæ licentiâ, etiam concedendo ea bona, aut jura in emphyteusin, aut aliàs, quamvis in forma, & casibus à jure permissis, alienando, ita ut Laici recognoscantur, ea tanquam Superiores tenere, vel ut advocati; sed neque liceat, eos Patronos, & Advocatos Ecclesiarum, aut bonorum earundem perpetuò, vel ad tempus longum constituere. Porrò omnes contractus sine dictæ Sedis licentia, & Capituli consensu ita celebrati, etiamsi juramenti, aut pœnæ, aut alterius firmitatis robore muniti sint, & quidquid ex eis secutum fuerit, irriti declarantur, adeò, ut neque jus ex ijs, nec præscribendi facultas provenire possit; ipsi autem Prælati taliter contrahentes ipso facto ab officio, & administratione; & Clerici, si scientes contra inhibitionem hujus Canonis præsumptum esse, Superiori id denunciare neglexerint, à perceptione beneficiorum, quæ in Ecclesia ea gravata obtinent, per triennium suspensi sint. At verò Laici, qui Prælatos, vel Capitula Ecclesiarum, aliasve personas Ecclesiasticas ad hujusmodi submissiones faciendas hactenus compulerunt, nisi post competentem monitionem, remissâ submissione, quam per vim, aut metum exegerant, Ecclesias, & bona Ecclesiastica ipsis taliter submissa in libertate sua dimittant, & ij, qui inposterum Prælatos aut personas Ecclesiasticas ad talia facienda compulerint, cujuscunque conditionis, ac statûs sint, excommunicationis sententiâ sint affecti. Sin autem ejusmodi contractus hactenus celebrati sint, vel inposterum celebrandi, cum dictæ Sedis licentiâ, & Capituli consensu ex ijs vel occasione eorum Laici non usurpent aliquid ultrà id, quod natura ipsius contractûs, & apposita lex, 1
seu conventio permittit; qui autem secus egerint, si legitimè moniti ab ejusmodi usurpatione non destiterint, restituendo etiam, quæ ita occupárunt, eo ipso excomunicationem incurrant. Atque ex eo tempore ad terram ipsorum Ecclesiastico interdicto supponendam liberè procedatur.

Summarium.

1. *Prohibetur Ecclesiasticis, ne suarum Ecclesiarum bona, seu jura submittant Laicis, à quibus ea Dominis, vel Advocatis recognoscant.* 2
2. *Actiones, seu nomina debitorum, quando mobilibus, quando immobilibus annumerentur.*
3. *Potest Pontifex alienationes, sive contractus circa res Ecclesiasticas irritos reddere.*

NOtandum primum. Prohibitum est Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum, 1
ne Ecclesias, vel bona immobilia, aut jura earum submittant Laicis, ita, ut ab ipsis de novo tanquam dominis, vel advocatis recognoscant.

Pro intellectu adverte. Quòd recognitio talis sit species quædam contractûs, & donationis. Prout hîc notavit *Anchoran & colligitur ex hoc c. §. contractûs.* Potest enim aliquis dominium, aliúdve jus reale transferre in alterum solâ pactione, & non interveniente traditione, si videl. paciscatur, quòd rem precariò, vel ut conductor, aut

usufructuarius tenere velit *L. quisquis 28. Cod. de donationibus.* Adeò quidem, ut etiam possessio, juris fictione, transferatur, si is, qui donat, vel recognitionem promittit, se alterius nomine possessorem dicit, sicuti explicat *Bartolus in L. quod meo n. 2. ff. de acquirenda possessione. Anchoranus & And. hic*, & docui *lib. 3. tra. 1. c. 7. n. 2.*

Notandum secundum. Non tantùm bona immobilia, seu fundi, sed etiam jura, ex quibus census, reditus, seu utilitas annuatim percipi potest, sicuti locari, ita etiam in emphyteusin dari possunt, prout hîc monet *Gl. in notandis Anchoran. Francus & alij in principio cap.* nam emphyteusis aliud non est, quàm locatio in perpetuum, sive ad tempus longum, ita, ut jus utilitatis translatum censeatur, prout docet *Molina tra. 2. disp. 445.* Hac ratione locari, vel in emphyteusin dari potest jus molendini, jus vectigalis, aut telonij, jus typographiæ &c.

His duo adde, primum ex eodem *Anchorano*, recognitionem, ac donationem immobilium, & jurium tantùm prohiberi; at verò de mobilium donatione certa regula tradi non potest, sed attendere oportet ad quantitatem doni, sitne magnum, an parvum, & ad qualitatem donatarij, sitne benè meritus, necne; denique ad qualitatem Ecclesiæ, ex cujus bonis donatur, sitne dives, an indigens, sicuti docetur *in c. 3. de donationibus.*

2 Alterum ex *Gl. hic V. jura.* quòd jura & reditus annui, si rei immobili adhæreant, sive ex re immobili proveniant, inter bona immobilia numerantur. *auth. de non alienandis. §. nosigitur.* Adeò quidem, ut super annuis v. g. pensionibus spoliato detur interdictum *unde vi juxta c. querelam 24. de electione, & dixi in disp. de restitutione spoliatorum assertione 21.*

Sed quid dicendum de actionibus, seu nominibus debitorum, num inter bona immobilia, an verò mobilia numerentur? Respondetur cum Bartolo *in L. movenrium. ff. de verborum significatione. Anchoran. hîc col. 2. Franco n. 4. Abb. in c. nulla n. 9. extra. hoc tit.* quòd propriè ac per se in neutra bonorum specie comprehendantur nomina, sed tertiam bonorum speciem constituunt, sicuti apertè habetur *in L. à Divo 15. §. in venditione juncta G. v. ad jura fi de re judicata.* Quare si testator Titius omnia mobilia bona legârit, item si Caius bona sua immobilia reliquerit, neutrâ appellatione nomina debitorum, seu debitæ mutuo, vendito &c. comprehendunturnam verba testamenti propriè accipienda sunt *L. qui hæredi ff. de conditionibus & demonstrationibus.* Nomina autem sive debita, & obligationes, nec mobilia, nec immobilia propriè sunt. Cæterùm si talis bonorum distributio fiat, ut necessarium sit sub altera specie, debita, sive nomina comprehendi, tunc accessoriè pertinent ad eas res, quarum debita sunt, ita ut actiones, quæ sunt ad res immobiles, inter bona immobilia; at verò actiones, quæ sunt ad pecunias, & alias res mobiles, inter mobilia numerentur, secundùm *Gl. receptam in cit. auth. de non alienandis rebus Ecclesiasticis. §. 1. Bartolum in L. potest. ff. de auctoritate tutorum, & alios cit.* Exemplum habes. Si testator de omnibus suis bonis testari volens, immobilium tantùm, & mobilium bonorum faciat mentionem, tunc nomina, & actiones venient accessoriè; & similiter cùm in jure Canonico alienatio immobilium rerum prohibita sit, mobilium autem, nisi sint pretiosæ, quæ & servari possunt, concessa in hac generali rerum distributione, nomine bonorum etiam jura actionum, seu nomina, & instrumenta debitorum pecuniariorum comprehenduntur, ut & hæc alienari possint à Prælato, prout hîc monet *Anchoran.* & docui *lib. 3. tra. 4. de justitia c. 10.*

Notandum tertium. Prælati Ecclesiarum, & Capitula non debent sibi Patronos, sive Advocatos de novo constituere in perpetuum aut ad tempus longum, sed ita tantùm, si necessitas postulare videatur, ut advocatiæ jus revocari possit. Ratio est, quia Domi-

Domini sæculares sub titulo, ac jure advocatiæ sibi competentis Ecclesias sæpè gravant; ac varias jurisdictiones sibi arrogant.

Notandum quartò. Pontifex potest alienationem, sive contractum circa rem Ecclesiasticam ita prohibere, ut omni jure irritus sit, nullúsque omninò ex eo effectus sequatur, dummodo id sufficienter exprimat, alioquin verò si contractus suapte naturâ subsistat, infirmatio Legis, aut Canonis censetur tantùm referri ad civilem, seu externi fori rescissionem; juxta ea, quæ dixi *in c. præcedente, & lib. 1. tra. 4. c. 16. n. 6. & 9.*

Notandum quintò. Id, quod natura cujusque contractûs postulat, impleri debet, nisi specialia pacta, sive conditiones appositæ sint, eæ enim, nisi sint contrariæ, observandæ sunt, quia contractus ex conventione Legem accipunt *regulâ 23. ff. & regula 85. in 6.* & notavit *Gl. hic v. lege.*

TITULUS XIV.

DE PRECARIIS.

POstquam de alienationibus, & contractibus generatim dictum fuit, consequens est, ut de contractibus plerisque in specie dicatur.

CAPITULUM I.

Precariæ.

PARAPHRASIS.

De quinquennio in quinquennium Precariæ secundùm Canonem, & antiquam consuetudinem renovari debent.

SUMMARIUM.

1. *Quid sint Precariæ, & in quo differant ab Emphyteusi?*
2. *Multùm circa hunc, & alios contractus potest consuetudo.*

PRo intellectu adverte, Precarium contractum dici, quo res immobilis alicui conceditur in perpetuum ad vitam ejus, vel ad tempus longum, ita ut sit beneficij cujusdam loco; nam in hoc fere solùm videtur iste contractus differre ab emphyteutico, quod Precariæ ferme gratis fiunt, & ad preces alicujus, unde etiam nomen acceperunt, quamvis nihil obstet etiam in ijs pensionem aliquam constitui, ut si rusticus petat ab Ecclesia fundum sibi concedi, in quo molendinum constituat, promittens annuatim certam pensionem.

Id quoque peculiare est, quòd contractus iste, maximè si pensio, & recognitio annua solvi non soleat, per quinquennium in quinquennium renovari debeat, ne videl. ob temporis longinquitatem concessionis memoria pereat, & res ab Ecclesia alienata videatur *c. longinquitate 64. causa 12. q. 2.* ubi dicitur: longinquitate sæpè fit temporis, ut non pateat conditio originis. Quare sicuti emphyteuta cadit à jure suo, si investituram tempore legitimo non petat, ita & precarium habens, nisi renovationem tempore constituto petat *argum. cit. c.* & tradunt hîc *Hostien. Joann. And. Abb.* & alij *contra Gl. finalem.* In his tamen attendendum est ad consuetudinem loci cujusque, secundùm quam contractus quilibet in dubio intelligi, & observari debet *argum. L. quòd sinolit 31. §. quia assidua ff. de ædilitio edicto*, & tradit *Bartolus in L. nemo est n. 5. ff. de duobus reis*, & exempla dat *Eberhardus in locis lo. 104. n. 9.* quòd electo ad officium in dubio censeatur constitutum salarium consuetum consideratâ conditione, & consuetudine tum officialis, tum Domini, secundùm *Bartolum in L. 1. §. illud quo-*

que ff. de varijs cognitionibus. Item si in locatione facta non sit mentio de certa mercede, ea secundùm consuetudinem præteritam solvenda est, & generatim loquendo, si nihil expressum sit in contractu, id tacitè videtur actum, & conventum, quod est de consuetudine loci, sicuti docet *Bald. in L. 1. q. 2. cod. pro socio.*

CAPITULUM II.

De precarijs.

Paraphrasis.

Rectores quidam Ecclesiarum contractus precariarum irrationabiliter instituerunt, obligantes se, & successores sub certa pœna ad observationem; in hoc casu successores, non obstante adjectione pœnæ quippe quâ non obligantur, res ita concessas ad Ecclesiam revocare possunt.

Summarium.

1. *Quia potestatem habet contrahendi, habet etiam jus pœnæ conventionalis adijciendæ.*
2. *Cadit tamen adjecta pœna, si contractus lege restituente factus, vel nullus sit, vel infirmari debeat.*

1 NOtandum primum. Prælatus aut alius administrator, habens potestatem contrahendi nomine Ecclesiæ, aut communitatis, potest adijcere pœnam conventionalem. Ita colligitur ex *hoc c. & c. dilecti 4. c. per tuas. 9. de arbitris* & tradit *Abb. hic n. 3. post Gl. v. pœnâ.*

2 Notandum secundò. Si contractus fiat contra legem, sive lege resistente, & ideò infirmus sit, vel infirmandus, etiam adjectâ pœnâ cadit, nam accessorium naturam sequitur principalis, *regula 42. in 6.* Ita *Gl. & Hostien. hic* & sumitur ex textu, cùm enim precaria, & quævis alienatio facta à Prælato irrationabiliter, & in damnum Ecclesiæ sit contra Canones, atque à successore, imò etiam ab ipso Prælato concedente, vel alienante possit, ac debeat rescindi, sequitur, quòd etiam pœna nomine Ecclesiæ apposita corruat.

Secus autem est dicendũ, si contractui lex non resistat, sed tantùm non assistat, sive ut marginalis Glossa loquitur in *L. pacta 6. C. de pactis.* si contractus non sit contra Legem, sed præter Legem; tunc enim appositio pœnæ valet, esto contractus non subsistat *argum. L. stipulatio. 38. §. alteri ff. de verborum obligationibus.* Ubi dicitur licèt alteri stipulari non possim, si mea non intersit, ut alteri detur, posse tamen ut stipulationi pœnam adijci, v g. nisi debeat Titio, tantum mihi solves; tunc enim non J. Ctus, non inspicitur, quid intersit, sed quæ sit quantitas, & quæ conditio stipulationis.

Non obstat his L. *si procurator 7. ff. de jure fisci*; nam speciale id censeri debet, quod ibi decernitur, si procurator fisci duplum, vel triplum pro evictione promiserit, simplũ duntaxat à fisco præstandũ esse; quemadmodum & id speciale est, quod subjungitur, si is, cui facultas vendendi rem fisci data est, vendiderit, emptoris non effici, nisi pretium solutum sit: quare idem dicendum de re Ecclesiæ vendita; quidem enim Ecclesia privilegijs fisci, adeoque si procurator rem Ecclesiæ vel rem minoris tu vendiderit, non transferri dominium ante pretij solutionem, tradit *Accursius* citat. L. *ibidem Bartolus in L. à Divo. §. si emptor. n. 3. ff. de re judicata, Molina tra. 2. disp. 338. in fine.* Quòd verò *Abb. n. 6.* eandem doctrinam ad Prælatum rem legitimè alienantem transfert, id non sua ostendi potest, cùm lex illa, *Si procurator*, & ibidem Accursius, Bartolus, & alij loquantur de procuratore, ac mandatario, cujus restrictior potestas est, quàm Prælati, ideò major, ac liberior administratio huic concessa exigere videtur, ut in casu, in quo licitè rem alienat, etiam fidem de pretio habere possit, præsertim quam si ratio, & causa alienandi cesset, nisi pretium statim numeretur, videl. ad Ecclesiæ debita solvenda.

CAP.

CAPITULUM III.

Precarium.

Paraphrasis.

Dicitur Precarium, quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur; solvitur quoque precarium morte ejus, cui concessio ejus facta est, non item morte concedentis. Item si is, qui concesserat, rem alienaverit, & dominus, cui alienatio facta est, nolit ab altero retineri, seu possideri; sed alia ratio est de precarijs, quæ de possessionibus Ecclesiarum fieri solent, ex enim arbitratu concedentium revocari non possunt.

Summarium.

1. *In quibus cum Commodato conveniat Precarij contractus, & in quibus differat.*
2. *Res precariò concessa semper revocari potest.*
3. *Non debet tamen statim revocari, alias de dolo competeret exceptio.*
4. *Est beneficium personale precarium, quod non transit ad successorem.*
5. *Neque tamen extinguitur per mortem concedentis, nisi pendeat concessio à positiva voluntate concedentis.*
6. *Potest etiam emptor rem precariò concessam sibi venditam revocare, si res talis fuit illi vendita, nondum tamen tradita.*
7. *Contractus Precariarum diversus est à contractu Precarij.*

1 NOtandum primum. Precarij contractus in multis convenit cum Commodato; sicuti enim in commodato dominium non transfertur in accipientem *L. rei. 8. & seqq. ff. commodati*, sed usus tantùm rei mobilis, aut immobilis *L. 1. ff. eodem*, nulla interveniente mercede, sed gratis, alioquin locatio, & conductio esset *§. item is. Institutis, quibus modis re contrahitur obligatio*, ita etiam se res habet in precario, sicuti videre est *in L. 1. ff. de precario, & in hoc c.*

Differunt tamen Commodatum, & Precarium primò. Qui commodatam rem accepit, sive commodatarius, ne naturaliter quidem possidet *cit. L. rei.* ubi dicitur, quòd is, qui rem commodat, tam possessionem, quàm proprietatem retinet, *& in §. possidere. Institutis de interdictis*, quòd aliquis corporalem, seu naturalem possessionem per alium retinere possit, videlicet per eum, qui nomine ipsius possidet, cujusmodi est colonus, inquilinus, depositarius, & commodatarius, etenim is possidet, cujus nomine possidetur; adeò, ut procurator possessionem meo nomine accipiens mihi eam acquirat. *L. quod meo. 18. ff. de acquirenda possessione.* At verò, qui precariò rem habet, is naturaliter possidet, ut adeò, si turbetur à possessione (non ab ipso domino, sed ab alio) possit intentare interdictum *uti possidetis L. qui precario. 17. ff. de precariò in fine. ff. uti possidetis*, idémque sentiendum de interdicto *unde vi*, teste *Menoch. remedio 15. possessionis recuperandæ n. 56.* His adde, si colonus, commodatarius, vel precariò rem habens, intervertant possessionem, videlicet dominum, vel eum, qui à domino causam habet, v. g. emptorem in possessionem non admittendo, tunc quia ipsi possidere incipiunt, eisdem contra quoslibet turbantes, aut dejicientes, adeóque etiam contra dominum interdicta competere possunt *argum. L. colonus 12. ff. de vi & vi armatâ.*

Secundò. Res, quæ precariò conceditur, 2
eo pacto datur, ut semper integrum sit danti revocare, sicuti constat ex *hoc c. & L. 1. ff. eodem.* ubi additur, quòd precariò datum species quædam sit liberalitatis, sed differat à donatione: nam qui donat, sic dat, ne recipiat; at qui precariò concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cùm sibi libuerit, precarium solvere. Verùm, quod commodatur, ad certum tempus conceditur utendum v. g. usque ad calendas Maij,

vlo

vel ad certum usum, cui perinde tempus tacitè, seu implicitè incluſum est, ita, ut ante transactum tempus, usúmve revocare non liceat, alioquin contraria commodati actio adversus commodantem competit, si commodatarium re commodata, prout conventum est, v. g. equo Augustam usque uti non permiſit L. *in commodato. 17. §. ſicuti. ff. commodati.* Ubi ratio adjungitur: quia licèt officium commodandi ab initio sit liberæ voluntatis, ac proinde commodator modum, tempúsque, secundùm quod re uti liceat, vel non liceat, arbitratu suo præscribere possit, tamen postquam mutuo consensu pactum, conventúmque est, obligatio, & necessitas præstandi incumbit.

§ Cæterùm tametsi precarium arbitratu concedentis revocari possit, non debet tamen statim sine urgente necessitate revocari, alioquin exceptioni de dolo locus erit, sicuti ex communi tradit *Covaruvias lib. 3. resolutionum c. 17. n. 6. Mol. tra. 2. disp. 298. n. 2.* Quod idem in mutuo etiam locum habet, cujus ratio est, quia adjuvari, non decipi, aut lædi nos beneficio opporter, L. *in commodato 17. §. ſicut. & c. unico tit. ſequente.*

Objicitur L. *in rebus 4. §. finali ff. de precarijs*, ex quo textu constat, quòd res aliqua precariò concedi possit ad tempus certum, v. g. M ij. Respondetur, precarium non eo præcisè à commodato differre, quòd unius concessio ad tempus certum fiat, alterius non fiat; sed discrimen in hoc consistere, quòd commodatum semper fiat ad usum temporis, seu expressè, seu implicitè determinati, ita, ut ante transactum tempus revocare non liceat; at verò precarium, licèt concedatur aliquando ad tempus definitum, tamen etiam intra illud revocari potest L. *cum precario 12. ff. de precarijs*, & tradit *Gl. hic. V. per conventionem*

Dices. Si is, qui precariò dat, semper revocare potest, sequitur, frustrà concedi ad certum tempus. Respondetur, non esse frustra, propterea, quòd in precario possessio juris, seu facultatis transferatur, quam ille, cui concessio fit, retinet, quamdiu non revocatur, imò transacto illo tempore, si revocatio non fiat, censetur iterum facta precarij concessio, ac veluti renovatio quædam *cit.* L. *in rebus §. ultimo*, & ideò amplius est beneficium precarij, quàm commodati; nam commodatario incumbit, ut finito tempore rem restituat, at verò, qui precariò accepit, retinere potest, donec revocetur.

Id verò in pactum deduci non potest, ut aliquamdiu rem precariò habeas, ita ut a te revocari non possit, sicuti habetur expressè *in cit.* L. *cùm precariò.* ubi etiam ratio adjungitur: nam is, qui precariò habet, in possessione est, atque conventio hæc irrita est, ut quispiam rem Domino invito possidere possit, quam ob rem *Bartolus in cit.* L. *cùm precariò* generalem regulam tradit, quòd pactum adjectum contra substantiam contractûs est nullum; in dubio tamen talis conditio explicari potest, ut valeat, atque concedens commodare voluerit, licèt precarium appellaverit. *arg.* L. *ubi ita donatur 27. ff. de donationibus mortis causa.* ubi generalis regula traditur ab eodem Bartolo, quòd conditio adjecta contra naturam contractûs, si possibilis est, & si ratio patitur, eum transire faciat in pactum contractum.

Corollarium primum. Beneficia regularium, & aliorum Clericorum mendicantium, item privilegia, & facultates, seu gratia Principium, censeri debent precariò data, siquidem precarij conditiones in iis reperiuntur, cùm beneficiarius, manualis vel verè habeat possessionem juris beneficialis, & tamen arbitratu Prælati amoveri possit. Interdum etiam beneficium confertur alicui ad annum, cujus concessionis ea conditio est, ut beneficiarius tamdiu permanere possit, si non revocetur, sed transacto anno concessionis suæ renovationem petere debeat.

Coroll-

Corollarium secundum. Si quis fratribus Ordinis Minorum esculenta, poculenta, aliáque à fidelibus donata auferat, verè furtum committit, quia injustè eos privat usu, ac possessione rerum, tametsi profiteantur, se precariò habere à largientibus, ita, ut ipsimet sine injuria repetere possint.

4 Notandum secundum. Precarium est beneficium personale, nec transit ad successorem, aut hæredem. Id verò intelligi debet, si alicui personæ simpliciter facta sit precarij concessio, censetur enim gratia personalis, quæ cum persona extinguitur *regula 7. in 6.* Interim nihil prohibet, quin concessio fiat dignitati, ita ut ad successorem in dignitate transeat, prout hîc *Abbas n. 5.* significat, *& Molina tra. 2. disp. 298. n. 10.*

5 Notandum tertium. Precarium non extinguitur morte concedentis, ita *hic & cit. L. cum precariò, & L. quæsitum 8 §. quod à Titio ff. eodem*, nam precarium est species quædam gratiæ, ac veluti privilegium; gratia autem manet, quamdiu revocata non fuerit: at verò per mortem non censetur revocata gratia *c. si super. 9. de officio delegati in 6.* quia ad revocationem gratiæ, facultatis, aut juris, in cujus possessione alter est, requiritur actus positivus, uti explicavi *lib. 1. tra. 4. c. 23. n. 17.*

Secùs verò dicendum, si gratia, vel res aliqua precariò concessa sit usque ad beneplacitum, seu quamdiu voluero, ita, ut gratia, seu concessio pendeat à positiva voluntate concedentis, quæ per mortem ejus tollitur, sicuti habetur *in c. si gratiosè 5. de rescriptis in 6. & L. locatio 4 ff. locati.* ubi idem dicitur de locato.

Corollarium primum. Licèt Prior claustralis ab Abbate constitutus, ad nutum ejusdem amoveri possit *c. cùm ad monasterium 5. §. tales. de statu Monachorum.* tamen mortuo Abbate durat ejus officium, donec à successore, vel alio superiore amoveatur; præterquam, si prælatus eum in officio posuerit ad beneplacitum suum, nam beneplacitum extinguitur per mortem, prout suprà dixi, & notavit *Abb. hîc. n. 6.* & quod hîc dico de Priore claustrali, similiter intelligi debet de omnibus beneficiarijs obedientialibus, seu amobilibus ad nutum.

Corollarium secundum. Officium Vicarij Generalis non incongruè dici potest precariò datum, non obstante, quòd mortuo Episcopo constituente, potestas ejus expirat, prout docui *in disp. de jurisdictione. concl. 120.* siquidem ex suprà dictis constat, ad essentiam precarij non pertinere, ut mortuo concedente non expiret, cùm etiam eo modo officium, potestas, aut res quælibet concedi possit, ut à durante voluntate concedentis necessariò pendeat.

Notandum quartum. Si res precariò 6
data, alienata sit, v. g. vendita, emptor eam revocare potest; ratio est, quia precariò datum semper est gratia, & liberalitas, & ideò fieri non potest, ut domino invito retineatur, sicuti hîc dicitur; sin autem successor, seu universalis, seu particularis, non revocet, tunc ab eo res precariò haberi incipit *cit. L. quæsitum §. quod à Titio & §. illud.*

Objcitur. Dominium rei venditæ non acquiritur emptori sine traditione, adeóque non apprehensâ naturali possessione. L. *traditionibus 20. eod. de pactis.* Cùm itaque is, qui precariò rem accepit, in possessione naturali sit, & non venditor, qui precariò dedit, ut suprà dictum, consequens est, quòd emptor rei precariò concessæ dominus effici non possit. Ad id communiter respondent Canonistæ, Hostien. Andreas, Panormit. & alij, quòd id fiat per viam constituti *juxta Legem quadam 77. ff. de rei vindicatione.* Sed non videtur tolli difficultas, cùm non satis appareat, quâ ratione is, qui rem precariò dederat, eandem vendendo, emptorem dominum efficere possit, constituendo, seu declarando, quòd ipsius nomine possidere rem velit; licèt enim id fieri possit, si venditor rem naturaliter possideat, dicátque, se in posterum nomine emptoris, aut donatarij possessurum sive simpliciter, sive ut custodem, aut commodatarium, vel ut conductorem, vel

ut precariò habentem juxta *cit.* L. *quædam.* & docui *l. 3. tra. 1. c. 7. n. 2. v. 2.* attamen in casu nostro is, qui precariò dedorat, non nisi civiliter possidet, naturali possessione penes alterum remanente. Quare non improbabiliter dici posse videtur, esse hunc casum specialem, in quo dominium transferri queat possessione rei naturali penes alterum existente: nihilominus necessaria esse videtur traditio, & ita quidem, ut is, qui precariò rem habet, constituat, ac declaret se ab emptore, jam ut domino, rem habere, ac proinde sit veluti renovatio quædam precarij. At verò in successore universali seu hærede continuatur precarium, tametsi is, qui precariò accepit, ignoret hæredem esse *cit.* §. *quod à Titio*, cujus ratio esse videtur, quia hæres dominium rei acquirit per solam hæreditatis additionem sine naturali possessione, prout docui *lib. 3. tra. 1. c. 5. n. 8.*

Alius casus etiam est, in quo dominium alicui acquiritur possessione apud alium existente, videlicet, si ex mandato meo procuratori detur, cùm tamen ipse per se accipiat *L. qui mihi 13. ff. de donationibus*, juncta L. 1. §. *per procuratorem. ff. de acquirenda possessione.*

Notandum quintum. Contractus Precariarum longè diversus est à contractu Precarij, de quo hìc egimus. Siquidem precariæ locum tantùm habent in possessionibus, sive rebus soli. At verò precariò deri possunt, tam res mobiles, quàm immobiles, item jura, seu servitutes v. g. iter actus L. 2. §. *ult.* & L. 3. *ff. de precario.* Deinde precariæ revocari non possunt, antequam tempus concessionis elapsum sit, secuti hìc habetur, & *in c. 1. eodem tit.* verò precarij natura est, ut semper revocari queat, ex quibus intelligitur precarium contractum in multis convenire cum emphyteutico.

* *
*

TITULUS XV.

DE COMMODATO.

CUm Precario similitudinem gerit Commodatum, sicuti dixi *in c. 1. tit. præcedentis*, & ideò post precarium de commodato subjungitur.

CAPITULUM VNICVM.

Cum gratia &c.

PARAPHRASIS.

Si quispiam rem commodatam acceperit ob suam duntaxat gratiam, de levissima etiam culpa tenetur. Sed casum fortuitum præstare non debet, nisi vel culpâ suâ causam præbuerit, vel ob restituendi moram res perierit, aut deterior facta sit, vel denique ad fortuitum casum se sponte obligârit. Porrò adversus commodatarium actio commodati (quæ dici solet directa) intentari non potest, si post expletum usum, cujus causâ commodata fuit, cùm non decipi ne beneficio oporteat, sed adjuvari.

SUMMARIUM.

1. *Ex contractu in accipientis commodum instituti tantùm, quo modo communiter constituitur contractus commodati, etiam levissima culpa præstanda est.*
2. *Excipitur contractus precarij.*
3. *Casum tamen fortuitum non præstat taliter contrahens.*
4. *Nisi etiam hoc in pactum deductum fuerit, aut culpa commodatarij antecessi-*

teceſſerit, vel hic in culpabili mora reſtitutionis fuerit.

5. *Competit commodatario contra commodantem actio, ſi rem ad certum uſum commodata, nondum finito hoc uſu, ab eo repetat.*

1 NOtandum primum. Si contractus inſtituatur in commodum unius duntaxat, videlicet accipientis, ſicuti plerumque in commodato evenit, is omnem culpam etiam leviſſimam præſtare debet, ita ut quælibet omiſſio diligentiæ in re conſervanda ipſi imputetur. Ita *hic & in L. ſi ut certo 5. §. nunc videndum. ff. commodati.* & explicavi *in lib. 3. tra. 4 c. 7.*

2 Excipitur autem precarium, in quo dolus tantùm & culpa lata, ea, quæ dolo æquiparatur, præſtari debet *L. quæſitum 8 §. eum, qui. ff. de precario.* Ratio ibi affertur, quia contractus precarij continuam gratiam, & liberalitatem continet, quippe cùm is, qui precariò dedit, ſemper revocare poſſit, ſi velit; gratiam autem & beneficium latè explicari convenit, ut per id plurimùm tribuatur accipienti, & juxta *regulam 16. in 6.* odia reſtringi, favores autem ampliari debent.

Dixi autem, commodati contractum plerumque inſtitui in gratiam accipientis: nonnunquam autem contrà evenit, ut in gratiam dantis, & non accipientis celebretur; tunc autem non niſi dolus, vel lata culpa æquiparativa præſumptivè præſtatur, ut ſiquis ſponſæ ſuæ, aut ſorori commodârit ornamenta, quò honeſtiùs ad ſe duceretur *cit. L. ſi ut certo. §. interdum.*

3 Notandum ſecundum. Caſum fortuitum præſtare non debet commodatarius. Ita *hic & in L. argent. 20. ff. commodati.* Et habet id etiam locum in precario, conducto, depoſito, pignore, dote, & ſimilibus contractibus dominij non translativis, prout videre eſt in L. *contractus 23. in fine. ff. de regulis juris.* Quam ob rem in his etiam contractibus locum habet regula recepta *in L. pignus 9. cod. de pignoratitia actione.* ſi quid caſu fortuito pereat, domino ſuo perit. Adde, idem quoque eſſe ſervandum in commutationibus. Ut ſi res ante traditionē, ideóque priuſquam contractus perfectus ſit, caſu pereat, domino ſuo pereat, exempli cauſa, ſi convenias cum Cajo, ut equum ipſi tradas pro tribus ab ipſo mittendis vaccis, ísque vaccas tibi mittat, quæ in via fulmine pereunt, moriuntur, aut auferuntur, damnum eſt mittentis Caij, eò quòd commutationis contractus impletus non cenſeatur, donec res traditæ ſint. Sed alia ratio eſt de emptionis contractu, ſi res in ſpecie, ſive determinata, videlicet Bucephalus, empta ſit; cùm enim iſte contractus ſolo conſenſu perficiatur, ideò ſi res ante traditionem abſque culpâ, & morâ venditoris pereat, emptoris damno id evenit *Inſtit. de emptione, & venditione. §. cùm autem.* & docui *lib. 3. tra. 4. c. 7. n. 3.*

Corollarium. Si emptio & venditio in ſcripturis peragenda ſit, & res poſt conventionem initam, priuſquam ſcriptura perfecta ſit, caſu pereat, non emptoris, ſed venditoris damnum eſt, juxtà L. *contractus 17. Cod. de fide inſtrumentorum*, & habetur expreſsè *in cit. §. cùm autem juncta Gl. v. ſtatim.*

Excipiuntur autem in *textu hujus Capituli*, & *in c. 2. de depoſito* tres caſus, in quibus etiam fortuitus eventus à commodatario, conductore, & ſimilibus præſtari debet. Primò ſi ita conventum fuit; nam contractus ex conventione Legem accipiunt L. 1. *§. ſi convenit. ff. depoſiti. & cit. L. contractus. ff. de regulis juris.* 4

Secundò. Si culpa anteceſſit, ex qua mortis damnum, aliúsve infelix caſus, ſeu eventus ſecutus eſt, exempli causâ, ſi tibi equum commodavero, ut ad villam duceres, tu autem ad bellum duxeris, tuo id periculo agis, ſi equus occiſus fuerit *cit. L. ſi ut certò §. ſed interdum.*

Tertiò. Si culpabilis mora reſtituendi rem certam, ſeu in ſpecie debitam anteceſſit, & interitus inde ſecutus ſit, debitor damnum præſtare debet L. *ſi ex 23. & L. ſequente ff. de verborum obligationibus, & L. promiſſor 23. ff. de conſtituta pecunia.* ubi

significatur, si Stichum debeas, isque post post moram tradendi mortuus sit, pretium seu æstimationem ejus à te solvendam esse.

Adverte tamen, quod dixi primò, si res determinata, seu in specie debeatur v. g. hic equus: sin autem in genere seu indeterminatè v. g. bos ex grege aut pecuniæ quantitas v. g. mille aurei, casus fortuitus semper ad debitorem spectat, quia genus perire non potest. *L. incendium* 11. *C. si certum petatur. L. in ratione* 30. §. *incertæ. ff. ad Legem Falcidiam*, & docui *cit. tra. 4. c. 7. n. 4.*

Secundò dixi: si mora restituendi culpabilis fuit. De hac enim intelligi debet Juris regula 25. *in 6.* mora sua cuilibet nociva est. Idque sumitur ex L. *illud 40. ff. de hæreditatis petitione. L. utique 16 ff. de rei vindicatione. L. de eo* 12. §. *si post. ff. ad exhibendum*, ex quibus habetur, quòd is, qui distulit rem restituere, quia justam differendi causam habuit, existimans v. g. se non debere, & ideò in judicio contendens, damnum præstare non debeat, si absque culpa sua res post litem contestatam perijt; consentit *regula 43. ff. qui sine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.* Nec obstat, quod dicitur in L. *sed etsi* §. *si ante. ff. de petitione hæreditatis*, quòd post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse; id enim non propriè intelligi debet, prout explicavi *in lib. 3. tra. 2. c. 4. n. 1.* sed tantùm in ordine ad omnes fructus, qui posteà percepti sunt, restituendos, *juxtà L. Bona fidei 48. ff. de acquirendo dominio. &* L. 12. *cod. de rei vindicatione.*

Tertiò dixi. Si ex illa mora tanquam ex causa secutus est interitus rei, aliúsve infelix casus; qui enim causa damni est, damnum dedisse censetur, & ideò illud resarcire debet. Veruntamen si res, quæ post moram, quamvis culpabilem, interijt, similiter etiam interitura fuisset, tametsi suo tempore, & loco restituta esset, damnum præstare non debet morosus debitor, cùm non fuerit causa interitûs L. *si plures* 14. §. *ult. ff. depositi*: & explicavi fusè in *cit. tra. 4. n. 2.*

Excipiendus autem hinc est fur, raptor, & invasor, apud quem, si res perierit absque culpa ejus, æstimationem restituere cogitur, tametsi similiter apud dominum perijsset *argum.* L. 1. §. *rectissimè. &* L. *penultima.* ubi id tradit *Gl. V. frustrator. ff. de vi. Dominicus Arumæus in tra. de mora c. 8 n.* 2. Verùm hæc exceptio est in pœnam, & odium furti, aut rapinæ, & ideò non obligat debitorem in conscientiæ foro, & ante judicis sententiam. Vide, quæ dixi *in cit. tra. 2. c. 4. n. 2. & 3.*

Notandum tertium. Is, qui commodavit ad certum usum, nondum finito usu, rem commodatam repetere non potest, alioquin si commodatarius damnum exinde incurrat, quia re commodata juxta conventionem uti non potuit, agere potest adversus commodantem contraria commodati actione. Ita *hic & in* L. *commodato* 17. §. *sicut. ff. commodati.* ubi id fusiùs explicatur, & dicitur, tametsi quædam in principio beneficij ac liberalis voluntatis sunt, ut alieni negotij, aut mandati susceptio, commodatio, tamen in mutuas transire obligationes, ac præstationes, actionésque, voluntatis enim [illegible] susceptum mandatum, necessitatis consummare. Quare si ad restaurandas ædes tigna commodâsti, postea verò subtraxisti, cùm alia habere non posset, aut si tigna vitiosa sint, de secuto damno teneberis *cit.* §. *sicut.*

TITU-

TITULUS XVI.

DE DEPOSITO.

ISte etiam est contractus dominij non translativus, qui non solo consensu, sed rei traditione perficitur. Quare ipsum vocabulum dationem significat, quemadmodum & mutuum, commodatum &c. de quibus dixi *lib. 3. tra. 4. c. 3. n. 2.* Differt autem Depositum à Commodato, & Precario tum in alijs, tum in eo maximè, quòd contractus Commodati, & Precarij instituuntur ob gratiam accipientis. At verò Depositum ob gratiam dantis, seu deponentis.

CAPITULUM I.

Gravis &c.

PARAPHRASIS.

Episcopus Londonensis pecuniæ summam deposuit penes Canonicum; qui ob iniquitatem ab Alex. III. hîc Belial appellatur, qui pecuniam contrectavit, & subripuit. Hoc in casu respondit Papa, contra Canonicos ejusdem Ecclesiæ agi non posse ad restitutionem pecuniæ, cùm non constet, eam in utilitatem Ecclesiæ conversam fuisse, & pecunia illa personæ, non autem Ecclesiæ fuerit commendata, sed in ipsum furem sive Belial, actio intentari debet; quocirca Pontifex judicibus quibusdam mandat, ut iniquum illum quæstionibus subijciant etiam vinculis, si opus esse videatur, alligatum, ut ea ratione pecuniam surreptam restituere compellatur. Sin autem Episcopus cum Canonicis amicabiliter convenire possit, circa redituum aliquam perceptionem, id gratum sibi fore Pontifex ait,

SUMMARIUM.

1. *Depositarius re deposita utens, invito domino, furtum committit.*
2. *Neque tamen Ecclesia, aut monasterium obligatur, si quod depositum est apud Canonicum, aut Religiosum v. g. cum licentia Prælati, patiatur, nisi in quantum in utilitatem monasterij, aut Ecclesiæ versum est.*
3. *Obligatur tamen, si Prælatus cum Capitulo depositum accepit.*
4. *Potest Clericus torturæ subiyci etiam in causa depositi contrectati, & juxta consuetudinem, etiam per Laicos ex mandato, & auctoritate Prælati.*

NOtandum primum. Si quis re apud se 1
deposita, Domino invito, utatur, v. g. sacculum argento plenum resignet, aut pecuniam expendat, furtum committere censetur L. 3. *Cod. depositi.* L. *si sacculum 29. ff. eodem.* & docui *Lib. 3. tra. 4. c. 25. n. 3.* & qui eo nomine condemnatur, infamis efficitur L. *qui depositum 10. Cod. eodem.*

Notandum secundum. Si quid penes Ca- 2
nonicum, aut Religiosum depositum sit, & dolo ejus perditum, aut deterius factum sit, Ecclesia, aut monasterium non obligatur, nisi quatenus ad Ecclesiam aliquid pervenit, sive in rem, utilitatémque ipsius versum fuit. Ita sumitur *ex hoc 6.* & tradit *Gl. recepta hic. V. utilitatem.* Priorem partem notandi rectè ampliat *Mol. tra. 2. disp. 525.* tametsi Clericus, vel Religiosus cum consensu Prælati sui depositum accepisset, Eccesiam seu monasterium non obligari, quemadmodum nec obligaretur, si Prælatus ipsemet absque Capituli consensu accepisset; nam delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare. *regula 76. in 6.* Cùm itaque depositarius

non teneatur ex depositō, nisi de dolo, aut culpâ latâ, quæ dolus præsumptus dicitur, ut *in c. sequente* declarabitur, sequitur hinc, quòd Ecclesia ratione depositi accepti à Prælato, Religioso, aut Clerico non obligetur. Ita etiam docui *in cit. c. 25. n. 6.*

Alteram partem notandi tradidi eodem *tra. 4. c. 27. §. quod ad alterum.* Si persona in potestate constituta contraxerit, videl. servus, filiusfamilias, aut Religiosus, v. g. mutuum, aut depositum acceperit, dominum, patrem, vel monasterium non obligari, nisi quatenus ad ipsum pervenit, sive in rem, aut utilitatem ejus versum fuit, quâ de re videatur *lex 1. & L. 3. §. in rem autem, & tot. tit. ff. de in rem verso.*

5 Notandum tertium. Si ipsa Ecclesia, v. g. Prælatus cum Capitulo seu Conventu depositum accipiat, obligatur Ecclesia. Ita *Gl. finalis communiter recepta*, nam Prælatus & Capitulum Ecclesiam repræsentat, ait *Abbas hic n. 10. ex c. requisivisti 15. de testamentis junctō c. scire 7. causâ 7. q. 1.* Neque tenetur alter in hoc casu aliter probare pecuniam, aliámve rem depositam à se, versam fuisse in utilitatem Ecclesiæ, cùm id jure cautum non reperiatur, sicuti in mutui contractu, prout docui *cit. tra. 4. c. 15. n. 6.* & tradit *Innoc. hic Mol. tra. 2. aisp. 300. n. 2.* licèt aliam theoriam afferat *Abb. in fine c.*

4 Notandum quartò, Clericus torturæ subijci potest, etiam in causa depositi contractati. Ita habetur *in hoc c.* nam inprimis, quòd Clerici etiam Sacerdotes, si de crimine gravi suspecti sint, ita, ut legitima de ijs indicia habeantur, torqueri possint, tradunt doctores communiter *in c. cùm in contemplatione de regulis juris. Salzedo in practica criminali cap. 129. Clarus in practica q. 64. n. 24.* Tametsi verò plerique id dicant, idque juri conforme esse videatur, Clericum torquendum non esse, nisi præcedente infamia, tamen id consuetudine non observari testatur Clarus ibidem, cùm etiam alia indicia, v. g. unus testis, omni exceptione major, sufficere possint, quòd etiam *Abb. hic* tenet *n. 6.* præterea, licet plerique dicant, Clericum per Laicum non esse torquendum, tamen contrarium per consuetudinem observatur, ut ex præcepto Prælati v. g Episcopi, Clerici de criminibus suspecti, per Laicos torqueantur. Prout *in eadem practica criminali Canonica c. 23.* & apud *Clarum n. 25.* videre licet. Cujus rationem dat *Abb. in c. universitatis n. 6. de sententia excommunicationis*, quia Clerici secundùm præsentis temporis consuetudinem eo modo torquentur, quo Laici; cùm igitur solis Laicis torquendi ratio nota, & consueta sit, nisi per Laicos Clerici torqueri possent, torturæ Clericorum locus nunquam foret. Opus tamen est, ut judex Ecclesiasticus ordinarius, aut delegatus intersit, & auctor sit atem torturæ conferat, eámque dirigat, ac moderetur, sicuti *Abb. ait, L. post Gl. notat.* Intellige autem hæc, quòd persona Ecclesiastica jubere, & auctoritatem præstare possit, ut Clerici, imò etiam Laici, in crimine Ecclesiasticæ jurisdictionis, v. g. hæresis, torqueantur in foro, & judicio Ecclesiastico, non autem in sæculari, in quo processus instituitur ad sanguinis pœnam, quia secutâ morte, aut mutilatione membri irregularitas incurreretur à Clerico judice, per torturam exprimente confessionem criminis, sicuti dicetur in *c. penult. ne Clerici, vel Monachi &c.*

Objicitur contra hoc notandum: in causâ civili, aut pecuniariâ non potest homo liber torqueri, prout ex communi tradit *Clarus cit. q. 64. Farinacius in praxi q. 42. n. 9.* qui etiam testantur, torturam non posse inferri, nisi in criminibus, quibus pœna corporalis decreta est; cùm enim tortura sit gravis afflictio corporis, irrationabile est, eam adhiberi homini nondum confesso crimen, neque convicto, quando etiamsi confessus, aut convictus, & condemnatus esset, pœnam corporalem non sustineret. Atqui in casu *hujus c.* agebatur civilis causa depositi, ergò non poterat adhiberi tortura. De hac re latè disputat *Farin. cit. lo. n. 30.* Solutio autem esse debet, quòd causa

causa ista depositi licet secundùm se civilis sit, tamen per negationem, ac detentionem rei fiat criminalis, videl. furti constitutio: quam ob rem, si summa pecuniæ magna fuit, tortura adhiberi poterat Clerico, præsertim illo tempore, cùm tortura non ita infamaret, neque à personis laicis, ac civilibus inferretur. Tametsi verò ex mandato Papæ criminaliter ageretur, sicuti jam dixi, tamen etiam eò tendebat processus, ut injustè detenta, vel subrepta restituerentur, sicuti apparet ex hoc c. & videri possunt, quæ docui *lib. 3. tra. 6. c. 1. n. & 4.*

6 Notandum quintò. Ecclesiasticus magistratus Clericum capere, & vinculis constringere potest per ministros Laicos, idque non tantùm in causa criminali *c. ut fama 35. de sententia excommunicationis*, sed etiam in causa pecuniaria, si ob fugam, aut contumaciam ad satisfactionem, quam possit facere, aliter adigi nequeat. Ita sumitur *ex hoc c. & c. dilectis 55. de appellationibus.* Et tradit hîc *Abb. n. 7. Piasecius in praxi Episcopali p. 2. c. 4. n. 1. Paulinus Bertus in praxi criminali tit. 28. c. 6. n. 14.*

CAPITULUM II.

Bona fides.

Paraphrasis.

Non bona fide depositarius egisse præsumitur, si rebus proprijs salvis eæ, quæ depositæ apud ipsum fuerunt, amissæ repertantur. De culpa depositarius tunc tenetur, si se ipsum depositо obtulit, vel si pro custodia quidpiam recipit; pacto autem, de culpa, vel morâ antecedente, etiam casus fortuitus præstandus est. Portò deponenti integrum est depositum, cùm voluerit revocare, neque compensationi, aut deductioni propter aliud debitum locus esse potest, ne alioquin contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam trahatur. Tametsi in alijs contractibus compensationi locus sit, si causa, ex qua quidpiam postulatur, liquida, & non disputabilis sit.

Summarium.

1. *Quando sit præsumptio de dolo in contractu depositi?*
2. *In quibus casibus depositarius de culpa etiam obligetur?*
3. *Compensatio pro alio debito in contractu depositi locum non habet.*

NOtandum primum. Præsumptio est de dolo commisso adversus depositarium, vel custodem, si dicat res depositas apud se amissas, vel ablatas esse, cùm tamen res propriæ in eodem loco existentes salvæ manserint. Adde, si dicatur, depositum, aut pignus casu fortuito amissum esse, nisi de facto v.g. incendio domûs, hostium irruptione &c. constet, asserenti probationem incumbere, sicuti habetur *in L. si creditor 5. C. de pignoratitia actione*, & tradit *Gl. receptam §. finali Inst. quibus modis re contrahitur obligatio.* Sin autem constet de facto, illúdve probatum sit, dubium verò, an culpa, vel dolus intervenerit depositarij, custodis, aut commodatarij, cuinam probatio imponi debeat? Respondetur, cum *Gl. marg. in cit. §. finali Bartolo in L. si quis ex argentarijs. §. an verò n. 4. ff. de edendo.* esse distinguendum: nam aliqui sunt casus fortuiti, qui non facilè eveniunt sine culpa, ut furtum, incendium &c. in his præsumitur culpa, nisi probetur casus. Sed alia ratio esse videtur de dolo, is enim non præsumendus, nisi conjecturæ adsint, quia v.g. res propriæ salvæ manserunt, depositis amissis. Sicuti hîc dicitur, & in L. *quod Nerva 32. ff. depositi.* Ubi habetur, dolum præsumi, si quis in rebus suis custodiendis diligens sit, at verò in alienis depositis negligens. Aliqui verò sunt casus fortuiti, qui regulariter evenire solent sine culpa, ut vis hostium, impetus aquarum, fulminis ictus; in his præsumitur casus, donec probetur culpa, aut dolus. Vide, quæ docui *lib. 3. tra. 4. c. 7. ad finem.* 1

Notandum secundum. Depositarius non obligatur ad resarciendum, si res apud ipsum deposita ipsius culpâ perijt, aut deterior reddita fuit, nisi culpa crassa sit, & ideò se- 2

com-

cundùm præsumptionem dolus abfuisse non censeatur. Ita *hic, & in L. 1. §. si quis servum ff. depositi* junctâ *l. quòd Nerva cit.* explicavíque latius *lib. 3. tra. 4. c. 25.*

Excipiuntur verò duo casus, in quibus depositarius etiam de culpa saltem levi tenetur. Primus, si se ipsum deposito obtulit; tunc enim majorem seu diligentiorem custodiam spondere censetur. Secundus, si merces intervenit; tunc enim contractus gratiâ utriusque contrahentis celebratur, & transit in locationem, in qua culpa etiam levis præstanda venit, juxta *L. 1. §. si quis servum ff. depositi.*

Notandum tertium. Tres casus sunt, in quibus depositarius casum etiam fortuitum præstare debet: pactum, culpa crassa, & mora antecedens. De hoc dixi *in c. unico de commodato.*

Notandum quartum. Contractus depositi magnam in depositario fidem postulat quam ob rem compensatio, vel deductio pro alio debito, alteri úsve actionis opposita exceptio suffragari non potest, quò minùs rei depositæ restitutio fieri debeat, ut ita dicitur, & in *L. si quis 11. Cod. hoc tit. & l. ult. l. de compensationibus.* & docui *lib. 3. tra. 2. c. 9. n. 10.* Ubi tamen limitavi hanc doctrinam, si debitum liquidum alio modo consequi non possit depositarius, saltem in conscientiæ foro licitum esse, rem depositam interim retinere, donec sibi satisfiat.

TITULUS XVII.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

ACTUM fuit suprà de contractu instituto in gratiam accipientis tantùm; deinde de contractu instituto in gratiam dantis duntaxat: sequitur, ut dicatur de contractibus in gratiam utriusque contrahentis celebrari solitis, inter quos præcipuus est Emptio, ac Venditio.

CAPITVLVM I.

Placuit.

PARAPHRASIS.

Presbyteri, seu Plebani plebes suas admonere debent, ut se hospitales præbeant, atque humanitatem exerceant erga peregrinos; neque cariùs ipsis vendant ea, quibus indigent, quàm in mercatu vendere possunt.

SUMMARIUM.

1. *Res præsertim ad victum necessariæ, justo pretio vendi debent tam indigenis, quàm extraneis.*
2. *Cogi possunt, qui his abundant, tempore necessitatis ad ea vendenda, & expendenda.*

NOtandum. Merces maximè eæ, quæ ad victum, vestitum, & habitationem necessariæ sunt, justo pretio vendi debent, non tantùm indigenis, sed etiam extraneis. De hac re dixi *lib. 3. tra. 4. c. 17. §. 1. & n. 34.* Videri potest *S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1. Covar. lib. 3. resolutionum c. 14 Abb. hic n. 6.* ubi ait, quòd in his, quæ sunt necessaria ad vitam hominis, Superior statuere potest justum pretium, quia pertinet ad Superiorem providere necessitatibus subditorum, ac rei publicæ; quare etiam in domibus aptis ad habitandum, in pannis, ac similibus, pretium taxari potest secundùm Bartolum *in L. 1. C. de Episcopali audientia.*

Ulteriùs ait *Abb. cit. lo.* tempore necessitatis, atque inopiæ eos, qui vino, frumento, & alijs ad vitam necessarijs rebus abundant, non tantùm cogi posse ad vendendum, ma-

maximè indigenis, prout docui *in cit. n 34.* sed etiam judicis officio cogi posse, ut pauperibus necessitatem patientibus secundùm facultatum suarum proportionem, opem præbeant. Idque sumitur *ex c. sicut 8. dist. 47. junctâ G. v. esurientium.* ubi ait, tametsi indigentes actione directam non habeant adversus divites, qui abundant, tamen posse eos Ecclesiæ denuntiari, ut ab ipsa compellantur ad subveniendum, prout etiam docui *lib. 3. tra. 3. p. 1. c. 1. n. 8. monito 1.* Ratio dari debet, quia si pauperes gravi premantur necessitate, divites ex præcepto charitatis sub mortali peccato obligantur ad subveniendum, sicuti docui *lib. 2. tra. 3. c. 1.* imò Clerici beneficiarij, atque Prælati Ecclesiastici ex justitia obligati sunt, ergò multòmagis ij per Superiores cogi possunt. Eadem ratione, si spirituale periculum hominibus ab hæreticis, aut infidelibus immineat (sicuti hoc tempore) cogi possunt subditi per legitimos Superiores suos, ut secundùm facultatum suarum proportionem ad commune depellendum periculum, quatenus necessitas postulat, contribuant, quandoquidem ad id ex charitatis & justitiæ lege obligantur.

CAPITULUM II.

Ut mensuræ &c.

Paraphrasis.

Mensuræ, & pondera justa fieri debent, & qui lucri causâ falsaverint, in pane & aqua per 30. dies pœnitentiam agere debent. Ita refertur ex Concilio Moguntiensi; tametsi Canon iste in Conciliorum tomis non reperiatur.

NOtandum: in antiquis Canonibus pœnæ certæ, ac determinato tempore duraturæ decretæ fuerunt, in fòro pœnitentiæ, quarum remissio Indulgentia dici solet, prout latiùs explicavi *lib. 5. tra. 7. c. 2. & 3.* Porrò quòd falsatio in mensuris ac ponderibus inter species criminis falsi numerari debeat, constat *ex L. penult. ff. ad Legem Corneliam de falsis,* & docui *lib. 3. p. 1. c. 4.*

CAPITULUM III.

Cùm dilecti &c.

Paraphrasis.

Abbas & Monachi Carioci silvam quandam pertinentem ad mensam Capituli Beluacensis à Canonicis quibusdam Ecclesiæ Beluacensis, inscio Capitulo, emerunt, libris 10. cùm valeret 40. marchis; ea propter Capitulum querelam detulit ad Alexandrum III. is Episcopo Morinensi & Decano Rhemensi causam hanc commisit cum clausula, ut si uterque procedere non posset, alter solus cognosceret, & definiret; postea Decanus in causa ea processit, & cùm per testium depositiones cognovisset, monachos pro silva sibi venditâ, ne dimidiam quidem justi pretij partem solvisse, venditionem irritam esse pronuntiavit, & silvam Capitulo Beluacensi adjudicavit, Capitulares in possessionem inducens. Verùm Alexander Papa considerans, si res minus, quàm dimidio justo pretio comparata sit, in emptoris arbitrio esse, num venditionem rescindi, an verò justum pretium suppleri malit, sententiam Decani cassandam esse pronuntiavit, & silvam monachis restituendam, salva manente Canonicis constitutione, super pretij injustitiâ, aut non interveniente Capituli consensu, vel si ex alia causa Canonici contra dictos monachos judicio experiri velint.

Summarium.

1. *Venditori læso ultra dimidium justi pretij datur optio rescindendi contractûs, vel supplendi pretij.*
2. *Judex appellationis conformare se debet causæ in prima instantia agitatæ.*
3. *Potest nonnunquam alio judicio experiri, qui in uno succubuit.*

1 NOtandum primò. Venditor deceptus ultra dimidium justi pretij rescissionem contractûs ex remedio *L. 2. C. de rescindenda venditione*, non potest petere absolutè, sed sub conditione, sive alternatim, nisi malit emptor justi pretij defectum supplere, prout hîc apparet, & *in cit. L. 2. & latiùs explicavi lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 6.*

2 Notandum secundò. Judex appellationis conformare se debet causæ in prima instantia agitatæ, adeò, ut tametsi actor ex alia causa, quam in judicium non deduxit, vel alio modo, quem in libello non proposuit, obtinere posset, tamen pro eo judex judicare non debeat, quia ad hoc actum non fuerat; secundùm id verò, ad quod, & qua ratione actum, ac petitum erat, malè processum, aut malè judicatum fuit, sicuti ponimus, & in hujus Capituli exemplo apparet. Ita *Imola hic n. 9. & Abb. n. 4.* Et videri possunt, quæ dicta sunt *lib. 2. Decretalium de oblatione libelli*, quòd judex libellum ineptum, & malè concludentem reijcere debet, nihilominus verò actor repulsus aliam aptam, & idoneam proponere possit, ut mox dicam.

3 Notandum tertiò. Qui in uno judicio succubuit, sive quòd causam, aut titulum probare non potuerit, sive quòd ineptè libellum formârit (ut in casu proposito, quando Canonici propter læsionem factam, in venditione ultra dimidium justi pretij contractum rescindi determinatè petiverunt) is non prohibetur in alio judicio ex alia causa, aut titulo eandem rem seu personali seu reali intentatâ actione petere, prout in casu nostro Canonici agere potuissent, adversus monachos, ad rescissionem venditionis, propter Capituli consensum non adhibitum; vel petere in integrum restitutionem propter læsionem enormem. Ita sumitur *ex textu*, & notat *Gl. v. constitutione* juxta ea, quæ dicuntur *in L. & an eadem 14. ff. de exceptione rei judicatæ, & expressius in c. ult. in fine juncta Gl. de causa possessionis, & proprietatis.*

CAPITULUM IV.

Pervenit.

PARAPHRASIS.

Miles quidam P. nomine, ædes quasdam suas, tanquam donationem propter nuptias uxori suæ assignaverat: postea verò ex consensu uxoris vendidit eas alteri mulieri. Defuncto milite, relicta uxor ædes repetere voluit, allegans eas titulo donationis propter nuptias sibi assignatas, ne quidem cum consensu suo alienari potuisse: sed mulier emptrix opponit quòd 30. annis constante matrimonio domum illam bonâ fide, & titulo justo possederit, ipsúmque pretium in communes usus utriusque conjugis consumsum fuerit; ac deniq; tempore factæ venditionis marito sufficientes fuerint facultates, ex quibus mulier sibi consulere potuisset. Super hoc casu consultus Cælestinus III. respondit, si ea, quæ allegantur, vera sint, emptricem super domo ex causis contra eam allatis molestari non esse.

SUMMARIUM.

1. *Quæ sit mens Glossæ circa intellectum hujus Capituli.*
2. *Melior tamen Capituli hujus intellectus ex rubrica desumitur.*
3. *Et probatur ex jure Civili.*

GLossa *hic v. fatigari* ponit unum intellectum hujus Capituli, secundum quem afferri solet hoc notandum: *Si actoris intentio, & actio fundamento nixa non sit, repelli debet, tametsi reus per se, & contra actorem allegando, seu excipiendo non satis se defenderit.* Ita sumitur *ex L. unica, Cod. ut quæ desunt advocatis.* Ubi dicitur non dubitandum, si quid à litigatoribus, vel ab his, qui negotijs assistunt, videl. Advocatis, & procuratoribus minus fuerit dictum, id judicem supplere, & proferre posse, quòd sciat legibus, & juri publico con-

convenire; non item ea, quæ in facto consistunt, nisi ipsi ut judici, seu in judicio cognita fuerint, prout Gl. *ibidem* admonet. Itaque tametsi ea, quæ ex parte mulieris emptricis allata fuerunt, neque singula, neque simul juncta causam ipsius obtinuerint, tamen Pontifex pro ea pronuntiavit ex alia causa, quâ ipsa non allegavit, quòd nimirùm dissoluto matrimonio, donatio propter nuptias ad maritum, vel ad hæredes ejus reverti debeat, cùm loco cautionis, seu securitatis duntaxat pro dote, marito allata, designata fuerit; quam ob rem eam donationem uxor relicta ab emptrice vindicare non potuit juxta *c. ultimum de donatione inter virum & uxorem.* ubi dicitur: soluto matrimonio, sicuti dos ad mulierem, ita donatio propter nuptias redit ad virum.

Hæc doctrina licèt secundùm se vera sit, tamen non congruit textui, sive non continet verum intellectum hujus Capituli. Ita aliud notandum, illúdque unicum ponendum est, quod est in rubrica Capituli. Si uxor marito, alienanti rem propter nuptias donatam, & alia bona sufficientia pro dotis securitate habenti consensum præbuerit, & postea triginta anni sine mulieris contradictione lapsi sint, præsumitur mulier alterum de jure requisitum consensum præstitisse; præsertim si alienatio non incommoda mulieri videri poterat, quia pretium in communes familiæ usus conversum fuit.

Pro intellectu adverte, spectato communi jure Cæsareo, in securitatem dotis marito allatæ, tantundem in bonis ejus mulieri offerendum esse, ut sit instar hypothecæ specialis, sive rei specialiter obligatæ uxori. *L. ubi 29. Cod. de jure dotium*, & docui *lib. 3. tra. 4. c. 13. n. 10.* Ulteriùs *in authent. ut immobilia ante nuptialis donationis &c. coll. 5.* decernitur, quòd maritus dotem, vel donationem propter nuptias alienare non possit, nec hypothecæ nomine obligare, quamvis uxor consentiat; sin autem facta sit alienatio, etiam in rem actio, sive vindicatio utilis mulieri, non obstante ejus consensu, concedenda sit; præterquam, si post exactum biennium consensum in scripto repetat, & confirmet, atque in bonis mariti aliæ res sint, ex quibus mulieri sufficienter cautum, & prospectum sit, tunc ratam fore alienationem.

Itaque in casu hujus Capituli ob temporis antiquitatem, videl. 30. annos lapsos, in quibus mulier nunquam contradixit, neque domum alienatam revocavit, præsumptio fieri potuit, mulierem alteram consensum præstitisse, quæ præsumptio eâ quoque ratione adjuvabatur, quia alienatio non incommoda mulieri erat; cùm pretium in utriusque conjugis utilitatem provenerit, insuper marito sufficientes eo tempore adessent facultates. His consentiunt ea, quæ ex Felino *in c. sicut. n. 33. de sententia & re judicata*, & alijs docui *in c. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis in 6.* quòd solemnitas extrinseca, v.g. consensus, ob temporis longinquitatem interveniisse præsumitur, si conjuncta fuit scientia & patientia ejus, qui probabiliter repugnâsset, aut revocâsset, nisi actus solemniter & legitimè gestus fuisset; & hanc temporis diuturnitatem 30. annorum sufficere colligitur *ex hoc cap. & tradunt Imola. Abb. & alij hic; Menochius in arbitrarijs qq. casu 433. n. 24.* quia tamen hæc res in præsumptione fundatur, de qua facienda non habemus certam ac generalem in jure expressam doctrinam, ideò talis præsumptio contrarijs conjecturis superari potest, ut proinde ad judicis arbitrium pertinere videatur, omnibus consideratis, quidnam judicare debeat, quando solemnitas, quæ positivè interveniisse debet, non nisi ex ejusmodi præsumptionibus ostendi potest.

CAPITULUM V.

Ad nostram.

PARAPHRASIS.

Cùm Laicus quidam à Marco pecunias mutuas accipere cuperet, Marcus lucrum capere volens, ne secundùm Canonem contra usurarios editum *cap. quia in omnibus*

mbus 4. de usuris conveniri possunt, domos & olivas specie emptionis recepit, cùm tamē reipsa usurarius contractus esset, quod exinde apparet, quia Marcus promisit Laico, quandocunque post exactum septennium usque ad novennium venditionis pretium, videl 40. uncias argenti, quæ vix dimidiam justi pretij partem attingebant, solverit, domos & olivas ipsi restituendas esse: cùm itaque fraus & dolus nemini patrocinari debeat, mandat Innoc. III. Episcopo Pallienensi, si res ita se habeat, ut, non obstante, quòd instrumentum titulo venditionis, sed in fraudem Canonis, confectum fuerit, Marcum ad domos & olivas restituendas defuncti Laici hæredi per pœnam in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. *cap. 25.* contra usurarios latam, remotâ appellatione compellat.

SUMMARIUM.

1. *Casus, in quo emptio, & venditio palliata usura præsumitur.*
2. *Explicatur pluribus casus iste, & præsumpta usura, in emptione tali, & venditione.*

1 NOtandum primum. Si emptio, & venditio pretio modico cum pacto redimendi post lapsum aliquot annorum instituitur, consideratis his, aliisque circumstantijs præsumi potest usurarius contractus, sive usura palliata, ob quam pœnæ usurarijs decretæ æquè incurruntur, ac si usura esset expressa *argum. L. non dubium 5. Cod. de legibus & regulæ ult. in 6.* Ubi dicunt DD. quòd facere contra legem expressè, & facere contra mentem legis in fraudem æquiparantur, quò ad pœnas legales incurrendas. Consentit *titul. Cod.* plus valere, quod agitur, quàm quod simulatè concipitur; & speciatim, quod dicitur *in L. 3.* si sub titulo & specie instrumenti emptionis pignus detur, non quod scriptum, sed quod gestum est, inspicitur, *ubi Gl.* addit non valere talem contractum, etiamsi juratus sit.

Talis fuit contractus hic institutus, cùm enim creditor pecunias mutuari cuperet, acceptis in pignus domo, & olivis, ut interim fructus, & pensiones lucraretur, donec mutuum restitutum esset. Sed quia id, si expressisset, usurarium fore, & pœnis obnoxium, non ignoravit, juxta *c. cùm contra 6. de pignoribus* idem ad evitandam pœnam instrumentum confici curavit, in quo domus, & olivæ vendi dicebantur, sed pretio modico, venditori seu potiùs mutuatario, & debitori relicta libertate redimendi, pretio eodem, sed non nisi post exactum septennium, & intra biennium duntaxat atque ita re ipsa tantundem consecutus fœnerator, sive creditor iste, acsi pecunias mutuò dedisset, acceptis in pignus ædibus & olivis, eâ conditione, ut ipse fructus inde lucraretur, usque ad septennium; exacto autem hoc tempore, nisi intra duos annos pignus redimeretur, in commissum caderet, seu loco debiti retineri posset a creditore, quod reprobatum *in tit. C. de pactis pignorum & in c. significante 7. de pignoribus.* Adverte tamen, contractum non ex eo præcisè usurarium præsumi, quod rogatus mutuare, constituto pignore, renuat id agere, sed contentus sit emere res pignori destinandam, concessa emptori redimendi facultate; nam usura non est, si emptionis contractus verè instituatur, cui unica usuræ sedes sit mutuum, ideoque ubi mutuum non est, usuræ locus esse non possit, atqui contractus ille, vera Emptio ac Venditio est, cui nequaquam repugnat pactum de redimendo, adeò, ut, eo non obstante, emptor fructus ex re empta usquam sua percipere possit interim, donec pretium redemptionis ipsi offeratur *l. 2. C. de pactis inter emptorem, & venditorem.*

Adde, tametsi pretium minus, quàm res vendita valet, constitutum fuerit, non ideò statim usurarium contractum censeri posse, partim, quia pactum redimendi adjectum in gratiam venditoris, onus quodam emptori est, & ideò in ejus competitionem

tionem minus pretium constitui potest, præsertim si eodem, & non majore pretio facultas redimendi venditori concessa sit; partim verò, quia tametsi omnibus consideratis minus justum pretium constitutum sit, non tamen destruitur natura emptionis, & venditionis, cùm injusta quidem sit venditio, attamen validè, atque agi possit ad supplementum pretij, quæ est *Abbatis* sententia *hic n. 9. Covar. 3. resolutionum c. 8, n. 3. Navar. in manual. c. 17. n. 248. Molin. disp. 375. n. 7.* & docui *lib. 3. tra. 4. c. 16. n. 17.*

1 Veruntamen præter pretij modicitatem, & pactum redimendi in casu nostri *cap.* alia concurrebant, ex quibus simul junctis præsumptio vehemens, ac patens fiebat latentis fraudis, intentionis usurariæ, & simulatæ venditionis. Primò. Quia Laicus ille mallet pecuniam sibi mutuò dari, in emptionem autem non nisi adactus consensit, siquidem aliter pecuniam consequi non poterit. Secundò. Quia unà cum modico pretio concurrebat, quòd venditori libertas redimendi concessa non sit absolutè, sed post septem exactos annos, ita videlicet, ut ex re sibi venditâ fructus & lucrum cum venditoris detrimento capere posset emptor, seu fœnerator. Tertiò. Quia libertas redimendi post exactum septennium restricta fuit ad duos annos. Quartò. Addi potest, credibile esse, Marcum illum alioquin suspectum fuisse de usuræ vitio, sive usuras sæpius antè exercere solitum esse, *juxta C. ille vos 4. de pignoribus.*

Coroll. Si in contractu aliquo ex circumstantiæ, seu præsumptiones & conjecturæ, quæ in hoc cap. enarrantur, simul concurrant, judex in foro externo judicare debet usurarium. Nam hæc est præsumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium; imò sufficere videtur, si hæc tria concurrant, compulsio quædam ad vendendum, pretium minùs justum, & restrictio libertatis redimendi, ita, ut pecunias numerans receptâ re frugiferâ, aut quasi frugiferâ, certus sit de reportando lucro. Sin autem hæc omnia, quæ hîc enumerantur, simul non concurrant, sed aliqua eorum, aut aliæ circumstantiæ, & conjecturæ intentionis usurariæ, tunc judicis arbitrio committitur, ut æstimet, num præsumptio usuræ sit urgens, seu patens; talis enim requiritur ad condemnandum aliquem de gravi crimine, quale est usura, prout *hic Abbas notat n. 7.* quòd usurarius palliatus convincitur per solas urgentes præsumptiones, at verò in conscientiæ foro standum est cujuscunque assertioni, cùm quisque ipsemet nosse debeat, quam contrahendi intentionem habuerit.

CAPITULUM VI.

Cùm causa.

Paraphrasis.

Monachi S. Martini civibus Vitenensibus quædam casamenta vendiderunt; postea autè questi sunt coram Innoc. III. de quo etiam constabat Pontifici, monasterium ultra dimidium justi pretij deceptum fuisse; quam ob rem per sententiam decrevit, ut dicti cives, vel possessiones pretio recepto restituerent, vel supplerent id, quod constaret venditionis tempore de pretio justo defuisse.

Summarium.

Læsus venditor ultra dimidium justi pretij tempore contractûs quommodo agere possit?

1 NOtandum. Si venditor in venditione ultra dimidium justi pretij læsus sit, id est, nec dimidium quidem accepit ejus, quod justum est mercis pretium contractûs tempore, tunc agere potest adversus emptorem, vel ut defectum suppleat, vel venditionem rescindi patiatur. *L. 2. Cod. de rescindenda venditione*, & explicavi latè *lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 6.* Porrò justitia valoris pretij æstimari debet secundùm tempus contractûs, sicuti dixi, id est, quanti res valuerit, cùm contractus Emptionis, ac Venditionis celebratus fuit.

Objicitur: si quispiam mercem suam pretio minore vendat animo donandi, venditio valet, nec rescindi potest *L. si quis donationis 34. juncta Gl. marginali ff. de contrahenda emptione.* Atqui venditor rem suam minoris justo, sine vi aut metu vendens, censeri debet defectum pretij donare, eò quòd quilibet mercis suæ pretium scire censeatur L. *quis quis 15. cod. de rescindenda venditione.* Respondetur, si ex circumstantijs adjuvetur hæc præsumptio, quia v. g. emptor est consanguineus, erga quem venditor optimè affectus est, censeri posse donationem, & ideò actionem ex dicta L. 2. negandam esse; similitérque si beneficio hujus Legis speciatim, & particulariter aliquis renuntiârit, præsertim accedente juramento, neque in contrarium sit præsumptio intervenientis doli ex parte emptoris, aut ignorantiæ ex parte venditoris, tunc censebitur facta donatio, alioquin verò minimè, cùm nemo sua facilè jactare censeatur, nisi sufficienter colligi possit donandi animus, & ideò hæc ipsa præsumptio, quòd contrahens, cùm se venditurum dixit, & aliud non expressit, animum donandi non habuerit, superat alteram præsumptionem, quòd quisque mercis suæ pretium scire censeatur. Qua de re *Abb. hic n. 4. Covar. 2. resolutionum c. 4. Molin. disp. 349. Bartolus in L. ult. §. item quæsitum. ff. de condictione indebiti*, ubi ajunt, generalem renunciationem in hoc casu non sufficere, cùm ea se non extendat ad incognita, & nemo censeatur renunciare juri, quod sibi competere ignorat.

CAPITVLVM VII.

Si venditori.

Paraphrasis.

Titius ædes suas vendidit Cajo. Postea Sempronius intentata actione reali vindicare vult ædes tanquam suas. In hoc casu, si emptor Cajus Titio venditori post judicium contra se institutum non denuntiet, ut ædes venditas defendat; vel si Cajus tempore sententiæ contumaciter se à judicio absentârit; vel si per judicis injuriam contra ipsum Cajum sententia lata fuerit, in his tribus casibus Cajus contra Titium secundùm leges Cæsareas de evictione agere non potest.

Summarium.

1. *Quæ circa intellectum hujus Capitis ex jure civili observanda sint?*
2. *In contractibus bonæ fidei inprimis spectandum, de quo inter se contrahentes convenerint.*
3. *Valida est etiam rei alienæ emptio bona fide facta.*
4. *In quibus casibus non obligetur venditor de evictione?*

PRo intellectu adverte ad ea, quæ eleganter scripsit *Vlp. in* L. *ex empto 11. ff. de actionibus empti*: cùm emptionis, ut venditionis judicium sit bonæ fidei, nihil magìs bonæ fidei congruit, quàm id præstari, quod inter contrahentes actum est; quòd si nihil convenit, tunc ea præstabuntur, quæ naturaliter insunt (supple contractui huic) & inprimis ipsam rem præstare venditorem oportet, id est tradere; quæ res, si quidem dominus fuit venditor, facit & emptorem dominum; si non fuit, tantùm evictionis nomine venditorem obligat, si modò pretium est numeratum, aut eo nomine satisfactum, emptor autem nummos venditoris facere cogitur.

Ex his habes primò. In venditione, & alijs ejusmodi contractibus, qui bonæ fidei dici solent, inprimis spectandum esse, de quo contrahentes inter se convenerunt, seu quibus modis, ac conditionibus se mutuò obligare voluerint; itaque mens contrahentium ante omnia spectanda est, alioquin obligationes inter ipsos orientur secundùm naturam, & conditionem cujusque contractûs, quia quæ naturaliter insunt,

sunt, ea expressione non indigent. Naturâ autem inesse contractui censentur, quæ ex scientium, aut civili jure obligationes, actionésque constitutæ sunt.

Secundò. Colliges ex verbis Ulpiani, quòd non tantùm res propria, sed etiam aliena emptori bonâ fide ementi, sive alienam esse ignoranti, validè vendi possit, adeò ut pretium emptionis verè acquiratur venditori, licèt vicissim mercis dominium non acquiratur emptori, sed loco ejus venditor obligabitur emptori de evictione, id est, si res vendita in judicio evicta fuerit, à persona tertia, dominum se ejus ostendente, aut eam sibi obligatam esse, tunc enim venditor pretium emptori restituere, & quanti ejus interest, rem evictam non esse præstare cogitur. Sicut latiùs explicavi *lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 21.*

4 Notandum. In tribus casibus venditor non obligatur emptori de evictione rei venditæ. Primus est, si emptor, instituto contra se judicio, saltem post litem contestatam, non denuntiet id venditori, videlicet, ut causam defendat, quippe cùm ipsius maximè interesit, atque ipse documenta juris ac tituli, si quæ pro ipso venditore sunt, meliùs noisse, & producere possit *L. emptor 1. & seqq. cod. de evictionibus.* Quòd si verò per venditorem stet, quò minùs ei denuntietur, nihilominus tenebitur L. *si ideò 11. in fine. & L. sequente §. sed etsi ff. de evictionibus.* Alter casus: si contra emptorem sententia lata fuit propter contumaciam ejus, quia ad judicium non accessit, venditor non obligatur, ut hîc dicitur, & *in cit. L. si ideò.* ubi etiam ratio adjungitur, magìs enim propter absentiam victus videtur emptor, quàm quòd malam causam habuit, ideò sibi imputare debet, dummodo contumacia fuerit causa, cur victus fuerit, quod etiam in hoc casu præsumitur, sicuti *Gl. ibi admonet V. habuit.* Secùs autem dicendum, si certum sit, etiamsi præsens fuisset, quòd causam amisisset, aut amittere debuisset, quia constat, rem esse petitoris, seu vindicantis.

Tertius casus: si per injuriam judicis, seu injustam ejus sententiam res empta evicta fuit, *cit. L. emptor.* Ratio est, quia hæc evictio non venditori imputanda est, sed potiùs infortunio cuidam, quod ipsemet emptor tanquam dominus rei, si à judice injustum damnum inferente, recuperare non possit, ferre debet, & non in alium, videlicet venditorem, reijcere. Alius casus habetur *in L. si dictum 56. ff. eodem.* si emptor ortâ controversiâ circa rem emptam voluntarium arbitrum, venditore non jubente, elegerit, ísque contra emptorem pronuntiârit, ubi *Gl. admonet, V. feci.* idem eadem ratione dicendum esse, si emptor judicem extraneum, sive non suum, elegerit, jurisdictionem ejus prorogando.

TITULUS XVIII.

DE LOCATO ET CONDUCTO.

QUandoquidem contractus locationis, & conductionis, cum venditione, & emptione familiaritatem gerit, & ijsdem fermè juris regulis regitur, prout habetur *in L. 1. & 2. ff. locati & conducti.* & docui *lib. 3. tra. 4. c. 22. n. 1.* ideò Titulus iste præcedenti annectitur.

CAPITULUM I.

Ex rescripto.

PARAPHRASIS.

Episcopus Portuensis Apostolicæ Sedis Legatus constitutionem fecit, quam postea Tusculanus Episcopus successor in legatione

tione confirmavit, seu renovavit, qua prohibebatur, ne quisquam ex Magistris seu Doctoribus, atque Scholaribus Bononiensibus, super conducendis domibus, in quibus Magistri, vel Scholares habitant, priusquam locationis tempus finitum sit, absque eorundem consensu cum hospite, seu patrono contrahat. Quam prohibitionem ab utroque Episcopo, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ promulgatam Clemens III. Papa ratam esse hîc decernit, & Apostolicâ auctoritate confirmat, mandans Ordinario loci, ut dictam constitutionem ipse, & successores ejus coram Magistris, & Scholaribus singulis annis promulgando renovent.

Summarium.

1. *De non conducendis domibus, in quibus Studiosi, vel Doctores habitant.*
2. *Obligatio sponte remissa cessat ei, qui remittit.*

NOtandum primum. Doctores, & Studiosi sub excommunicatione prohibentur conducere domos, in quibus alij Doctores, vel Studiosi habitant, priusquam locationis tempus finitum sit. Veruntamen, quia lex ista à Legato lata fuit, & à Pontifice confirmata duntaxat in ordine ad Universitatem Bononiensem, ideò non videtur ad aliarum Universitatum Doctores & Scholares extendenda, idque indubitatè dici debet, quatenus est lex odiosa, ac pœnalis, excommunicationem inferens. Sed & idem arbitror dicendum, quatenus est dispositiva, prout *Ioann. And. hic & Imola* sentiunt, licèt alij pleriq; repugnent; partim quia causa ferendi hanc constitutionē non videtur fuisse favor publicus studiorum, ita, ut ob identitatem rationis extensioni locus esse debeat, sed speciales æmulationes, ac contentiones Bononiæ inter Studiosos & Doctores exortæ, occasionem dedisse, sicuti ex integra Capituli lectione apparet, & annotavit *Horatius Lucius de privilegijs scholarium privilegio 42.* partim quia constitutio hæc exorbitans est à jure communi. *Lege cui 31. cod. de locato.* ubi dicitur, secluso pacto speciali, post finitum tempus locationis rem alteri, cui dominus voluerit, locari posse; ex quo inferunt Doctores, quòd talis locatio, seu conventio, fieri possit ante finitum tempus prioris locationis, ita tamen ut referatur ad tempus finitæ locationis, atque antea effectum, & executionem non consequatur.

Notandum secundum. Si à Lege, aut Judice obligatio, vel præceptum alicui impositum sit, in favorem alterius, ipse sponte remittat, cessabit obligatio, ut si judex sub excommunicationis præcepto mandârit Titio, ut debitum solvat Caio, is sponte condonante, ruit obligatio præcepti, seu mandati. Ita sumitur *ex textu cap. 7. absque consensu eorundem.* & notant *Abb. n. 7.*

CAPITULUM II.

Vestra.

Paraphrasis.

Episcopi statutum fecerant, ut subditi Clerici, ac Religiosi, fructus decimarum alijs non dent ad firmam, seu pro certo annuo locent alijs, quàm sacerdotibus. De hoc statuto quæsti sunt Abbas, & Conventus S. Petri, quibus Innoc. III. hîc respondet, quòd, non obstante Diœcesani Episcopi contrario statuto, fructus decimarum liberè possint locare ijs, cum quibus Ecclesiæ suæ conditionem meliorem efficient, ita tamen, ut eiusmodi locatio non extendatur ad feudum, vel alienationem.

Summarium.

1. *Episcopus cum Capitulo nihil potest statuere, in præjudicium subjectarum Ecclesiarum, nisi magna necessitas, eáque publica urgeat.*

2. Potest

1. *Potest tamen Ecclesiæ Rector, v. g. fructuum decimalium perceptionem locare aliis, sine præjudicio tamen Ecclesiæ, aut successoris.*

1 NOtandum primum. Licèt Episcopus cum Capitulo Cathedrali statuta condere possit, in pertinentibus ad jurisdictionem suam, tamen in præjudicium jurium Ecclesiarum sibi subditarum non potest statuere sine consensu eorum, quorum interest, præterquam si magna, eáque publica urgeat necessitas, ita, ut consentire deberent. Ita annotavit *Innoc. hic. Imola n. 3. & seqq.* cùm enim spectato communi jure Prælati, & Rectores Ecclesiarum, aliique beneficiarij decimas, aliásque obventiones suas locare possint ad tempus modicum, quibus ipsi voluerint, & expedire judicaverint, non potest hanc à jure communi concessam facultatem Episcopus restringere, vel tollere, cum præjudicio, & damno Ecclesiarum, aut beneficiariorum, *juxta regulam 17. in 6.* indultum à jure beneficium non est alicui auferendum.

Cæterùm si causa aliqua boni publici postulet, libertas jure communi competens, locandi v. g. ædes suas cuilibet, restringi poterit, ut v. g. scholaribus ante alios locentur, aut militibus, aut dum ij inhabitare volunt, alijs non locentur, etiam majorem pensionem offerentibus, *argum. c. 1. hujus tit.* & annotavit *Imola hic in fine*, & videri potest *Horatius privilegio 39 & seqq.*

Notandum secundum. Si quis liberam facultatem agendi habere dicatur v. g. locandi, aut alienandi, tunc ab alterius consensu non dependet. Ita docent communiter Doctores, & colligitur ex *hoc cap.* hanc esse vim vocabuli *liberè*.

2 Notandum tertium. Tametsi Ecclesiæ Rector, vel Beneficiarius, partim omnino non possit bus decimarum alienare, seu transferre in alium, v. g. Laicum; partim verò id non possit sine solemnitatibus, & causâ justâ, tamen ipsorum fructuum perceptionem locare potest sine præjudicio Ecclesiæ, & successoris, & potest hæc locatio etiam fieri Laico, cùm is fructus non percipiat nomine suo, sed nomine Clerici locantis, sicuti infrà dicetur.

CAPITVLVM III.

Propter.

PARAPHRASIS.

Ob magnam sterilitatem, absque coloni culpâ evenientem, per cæli injurias, aut fortuitum casum, remittendum ipsi est ab Ecclesia de pensione secundùm proportionem incommodi, quod passus est, præterquam si præcedentis, vel subsequentis anni ubertate incommodum compensetur. Idem habetur *in L. si ex conducto 15. & L. si merces 25. §. vis major. ff. locati. L. licèt 8. Cod. eodem.*

SUMMARIUM.

1. *Textûs explicatio.*
2. *Quando conductor à re conducta expelli possit?*
3. *Quando cedere non possit?*
4. *Quid finito tempore locationis liceat?*

HAnc materiam, quòd colonis conductitijs, si ob cœli injuriam, aliámve vim extrinsecam, magnâ, & plus, quàm tolerabili clade affecti sint, de pensione remittendum sit, tractavi *in lib. 3. tra. 4. c. 22. q. 5.* Locum autem habet duntaxat in conductitijs colonis, non in emphyteuticis, propterea, quòd emphyteuta in recognitionem dominij tantùm, & non ratione perceptorum fructuum canonem, seu pensionem solvat *L. 2. & ult. Cod. de jure emphyteutico.* Veruntamen, cùm hoc tempore coloni emphyteutici magnum plerumque canonem solvere cogantur secundùm æstimatum ipsis fructuum separatorum proventum, ideò æquitas postulat, ut & his ob sterilitatem incidentem remissio fiat, sicuti docui *lo. cit. n. 7. in fine*; præterea si fundus emphyteuticus calamitate pereat, vel ob

hostium incursionem, aquarum inundationem, omninò coli non possit, liberatur emphyteuta à canone seu pensione ejus anni solvendâ, sicuti videre est *apud Jasonem in L. 1. n. 80. Cod. de jure emphyteutico.* Adde, quæ dicta sunt de privilegijs elocatis, vel in emphyteusin datis, idem quoque intelligendum esse de molendinis, teloneis, typographijs &c. elocatis, cùm enim pensio annua ex ejuscemodi rebus principaliter, ac per se, non propter inhabitationem solvatur, sed ratione lucri, ideò si propter casum fortuitum, & insperatum, v.g. aquarũ inundationes, aut hostium vim &c. lucrum nullum, vel modicum, aut cum magno, & plus quàm tolerabili conductoris incommodo junctum proveniat, remissio faciendа est. *argum. L. ex conducto §. 1.* & videri potest *Baldus in* L. *licèt n. 4. Cod. eodem.*

2 Quidam casus sunt, in quibus conductor ante tempus conductionis finitum à re conducta, invitus amoveri potest: si necessitas domum inhabitandi, aut reficiendi, tempore locationis non provisa, id exposcat, ita tamen, ut pensio pro portione temporis remittatur: aut si conductor in re conducta malè fuerit versatus: denique si pensionem per biennium non solverit, nisi moram celeri satisfactione purget. Consentit L. *3. c. eodem.*

Notandum. Regula est negativa, quòd conductor ante finitum locationis tempus expelli non potest *L. ne cui 32. Cod. hoc tit.* Sed exceptiones plures sunt. Prima, si proprijs usibus dominus ædes v.g. locatas sibi necessarias esse ostenderit *cit.* L. *3.* videl. si domus propria corruit; vel uxore ductâ locator familiam habere incipit; vel si filio uxorem ducenti dare ædes oportet; vel si pater locantis habitatione careat. Altera, si domus reficienda sit *cit.* L. *3. junctâ Gl. v. corrigere & L. 3. §. cùm inquilinus. ff. uti possidetis.* ubi *Gl.* admonet, quòd refectâ domo conductor locatorem cogere possit ad locationem repetendam. Tertia, si conductor re conducta abutatur, sive in ea malè versetur *cit. L. 3. & authent. qui rem. cod. de SS. Ecclesijs.* ubi habetur, quòd conductor, vel emphyteuta, si rem deteriorem fecit, repelli potest; id verò explicat *Gl. marginalis*, si deterior factio, seu destructio sit notabilis, dolo, aut culpâ conductoris proveniens, atque durabilis, videl. ipsius rei locatæ secundùm substantiam, & non tantùm in ordine ad fructuum temporaneam collectionem minuendam, ita, ut damnum coloni, aut emphyteutæ duret. sit. Quarta, si conductor pensionem solvere intermittat *cit. L. 3.* Sed necessarium est, ut contumacia appareat in conductore vel colono, sicuti explicavi *in cit tra. 4. 22. n. 9. in fine.* & videri potest L. *cùm domini 56. ff. locati.* Sed & è contrario conductor, vel colonus ante finitum locationis tempus recedere non potest, nisi integram pensionem solvere paratus sit, uti colligitur *ex* L. *sed addes 19 §. si quis* & L. *habitatores 27. §. ult. ff. eodem.* Veruntamen si impedimentum inhabitandi, vel fruendi impossibilitas incidat, remittendum est de pensione secundùm temporis proportionem, quo inhabitare, aut re locatâ uti non licet, sicuti constat ex jam *cit. juribus*, & idem dicendum videtur, si ob causam extrinsecam, videl. incursionem hostium, aut luem non modico anni tempore inhabitare non licuit, uti colligitur ex *L. licèt 8. Cod. eod.*

Porrò finito tempore locationis utraque parti à contractu recedere licet, si tamen neutra pars alteri tempore constituto renunciet, locationis contractus per tacitum consensum renovatus censetur L. *item quæritur 13. §. 11. ff. eodem & L. sequente*, ubi dicitur: intelligitur dominus, cùm patitur colonum in fundo esse, ex integro locare. Æquum tamen est, ut si prior inquilinus, aut colonus tantam pensionem solvere paratus sit, quantam alius offert, præferatur: imò de conductoribus, seu colonis prædiorum publicorum, seu fiscalium, id expressum est *in L penult & ult. c. de locatione prædiorum civitatis lib.* 11. Videri potest *Minsinger centuria 4. observatio-*

n. 23. Ubi idem privilegium magistris & scholaribus tribuit. Ex quo tamen id non satis ostenditur: quare spectari debet, quidnam loci cujusque consuetudine receptum sit, idenim tacitè actum videtur, sive contractus ita institutus, sicuti in eo loco consuetum est *juxta L. excepto 18. junctâ Gl. v. consuetudine c. hoc tit.* Prætetquam si aliud expressum sit, quia expressum facit cessare tacitum, id est taciti, seu præsumpti locus non est, ubi contrarium expressum reperitur L. *cùm ex filio 39. §. filio. ubi rubrica Bartoli ff. de vulgari, & pupillari substitutione.*

CAPITULUM IV.

Potuit.

Paraphrasis.

Emphyteuta Ecclesiæ jus suum emphyteuticum, & meliorationem, si priùs Ecclesiam requisiverit, ejúsve pretium ab altero oblatum denuntiaverit, Ecclesia autem se nolle emere dixerit, aut duorum mensium spatio emendi voluntatem non declaraverit, vendere potest ijs, qui ab ejusmodi venditione non prohibentur. Consentit L. *ult. Cod. de jure emphyteutico.*

Summarium.

Quomodo jus emphyteuticum, & meliorationes alteri vendere possit emphyteuta.

1 NOtandum. Emphyteuta jus emphyteuticum, & meliorationes suas alteri vendere non potest, nisi hæ conditiones serventur. Prima, ut domino significet, quòd vendere velit, eidémque dicat, quantum pretium ab alio accipere possit, ut deliberet, num eodem ipsemet emere velit: ex quo colligitur, injuriam fieri, si dominus pretium minus justo designet, suprà quod vendere non possit. Altera, si dominus non declarârit, se empturum, aut non empturum, duorum mensium spatio exspectetur. Tertia, ut non vendatur personis prohibitis, cujusmodi sunt curiales, & milites *L. curialis 30.* L. *milites 31. &* L. *ult. Cod. hoc tit.* Item in Ecclesiam, communitatem, vel aliam potentiorem, magisve privilegiatam personam venditio, aut translatio emphyteuseos fieri non potest, prout docui in *L. 3. tra. 4. c. 23. n. 14. argum. tit. 13. libri feudorum, de alienatione feudi. &* L. *2. ff. qui satisdare coguntur.* Vide plura *in cit. c. 23. n. 9. & seqq.*

§.

Emphyteuta.

Paraphrasis.

Si emphyteuta emphyteusin aliter, quàm dictum est, vendiderit, aut si in solutione canonis seu pensionis per biennium cessârit, præterquam si celeri satisfactione moram purget, expelli potest, tametsi de solutione facienda à domino monitus non fuerit, cùm in hoc casu dies statuta pro domino interpellet. Sicuti etiam habetur *in L. magnam 12. Cod. de contrahenda stipulatione.*

Summarium.

1. *Repelli potest emphyteuta Ecclesiæ propriâ etiam domini auctoritate, si intra biennium pensionem debitam solvere negligat, nisi satisfactione celeri moram purgaverit.*
2. *Si tamen tempus solvendæ pensionis definitum ex conventione partium observari debeat.*

1 NOtandum primum. Si emphyteuta Ecclesiæ intra biennium domino pensionem solvere negligat, repelli potest, etiam propriâ auctoritate, si negligentia notoria sit, & scandalum cessat. Ita sumitur ex hoc *c. junctâ Gl. v. expelli & ex L. 2. Cod. eodem junctâ Gl. v. repellere.* Discrimen tamen est, quòd in privata, seu communi emphy-

teusi triennium requiritur, quo emphyteuta pensionem non solverit *cit. L. 2.* at verò in Ecclesiastica sufficiat biennium : ita tamen, ut mora purgari possit satisfactione celeri, id est, spatio decem dierum, nisi malis dicere *cum Gl. hic v. celeri Abb. n. 12. Gl. in L. etsi post 8. v. plurésve ff. si quis cautionibus &c.* Judicis arbitrio relinqui, quodnam tempus modicum censeri debeat, quandoquidem in jure determinatum non est *argum. c. de causis 4. §. illis, de officio delegati* & tradit *Gl. in L. si ita quis 135. §. seria ff. de verborum obligatione.* Et est hoc commune etiam alijs debitis, quòd paria sint solvere tempore constituto, & intra paucos dies juxta *L. si duo 16. §. ult. junctâ L. sequente, ubi Gl. marginalis ff. de constituta pecuniâ*: dummodo damnum æstimabile ex tali dilatione creditori oriturum non sit.

Necesse autem est, ut pensio integra deferatur. At verò partem pensionis ex re emphyteutica, aut locata dominus recipere non cogitur L. 3. *junctâ Gl. v. in solidum Cod. de locato.* quia, uti dicitur *in L. 3. ff. de similia Herciscundæ* solutio partium non minima incommoda habet.

Notandum secundum. Si dies, sive tempus solvendi à Lege, aut ab homine, in partium conventione definitum sit, non est opus, ut debitor admoneatur, sed post tempus, sive diem transactam in mora is constituitur, quæ tamen si modica, sive paucorum dierum, creditori notabiliter non non sit, purgari potest, sicuti supra dixi.

TITULUS XIX.

DE RERUM PERMUTATIONE.

CUm etiam Permutationis contractus magnam cum emptione ac venditione familiaritatem gerat, prout docui *lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 1.* ideò ordinis ratio postulare videbatur, ut titulus iste subnecteretur.

SUMMARIUM.

1. *Afferuntur hujus decisionis exempla.*
2. *Quis Principis nomine intelligatur & quid sit sanctio pragmatica.*

CAPITVLVM I.

Si Princeps.

PARAPHRASIS.

Si ex causa rationabili Princeps petat rem Ecclesiæ immobilem, cum alia immobili commutari, liceat id facere ex communi consensu, dummodo res, quæ Ecclesiæ vicissim datur, majoris, vel æqualis pretij sit, & pragmatica sanctio promulgetur.

EXempla hujus rei affert *Joan. And. hic*: si Ecclesia prædium habeat vicinum prælatio Principis, quod ipse amplificare velit, vel hortum construere; vel si Ecclesia habeat castrum opportunum munitioni adversus hostium incursus &c. propter necessitatem, aut commoditatem Principis ponere res Ecclesiæ immobilis pro alia immobili commutari, tametsi in ea commutatione non cernatur major Ecclesiæ utilitas, satis est, si damnum non incurrat. Ratio est, quia merita Principis, & honor Ipsi debitus id postulare videntur, ut ejus petitioni satisfiat, si absque Ecclesiæ incommodo possit. Reliquæ tamen solemnitates, videl. auctoritas Superioris, consensus Capituli, & tractatus

status præcedens intervenire debent, cùm horum remissio facta non sit, secuti *Andr.* hic monet.

2 Porrò tametsi Principis nomine Imperator aut Rex intelligi debeat, sive qui Superiorem non habet, videtur tamen etiam ad alios magnos fundatores, ac patronos id extendi posse, quandoquidem talis permutatio non coacta, sed rogata, si alioquin Ecclesiæ noxia non sit, eâ ipsâ ratione utilis videri potest, quia fit propter valde potentis, & multùm de Ecclesia meriti patroni honorem, & utilitatem; ut proinde sufficiens causa sit permutandi, non item vendendi, quia vendito magis noxia est Ecclesiæ, quàm permutatio cum re æquali, aut majore, præterquā si princeps se obliget, quòd pretio constituto aliam rem æquivalentem, & æquè commodam Ecclesiæ, seu loco pio comparare velit.

Quæres. Quid sit sanctio pragmatica? Resp. *ex L. ult. §. ult. Cod. de diversis rescriptis.* esse rescriptum aut decretum, quòd super causâ publicâ cum consilio procerum ex Principis curiâ promanat.

CAPITULUM II.

Ut commutationes.

Paraphrasis.

Commutationes rerum Ecclesiasticarum, quæ ab antecessoribus prælatis factæ sunt inconsultè, successor emendare debet.

1 NOtandum. Successor debet revocare alienationes rerum Ecclesiasticarum illegitimè factas à suis antecessoribus, videlicet si sine justa causâ utilitatis, aut non servatis solemnitatibus factæ sunt. Verùm in hoc casu, si alienatio utilis Ecclesiæ videatur, solemnitates postea suppleri possunt: quæ ratio esse videtur, cur in textu non dicatur, permutationes esse revocandas, sed emendandas: quod varijs modis fieri potest, videlicet supplendo solemnitates omissas, agendo per viam nullitatis, per viam restitutionis in integrum, denique agendo ad supplementum pretij, si læsio in permutatione contigit, ultra dimidium justi valoris &c.

CAPITULUM III.

Mancipia.

Paraphrasis.

Ecclesiæ mancipia permutari non debent cum alijs mancipijs, præterquam in ordine ad libertatem, ita videlicet ut quæ mancipia Ecclesiæ erant, libertatem consequantur, & alia (laicorum) mancipia in ipsorum locum subrogentur, nam quod DEO semel consecratum est, ad humanos usus transferri non decet.

NOtandum. Servus, seu mancipium Ecclesiæ non debet alteri videlicet laicæ, aut privatæ personæ donari, seu aliter ad ejus dominium transferri, secluſa plenitudine summi Pontificis juxtà *c. Ecclesiasticis 67. causa 12. q. 2.* Ratio datur in textu, quia servus Ecclesiæ servitijs divinis deputatus censetur, & ideo non decet, eum ad humanos ac sæculares usus, atque servitia mundana transferri.

CAPITVLVM IV.

Injustum.

Paraphrasis.

Mancipia, quæ à fidelibus DEO, & sanctis Ecclesijs, pro remedio animarum suarum oblata, & consecrata sunt, non debent per donationem, aut permutationem iterum ad sæcularem servitutem reduci, quandoquidem Sacri Canones servos duntaxat fugitivos distrahi permittunt, & ideò caveant Ecclesiarum Prælati, ne unius eleemosyna alterius peccatum fiat, cùm etiam absurdum sit, si servus ab Ecclesiastica dignitate discedens humanæ fiat obnoxius servituti.

Summarium.

1. *Donata Ecclesiæ, pietatis causâ donata censentur.*

2. *Quæ Ecclesia mancipia, & quomodo alienari possint?*

1 NOtandum primò. Donatio, quæ Ecclesiæ fit, censetur facta causâ pietatis, & pro remedio animæ. *argum. hujus cap. & c. requisisti 15. de testamentis.*

Notandum secundò. Mancipia sive servi Ecclesiæ vendi non debent, nisi fugitivi sint. *c. fugitivi 54. causa 12. q. 2.* Debet autem hoc in casu venditor patefacere vitium mancipij, sicuti & aliarum merciũ vitia, si occulta sint, alioquin competit emptori actio redhibitoria, si patefacto sibi vitio empturus non fuisset, vel actio, quantò minoris, seu ad restituendam pretij partem, si nihilominus empturus fuisset, sed minore pretio, sicuti explicavi *lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 14. & 15.* & tradit *Abb. hic n. 2. addens n. 4.* quòd venditor vitium occultum mercis clarè, & specialiter exprimere debet, & non sub involucro verborum ponere, ita, ut emptor verè inesse non existimet.

Notandum tertiò. Eleemosyna unius, seu largitio pia Ecclesiæ facta occasionaliter sæpe fit peccatum alterius: quod maximè his nostris sæculis accidit, quando piæ fundationes majorum, à posteris infestantur, minuuntur, auferuntur.

CAPITULUM V.

Quæsitum.

Paraphrasis.

Cùm in Concilio Turonensi prohibita esset commutatio dignitatum, quæsitum fuit, an idem de præbendarum commutatione intelligi deberet. Respondet Papa, generaliter tenendum, quòd præbendarum commutationes de jure fieri non possint, præsertim præmissa partium pactione, quippe, quæ circà spiritualia, aut spiritualibus annexa, Simoniam continet; sin autem Episcopus necessarium esse duxerit, potest is personas de loco in alium locum transferre, ut quæ uni loco minùs utiles esse videntur, alibi se utiliùs exerceant.

Summarium.

1. *Præbendæ, & beneficia Ecclesiastica permutari non possunt, partium tantùm consensu.*
2. *His auctoritatem præbere, si utilitas, aut Ecclesiæ necessitas requirat, ad Episcopum pertinet, aut eos Prælatos, qui Episcopali auctoritate sunt præditi.*

NOtandum primò. Præbendæ, & beneficia Ecclesiastica non possunt permutari partium conventione. Imò ejusmodi pactiones tanquam Simoniacæ prohibentur *hic & c. ult. de pactis.* Ratio est, quia beneficia Ecclesiastica sine auctoritate Superioris Ecclesiastici licitè obtineri non possunt *c. 1. de regulis juris in 6.* Quo cum non pugnat, quin partes inter se tractare possint de permutatione facienda, dummodo ea ipsi pro rata, seu firma non habeant, sed ad superioris consensum & auctoritatem dirigant *secundùm gl. in clement. unicâ v. volentibus hoc tit.* & docui *lib. 4. tra. ult. c. ult §. 5.*

Notandum secundò. Ad Episcopum, vel Episcopali auctoritate præditum Prælatum spectat permutationes beneficiorum ex causa utilitatis, vel necessitatis instituere; nam item ad alios, tametsi jus conferendi habeant. Ita *Innoc. hic And. n. 5. Imola n. 6. Gl. cit. Clement. v. conferuntur.* Verumtamen eorum, qui jus præsentandi, eligendi, aut conferendi habent, consensus requiri debet, prout *Joann. And. & Gl. in tit. Clement.* monent, & docui *lib. 4. tra. 2. c. 17. n. 7.*

Faciliùs etiam institui potest permutatio, si eam partes petant, vel ultrò consentiant, etiam propter ipsarum commodum, quippe quod saltem indirectè redundabit in Ecclesiæ utilitatem, dummodo ea aliud pactum non sit incommodum; sin autem Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, quia v. g. paro-

parochus, aliúsve beneficiarius propter odium contractum apud plebem, vel Magistratum utilis futurus non putatur, Episcopus proprio motu permutationem instituere potest *argum. hujus c. ubi id docet Abb. n. 8. Imola n. 6. & argum. c. nisi 10. de renunciatione, ubi id Innocentius docet.*

CAPITULUM VI.

Ad quæstiones.

Paraphrasis.

In quadam diœcesi duæ erant Ecclesiæ Conventuales habentes singulæ parochiam sibi unitam: has duas parochias Religiosi permutare volebant propter vicinitatem majorem, sed quia una earum uberiores proventus habebat, ideò Conventualis Ecclesia, sive Monasterium, cui fuberat, postulavit, summam aliquam pecuniæ superaddi. Quæsitum fuit, num id liceret: respondet Clemens III. permutationem parochiarum per se, ac seorsim faciendam esse, & contractum permutationis possessionum, cum refusione pecuniarum, quatenus unius parochiæ possessiones majoris valoris sunt, itidem per se, ac seorsim instituendum esse, ita, ut hi contractus non misceantur.

Summarium.

1. *Etiam beneficia, quæ in proprietatem tenentur, permutari possunt.*
2. *Non tamen possunt vendi.*
3. *Possessiones tamen illis annexæ in æstimationem deduci possunt, præsertim cùm de his contractus specialis fiat.*

1 NOtandum primò. Beneficia non tantùm permutari possunt, si teneantur in titulum, sed etiam si teneantur in proprietatem. Ita *Host. & Abb. hic n. 2.* & dixi de hoc *in lib. 4. tra. ult. §. 5. q. 6.* Diversimodè autem Superioris consensus, seu auctoritas requiritur, prout bene notavit *Abb. n. 5.* si enim permutentur beneficia, quæ possidentur in titulum, requiritur Superioris auctoritas, quia beneficium sine Canonica institutione non obtinetur; sin autem permutentur beneficia, quæ habentur in proprietatem, tunc requiritur consensus, & auctoritas Superioris, sicuti ad quandam rei Ecclesiasticæ alienationem, sicuti constat *ex tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* 2

Notandum secundò. Licèt Ecclesiæ, & beneficia, quæ tenentur in proprietatem, ex causa justa utilitatis, & adhibitis solemnitatibus permutari possint, non tamen vendi, seu pro pretio dari. Ita *Gl. hic v per se.* Ratio est, quia spiritualia non possunt pretio æstimari, aut comparari, ut hîc, & *c. cùm pridem 4. de pactis c. super eo 7. de transactionibus.* emptio autem & venditio sine pretio non est *§. item pretium. Instit. de emptione.* 3

Notandum tertiò. Possessiones annexæ Ecclesijs, seu beneficijs permutandis in æstimationem secundùm se venire, atque vendi possunt ex causa justa, & adhibitis solemnitatibus, eò quòd temporales sint, & pretio æstimabiles. Tametsi verò consultum sit, ac tutius ad vitandam Simoniæ suspicionem, ut duo distincti contractus sub diversa verborum forma instituantur, quorum unus sit permutationis Ecclesiarum secundùm se, alter verò permutationis, aut venditionis possessionum; sufficere tamen videtur, si fiat per modum unius contractûs æquivalentis duobus, hoc modo, parochiam unà cum prædijs, & juribus adhærentibus permutamus cum parochia, ita ut compensatio uberiorum proventuum nostræ parochiæ fiat mille aureis numeratis.

CAPITULUM VII.

Cùm olim.

Paraphrasis.

Magister S. & B. Archidiaconatum, & Præposituram inter se permutârunt; ea causa coram delegatis judicibus agitata fuit; postea verò coram Innocentio III. in

in curia Romana, ubi S. sponte confessus fuit, permutationem inter partes peractam esse. At verò B. hoc idem negavit asserens, quòd Præpositurum purè & sine conditione resignârit, atque Archidiaconatum post resignationem magistri S. assecutus fuerit. Pontifex autem, cùm cognovisset, B permutationi consensum dedisse, magister S. etiam errorem suum publicè confessus esset, hunc Præpositurâ, & illum Archidiaconatu per sententiam privavit.

SUMMARIUM.

1. *Permutatio beneficiorum propriâ auctoritate facta in foro conscientiæ nulla quidem est, possunt tamen per sententiam judicis privari beneficijs taliter permutantes.*

1 NOtandum. Pœna eorum, qui beneficia inter se propriâ auctoritate commutant, est privatio, sive ut ea amittant; quod intelligi debet per sententiam judicis: alioquin verò spectato conscientiæ foro, cùm resignatio, & permutatio propriâ auctoritate facta juribus caruerit, possunt permutantes redire ad sua beneficia, sicuti docui *lib. 4. tra. ult. c. ult. §. 5. q. 2.* & hanc sententiam docuit *Petrus Nau. de restitutione lib. 2. c. 2. propè finem. Lessius lib. 2. c. 35. n. 100.* licèt aliter sentiant *Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de Simonia c. 55. n. 18. Garzias de beneficijs p. 11. c. 4. n. 58.* qui dicunt hodierno jure permutantes beneficia, incurrere excommunicationem, & esse privatos ipso jure *per Extravag. 2. de Simonia.*

CAPITULUM VIII.

Cùm universorum.

Canonicus G. & Clericus L. de Permutatione præbendarum inter se tractârunt, quòd ea utrique parti utilis videretur; postea verò licèt G. præbendam suam resignârit, quæ L. Clerici consanguineo assignata est, ipse tamen L. præbendam suam vicissim, prout promiserat, resignare noluit. Hac causâ intellectâ respondet Innoc. III. quòd hi Clerici per se ipsos, sua propriâ auctoritate beneficia permutare non potuerint; nihilominus, cùm deceptis, & non decipientibus jura subveniant, & simplicitati venia danda sit, mandare se, ut si constiterit, dictum G. prout narratur, deceptum fuisse, amore consanguineo dicti L. vel quoliber alio detentore præbendam suam restitui sepe dicto G. executores curent.

SUMMARIUM.

Jura illis ignoscunt, & succurrunt, qui ob simplicitatem decipiuntur.

NOtandum primum. Ijs, qui ob simplicitatem decipiuntur, jura ignoscere & subvenire solent, ut *hic & in c. super literis 20. de rescriptis*, idque maximè, si sint personæ, quæ jura ignorare possunt, in quibus juris ignorantia ignoscitur, videlicet homines rusticani, milites, famuli, minores natu *L. regula 8. ff. de juris & facti ignorantia.*

Notandum secundò. Qui propriâ auctoritate beneficium, permutandi causâ, resignavit, & tradidit, tametsi vicissim nihil receperit, in pœnam privari potest. Innoc. *hic v. simplicitati.* & colligitur ex textu, quando significatur, Canonico G. ob simplicitatem ejus gratiam fieri, quòd præbenda, quam commutandi causâ resignare, restituatur.

Id verò probabile est, quòd præbendam suam animo permutandi, seu aliam vicissim recipiendi propriâ auctoritate resignanti à judice privatio per sententiâ ipsi in pœnam non inferatur, effectu permutationis non secuto, sive non receptâ vicissim præbendâ, suam, quam resignavit, repetere possit, nec quam datam ob causam, causâ non secutâ, secundùm doctrinam quorundam, quos *Gl. finalis* allegat, & sequitur *Parisius de resignationibus lib. 1. q. 1. n. 12. Lessius lib. 2. c. 34.*

2. c. 34. n. 193. Idque maximè locum habere debet spectato jure novo *Clement. unica hac tit.*

CAPITVLVM IX.

Exhibita.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem, & Conventum monasterij S. Martini in Pannonia ex una parte, & Præpositum Albanensem ex altera lis orta fuit super decimis. Ea delegata fuit Capellano Papæ in Pannonia commoranti, in eundémque & Magistrum M. partes tanquam in arbitros compromiserunt; ij pronunciârunt, si Præpositus à Rege Ungariæ impetravit decé millia solidorũ, concedi monasterio; quòd monachi cessare debent à decimarum petitione: super hoc pronunciato, cùm Gregorius IX. consultus fuisset, mandavit is quibusdam Abbatibus: quandoquidẽ permutatio spiritualium cum temporalibus reprobata est, ut si ipsis, ita rem actam esse, constituerit, ut dictum arbitrium, & quod ex eo secutum est, irritum esse decernant.

SUMMARIUM.

1. *In judicem delegatum tanquam arbitrum compromitti potest.*
2. *Compromissio in aliquos tanquam arbitratores transactionis vicem habere potest.*
3. *Jus decimarum clericalium pro re temporali permutari non potest.*
4. *Transactio propriè dicta, auctoritate partium facta, non valet, si uni litigantium adjudicetur quid spirituale, cum obligatione solvendi alteri parti temporale aliquid.*

1 NOtandum primum. In judicem delegatum compromitti potest tanquam in arbitrum *c. litteras 14. de præsumptionibus c. nisi 21. de præbendis.*

2 Notandum secundum. Si in unum, vel plures compromittatur tanquam in arbitratores, seu compositores, id cujusdam transactionis vicem subit *authent. ut differentes judices collatione 6.* ubi id *Gl.* monet *v. conventum*, atque ex eo apparere ait, quia non totum id, quod actori debetur, arbitratores faciunt eidem præstari; interdum enim reum, adversus quem nihil probatum est, aliquid præstare jubent. Vide, quæ dixi *lib. 1. Decretalium in rubrica tit. de arbitris.*

3 Notandum tertiò. Jus decimarum Clericalium, cùm spirituale sit, & in spirituali titulo fundatum, & non potest pro re temporali commutari, multò minùs vendi, adeò, ut talis contractus, & quidquid ex eo secutum est, ipso jure irritum sit: quocum non pugnat, quòd fructus decimales vendi possint, imò etiam facultas percipiendi ad certum tempus locari *c. 2. de locato.* propterea si jus decimarum à titulo spirituali legitima auctoritate abstractum sit, absolutè, & in perpetuum vendi non est illicitum.

4 Notandum quartò. Non valet arbitratoris pronunciatum, quo decernitur, ut causa dubia super jure spirituali uni litigantium adjudicetur, is verò propterea gravatus sit, alteri parti pecuniam, aliúdve pretio æstimabile solvere. Consentit *c. super eo 7. de transactionibus & c. 2. de arbitris.* Neque obstare debet *c. nisi 21. de præbendis.* rectè enim respondet *Gl. in c. 2. de transactionibus.* quòd transactio, propriè sumpto isto vocabulo, fieri non potest super re spirituali, ita, ut detur aliquid temporale, cùm sit Simoniaca pactio, sive à partibus initium habuerit *c. cùm jam 4. de pactis. c constitutis 4. de transactionibus.* sive ex arbitri, vel arbitratoris pronunciato, prout hìc apparet, & in *c. 2. cit. junctâ Gl. v. quinque marchas.* & docui *in cit. c. super eo*: nam transactio est in re dubia, non gratuita pactio, prout docui *lib. 3 tra. 4. c. ult.* ideóque si super re spirituali v. g. jure decimarum, dato aliquo temporali, propriè dicta transactio fiat, tunc jus saltem dubium alteri parti compe-

tens redimitur aliquo temporali, seu pretio æstimabili, quod est Simoniacum.

At verò transactio impropriè dicta, sive compositio amicabilis videlicet ob bonum pacis, & concordiæ per judicis ordinarij, aut delegati, imò etiam arbitrorum auctoritatè fieri potest, juxta *cit. c. nisi.* ubi id docui, & *ibidem Gl. v. ex jussione*, quæ rectè monet, quòd talis compositio amicabilis fieri non possit partium conventione, & ideò si inter partes ita transactum fuerit, ut unus à lite beneficiaria recedat, eique temporale quidquam detur, Superior confirmare non debet, sicuti docet etiam Suarez *tom. 1. de religione lib. 4. de Simoniaca p. 51. n. 21.* & sumitur *ex c. cùm pridem.* ubi id dixi *not. 1. de pactis.* Propterea si constet, parti uni jus ad beneficium, aut decimas clericales competere, vel saltem causam, quæ in judicio versatur, ita comparatam esse, ut pro ipso sententia ferenda sit, tunc judex compositionis ejusmodi auctor esse non potest, ut quidpiam temporale detur illi parti, quæ dicto jure nititur, cùm re ipsa daretur in compensationem juris, seu ut jure spirituali cedat, prout colligitur *ex cit. c. 2. de arbitris.*

CAPITULUM UNICUM.

eodem Titulo in sexto.

Licèt.

Paraphrasis.

Romanus Pontifex Titio dedit gratiam exspectativam, id est, quòd beneficium in diœcesi ipsi conferendum sit, si vacet, aut si jam non vacet, quòd proximè vacaturum est, dato certo executore ad compellendum. Postea accidit, ut duo Clerici in eadem diœcesi in manu Ordinarij resignarent, causâ permutationis. Tunc Titius accessit ad Ordinarium, & petijt beneficium resignatum sibi conferri vigore gratiæ exspectativæ. Hoc in casu ait Bonifacius VIII. licèt Titius secundùm rigorem obtinere debeat, spectatâ tamen æquitate, quæ juris rigori præferenda est, exspectativas gratias in beneficijs resignatis causâ permutationis locum non habere, cùm eorum resignatio facta sit cum conditione permutandi, quæ prorsùs impediri non debet.

Summarium.

Non obstantibus gratijs exspectativis permutatio beneficiorum fieri potest.

NOtandum. Permutatio beneficiorum fieri potest non obstantibus gratijs exspectativis, sive, ut aliter dicam, gratiæ exspectativæ se non extendunt ad beneficia resignata, causâ permutationis. Rationes sunt duæ. Prima. Licèt beneficia ita resignata in manu Ordinarij verè vacent, judicio considerato rigore, ac veluti externo cortice verborum, comprehendantur sub gratijs exspectativis, in quibus generatim dicitur, primò vacaturum beneficium illi conferendum, tamen ratio æquitatis, quæ rigori præfertur L. *placuit 8. Cod. de judicijs.* id non permittit, cùm resignatio facta sit causâ permutandi, sive non in alium finem, nisi ut permutatio sequeretur, adeoque si secuta non sit, beneficia restitui debeant permutantibus, & si alicui alteri præter permutantes beneficium conferatur, irrita sit collatio *Clement. unica hoc tit.* Altera ratio gratiam exspectativam habens conquerens non potest, cùm nihil omninò ipsi deperat, quandoquidem Clerici resignationem beneficiorum non fecerunt, nisi animo permutandi, actus autem agentium extendi non debet ultra eorum intentionem ait *Glossa in notandis.*

Excipe, nisi ex qualitate, & circumstantijs facti appareat, permutationem beneficiorum factam esse in fraudem, tunc eâ non obstante, locus esse debet gratiæ exspectativæ *argum. hujus c.* & tradit *Gl. receptæ, in fraudè.* & sumitur *ex c. 2. de renunciatione n. 6.* non tamen ideò præcisè, quia beneficium tenue cum pingui permutatur; vel inter senem, & juvenem permutatio inve-

cetis

cedit, sufficiens præsumptio fraudis est, prout hìc notavit *Francus n. 12. argum. L. dolus 10. Cod. de rescindenda venditione.* Ubi habetur, quòd dolus emptoris qualitate facti, non quantitate pretij æstimatur. ubi *Gl. marginalis.* dolus in venditione interveniſſe probatur ex verbis, & actibus.

TITULUS XX.

DE FEUDIS.

POsteaquam de contractibus, quibus rerum dominium directum transfertur, in præcedentibus titulis actum fuit, subjungitur nunc de Feudo, siquidem per contractum feudalem transfertur dominium utile, seu jus utilitatis; quare inter species alienationis prohibitæ Feudum numeratur, sicuti & emphyteusis.

CAPITULUM I.

Insinuatione.

PARAPHRASIS.

Ecclesia Cathedralis Marienſis cuidam M. villam, seu possessiones quasdam concesserat in Feudum. Postea idem M. ab Episcopo Marienſi pecunias mutuas accepit, & dictam villam, seu possessiones pignoris nomine obligavit. Hoc in casu ait Innoc. III. quòd Episcopus fructus ex villa perceptos in sortem computare non teneatur, dummodo interea temporis, quo fructus Ecclesia percipit, dictus M. à servitio, ratione Feudi, Ecclesiæ præstando immunis sit.

SUMMARIUM.

Ostenditur, casum hujus Capituli esse specialem.

NOtandum. Casus iste specialis est, in quo creditor ex pignore perceptos fructus in sortem computare non tenetur, si videlicet domino directo Feudum pignoris nomine obligatum sit, Ita etiam habetur *in c. conqueſtus 8. de usuris.* & docui *lib. 3. tra. 4. c. 16. n. 20.* ubi rationem attuli: quia indecens videtur, ut ipsemet dominus directus ex re propria penes ipsum ex voluntate alterius partis, videl. debitoris, existente, acceptos fructus non lucretur, sed alij tradere teneatur. Quare ita judicandum, quòd interim, dum feudum pignoris loco domino traditur, Feudi contractus cesset, & consequenter etiam Vasallus à servitio, aut pensione interea liber esse debeat.

CAPITULUM II.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Mediolanensis tria quæsivit ex Innoc. III. Primum, si contingat, Vasallum suæ Ecclesiæ mori, ita, ut Feudum ad Ecclesiam, & Archiepiscopum revertatur, num liceat alterum infeudare non obstante juramento, quo Archiepiscopus obstrictus est non infeudandi de novo, inconsulto Papâ. Alterum, si Vasallus Ecclesiæ Feudum alienârit, num de eo ipsius filium, aut consanguineum ejusdem Feudi consortem investire possit. Tertium, si Feudum alienatum sit, quod Ecclesia, seu Archiepiscopus facilè recuperare non possit, an licitum sit alicui Laico, idem Feudum de novo concedere hac conditione, ut malè alienatum recuperet, & ab Ecclesia recognoscat. Ad omnia hæc quæsita respondet Pontifex affirmando.

SUMMARIUM.

1. *Quando Prælatus rem Ecclesiæ, non obstante juramento, de non infeudando, infeudare possit?*
2. *Cogi tamen non potest ad infeudandum.*
3. *Vasallus Feudum sine consensu domini alienans etiam filijs nocet.*
4. *Utrùm, & quomodo pater Vasallus, filiæ in dotem dare possit feudum?*
5. *Ut res censeatur infeudari solita, quot infeudationes factæ fuisse debeant.*
6. *Quando Ecclesia possit de feudo, quod ob delictum Vasallus amisit, potentiorem infeudare?*

2 NOtandum primum. Prælatus non obstante juramento de non alienando, nec infeudando res Ecclesiæ, potest feuda aperta, & ad Ecclesiam reversa alteri liberè, id est, arbitratu suo, & ut nemo se opponere possit, & infeudare, cùm non censeatur nova infeudatio, aut alienatio, sed olim decreta infeudationis executio, idémque eâdem ratione dicendum de emphyteusi. Sicuti docui *in c. ut super 8 not. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Excipe, si rerum statu mutato appareat jam non expedire, ut res olim infeudari, vel in emphyteusin dari solita de novo concedatur, quia v. g. Ecclesia inops facta est, & fructuum perceptione indigens, tunc concedi non potest. *argum. hujus cap. v. si videris expedire*, & docet *Rosenthal de feudis c. 4. q. 36.*

2 Notandum secundum. Non potest cogi Prælatus, ut rem ad Ecclesiam reversam iterum infeudet, v. g. propinquiori hæredi, aut cognato defuncti. Ita sumitur *ex hoc c. eodem v.* & docet *Rosenthal c. 4. concl. 27.*

3 Notandum tertium. Vasallo prohibita est alienatio Feudi adeò, ut si sine domini consensu alienet, ipso jure privetur, & Feudum ad dominum revertatur, etiam exclusis filijs, & agnatis alijs. Ita sumitur *ex hoc c.* quando dicitur Feudum ad Ecclesiam reversum filio, vel consanguineo ejusdem Feudi consorti concedi posse, ergo supponitur, filium fuisse privatum jure Feudi propter alienationem patris, & dubium tantùm erat, utrùm, non obstante delicto patris, filio possit de novo concedi. Ita hic explicat *Abb. n. 5. & 9.* & alij *in Gl. v. investire.* & constat *ex libro 2. feudorum tit. 24. §. ult. ibi.* quia dominum contemnere videtur Vasallus alienando feudum sine consensu ejus; quare idem dicendum, si Vasallus ob injuriam, seu ingratitudinem adversus dominum Feudum perdat, ut non ad filios, vel agnatos, sed ad dominum revolvatur, sicuti docui *lib. 3. tra. 4. c. 24. n. 12.* Quæstio est prima. Num pater Vasallus filiæ feudum dare possit in dotem. Ad hoc respondet, *Gl. hic v. feudum*, quod dari possit ad vitam Vasalli. Idem docet *Innocentius in c. nuper de donationibus inter virum, & uxorem.* Sed rectius negatur, feudum in dotem dari posse à Vasallo sine consensu domini, quia textus *lib. 2. feudorum tit. qualiter olim poterat &c. §. donare.* absolutè id negat, & docet *Clarus §. feudum. q. 36. Rosenthal de feudis c. 4. memb. 1. q. 5.* At verò commoditatem in fructus annuos ex re feudali in dotem dare, nihil prohibet ad vitam Vasalli, ita ut pater ad eos dandos, dum ipse vivit, personali tantùm obligatione teneatur. Sic explicat *Rosenthal n. 1. Gail. lib. 1. observatione 117. n. 7.* & sumitur ex generali doctrina apud *Bartolum in L. fin., qui usumfructus ff. de pignoribus.* licèt usufructus à fructuario alienari non possit, ita ut ipsum jus transferatur, posse tamen eo di commoditatem utendi L. *arboribus §. usufructuarius ff. de usufructu.* Rationem dare debemus, quia hoc modo non mutatur conditio feudi, cùm idem Vasallus, eadémque ejus obligatio, atque ita permaneat. Id porrò concessum esse apud *Clarus & Rosenthal cit. locis*, quòd mulier habens feudum fœmineum, id marito in dotem dare possit absque domini consensu, licèt tutius sit eum adhibere. Ratio est, quia in hoc casu ipsa uxor dominium, & quo-

quodammodo possessionem civilem retinet, atque fundus dotalis marito datur duntaxat, ut commoditatem inde, & fructum ad familiam, ipsámque uxorem alendam percipiat, donec matrimonium solutum sit: quam ob rem non potest fundus feudalis æstimatus dari in dotem, ita ut venditio esse censeatur, neque potest pactum apponi de lucranda dote, nam tale pactum, cùm sit contra naturam rei feudalis, irritum censetur teste *Rosenthal cit. q. 9. n. 8.* Quæstio 5 *secunda.* Quot infeudationes præcessisse opus sit, ut res denuò sine solemnitatibus à Prælato infeudari possit. De hac re sunt variæ sententiæ *apud eundem Rosenthal c. 4. concl. 29.* Probabile autem, & tutum est, ut dicamus, satis esse, quòd res semel fuerit in feudum concessa, & ad Ecclesiam reversa, ac nondum incorporata. *argum. hujus c.* in quo aliud non requiritur; & ita docet *Abb. in c. ut super n. 11. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* si subsit eadem causa in feudū vel emphyteusin dandi, satis esse, si semel concessio facta fuerat.

Notandum quartum. Si feudum, quod 6 ob delictum Vasalli ad Ecclesiam reversum est, à Vasallo, vel altero, cui ipse alienavit, recuperari non possit, vendi, vel in feudum dari potest alicui potentiori, per quem recuperetur. Ita sumitur *ex hoc. c.* idque favore Ecclesiæ specialiter constitutum fuisse admonet *hic Imolan. 30.* Sed aliam quamcunque rem non est concessum Prælato in feudum concedere alicui potentiori eam ob causam, quòd à possessore vel detentore recuperari non possit, nisi juris adhibitis solemnitatibus, prout ex communi tradit *Abbas hic n. 5. Rosenthal cit. c. 4. concl. 16.*

TITULUS XXI.

DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAUTIONIBUS.

QUandoquidem alienationibus, & contractibus, de quibus hactenus dictum, Pignora, aliæque cautiones, de satisdando videl. fidei jussiones, & juramenta adjici solent, in securitatem conventionis, ac debiti, ideò de his tanquam accessoriis hoc in loco agitur. Verùm tamen nomine cautionis, si simpliciter probatum reperiatur (& non adjiciatur vox idonea) nec pignus, nec fidejussio, sed simplex, ac nuda promissio intelligi solet, uti habetur *in L. 3. Cod. de verborum significatione.*

CAPITVLVM I.

Nullus.

PARAPHRASIS.

Sacri calices, patenæ, vestimenta sacerdotalia, & liber Ecclesiasticus, tabernario, vel negotiatori, aut cuicunque Laico, vel fœminæ, obligari, vel in vadium sive debiti securitatem dari non debent, nisi justissimâ urgente necessitate.

SUMMARIUM.

1. *Possunt quidem bona Ecclesiæ per generalem hypothecam obligari, non tamē veniunt sub hac obligatione vasa sacra, aut sacra suppellex.*
2. *Possunt tamen hæc talia pignoris loco Laico etiam obligari ex ijsdem causis,*

& solemnitatibus intervenientibus, quibus vendi possunt.

1 NOtandum primum. Tametsi Prælatus bona Ecclesiæ pro securitate debiti per generalem hypothecam obligare possit, sicuti docui *in c. nulli 5. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, ea tamen obligatione non comprehenduntur vasa, & suppellex sacra, sive ea, quæ ad divinum cultum, & templi ornatum spectant. *argum. L. 1. Cod. quæ res pignori obligari.* ubi habetur, quòd in generali Pignoris obligatione non veniant res, quæ specialiter obligari non solent, talia autem sunt vasa sacra &c. quippe, quæ non nisi ob gravem & urgentem necessitatem obligare licet.

2 Notandum secundum. Ex quibus causis sacra vasa, & suppellex vendi possunt, sicuti docui *in cit. c. nulli & lib. 3. tra. 4. a.* 10. *n.* 3. *& c. 17. n.* 31. ex ijsdem etiam causis pignoris loco obligari Laico *argum. hujus cap.* & docet *Syl. v. pignus q. 3.* discrimé autem est, quòd si venditio Laico fiat, ea conflari vel profanari prius debent *L. sancimus 21. Cod. de SS. Ecclesijs.* At verò in pignus etiã cùm sacra, seu benedicta manent, dari possunt: quamquam hæc non sit propriè dicta Pignoris constitutio, nam in pignore obligatio realis, seu in re ipsa acquiritur; res autem Sacra ita obligari, seu acquiri Laico non potest, ut jus habeat in re sacra L. 3. *Cod. quæ res pignori &c. & L. 1. §. eam rem, juncta Gl. v. non potest ff. eodem*: & notavit *Gl. in authent. Hoc jus porrectum apud Gratianum causa* 10. *q. 2. v. conflata non esse.* hanc Pignoris obligationem non esse, sed solùm detentionem, donec pecunia debita reddatur; qua simili ratione liber homo quandoque obligari potest, id est, ut obses tradi, ac teneri, prout notat *Gl. in c. supplicitèr 18. v. obsidésque causa 23. q. ult. Gl. in c. ex rescripto 9. v. obsides.* & docui *ibi post not. 1. de jurejurando.*

CAPITULUM II.

Lator.

PARAPHRASIS.

Liber homo propter debitum detineri non potest, tametsi non habeat, unde solvat. Sumptum est *ex L. obses. 12. Cod. de fidejussoribus. L. qui filias 6. Cod. quæ res pignori &c. authent. ut nulli judicum. §. quia verò, collatione 9.*

SUMMARIUM.

1. *Pro debito non potest liber homo pignoris loco retineri.*
2. *Limitatur tamen hæc doctrina.*

NOtandum. Pro debito non potest liber homo, v.g. filius debitoris, pignoris loco retineri, aut in servitutem accipi. Ita etiam habetur *in cit. authent. quæ verò.* Ubi pœna adijcitur, ut, qui ita deliquerit retinendo, non solùm debito cadat, sed tantam aliam pecuniam adijciat ei, qui retentus est ab ipso, aut parentibus ejus, & postea corporalibus pœnis subdatur. Quam ob rem in Imperio frequens est, ut proponantur tales oppignorationes mandata de relaxando etiam quandoque sine clausula, mittantur. Ratio notandi reddi debet, quia res, quæ non est in commercio nostro, ita ut vendi non possit, ea neque pignori obligari potest *L. 1. §. eam rem supra cit.* Atqui liber homo hoc ipso, quòd liber est, in commercio, ac dominio nostro non est. Ergo &c.

Limitari, & declarari debet hæc doctrina. Primò, Quòd liber homo in securitatem pacis constitutus, & in quibusdam casibus etiam pro civili debito obses dari possit, ita ut permanere debeat, sicuti explicui *in cit. 6. ex rescripto*, atque ita consuetudine observari, testis est *Imola hic n. 12.*

Secundò. Quòd pater ob nimiam egestatem filium oppignorare possit, *argum. L. 2. Cod. de patribus, qui filios distraxerunt.* & notat *Gl. hic v. lex.*

Tertiò. Debitor condemnatus, si post excussionem bonorum solvendo non idoneus

neus reperitur, nisi bonis cedere velit, capi, & incarcerari potest *argum. L. 1. Cod. qui bonis cedere possunt. ubi Gl. marginalis notat, & Gl. finalis hic, Imola n. 13. & 16.*

Quartò. Si debitor fugiat, propter periculum amittendi debiti, capi, & reduci potest à creditore, etiam privatâ auctoritate, si judicis copia statim haberi non possit L. *ait prator 10. §. si debitorum*, ubi id docent DD. *ff. quæ in fraudem creditorum Gl. in L. exstat. v. sine ullo judice. ff. quod metus causâ Petrus Duennas in regulis juris v. debitor fugitivus regula 175.* Idque ampliari debet, tametsi debitor nondum in mora sit, neque dies solutionis advenerit; ostensâ tamen suspicione fugæ coram judice, ejusdem auctoritate capi debet, prout *Imola hic* docet, *Duennas cit. lo. n. 3.* ubi pluribus relatis ait, propter periculum in mora sufficere hoc casu ad probandum, si creditor juraverit; quod tamen universim verũ non est, sed judicis arbitrio relinquendũ, num ad probandam suspicionem fugæ, cum irreparabili damno creditoris, sufficiat juramentum, ita, ut ad capturam debitoris non sine infamia ejus procedi possit, sicuti *ex Baldo* notavit *Menochius in arbitrarijs qq. casu 78. n. 6.*

Quintò. Debitor fisci, si solvere recuset, cogi potest *L. sacrilegi 9. §. eum quoque. L. cum eo ff. ad legem Juliam peculatûs.* ubi id tradit ex communi *Bartolus n. 2.* Sed incarcerari non debet, nisi in contumacia persistat L. 2. *Cod. de exactionibus tributorum lib. 10.*

Sextò. Si debitor in judicio fuit, & de sistendo se promisit, & non se stitit, sed contumax est, potest à judice realiter apprehendi, & invitus duci *L. consentaneum 8. quomodo, & quando judex &c.* Usitatius tamen, & commodius est, ut in bonorum possessionem missio fiat. *authent. de exhibendis reis. §. si verò semel, versiculo si verò etiam.* Cæterùm, dum debitor in sua domo existit, inde extrahi ad judicium non potest, cùm domus tutissimum cuique refugium, & receptaculum sit, sed verbaliter citari debet; sin lateat, & contumax sit, in bonorum possessionem missio fieri. *L. plerique 18 ff. de in jus vocando.* & tradit *Bartolus lo. cit.* Si tamen judicis auctoritatem contemnere videatur, mulctari potest, & idcircò realiter capi, & extrahi, *juxta L. 1 ff. si quis jus dicenti non obtemperavit*, & notavit *Imola hic n. 17.*

Porrò deprehensum in crimine, pro quo imponenda venit pœna capitalis, quisque rapere potest, ut ad judicem ducat *L. 1. Cod. de raptu virginum. L. si quis 7. ff. de furtis. ubi Gl. marginalis* ait, quòd in causâ criminali quispiam è domo sua extrahi possit invitus, & *Gl. in L. nemo de domo sua extrahi debet 103. ff. de regulis juris.*

CAPITULUM III.

Ex præsentium,

Paraphrasis.

Sacerdos Ecclesiæ de Offitona calicem argenteum, & medietatem breviarij ejusdem Ecclesiæ pro rebus sibi necessarijs comparandis, pignori obligavit, atque morte præventus, ea non recuperavit. Hoc intellecto rescripsit Alexander III. ad Episcopum Exoniensem, quandoquidem indignum est, ut dictæ Ecclesiæ res suæ, præsertim sacro ministerio deputatæ, taliter deperire debeant, ideò mandare se ipsi, si rem ita habere comperierit, ut filium Sacerdotis, qui in patrimonialibus bonis successisse refertur, moneat, & compellat, ut res illas obligatas redimat, & Ecclesiæ restituat.

Summarium.

1. *Pro propria necessitate, aut utilitate res Ecclesiæ oppignorare non potest Rector Ecclesiæ.*
2. *Ita ut non tantùm ille, sed etiam hæres illius ad restituendum Ecclesiæ damnum, si quod per dolosam oppignorationem datum sit, obligetur.*

NOtandum primum. Rector, aut Prælatus non potest res Ecclesiæ oppignorare pro propria necessitate, vel utilitate, 1

nam

nam Pignoris obligatio non consistit, nisi de his, quæ quis de bonis suis obnoxia facit, prout dicitur *in* L. *qui filios 6. quæ res pignori obligari &c.* res autem Ecclesiæ non sunt propriæ rectoris, seu Prælati, cùm earum administrator sit, non dominus *c. 2. de donationibus.* Igitur non consistit earum obligatio, si fiat in propriam utilitatem. Ita Gl. *hic v. necessitate.*

Dices. Si obligatio Pignoris irrita fuit, potuit Ecclesia pignus revocare à creditore, & ideò necesse non erat hæredem presbyteri, seu Rectoris adigere ad recuperandum. Respondetur *cum* Gl. *ibidem in 3. responsione, & Gl. in c. placuit 15. v. pertineant, causa 16. q. 3.* in electione Ecclesiæ esse, num velit directâ viâ agere adversus illum, qui pignus, aut rem malè à rectore distractam detinet, an contra ipsum rectorem, aut Ecclesiam indemnem servet, prout colligitur *ex* L. *ult. Cod. si Rector vel curator intervenerit &c.* Ubi habetur, si tutor, vel curator rem minoris natu malè distraxerit, posse minorem petere, ut restituatur, vel contra tutorem, ut damnum resarciat; Ecclesia autem minori æquiparatur *c. 3. de in integrum restitutione.*

2 Notandum secundum. Non tantùm Prælatus, seu Rector Ecclesiæ obligatur ad resarciendum damnum, quod per dolosam, vel negligentem administrationem intulit, sed etiam hæres ejus, eò quòd obligatio personalis ad hæredem tranſeat, prout *hic Abb. notavit, & docuit Gl. in c. 2. causa 12. q. 4. argum. L. quidquid 7. C. arbitrarium tutelæ.* Ubi hoc idem dicitur de tutore, si dolo vel culpâ latâ, aut levi minori acquirere intermiserit, ad resarciendum obligari. Verùm & vice versa, si Prælatus aliquid ex propriis pro necessitatibus Ecclesiæ expendit, aut damnum passus est, id ipsi restitui debet *cit. c. 2.* & tradit *Abb. p. 2. consiliorum Consilio 10.* Quia officium suum nemini damnosum esse debet. Ad extremum addo, si rector, seu parochus non multos reditus habens, atque patrimonialibus bonis destitutus, debita quædam, infirmitatis causâ, contraxerit, & mortuus sit, æquum esse, ut Ecclesia, cui servit, ea dissolvat, vel id onus successori imponatur. Quæ de re videri potest *Abb. hic n. 5.*

CAPITULUM IV.

Illo.

Paraphrasis.

H. & B. fratres viginti tres libras argenti c[epe]runt mutuò à G. muliere filia Tr[ibal]di, cui fratres illi dederant quasd[am] vineas, postea repetere volebant, [quam] pignori pro pecunijs illis obligat[as]. Hanc causam Innocentius III. qu[ondam] dam delegaverat, cum mandato, ut G. mulierem, & filios ejus ad vineas [cum] cum fructibus ultra sortem, seu pecun[iam] mutuas perceptis, per pœnam Conc[ilii] Lateranensis adversus usurarios reti[nentes] compellat. Verùm ex parte G. & hæredum propositum fuit, vineas non [fu]isse pignori obligatas, sed purè venditas, sicuti in instrumento appareret; [quas] verò dixit H. vineas à se & fratre [suis] non purè venditas, sed pignori fuisse [ob]ligatas, idque ex eo liquere, quòd [re]ditioni conditio adjecta fuerit, ut [in] tempore contractûs intra duos [annos] Theobaldo emptio displiceret, [et] tempore G. pater dicti H. venditoris, [vi]ginti sex libras, computatis fructibus in eis, solvere deberet. Tunc [postea] dubitârunt, & Pontificem consuluerunt, num is contractus pura & absoluta venditio, an verò pignus censeri debeat. Respondet Papa, licèt non clarè constet, qualisnam contrahentium intentio fuerit, atque spectatâ formâ contractus venditio non conditionalis, sed pura videatur, quæ propter conditionem, in pactionem redemptionis dissolvi possit, tamen ob duo, quæ in contractu expressa fuerunt, præsumptionem vehementem nasci contra emptorem, videlicet, quòd fructus percepti debeant in solvendo pr[etio] quia

cunia numerari, & quod ultra ſummam acceptam venditor ſexaginta ſolidos ſolvere debeat, præſertim cùm idem emptor aliàs quoque uſuras exercere ſolitus ſit.

SUMMARIUM.

1. *Verba contractûs attendenda, ſi de intentione contrahentium dubitetur.*
2. *Venditio rei fieri poteſt, adjecto pacto revenditionis, in gratiam emptoris.*
3. *Fructus tamen interea percepti ad emptorem pertinent.*
4. *Uſuræ tamen ſuſpicionem præbet pactum redimendi juxta arbitrium emptoris, majore ſtatuto pretio pro revenditione, quam pro prima venditione expoſitum fuerit.*
5. *Quæ ſuſpicio nonnunquam augeri poteſt ex qualitate perſonæ, vel alijs circumſtantijs.*

1 NOtandum primum. Si de intentione contrahentium, qualem contractum inſtituere intenderint, controverſia oriatur, videndum eſt, quidnam verbis expreſſerint, (v.g. quòd emptionem, & venditionem celebrare velint) iisque ſtandum, niſi ex adjunctis, ſeu adjectis conditionibus, aut pactis appareat, vel præſumptio fieri poſſit, aliud ipſos intendiſſe, quia non quod ſcriptum, ſed quod geſtum eſt, inſpicitur, ait Gl. *hic v. obligatis*, *juxta tit. Cod. plus valere, quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur*, & facit ad hoc propoſitum *L. ex conducto 15. §. Papinianus. ff. locati.*

2 Notandum ſecundum. Venditio rei fieri poteſt adjecto pacto revenditionis in gratiam emptoris, ita, ut ſi emptori placuerit, prior venditor redimere cogatur rem, quam vendidit *L. quòd ſi 31. §. ſi quidita. ff. de ædilitio edicto.* Quemadmodum & in gratiam venditoris pactum adjici poteſt, ut ſi ipſi placuerit, rem venditam redimendi facultatem habeat. *L. 2. cod. de pactis inter emptorem &c.* His addit Gloſſa *v. proximos annos.* Pactum revendendi, ſi emptori placuerit, adjici poſſe, vel ad tempus determinatum v.g. intra duos annos, ut in caſu hujus cap. vel indeterminatè, tunc ſexaginta dies utiles emptori concedi, *cit. §. ſi quid ita.*

3 Notandum tertium. Si venditio rei fiat adjecto pacto redimendi, fructus interea percepti pertinent ad emptorem tanquam rei emptæ dominum. Ita ſumitur ex iſto *c. & cit.* L. 2. *tradit* Gl. *hic v. percepti & lib. 3. tra. 4. c. 16. n. 17. in fine docui.* Requiritur tamen, ut venditio pura fuerit; ſin autem conditionata, videl. ut ſi fiat, vel non fiat, res inempta ſit, tunc eveniente conditione fructus percepti venditoris ſunt. *L. ſi fundus 4. ff. de lege commiſſaria.* L. *neceſſario 8. ff. de periculo, & commodo rei venditæ.*

4 Notandum quartum. Contra rei naturam eſt, & ideò ſuſpicionem uſuræ præbet, ſi venditioni apponatur pactum redemptionis ad arbitrium emptoris, majore ſtatuto pretio, quàm fuerat in prima venditione; propterea, quòd gravamen hoc appoſitum venditori, ut paratus eſſe debeat redimere, ſi emptor velit, in partem pretij computari debet, & ideò ſine cauſa, & non ſecundùm naturam, atque juſtitiam contractûs venditor gravatur, ut majore pretio redimere cogatur. Itaque ſuſpicio eſt ſimulatæ emptionis, verè autem exiſtentis mutui, in quo onus impoſitum ſit, mutuatario rem aliquam pignoris loco obligandi, & tempore conſtituto, vel cùm mutuanti placuerit, majore pretio redimendi, ac proinde aliquid ultra ſortem dandi, quod eſt uſurarium, prout explicavi *cit. c. 16. n. 18.*

5 Notandum quintum. Si aliæ conjecturæ adſint uſuræ commiſſæ, augetur ſuſpicio, ac præſumptio ex qualitate perſonæ, quæ etiam aliàs ſolita fuit uſuras exercere, & generatim loquendo ex conſuetudine, ſive ex eo, quòd aliquis facere ſolitus eſt, generari præſumptionem colligitur *ex L. vel univerſorum 12. juncta* Gl. *ff. de pignoratitia actione L. qui ſemiſſes. § quæſitum. ff. de uſuris. L. nummis 75. ff. de legatis 3.*

CAPITULUM V.

Ex litteris.

PARAPHRASIS.

Maritus cujusdam mulieris, appellatæ A. mercatorem aliquem spoliaverat, & graviter vulneraverat, & aufugit, Justitiarius Rei fratre R. & uxore delinquentis (quamvis minùs justè) captâ, omnia bona ejusdem delinquentis distraxit, & mercatori læso pecunias solvit; quædam autem delinquentis possessiones penes dictum fratrem manserunt, eò quòd ex curiæ mandato eas retinuerit, atque inde solverit mercatori, quia propter possessionum minutias emptor alius non reperiebatur. Hinc controversia orta est inter mulierem, seu uxorem delinquentis & R. fratrem; ipsa enim instanter petebat ab eodem æstimationem dotis suæ restitui, aut in possessiones, quæ mariti fuerant, judicum delegatorum à Papa officio ipsam induci. Sed R. frater malefactoris contradicebat, se non obligari, cùm non sua auctoritate, aut voluntate bona mariti distracta fuerint, sed auctoritate fisci, à quo jussus fuit, pro possessionibus fratris à se retentis pecunias solvere mercatori. His relatis Innoc. III. respondit judici delegato, si ipsi constiterit, dotem, quam asseverat, marito allatam esse, & fratrem malefactoris aliqua ejusdem mariti bona possidere, ut illum ad dictæ dotis, quatenus de bonis fratris possidet, restitutionem compellat, propterea quòd multus favor in jure pro recuperandis dotibus concessus sit, atque cautum, ut ob mariti maleficium uxor indotata non maneat. Denique mariti bona mulieri pro allata dote tacitè obligata sint, eáque cum hoc onere ad quemvis possessorem transierint.

SUMMARIUM.

1. *Uxor pro delicto mariti conveniri non potest.*
2. *Res pignori obligata, si vendatur, transit quidem in dominium emptoris, cum onere tamen pignoris.*
3. *Limitatur hæc doctrina.*
4. *Creditor rem pignori obligatam à quovis ejus possessore vendicare potest, dum fiat pignoris obligatio.*
5. *Quando uxor pro dote sua agere possit?*
6. *Tacitam habens hypothecam pro dote sua in omnibus mariti bonis.*

NOtandum primum. Uxor pro marito delinquente, vel ex alia causa obligato conveniri non potest, ut hîc dicitur, & *in tit. codicis, ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filia condemnatur.* Quare ob debita mariti non potest fieri missio in bona uxoris: si tamen bona mariti possederit, uxori probatio incumbit, ea non ad maritum, sed ad ipsam dominii jure spectare. His adde, quòd eodem tit. *cod. authent. sed omninò,* sub pœna quadrupli, & ut creditor à jure suo cadat, oppressaliæ privata auctoritate suscepta, prohibeantur, videlicet, ne quilpiam præmium ejus, quod sibi Titius debet, alium quemliber, v. g. affinem, vel popularem illius gravet, aut bona ejus pignori, seu arresto subjiciat, cujusmodi pignorationes in Imperio valdè odiosæ, & prohibitæ sunt, ita ut ostenso facto mandata, sine clausula, de relaxando concedantur.

Notandum secundum. Si res pignori, aut hypothecæ nomine obligata vendatur, transit quidem dominium ad emptorem, sed cum onere, seu obligatione pignoris, ut *hîc & in L. si debitor 12. cod. de distractione pignorum.* Idque verum est, tametsi prædicis jussu venditio, seu distractio facta sit, quia sententia, & factum judicis præjudicare tertio non debet. *c. ex tenore 11. de fide competente c. cùm super 17. de re judicata, & L. 2. §. si quis à principe ff. ne quid in loco publico.* & docet *Imola hic n. 2.*

Limitari debet, nisi creditor consentiat ut venditio fiat, tunc jus pignoris remitti censetur *L. sicut. 4. §. si voluntate ff. quæ*

bus modis pignus solvitur. dummodo alienatio secuta sit, sicuti *Bartolus ibi docet.* Idémque est, si creditor consenserit, ut pignus filiæ in dotem daretur *L Lucius 21. ff. eodem.* propterea si creditor consentiat, rem sibi pignori obligatam alteri obligari, jus pignoris amitti &c. *L. Paulus 12. ff. quibus modis pignus solvitur.* Verùm non absolutè & omnimodè in hoc casu jus amisisse censetur, sed ejus tantùm respectu, cui postea rem obligari consensit, ut videl. ipsi postponendus sit juxta *Glossam in L. 3. cod. de remissione pignoris. Glossam marginalem incit.* L. *Paulus v. remisisse.*

Notandum tertium. Tametsi rem pig-
4 nori obligatam creditor à quovis ejus possessore vindicare possit, donec ipsi pro debito satisfactum sit, & ita pignoris obligatio sublata. *L. si cùm 66. ff. de evictionibus*, tamen possessor liberatur, si solvat id, quod creditori debetur *cit.* L. *Paulus. §. qui pignoris.* Quam ob rem agens pignoratitia actione potest libellum alternativè formare, vel ut in missionem pignoris mittatur, vel debitum, cujus causâ pignus constitutum fuit, possessor exolvat, uti ex hoc *c.* apparet, & notavit *Imola hic n. 3. Abb. n. 4.*

5 Notandum quartum. Si dos uxoris in periculo versetur, quia maritus ad inopiam vergit, vel bona sua dissipat, vel absens est, ejusque bona judicis auctoritate distrahuntur, tunc uxor dotem suam exigere potest, & pro ejus recuperatione, actione hypothecaria agere etiam adhuc constante matrimonio *L. ubi 29. cod. de jure dotium*, ubi additur, quòd pacta dotalia nihilominus integra maneant, & dos mulieri assecurata alienari non possit, sed ad sustentationem ejus, & mariti, ac filiorum applicari. Quâ de re dixi *lib. 3. tra. 4. c. 15. n. 7.*

6 Notandum quintum. Uxor pro securitate dotis habet tacitam, seu ipsa lege constitutam hypothecam, eámque valde privilegiatam in omnibus mariti bonis. Hac de re dixi *lib. 3. tra. 2. c. 11. assertione 5. casu 4. & cit. c. 13. n. 8.* addit verò *Gl. hic v. maleficium*, quòd simili ratione bona omnia Prælati Ecclesiæ obligata sint pro mala administratione, sicuti & bona tutoris, ac curatoris pupillo, aut minori *L. si mater cod. in quibus causis pignus.* L. *ult. cod. de legitima tutela.* Ecclesia autem jure minoris gaudet, *c. 3. de in integrum restitutione.* Accedit, quòd Prælatus veluti spirituale quoddam matrimonium cum Ecclesia sua contrahit, ab ea sustentationem, & honorem accipiens, ut meritò ejus bona, sicuti mariti erga uxorem, obligata Ecclesiæ esse debeant.

CAPITULUM VI. 1

Cùm contra.

Paraphrasis.

Laurentius pecunias mutuas acceperat à quodam creditore, hypothecæ nomine obligatis quibusdam possessionibus: eo creditore mortuo hæredes ejusdem dictas possessiones pignoris nomine obligarunt G. civi Anagnino; contra hunc filius Laurentij coram Pontifice Innoc. III. actionem instituit, nomine R. atque ostendit, tum ab ipso G. tum à prioribus, qui hypothecæ nomine possessiones tenuerant, tantum perceptum esse, ut fructus sorti æquentur, ideóque dissoluto pignore possessiones sibi restitui petivit. Innocentius respondit, cùm fructus percepti à creditore, in sortis solutionem computari debeant, secundùm Canonicas sanctiones, in proposito autem casu tantos fructus creditor percepit, ut totum debitum, ipsámque pignoris obligationem dissolverint, ideò possessiones R. filio Laurentij, ad quem hoc Pontificis rescriptum destinatur, restituendas esse, ac proinde se mittere executorem, à quo in corporalem possessionem inducatur.

Summarium.

1. *Rem pignori obligatam potest creditor alteri etiam obligare, non tamen pro majore quantitate debiti.*

2. *Fructus pignoris ad debitorem pertinent, in sortem computandi, si a venditore percipiantur.*

1 NOtandum primum. Creditor, cui res pignori obligata est, potest eam alteri, sed non pro majore quantitate debiti obligare *L. 1. & 2. si pignus pignori datum sit.* Verùm dissoluto jure pignoris, quod in eo habebat primus creditor, quia solutio ipsi facta fuit (solutio enim debiti tollit pignoris obligationē) extinguitur jus pignoris in secundo creditore, quippe cùm à priore creditore causam seu jus dependens habeat, *cit. L. 2. junctâ Glossa & L. Lex 31. ff. de pignoribus.* Non posse autem ultra tres vices pignoris obligationem extendi dicunt Doctores cum Durando *in speculo lib. 4. p. 3. tit. de pignoribus. n. 22.* & sequitur *Abb. hic n. 7.* ne alioquin in infinitum adeatur, à quo & natura abhorret, *argum. c. 2. de rescriptis in 6.*

2 Notandum secundum. Fructus ex pignore percepti pertinent ad debitorem, tanquam dominum pignoris, & ideò, si creditor eos percipiat, in sortem computare debet, ita, ut quantitatem debiti diminuant, imò penitùs dissolvant, si tantum perceptum fuit ex fructibus, quantum debitum ipsum, & expensæ factæ in rem pignoris nomine obligatam æstimantur. Ita *hic & in cit. c. 1. & 2. de usuris, & in L. 1. & seqq. ff. de pignoratitia actione.* Ex pignore percepti fructus (*dicitur in L. 1.*) computantur in debitum, & si sint sufficientes, solvitur actio, & reditur pignus. Additur verò *in L. 3.* non tantùm eos fructus in rationem exonerandi debiti computandos esse, quos creditor percepit, sed etiam quos percipere potuisset, & per negligentiam intermisit, ubi in rubrica ex Baldo dicitur, fructus, qui debuerant percipi, extenuant sortem, sicuti percepti.

Præterea *in L. si creditor 7. Cod. eodem* habetur, quòd creditor damnum in decidendis arboribus, domibúsque destruendis, ab ipso datum in rationē, seu compensationem debiti deducere debeat; & si dolo, vel culpa rem pignori subditam deteriorem fecerit, eo nomine pignoratitiâ actione tenebitur, ut talem restituat, qualis fuerat tempore obligationis; sumptus tamen necessarios, quos circa rem oppigneratam fecit, repetere non prohibetur. *cit. L. si creditor.* Vide quæ docui *lib. 3. tra. 4. c. 30. n. 7.*

Notandum tertium. Licèt pignoratitia actio personalis sit *secundùm Gl. receptam in rubrica ff. de pignoratitia actione*, ut tamen in rem scriptam, ut saltem utilis pignoratitia actio debitori post debiti solutionem factam concedatur adversus alium pignoris detentorem, quocum primus debitor non contraxit, prout colligitur *ex doct.* & tradit *Imola hic n. 9. & Abb. n. 6.* sumitur *ex L. 1. eod. si pignus pignoratum sit.*

CAPITULUM VII.

Significante.

PARAPHRASIS.

Civis Pisanus R. à concive suo G. decem quinquaginta libris mutuò acceptis demum suam ei obligavit, hac appositâ, & juratâ promissione, nisi intra terminum definitum solutâ pecuniâ dominii pignoris obligatione liberaret, eam deteriùs non repetere. Postea verò aliquo lapsum termini idem R. debitor pertinax ac fidelem, uti videbatur, nuncium, pecunias numeratas creditori transmisit, eas verò nuncius infideliter ipsi non persolvit, sicuti ipsi mandatum habebat: & postea dictus R. ab Imperatore obtentus fuit, uti ipsi G. satisfacere non posset, cùm autem libertati restituta fuisset, pecunias reddere volebat, quas creditor recipere noluit, quia post tempus constitutum solutio offerebatur. His cognitis rescribit Innoc. III. ad judicis, cùm pactum Legis commissoriæ in pignoribus reprobatum sit, atque dictus R. juramentū, quantū in ipso fuit, implevisset, quia-

quando per certum, ac fidelem, qualis credebatur, nuncium pecuniam tempore ſtatuto tranſmiſit, poſtea verò in captione detentus, ſatisfacere non potuit, ideò mandare ſe judicibus, ſi ita ſe res habeat, creditorem per cenſuram Eccleſiaſticam compellant, ut ſorte contentus penſionibus ex pignore in eam computatis ædes oppignoratas ſine dilatione ſuprà dicto R. non obſtante promiſſione ejus jurata, reſtituat.

Summarium.

1. *Pactum Legis commiſſoriæ, quomodo in pignore reprobetur?*
2. *Neque poteſt debitor, juri reprobanti pactum in pignore Legis commiſſoriæ, renunciare.*

NOtandum primum. Pactum legis commiſſoriæ, id eſt, ſi pignus intra certum tempus ſolutione debiti liberatum non ſit, ut ad creditorem pertineat, ſeu ut poſtea nunquam repeti poſſit, velut eidem in ſolutum aut in feudum datum, jure tum Cæſareo, tum Canonico reprobatum eſt, ut hic apparet, & *in tit. eod. de pactis pignorum.* & L *commiſſoriâ.* Dixi de hoc *lib. 3. tra 4. c. 30. n. 6.* & ita quidem reprobatum eſt pactum illud, ut ipſo jure irritum ſit, nullaque ex eo obligatio naſcatur, uti conſtat ex hoc *cap.* & *L. 3. cod. eodem* L. *pacta 6. cod. de pactis.*

Porrò licèt erga creditorem non poſſit adijci pactum Legis commiſſoriæ, poteſt tamen adijci erga fidejuſſorem, ut ſi is pro debitore moram ſolvendi committente, ſolvere cogatur, res pignori datæ ipſi emptæ ſint. *L. ult. ff. de contrahenda emptione.* Neceſſe tamen eſt, ut pretium, ſeu æſtimatio rei interveniat, quandoquidem emptionem, & venditionem ſine pretio conſiſtere poſſibile non eſt *§. ſi ut certum Inſtit. de emptione.* Id verò duobus modis fieri poteſt, primò, ut certum pretium mox ab initio deſignetur, v.g. ſi fidejuſſor ſolvere cogatur, ædes creditori oppignoratæ emptæ ſint fidejuſſori mille florenis, tametſi pretium aliquantulum minus ſit, quàm res valeat, tamen partim ratione pœnæ conventionalis, partim ratione compenſationis alicujus, tolerari id poteſt etiam ſecundùm conſcientiæ forum, prout docet *Molina tra 2. diſp. 324. in fine*, ubi id tamen addit, conſulendum eſſe hominibus, ut à talibus pactis abſtineant. Alter modus eſt, ut pactum ineatur de pretio in futurum, per boni viri arbitrium ſtatuendo, videlicet ſi fidejuſſor pro me ſolvere debitum cogatur, ædes oppignoratæ ipſi emptæ ſint eo pretio, quod vir prudens æſtimâverit. Tale verò pactum etiam cum creditore iniri nihil prohibet, quin imò *Abbas hic n. 7. Covar. lib. 3. reſolutionum c. 2. n. 7. Molina n. 3.* ajunt, ſi abſolutè dictum ſit, niſi intra certum tempus ſolutio debiti facta ſit, pignus emptum eſto, aut in ſolutum datum creditori, benignè interpretandum eſſe pactum iſtud, quòd juſto tunc æſtimando pretio pignus emptum eſſe debeat, vel datum inſolutum. Secùs autem dicendum, ſi ex verbis appoſitis, aliiſve circumſtantijs appareat, mentem contrahentium fuiſſe, ut pro ipſo debito emptum eſſe debeat pignus, ſeu in ejus diſſolutionem datum, & acquiſitum creditori. Sed neque valebit pactum, ſi ab initio ſtatuatur pretium, quo res in pignus data vendita eſſe debeat creditori, niſi debitum intra certum tempus ipſi ſolutum ſit, licèt, ut ſuprà dictum, alia ratio ſit de fidejuſſore. Ratio autem, cur cum creditore talia legis commiſſoriæ inita pacta reprobentur, ea eſt, quia homines pecuniarum indigentes fiduciâ conſequendi mutui in quamcunque etiam iniquam, & ſibi valde noxiam pignoris venditionem, aut dimiſſionem conſentire ſolent: in Canonico autem, & conſcientiæ foro eſſet hæc latè patens occaſio uſuræ palliatæ, ſi mutuatori, ſeu creditori in compenſationem mutui dati, aut ob ſolutionis dilationem res pignori data, minore, quàm valeat, pretio addicere liceat.

2 Dubium est, num debitor juri huic reprobanti Legem commissoriam renunciare possit, præsertim cum juramento. Resp. negativè cum *Antonio & Imola hic n.* 10. *Abbat. n.* 4. tametsi enim debitor renunciare possit juri principaliter constituto in favorem suum, non tamen potest, si constitutum sit in odium creditorum publicæ utilitatis causâ, ne fraudibus & injustitijs occasio præbeatur. *L. tamen si ij junctâ Gl. ff. ad S. C. Macedonianum. c. si diligenti* 12. *de foro competente.*

Nec obstat, quòd Pontifex in hoc cap. rationem aliquam editi juramenti habuerit, quia juramentum istud debitoris, si intra tempus statutum non solverit, nullam molestiam super pignore exhibiturum se, obligabat eum ex virtute religionis tantùm, eò quòd sine pacto ex parte ipsius observari posset, non tamen per id, pactum Legis commissoriæ confirmatum fuit, ita ut jus aliquod creditori ad servandum pignus acquireretur, secundùm *Bartol. in* L. *si quis pro eo n.* 10. *ff. de fidejussoribus. Abb. hic n.* 4. & docui *lib.* 4. *tra.* 3. *c.* 8. *n.* 4. *exemplo quinto*, quamobrem si juramentum à superiore relaxatum sit, ipsemet jurans post factam solutionem debiti rem oppignoratam repetere potest: Hæres autem debitoris, etiam non relaxato juramento, pignus revocare poterit, propterea quòd juramenti obligatio personalis sit, & ad hæredes non transeat, prout ex communi tradit *Abbas in c veritatis* 3. *de jurejurando. Gaill. lib.* 1. *observatione* 27.

Notandum. Si res debita per fidelem, uti existimabatur, nuncium transmissa ab ipso non tradatur, debitor excusatus est à culpa, seu mora culpabili. Ita colligitur *ex hoc cap.* ubi etiam aliud legitimum solutionis impedimentum affertur, si debitor in captivitate detentus sit.

***

CAPITULUM VIII.

Cùm constet.

Paraphrasis.

Titius testamentum condidit, in quo bonorum suorum proprietatem reliquit Mariæ. At verò eorundem usum fructum matri suæ, J. mortuo testatore, Maria proprietaria petiit à dicta J. ut cautionem idoneam præstaret, quòd rebus immobilibus, quæ in hæreditate inventæ fuerunt, salvâ earum substantiâ uti & frui vellet, secundùm boni viri arbitrium: pecunias verò, & eorum bonorum, quæ usu absummuntur, æstimationem in morte sua ipsi Mariæ, & hæredibus eius restituere. Hoc approbans Gregorius IX. ad eam cautionem præstandam J. mulierem cogi mandat.

Summarium.

1. *Potest testamento alteri proprietas, alteri ususfructus rei illius relinqui.*
2. *Non potest taliter institutus usufructuarius usumfructum in alium transferre, sine consensu domini directi.*
3. *Potest ususfructus impropriè dictus constitutus in rebus mobilibus, quæ ipso usu absumuntur, aut minuuntur, aut deteruntur.*
4. *Cautio sufficiens si præstari non possit ab usufructuario, quid agendum?*
5. *Quando remitti possit à testatore cautionis præstandæ obligatio?*

NOtandum primum. Potest aliquis testamentum condere, in quo bona sua secundùm proprietatem relinquat uni, usumfructum verò eorum relinquat alteri. Definitur enim ususfructus L. 1. *ff. de usufructu.* Jus utendi, & fruendi salvâ rei substantia. Ex quo colligitur primò, omnes fructus tam naturales, quàm civiles, videlicet ædium pensiones ad usufructuarium dominij jure pertinere, sed non prius quàm ab ipso percepti sint. *S. is verò. Inst. de rerum divisione*, ubi *Gl. explicat V. percepti*,

cepti, id est in horreum delati, vel à spicis excussi. At verò si fructibus licèt maturis, non tamen perceptis decesserit usufructuarius, ad hæredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur *cit.* §. *is verò. & L. si fur. alias incipit. arboribus* 12. §. *Julianus. ff. de usufructu.* ubi dicitur, si alius sine mandato usufructuarij fructus desecet, & auferat eorum dominium, non acquiri usufructuario, nihilominus furti actionem ipsi concedi, quoniam interfuit ejus, fructus non esse ablatos. Hinc etiam infertur, quod Gl. *hic* monet *V. fruatur. Abb. n. 5.* quòd beneficiarij, maximè Prælati, usuarij potiùs, quàm fructuarij censendi sunt, quia de fructibus ex Ecclesiæ, vel beneficij possessionibus perceptis, disponere non possunt, tanquam domini absoluti, sicut dicam infrà *hoc libro tit. de peculio Clericorũ & tit. de testamẽtis.*

Secundò infertur, quòd dominium directum, seu proprietatis magis propriè & absolutè loquendo dominium dicitur, usufructuarius autem non propriè dominus rei appellatur. Quare sine consensu domini nec vendere, nec donare, nec alio modo usumfructum in aliam personam transferre potest, imò per talem translationem ipso jure amittitur ususfructus, & proprietario acquiritur *L. si ususfructus 66. ff. de jure dotium. § item finitur. Institutis de usufructu.* Potest tamen fructuarius commoditatem, seu facultatem fructûs loco sui percipiendi, alteri vendere, locare, aut donare, etiam inscio, aut invito domino, sed non ultra vitam ejusdem fructuarij. Nam in hoc casu ipsum jus radicale utendi, fruendi, sive ususfructûs manet in usufructuario vendente, aut locante, quippe cùm ususfructus jus personale sit, & in alterum non transmissibile, interim verò, dum locatio, aut concessio durat, ususfructus in concedente, quo ad exercitium, sive actum utendi, ac fruendi impeditum manet. Sicuti explicat *Molina tra. 2. disp. 7. n. n. 19.* & bene admonet *n. 20.* idem esse sentiendum de beneficiario, qui jus habet decimas percipiendi nomine proprio, neque illud in laicum transferre potest *c. quamvis 17. c. prohibemus 19. de decimis.* Verùm tamen vendere, aut locare decimas Laico non prohibetur. Hoc modo, ut eas Laicus percipiat nomine non suo, sed beneficiarij *c. 2. de locato.*

Notandum secundum. Licèt ususfructus propriè loquendo in ijs tantùm rebus esse possit, quæ usu non absumuntur, tum immobilibus, uti sunt ager, vinea, domus, tum mobilibus, uti sunt pecora, prout colligitur ex definitione ususfructûs, cùm dicitur *salvâ ejus substantiâ*, impropriè tamen etiam rerum mobilium, quæ usu absumuntur, usumfructum per legatum, vel stipulationem constitui posse constat *ex hoc c. & tit. ff. de usufructu* earum rerum, quæ usu consumuntur, vel minuuntur, videlicet in pecunia, frumento, vino, & similibus.

Est autem discrimen inter usumfructum propriè dictum, & impropriè, seu quasi usumfructum, quem dixi esse rerum usu absumptibilium, quòd res usu absumptibiles tradantur fructuario æstimatæ, ita ut dominium earum acquirat, præstita cautione, quòd finito usufructu, post mortem suam tantundem restituetur, sed aliarum rerum, in quibus propriè ususfructus est, dominium non acquirit fructuarius, sed tantùm jus utendi, ac fruendi, quamobrem cautionem præstare seu satisdare debet, quòd rebus illis uti, frui velit, boni viri arbitratu, id est, sicuti vir bonus, & prudens res proprias administrat. Ita sumitur ex *hoc cap. & L. hoc senatusconsultum 5. ff. de usufructu earum rerum &c. junctâ L. 1. ff. usufructuarius quemadmodum caveat.*

Coroll. Si quid earum rerum, quæ usu non absumuntur, casu pereat, vel deterius reddatur, proprietarij id damno accidit; sin autem fructuarius rebus abutatur, & ita damnum inferat, in omni foro resarcire tenetur L. *sicujus 13. § sed si inter, alias incipit L. æquissimus ff de usufructu.* Legi etiam possunt *L. vetus 68. §. vetus* & Leges

duæ

duæ sequentes. ff. de usufructu. Ex quibus habetur, quòd fœtus, & partus pecorum fructuarij sint, quia partus pecorũ inter fructus numeratur, si tamen integri gregis usus fructus legatus, aut concessus sit, in demortuorum capitum loco ex fœtibus alios substituere debet, ita, ut numerus integer gregis conservetur, atque ita per solam substitutionem efficiet fructuarius, ut fœtus ex suo ad proprietarij dominium transeat, sicuti *Gl. marginalis* ibi notat.

Quid sentiendum de rebus, quæ usu non consumuntur, sed minuuntur, & atteruntur, cujusmodi sunt vestes, & aliæ res similes. Respondetur, res istas, quæ usu minuuntur, æquiparari ijs rebus, quæ usu statim consumuntur, seu quarum usus est ipsa absumptio. Ita constat *ex tit. ff. de usufructu rerum, quæ usu consumuntur, aut minuuntur.* & L. 1. *cod. eodem & §. constituitur. Inst. de usufructu.* ubi de utroque genere rerum dicitur, licèt in ijs ususfructus propriè locum non habeat, tamen utilitatis causâ constitutum fuisse, ut earum quoque rerum quasi usus fructus esse possit, ita ut fructuarij fiant, is verò satisdare debeat, seu cautionem idoneam dare, si morte naturali, vel civili decedat, quòd pecuniam, quam accepit, in eadem quantitate, pro alijs verò rebus pretium restituendum sit, quanti eæ æstimatæ fuerant.

4 Quæritur primò. Si is, cui ususfructus à testatore relictus est, idoneam cautionem per fideijussores, aut pignora præstare non possit, num admittenda sit cautio juratoria, hæc enim ordinariè admittitur, si cautio sufficiens, seu idonea præstari nequeat, prout colligitur *ex authent. generaliter cod. de SS. Ecclesijs* & tradit *Gl. in L. 1. ff. qui satisdare coguntur.* Ad hanc quæstionem ferme communiter respondetur *cum Bartolo in L. usufructu 4. n. 6. cod. de usufructu,* distinguente: vel persona usufructuaria suspecta est, tunc sequestratio fieri debet per virum bonum, qui fructus præstabit fructuario; vel non est persona suspecta, sed inops sit, tunc acceptabitur cautio juratoria *argum. cit. authentica,* & doctrina *Glossæ.*

Quæritur secundò. Num testator fructuario remittere possit, quò minùs cautionem præstet, tametsi ad eam præstandam idoneus sit. Respondet benè *Gl. hic v. cautionem,* eam cautionem, quæ est de rebus non absumptibilibus, utendo, fruendo bono viri arbitratu, remitti à testatore non posse, uti habetur *in L. 1. cod. de usufructu.* Ratio est, quia remissio hæc inducit ad delinquendum, & hæredi, seu proprietario damna injusta inferenda *argum. L. ubi, ff. de pactis dotalibus.* Hæres tamen fructuarij sequendo satisdationem omnino ultrò remitttere, vel ejus loco simplicem cautionem acceptare potest, secundùm Gl. *in cit. L. 1. v. cautione. argum. L. quotiens 15. §. ult. ff. ad Legem Falcidiam* junctâ L. *potest 71. ff. eodem.* Ratio dari debet, quia quilibet favori suo renunciare potest, atque volenti injuriam fieri, possibile non est. At verò alteram cautionem de restituenda eadem quantitate, seu æstimatione rerum, quæ usu consumuntur, vel minuuntur, à testatore remitti posse ex communi tradit *Abb. hic n. 4.*

TITU-

TITULUS XXII.

DE FIDEIUSSORIBUS.

POsteaquam dictum est de cautione pignoratitia, consequens est, ut de altera specie idoneæ cautionis dicatur, videlicet de fidejussione, imò species cautionis idoneæ, seu satisdationis, quæ est in judicio sisti, pro fidejussione duntaxat accipi solet, uti constat *ex tit. ff. qui satisdare coguntur.*

CAPITVLVM I.

Clericus.

PARAPHRASIS.

Si Clericus Fidejussiones exerceat, deponi debet.

SUMMARIUM.

Clericus fidejubere potest in re modica; secùs in re magna & frequenter.

NOtandum. Varij sunt intellectus *hujus cap.* uti videre est apud *Imolam hic & Syl. v. Fidejussor q. 3.* Expeditior explicatio est, ut dicamus, quòd Clericus administrationem aliquam gerens cum præjudicio Ecclesiæ, seu in ordine ad reditus Ecclesiæ, aut beneficij sui fidejubere non debeat, alioquin si frequenter id agat, & secundùm quantitatem non modicam, deponi debeat; at verò in remodica Fidejussionem Prælato, etiam non requisito Capituli consensu, aut Superioris auctoritate, concessam esse docui *lib. 3. tra. 4. c. 29. n. 7.* Ratio hujus doctrinæ dari debet, quia Prælati Ecclesiarum, imò & alij beneficiarij reditum ab Ecclesia, vel beneficio suo provenientium, absoluti domini sunt, ita ut eos in quoslibet etiam profanos usus arbitratu suo absumere, vel in periculum absumptionis conjicere possint, prout docui *lib. 4. tra. 2. c. 3. n. 2.* & ostendetur *infra tit. de peculio Clericorum & tit. de testamentis.*

CAPITULUM II.

Pervenit.

PARAPHRASIS.

R. Clericus pro duobus alijs Clericis, à mercatoribus Bononiensibus pecunias accipientibus, fidejussit, & his non solventibus solvere coactus fuit; cùm de ea re Lucio III. Papæ quæstus esset idem R. Respondit hîc Papa, cùm Clericus R. exinde dispendium pati non debeat, ex quo præmium meretur, ideò se Bononiensi Episcopo mandâsse, ut instrumenta, quæ sunt super pecunijs debitis apud mercatores relicta, inspiciat, & copias transumptas suo sigillo munitas, ad judices in hac causa delegatos, transmittat. Hîc enim mandat eisdem judicibus, ut si ipsis ex dictorum duorum Clericorum confessione, vel aliàs legitimè constiterit, rem ita se habere, ficuti R. Clericus retulit, moneant illos Clericos, ut pecunias solutas, ipsi R. restituendo, indemnem eum servent; alioquin ex eorundem reditibus (Ecclesiasticis) debita exolvi curent, & damna etiam, quæ ob id passus est R. resarcire; vel reditus ipsorum, judices assignent eidem R. ut interim sine molestia cujusquam eos detineat, donec damna compensata, & debitum sine diminutione solutum sit, dictos autem duos Clericos, si fidei, & juramenti sui religionem violâsse ostensum sit, ab officio, & beneficio suspendant.

SUMMARIUM.

1. *Quando Clericus pro alio fidejubere possit.*

2. *Instrumento exemplato, quando fides adhibenda?*

3. *Quæ actio competat Fidejussori, si pro debitore solvere cogatur.*

1 NOtandum primum. Clericus licitè, & laudabiliter fidejubet pro alio, saltem Clerico: quòd verò pro Laico fidejubere non debeat, nisi urgente necessitate, docuerunt aliqui apud *Imolam in c. præcedenten. 3. Sylv. v. fidejussor. q. 3.* Sed per consuetudinem aliter observatur, videlicet ut liceat Clericis fidejubere pro Laico, in ordine ad obligationem bonorum patrimonialium, vel quasi patrimonialium; imò etiam ex titulis Ecclesiasticis perceptorum, quatenus eorum liberum dominium, & administrationem habent; non tamen cum damno, & præjudicio Ecclesiæ, uti constat *ex præcedente c.* neque in ordine ad reditus superfluos, qui pauperibus, aliisve pijs causis applicari debent.

2 Notandum secundum. Instrumentum transumptum, seu exemplatum, si judicis, seu Superioris sigillo, vel notarij manu confirmatum sit, fidem facit perinde, ac originale. Ita *Gl. marginalis hic v. sigillo & Imola n. 4. Gl. & doctores in c. 1. de fide instrumentorum.*

Notandum tertium. Si instrumenta penes tertium, præsertim talem personam sint, quæ ex publico officio instrumenta, vel rationes conficit, ex quibus litigatoris intentio adjuvari, & veritas declarari potest, ita ut ea edi ipsius interfit, tunc ad edenda à judice cogi potest, ac debet. Ita sumitur *ex hoc c.* & tradit *Imola hic n. 3. & in c. 1. n. 8. de probationibus. Bartolus in* L. 1 *c. de edendo.*

3 Notandum quartum. Fidejussor, si pro debitore solvere coactus fuit, contra eundem actionem mandati instituere potest, ut quod solvit, ipsi restituatur, & damnum, si quod sustinuit, vel sumptus fecit, resarciatur, uti *hic & in L. si mandata 45. §. si Fidejussor ff. mandati.* ubi *Gl.* exemplificat, si Fidejussor sumptus in litem fecit, si pecuniam sub usuris accipere coactus fuit. Vide *Gl. hic. v. servent*, & quæ docui *lib. 3. tra. 4. c. 29. n. 8. & 9.*

Notandum quintum, Si Clericus beneficiarius debita ex sua persona contrahat, solvere cogitur ex reditibus beneficij, adeò quidem, ut executio contra ipsum judice decerni possit, quòd creditor interim fructus percipere debeat, vel, ut ij interim in arrestum ponantur, & creditori proveniant, donec debitum solutum sit. Ita colligitur *ex hoc cap.* & notat *Abb. hic n. 3.* fusiùs declarat *Imola n. 31. Gl. v. reditus.* Exinde autem colligi potest, quòd Clericus Beneficiarius hat dominus reditus beneficialium, quamvis cum onere, seu obligatione, ut quæ superflua sunt, pauperibus, vel in pias causas conferat, prout cui *lib. 4. tra. 2. c. 3.* quam ob rem in judice non debent per sententiam creditoribus adjudicari, spectato communi jure.

Notandum sextum, Si delictum privilegij incidenter, ita, ut ad hoc actum non fuerit, in judicio, cognitum sit de Clerico, judex ex officio punire potest, sicut *Gl. ut nalis, Innoc. & Andreas n. 11 hic* utem pœnâ extraordinariâ, & minima, delicet suspensione ab officio, & beneficio, cùm pœna ordinaria sit depositionis, privationis *c. querelam 10. de jurejuran.* Ita sumitur *ex hoc c.* & observat *Imola n. Abb n. 4.*

CAPITULUM III.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Cancellarius Cantuariensis pecunias mutuas accepit à creditoribus Bononiensibus, fidejussore existente Mag. S. Clarus autem Cancellarius debitum non persolveret, ipse S. à creditoribus sæpe molestatus, & debitum augmentatum fuit. Hæc, cùm idem S. Lucio III. renuntiasset, is scribit hîc ad Cantuariensem Archiepiscopum, si de relatis ipsi legitimè constiterit, quòd Cancellarium debitorem pro

per Ecclesiasticam censuram cogere debeat, ut eundem M. S. à fidejussione sua sine mora liberet; sin autem Cancellarius debitum, & accessiones negaverit, adjuramentum, non obstante contraria consuetudine tanquam Legi contraria, subeundum cogat: deinde cùm difficile esset Fidejussori testes suos in Angliam ducere, ideò judicibus Bononiensibus Archiepiscopus (satisdatione à Cancellario acceptâ, quòd ad testes audiendos intra terminum competentem ire, vel mittere velit) litteris suis significet, ut testes illos vice suâ recipiant, & diligenter examinent, atque depositiones eorundem clausas transmittant, atque significent, quanta fides instrumentis, aut testibus adhibenda sit.

SUMMARIUM.

Quantum solvere debeat Fidejussor, si in omnem casum se obligârit?

NOtandum primò. Si debitor principalis insolvendo moram culpabilem committat, & Fidejussor super solutione molestetur, petere is potest, à fidejussione liberetur, De hoc dicetur infra *in c. ult. hoc tit.*

Notandum secundò. Si Fidejussor ample, sive in omnem casum, & eventum, se obligavit pro debitore, tunc etiam interesse, seu damnum, & lucrum cessans creditori ratione moræ culpabilis in defectum debitoris præstare cogitur, alioquin verò fidejussor non obligatur ad hoc interesse. Ita *Gl. hic v. accessiones*, & habetur *in L. 54. ff. beati & in* L. 100. 8. *ff. de eo, quod certo loco &c.* Vide *Syl. v. fide jussor q. 13. & 14.*

Notandum tertiò. Non potest consuetudine introduci, ut delatum à Judice calumniæ juramentum recusetur. De hoc dixi *in c. caterùm quinto de juramento calumniæ.*

Notandum quartò. Testes extra Provinciam, vel in loco longinquo constituti non sunt inde evocandi, sed committi debet judici ejus loci, ut testes sub juramento examinet, & depositiones clausas, & obsignatas transmittat, addátque, quanta testibus fides adhibenda sit. Ita *hìc & in L. 3. §. ult. ff. de testibus.* Videri potest *Innocentius in c. quoniam n. 5. de probationibus.* Ubi ait, consultum etiam esse judici, causam cognituro, ut vacillationes, si quæ in testibus observantur, à tabellione in actis annotari jubeat. Et hoc notandum indubitatè locum habet in judice ordinario; sed & delegatus propter rationabilem causam, quia testes remoti sunt, & facilè vocari non possunt, eorum examinationem, in ipsorum loco faciendam committere potest, secundùm *Gl. inc. statutum* 11. *§. in nullo v. vices suas de rescriptis in 6. Abbatem hìc n. 6. Imolam n. 8.*

CAPITULUM IV.

Quod quibusdam.

PARAPHRASIS.

Quod Religiosis quibusdam à Sede Apostolica prohibitum antea erat, eam prohibitionem Innoc. III. in Concilio Lateranensi ad omnes regulares extendit, ne aliquis absque licentia Abbatis, & majoris partis Capituli pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiat, ultrà summam communi providentia constitutam; alioquin conventus obligationem nullam contrahat; præterquam si in utilitatem domûs redundâsse manifestè constiterit, & qui contra hoc statutum agere præsumpserit, graviùs puniendus est.

SUMMARIUM.

1. *Nec Religiosus, nec monasterium obligatur ratione fidejussionis à Religioso sine consensu debito præstitæ.*
2. *Obligatur tamen monasterium, si consensus hujus interveniat.*
3. *Limitatur tamen hæc doctrina.*
4. *Cui tamen administratio certorum reddituum ratione beneficij competit, quando fide jubere possit?*

§. *Neque ex pecunia mutuò à Religioso acceptâ monasterium obligatur, nisi cum legitimo consensu hoc mutuum acceperit, aut probetur, quòd versum fuerit in utilitatem monasterij.*

1 NOtandum primum. Religiosus, si absque consensu Prælati, & majoris partis Capituli pro alio fidejubeat, irrita est fidejussio, nec monasterium obligatur. Ita *Joan. Andreas in c. 2. n. 6. ne Clerici, vel monachi in 6. Molina tra. 2. disp. 540. n. 23. Sanchez tom. 2. moralium lib. 6. c. 14. n. 41.*

Ampliari debet doctrina, tametsi Religioso peculium concessum sit ad certam causam, v.g. versanti in studio litterarum, ad coëmenda ea, quibus indiget, quòd fidejubere non possit, sicuti nec donare validè potest, nisi moderatæ eleemosinæ causâ, prout docet *Joann. Andreas cit. lo. Abbas hic n. 3. Sanchez n. 42.* Si tamen Religiosus in studijs existens de Prælati licentia pecunias mutuas accipiat, in sustentationem suam, & alia necessaria sibi comparanda, monasterium obligatur secundùm *Gl. receptam in c. ex parte 11. v. licet alios de accusationibus.* consentit *Andreas, Abb. Sanchez lo. cit.*

2 Porrò per sensum contrarium colligitur *ex isto cap.* si Religiosus cum licentia Prælati, & consensu majoris partis Capituli pro altero fidejubeat, monasterium obligari. Ratio est, quia Prælatus unà cum majore parte Capituli repræsentat corpus Ecclesiæ: quemadmodum itaque monasterium, sive Ecclesia, obligare se potest per se, ita etiam per Religiosum, dando ei consensum; & cùm Religiosus proprium non habeat, ideóque ex bonis suis obligari non possit, sequitur, cùm monasterium consentit ejus obligationi, quòd eam in se suscipere censeatur.

3 Hæc tamen doctrina varijs modis declarari, & limitari debet. Primò. Si fidejussio talis fiat, ut in defectum debitoris principalis necessariam sit bona immobilia, aut mobilia pretiosa alienari, irrita est fidejussio. Ita sumitur *ex Abb. hic n. 5. & ex reg. 83. in 6.* ubi dicitur, quod unâ viâ prohibetur aliqua ad id aliâ non debet admitti; cùm inanis alienatio talium rerum secundùm Canones irrita sit, idem quoque judicari debet de fidejussione, per quam perveniri potest ad alienationem. Nam hanc ipsam ob causam etiam oppignoratio harum rerum prohibetur, quia occasione ejus ad alienationem pervenirì potest *c. nulli 5. de rebus Ecclesiæ non alienandis. & L. ult. cod. de rebus alienis non alienandis.* Nisi dicere malis, quod & probabilius est, fidejussiones quidem valere, sed in effectu non extendi ad eum casum, ut immobilia, aut mobilia quæ servando servari possunt, alienentur, cùm ista tacitè sive ipso jure excepta censeantur in fidejussione.

Secundò. Prælatus absque consensu Capituli fidejubere potest in quantitate modica, cùm enim id pertineat ad liberam, & expeditam administrationem, quæ Prælato competit, ideò tum Capitulum, tum ipsi Canones talem ei facultatem permittunt, sicuti notavit *Sylv. v. fidejussor q. 4.*

Tertiò. Si in religione aliqua consentiens non sit, ut conventus congregetur, vel solus rector fidejussionem præstare possit. Consequenter etiam Religiosus ex quolibet consensu, sicuti docent *Sanch. & Molin. cit. locis.* dummodo id non fiat cum notabili damno Collegij, aut supra quantitatem in hoc genere definitam.

Quartò. Si Religiosus beneficium obtineat, ideóque ipsi secundùm Canones administratio redituum competat, consequenter ipsi est facultas, ex causa justa, fidejubendi non requisito Prælati, & Capituli consensu, si id fieri possit absque præjudicio Ecclesiæ, & sine periculo notabilis imminutionis redituum; quemadmodum enim donationes modicæ, & rationabili causa suffultæ, ab Religioso permittuntur, ita & quidem multò magis fidejussio ex causa justa permitti debet; quare idem, & quidem majore ratione dici debet de Episcopo, quòd fidejubere possit ex reditibus mensæ suæ, quæ-

quemadmodum & ex justa causa donationes facere potest, si id fiat sine præjudicio Ecclesiæ suæ, idque notavit Gl. *an c. te quidem 29. v. ne fidejussor causa* 12. *q.* 1. Tametsi verò in canonibus significetur, Episcopum, omnémque Clericum fidejussionibus inservire non debere, id tamen explicari potest, ne fiat cum Ecclesiæ detrimento, aut quòd id non deceat, si fiat sine causa, aut frequenter, maximè erga Laicos.

§ Notandum secundum. Si Religiosus, absque licentia ad hoc requisita, pecunias mutuas accipiat, monasterium non obligatur, nisi ex pecunia quidpiam in rem, seu utilitatem monasterij conversum fuisse ostendatur. Ita *hic*, & sumitur *ex L. civitas 27. ff. si certum petetur.* Inde autem per sensum contrarium infertur, si Religiosus cum requisita licentia, videlicet Prælati & Conventûs, vel etiam solius Prælati, quando is solus talem licentiam dare potest, multóque magis, si Prælatus, & Capitulum, vel solus Prælatus in casibus, quibus ob libertam ipsi concessam administrationem acceptio mutui concessa est, pecunias mutuò accepit, tunc mutuator ostendere non cogitur, pecunias in utilitatem Ecclesiæ versas fuisse, prout hîc tradit *Abb. n.* 5. *Antonius Genuensis in practicalibus Ecclesiasticis q.* 139. *Molin. tra.* 2. *disp.* 300. *n.* 2. & explicavi *lib.* 3. *tra.* 4. *c.* 15. *n.* 7. interim tamen si Ecclesia læsionem ostendat, tribuitur ei beneficium restitutionis in integrum.

CAPITULUM V.

Eum.

Paraphrasis.

Sunt aliqui casus, in quibus fidejussor, antequam solvat, agere potest adversus debitorem principalem, ut ipsum obligatione liberet. Primus. Si debitor solvere debitum diu neglexit, seu in mora solvendi culpabili diu fuit. Secundus. Si bona sua dissipare incipiat. Tertius. Si fidejussor ad solvendum pro principali à judice condemnatus fuerit.

Summarium.

Casus, in quibus fidejussor agere potest contra principalem debitorem, antequam solvat, ut ab obligatione liberetur.

NOtandum. Ordinariè loquendo fidejussor agere non potest adversus debitorem, pro quo fidejussit, priusquam aliquid solverit pro eo L. *si pro ea 10. ff. mandati.* Excipiuntur autem casus primus. Si debitor diu cessavit, seu in culpabili mora solvendi diu fuit *L. nuntius 38. ff. mandati*, ubi etiam significatur, id judicis arbitrio æstimandum esse, num diu in obligatione, non sine suo aliquo periculo, fidejussor stetisse censendus sit, sicut tradit *Glossa ibidem v. ac tempore*, & *Gl. finalis hic* & videri potest *Imola hic n.* 1.

Secundus casus, si debitor principalis bona dissipare incipiat, ita ut fidejussor in periculo versetur, agere potest coram judice, ut liberetur *cit. L. Lucius & cit. L. si pro ea*, *ubi Glossa communiter recepta v, cæpisse* admonet, secùs dicendum esse, si jam tempore fidejussionis debitor inceperat dilapidare, quia fidejussor hoc periculum sponte in se suscepisse censetur.

Tertius casus, si fidejussor ad solvendum à judice condemnatus fuit, hoc casu statim agere potest adversus principalem, ut ipse indemnis servetur. Ita habetur *hic, & in cit.* L. L. Idémque sentiendum esse, si facta conclusione in causa appareat, fidejussorem condemnandum esse, cùm tunc quasi condemnatus censeatur, tradit *Barbosa hic n. 9. Menochius in arbitrarijs casu* 41. *n.* 28.

Quartus casus habetur *incit.* L. *Lucius & cit. L. si pro eâ*, si ab initio ita conventum sit, ut v. g. elapso aliquo tempore, vel eveniente aliqua conditione fidejussor liberaretur. Alias exceptiones affert *Barbosa hic n.* 14.

TITULUS XXIII.

DE SOLUTIONIBUS.

CUm pignora & fidejussiones sint quædam cautiones seu satisdationes de solutione debiti facienda, ideò subjicitur titulus iste.

CAPITULUM I.

Ad hoc.

PARAPHRASIS.

Sicuti filius debita patris, ita Prælatus debita antecessoris, quæ pro Ecclesia contraxit, solvere tenetur.

SUMMARIUM.

1. *Prælatus successor, quando obligetur ad debita antecessoris?*
2. *Quid probare teneatur, qui antecessori beneficiario pecunias mutuas dedit, ut à successore solvi hæc debeant?*
3. *Si necessarium sit ad dissolutionem mutui, immobilia Ecclesiæ bona dare, vel distrahere, quid faciendum?*
4. *Quis debita illa dissolvere debeat, quæ beneficiarius v.g. pro propria utilitate fecit?*

NOtandum. Sicuti filius hæreditatis paternæ jura & commoda accipiens, etiam debita, & obligationes ejusdem in se susçipere censetur, ita & Prælatus, seu Rector Ecclesiæ, debita antecessoris, si pro Ecclesia contracta sint, exsolvere tenetur. Est porrò discrimen inter filium & Prælatum successorem, quia filius & quicunque hæres jus successionis accipit à defuncto, quæ causa est, quòd obligatio hæredis ad solvenda debita defuncti extendat se ad omnia, saltem secundùm vires hæreditatis *c. 1. de testamentis.* At verò Prælatus, & quilibet beneficiarius, jus successionis consequitur à Superiore, & ideò non omnia antecessoris debita solvere tenetur, sed tantùm, quæ is nomine Ecclesiæ contraxit, ut hîc dicitur; & ratio est, quia si debita pro Ecclesia sive in commodum Ecclesiæ contracta, aut obligationes susceptæ sunt per locationem, emptionem &c. Ecclesia obligata est, & consequenter Prælatus successor, qui Ecclesiæ præest, & bonorum Ecclesiæ administrationem gerit, ea solvere tenetur.

Quæritur primò. Qui antecessori Prælato pecunias mutuas dedit, quidnam probare teneatur, ut successor eas solvere teneatur? Respondeo, & dico primò: Si Prælatus excedendo facultatis suæ limites pecunias mutuas accipiat, Ecclesia aut successor ejus non obligatur, nisi quatenus in Ecclesiæ utilitatem versæ fuisse, ostensum fuerit, *juxta c. proposuit de fidejussoribus*, & docent omnes. Expensa probatio creditori incumbit. Censetur autem Prælatus excedere potestatem primò: Si ita mutuum accipiat absque Capituli consensu, aut sine justa causa necessitatis, ut res Ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosas alienare necesse sit. Secundò: Si mutuò contrahendum tantæ quantitatis sit, ut ex reditibus mensæ suæ, aut administrationi suæ commissis à Prælato dissolvi non possit. Tertiò. Si certa summa per statutum, vel capitulationem decreta sit Prælato, supra quam mutuum accipiendo Ecclesiam, aut mensam suam gravare non possit. Videri potest *Molin. tract. 2. disp. 300. n. 2. Barbosa super cit. c. penult. n. 12.*

Dico

Dico secundò. Si Prælatus secundùm limites facultatis, vel administrationis suæ pecunias mutuas accipiat etiam sine Capituli consensu, quando is non requiritur; vel si cum Capituli consensu, quantamlibet pecuniæ summam mutuò acceperit, obligatur Ecclesia & Successor, juxta *hoc c.* Neque in isto casu aliud ostendere cogitur mutuator, nisi hoc ipsum, quòd videlicet pro Ecclesia, seu ob utilitatem ipsius pecunia mutuò accepta fuerit: id verò fiet, exhibendo instrumentum authenticum, in quo hoc scriptum sit, vel alias afferendo conjecturas, ex quibus id probabiliter colligi possit, videlicet quòd Ecclesia eo tempore pecunijs indiguerit, vel ædificium novum extrui curârit. Neque opus est ostendere pecunias re ipsâ versas fuisse in tale opus aut in Ecclesiæ utilitatem *argum. L. ult. Cod. de alimentis pupillo præstandis*: *& tradit hic Abb. n. 2. & in cit. c. penult. n. 5. Marcus Antonius Genuensis in practicalibus q. 139. Menochius in arbitrarijs casu 132. n. 32.* contra *Innoc. hic. & Covarr. 2. resolutionum c. 17. n. 3.* Ratio dari debet, quòd tale onus probandi grave & difficile videri debeat, eáque ratione plerique absterreri possent, à beneficio mutuationis Ecclesijs præstando, si plus, quàm dixi, probare deberent.

3 Sed quid si ad dissolutionem mutui necessarium sit bona immobilia &c. vendere, vel in solutum dare, debétne creditor ostendere pecunias versas esse in rem Ecclesiæ? Respondetur, esse distinguendum, si enim tempore accepti mutui, talis fuit rerum status, ut appareret, non posse eam pecuniæ mutuò acceptæ quantitatem solvi sine tali alienatione, hoc casu necessarium est, ut id creditor ostendat, quæ est communis doctrina *ex authent. hoc jus porrectum Cod. de SS. Ecclesijs.* Sin autem tempore mutui accepti non fuit talis status, ac proinde illi, quibus talis facultas in jure non negatur, pro Ecclesiæ utilitate, se pecunias mutuò accipere expresè, aut tacitè profiteantur, id ipsum à creditore sufficit ostendi. Neque opus est demonstrare, quò pecuniæ versæ fuerint, tametsi postea necessarium esse appareat ad dissolutionem debiti rem Ecclesiæ immobilem vendere, aut in solutum dare. Ita significat *Eberhardus tom. 1. consilio 36. n. 11. & Gloss. in cit. authent. Probat.* Ratio est, quia hæc alienatio non ad debiti contracti obligationem, quæ initio substitisset, præsumitur, sed ad eventum executionis potiùs spectat, quæ in tali casu tum necessaria, tum juribus permissa est.

Quæritur secundò. Si rector Ecclesiæ, 4 aliúsve beneficiarius ob propriam necessitatem, v. g. tempore infirmitatis suæ debita contraxit, num ejus successor solvere teneatur? Respondeo, & dico primò, si Rector, vel beneficiarius defunctus reditus Ecclesiasticos reliquit, ex ijs talia debita dissolvi debent.

Dico secundò. Si nullos reditus reliquit, tunc refert scire, utrùm sufficientes ipsi ab Ecclesia deputati sint, nécne. Si enim sufficientes habuit, tunc debita ejus, etiam propter necessitatem contracta, ex patrimonialibus bonis ejus solvi debent *argum. c. 3. de pignoribus.* Sin autem sufficientes reditus non percepit, idque ob causam accidentariam v. g. fructuum unius, vel alterius anni sterilitatem, tum successori in beneficio obligatio imponenda est, ut ex futuris reditibus solvat, sicuti tradit *Abbas in cit c. 3. n. 5. Parisius de resignatione beneficiorum lib. 1. q. 16. n. 51.* Excipi tamen debet, si tenuitatem redituum scivit beneficiarius, & nihilominus acceptavit, hoc casu ex patrimonialibus hæredes debita solvent, sicuti ijdem tradunt, & *Gl. in c. 1. causa 21. q. 1. & sumitur ex Lege si pro ea, 10. junctâ Gl. v. cæpisse. Cod. mandati.*

Dico tertiò. Si patrimonialia bona non habet beneficiarius, tum Ecclesia necessarias expensas funeris, & factas in infirmitate &c. dissolvere cogitur, *argum. hujus cap.* consequenter ad hoc quodlibet beneficium censetur esse obligatum, ejúsque obligatio ad successorem in beneficio pervenire, dummodo

modo hoc onus sustinere possit, alioquin aliunde Episcopi providentiâ subsidium adferri debet.

Corollarium. Ex dictis apparet, textum hujus cap ampliandum esse cum *Abb. in cit. c. 3.* quòd successor solvere debeat debita antecessoris non tantùm, quæ pro Ecclesia contracta sunt, sed interdum etiam, quæ pro necessaria sustentatione personæ: quod maximè locum habet in Episcopis, aliisque Prælatis, quippe quos inter & Ecclesiam eorum major conjunctio intercedit, quàm inter alios beneficiarios, & eorundem beneficia.

CAPITULUM II.

Si quorundam.

Paraphrasis.

Gregorius IX. universis Prælatis prohibet, ne quispiam Ecclesiam suam pro alienis debitis gravare, aut litteras alicui, seu sigilla concedat, quibus Ecclesia obligari possit; quòd si hoc attentatum fuerit, Ecclesiæ ad solutionem talium debitorum non teneantur, & is, qui contra prohibitionem facere præsumpserit, ab administratione spiritualium, ac temporalium suspensus sit.

Summarium.

Casu, quo Prælatus gravet alienis debitis Ecclesiam, nulla est obligatio.

NOtandum. Si Prælatus Ecclesiam gravet, aliena debita nomine Ecclesiæ suscipiendo, seu fidejubendo pro alijs, aut litteras, vel sigilla tradendo, quibus Ecclesia obligari queat, irrita est obligatio, & Prælatus suspensionem ab administratione Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus ipso jure contrahit. Adverte autem ad verbum *gravare*; si enim justa, & rationabilis causa sit, & Capitulum consentiat, Prælatus nomine Ecclesiæ suæ pro alio fidejubere potest, imò etiam sine Capituli consensu, si alienum debitum modicum sit; cùm enim ex rationabili causa bene meritis, v. g. ex rebus Ecclesiæ donare possit, multò magis fidejubere potest, nam hæc officia charitatis, & beneficentiæ, sunt à Prælatis non aliena, uti docui *in c. penult. de fidejussionibus.* Quare eâdem ratione Prælatus ex bonis Ecclesiæ, si abundantia sint, mutuò dare poterit, sicut admonet *Joan. And. & Abbas in fine c. hujus.*

His duo adde, primum. Quòd hæc constitutio, quatenus pœnalis est, & contra ram infert, Episcopos non comprehendat, juxta *c. quia 4. de sententia excommunicationis in 6.* Alterum, ab ista suspensione, cùm in perpetuum lata, & non reservata sit, Episcopum dispensare posse. Sentit docet *Suarez. de censuris disp. 31. s. 4. n. 2.* & docui *lib. 1. tra. 5. p. 3. c. 4. n. 5. contra Abb. hic n. 5.*

CAPITVLVM III.

Odoardus.

Paraphrasis.

Clericus Odoardus obligatus erat Clero P. & quibusdam Laicis ad solvendam pecuniæ summam: ij, cùm Odoardus coram officiali Rhemensis Archidiaconi convenissent, Odoardus fassus est debitum, sed propter inopiam solutioni imparem esse se dixit. Nihilominus officialis eum solvere recusantem excommunicavit. Hæc res, cùm ad Gregorium IX. delata esset, is rescripsit ad delegatos suos, si constiterit, quòd Odoardus seu in totum, seu ex parte debitum solvere non possit, ut sententiam excommunicationis relaxent, receptâ prius ab illo cautione idoneâ, si ad fortunam meliorem venerit, quòd debita dissolvat.

Summarium.

Quando Clerici gaudeant privilegio hujus Capituli?

Nota-

NOtandum. Clericus privilegijs Clericalibus gaudens ob debita civilia, si ob inopiam ea solvere non possit, nec excommunicari, nec incarcerari potest, sed neque ad bonorum cessionem compelli, dummodo cautionem præstet, saltem juratoriam, quòd satisfacere velit, si ad meliorem fortunam venerit. Ita *Gl. & Canonistæ super hoc c. Covarr. 2. resolutionum c. 2. n. 9. Menochius in arbitr. casu* 183. *propè finem. Farinacius in praxi criminali q. 17. n. 65.* & dixi *lib. 3. tra. 2. c. 12. n. 3.*

1 Explico verba notandi. Primò intelligi ea non debent de Clericis, qui in Ordinibus minoribus constituti sunt, præterquam si Ecclesiæ inserviant, vel in habitu, ac tonsurâ constituti ex voluntate Episcopi in studijs versentur. Sicuti videre est apud *Covar. cit. n. 9. §. sed & quo.*

Secundò dixi, constitutionem tantùm habere locum, si agatur de debito ex causa civili: secus autem est, si debitum sit ex delicto, vel ex commisso dolo, tunc Clericus capi, & carcerari potest. Sicut docet *Farinac. n. 27. Barbosa n. 10. & 15. hic* & dixi de hoc in *c. 1. not. 3. de depositо.* Idémque locum habet, si Clericus debitor fugam arripiat, aut de fuga suspectus sit, secuti docui in eodem *c. 1. not. 4.* & tradunt *Farin. & Barbosa cit. locis.*

Tertiò dixi, si solvere non possit Clericus ob inopiam, quam utique probare tenetur, saltem summariè, ac præsumptivè ex communi hominum opinione, aut suorum reditum tenuitate, prout *hic Barbosa explicat n. 4.*

Quartò dixi, quòd excommunicari non possit, eò quòd contumacia in solutione omittenda esse nequeat, si solvendi impotentia adsit, cùm impossibilium nulla obligatio sit. Quamobrem cùm hîc delegatis præcipitur, ut latam excommunicationis sententiam relaxent, id vel significat declarationem, sententiam irritam fuisse, qualis loquendi modus etiam reperitur *in c. ad probandum 24. de re judicata.* ubi *Gl. V. cassata* explicat, cassa & irrita nuntiata, vel continet relaxationem, seu absolutionem sententiæ, quoad forum externum, cùm in eo non constitisset officiali, allegationem inopiæ veritate nixam esse.

Quintò dixi, quòd carcerari non possit. Id verò limitatur primò, si Clericus in dolo versatus sit, seu deceperit creditorem, v. g. fingendo se Laicum, vel abscondendo bona sua, ne ex ijs solutio fiat; aut si coram Judice falsò negârit debitum; tunc in carcerem conijci potest, non præcisè ratione debiti civilis, sed ratione criminis, juxta ea, quæ docui *in c. 1. de depositо.* & docet *Molin. tra. 2. disp. 5. q. 1. n. 13. & 21.* Et simile est, si ex prohibito sibi ludo, vel malâ administratione, & dilapidatione debitor sit, de quo *Barbosa hic. n. 21.* Secundò. Si Clericus debitor de fuga suspectus sit, Ecclesiastici judicis auctoritate capi, & in carcere detineri potest, donec integrum debitum solvat, vel de solvendo cautionem idoneam præstet, quin & ipsemet creditor eum per se, vel per alium capere potest, & ad judicem Ecclesiasticum ducere, si in actuali fuga fuerit, sicuti tradit *Covar. 2. resolutionum c. 1. n. 9. Barbosa hic n. 10. Molin. n. 22.*

Sextò dixi, quòd ad bonorum cessionem compelli non possit, sicuti hic Canonistæ docent, nominatim *Abbas n. 8. Gl. in L. milites 6. in principio. ff. de re judicata*, etenim quòd privilegium in ea Lege militibus versantibus in expeditione tribuitur, idem *Glossa, Bartolus*, & alij ajunt, habere locum etiam in quasi militibus, videlicet in advocatis, & patronis causarum, & multò magis in militiæ cælestis militibus, sive Clericis. Consistit autem privilegium in eo; nempe si debitor in mora solvendi sit, postquam à judice condemnatus est ad solvendum, executio fieri potest in bonis ejus, quòd si ex his solutio integra haberi non possit, debitor, petente creditore, in carcerem conjciendus est, nisi cessionis bonorum beneficio uti malit debitor *L. 1. cod. qui bonis cedere possunt.* Tum verò omnia debitori bona auferuntur, & credi-

moribus addicuntur remanente obligatione, ut si is ad meliorem fortunam venerit, reliquum etiam solvere debeat, quatenus commodè potest, ita ut non egeat. L. *is 4. ff. de cessione bonorum*, & docui *lib. 3. tra. 2. c. ult. n. 5.* At verò Clericus eo beneficio fruitur, ut, si de debito condemnatus sit, vel illud confessus, ac postea in mora solvendi existat, executio quidem fieri possit in reditibus, ac bonis ejus, assignando ea creditoribus, tamen in hac re habenda sit ratio, ut non egeat, sive ut portio ei relinquatur, ex qua honestè sustentare se possit, sicuti colligitur ex *c. 2. de fidejussoribus.*

Id verò in quæstione est, num Clericus huic privilegio renuntiare possit, ita ut ob debitum, si in mora solvendi sit, in carcerem conjici queat, vel ut usque ad ultimum obolum, quem habet, solvere teneatur. Probabilius est, renuntiare non posse ne quidem cum Juramento, pro ut ex communiore docet *Barbosa hic n. 24.* eò quòd privilegium hoc non in favorem Clericorum singulorum, sed totius Ordinis clericalis concessum fuerit, ne Clerici ob debitum merè civile, indignè tractentur, vel cum opprobrio Cleri mendicare cogantur. Vide, quæ latiùs de hac re disputat *Molin. disp 571. n. 24.*

CAPITULUM IV.

Is qui.

Paraphrasis.

Qui pecuniam tanquam indebitè à se per errorem solutam condicere seu repetere vult, ostendere tenetur, indebitè solutam fuisse, præterquam, si adversarius neget solutionem sibi factam esse, tunc actor, si ostenderit, se solvisse, onus probandi in negantem conjecit, quòd pecunia debita fuerit.

Summarium.

1. *Indebitè ex errore solutum, quando repeti possit?*
2. *In dubio nemo facilè præsumendus est debitor.*
3. *Nisi de mendacio convictus sit reus.*

NOtandum primum. Qui errore dictus solvit, existimans debitum esse, quod erat indebitum, id condicere, seu repetere potest. L. 1. *ff. de condictione indebiti.* Exempli causâ, si defunctus debitum solvit, hæres autem ejus rei ignarus iterum solvat, solutum repetere potest. Sin autem sciens iterum solvat, præsumitur donare, ut repetere non possit, juxta regulam *53. ff. cujus per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est.*

Est autem discrimen, num id, quod solutum est, indebitum sit tam naturaliter, quàm civiliter, an verò civiliter tantùm. In primo casu indistinctè competit repetitio, sive per errorem facti solutio facta sit, sive per errorem juris; ut si mutuatarius ultra sortem quidpiam solvat, arbitratus, se ad hoc ex mutuo obligari, solutum repetere potest. Ratio reddi debet ex *L. non hoc 14. ff. de condictione indebiti.* nempe æquum est, neminem cum alterius jactura fieri locupletiorem, & tradit *Gl. in authenticis ad regulâ 53.* ubi addit, idem esse sentiendum, si quis solvit, quod naturaliter tantùm sit debitum est. Debitum autem civiliter, ut si ipse accipienti mutuam pecuniam chyrographum dedi, in quo reddere promisi, sed postea pecuniam non recepi, chyrographum repetere possum, vel agentem exceptione non numeratæ pecuniæ repellere *L. sepè 7. C. de numerata pecunia*, consequenter si solvi, quasi ex promissione chyrographi jure actionis civilis debuerim, solutum condicere possum. In altero verò casu videlicet civiliter duntaxat indebitum (v. g. legatum ex testamento imperfecto, interest, an per facti errorem, seu ignorantiam (non supinam *L. nec supina 6. ff. de juris & facti ignorantia*) solutio facta sit, quia hæres putavit, testamentum solemne esse, tunc repetitioni locus est; an ex juris errore solverit, existimans ex testamento imperfecto legata deberi, hoc casu repetitio

petitio negatur *L. cùm quis* 10. *C. de juris & facti ignorantia L.* 2. *& seqq. ff. eodem. regula* 13. *in* 6. *ignorantia facti excusat non juris*, & explicavi *lib.* 1. *tra.* 4. *c.* 20. *n.* 7. Excipe, nisi, qui indebitum tale solvit, sit mulier, miles, minor, agricola. His enim jura ignorantibus venia datur L. *regula* 8. *ff. de juris & facti ignorantia.*

2 Notandum secundum. Licèt nemo in dubio præsumendus sit debitor, quia contractam esse obligationem, est quid facti, quod affirmans probare debet, sicuti & vicè versâ, si constet, contractum esse debitum, debitor autem solutionem factam affirmet, id probare debet L. 1. *C. de probationibus.* Attamen postquam aliquis pecuniam, tanquam debita sit, solverit, postea verò per errorem solutam esse dicat, quia erat indebita, hoc ostendere cogitur, ut hic dicitur (signatè dico, tanquam debita sit, sive adjectâ causâ v. g. ex mutuo, empto, donato) Sin autem id tantùm constet, quòd Titius pecuniam numerârit Cajo, audiendus est Titius, si dicat, se mutuam dedisse, aut deposuisse, sicuti *hic Abbas* docet *n.* 2. & allegat *Glossa in* L. *cum quid* 3. *ff. si certum petetur.* Ubi dicunt, quòd nemo facilè præsumitur donare, sed potiùs mutuum, vel depositum dare, si quis nullâ causâ expressâ pecuniam v. g. alteri numeret.

Notandum tertium. Ex mendacio, de 3 quo reus convictus est, præsumptio contra eum oritur, eum malam causam fovere, & ideò intentio actoris confirmatur. Ita colligitur *ex hoc c.* quando creditor conventus per condictionem indebiti ob errorem soluti, si neget factam sibi solutionem, eáque contra ipsum probata sit, confirmatur intentio actoris, quòd pecuniam non debuerit, sed per errorem solverit. Quare adversarius præsumptione gravatus ostendere cogitur, pecuniam fuisse debitam: simile quid habetur in *L. ult. ff. de rei vindicatione*, quòd possessor ab actione reali, seu vindicatione intentâ, liberare se possit negando, se possessorem esse; sin autem convictus fuerit possidere, tunc propter mendacium ortâ contra ipsum suspicione, actoris intentio adeò roboratur, ut à judice in possessionem rei petitæ mittendus sit, tametsi suam esse non probaverit, manente tamen priori possessori quæstione proprietatis, si rem sibi ablatam ad se pertinere, vel ad adversarium non pertinere ostendere velit *authent. de triente, & semisse §. illud. collatione* 3.

TITULUS XXIV.

DE DONATIONIBUS.

CAPITVLVM I.

Prudentes.

PARAPHRASIS.

Vir nobilis hanc sibi quodammodo Legem imponit, ut si quid ultrò tribuat, id à se deberi existimet, & nisi beneficia sua augeat, nihil se præstitisse arbitretur. *Gregorius I. lib.* 14. *registri. indictione* 7. epistolæ

Pacta, sive contractus alij sunt onerosi, seu reciproci, & alij gratuiti. Cùm itaque de reciprocis, seu ex utraque paciscentium parte obligationem continentibus, dictum fuerit, videlicet de emptione, locatione, permutatione, feudo &c. sequitur, ut de gratuitis dicatur, quorum præcipua species est donatio.

epistola 17. ad Aesclepiodatum Gallorum patricium.

SUMMARIUM.

Liberalitas propria virtus nobilium est.

NOtandum primum. Viri nobilis, seu illustris propria virtus est liberalitas, sive liberalitas virum nobilem, seu illustrem maximè decet. Quâ de re dixi *in c. 2 de supplenda negligentia in 6.* & sumitur ex *c. cùm dilecti 6. hoc tit.* adeò, ut quæ ultrò dant beneficia viri magnanimi, præsertim Ecclesijs, aut bene de se meritis personis, eâ ex Lege, seu tanquam debita, à se dari existiment. Videri potest *Tiraquellus de nobilitate c. 37. n. 34. Sanchez. lib. 6. de matrimonio disp. 25. n. 19.*

Notandum secundum. Viri liberalis, & magnanimi est in beneficijs datis non consistere, sed ea augere, & nova adijcere. Augere, inquit *S. Gregorius in cit. epistola*, favoris vestri præsidia, quia apud nobilium mentes semiplenum Bonum videtur, quod sine adjectione relinquitur.

CAPITULUM II.

Fraternitatem.

PARAPHRASIS.

Episcopus, & Prælatus quilibet, cùm rerum Ecclesiasticarum procurator, seu administrator sit, non dominus, ideò Ecclesiæ conditionem meliorem reddere debet, non deteriorem; ea propter scribit Alexander III. ad Parisiensem Episcopum, cùm antecessor ipsius, magni momenti donationes ex rebus Episcopatûs, Canonicis inconsultis, fecerit in Ecclesiæ detrimentum, quæ de jure non subsistunt, ideò se permittere ipsi, ut donationes ejusmodi tam à Clericis, quàm Laicis revocare possit.

SUMMARIUM.

1. *Rerum Ecclesiæ procurator, non dominus est Prælatus Ecclesiæ.*
2. *Neque tamen potest Ecclesiæ obesse agendo, sive contrahendo circa bona Ecclesiæ jam acquisita.*
3. *Quæ malè alienata sunt ex rebus Ecclesiæ suæ, successor revocare debet.*

NOtandum primum. Episcopus & quilibet Prælatus rerum Ecclesiæ procurator est, non dominus. Sensus est, quòd Prælatus res Ecclesiasticas tanquam bonus & diligens administrator procurare debet, non tanquam dominus earum sit, ad libitum disponere. Est tamen discrimen inter ipsos Prælatos, quorum alij regulares, & paupertatem professi, alij sæculares. Deinde inter res Ecclesiasticas: aliæ sunt Ecclesiasticæ, vel universitatis; ita ut nulli particulatim assignatæ sint, aliæ verò, seu proventus Ecclesiastici, qui Prælato, vel alteri beneficiario assignati sunt, in sustentationem vitæ.

Dico igitur primò. Rerum, quæ sunt Ecclesiæ, vel universitatis, Prælatus non habet dominium, sed tantùm administrationem. Ita *S. Th. 2. 2. q. 185. a. 7. in corpore.* Habet verò administrationem liberam, ac generalem proventuum, ut eorum ad divini cultûs augmentum, tum ad suam, & fratrum suorum sustentationem (si propria ipsis portio assignata non sit) tum ad pauperum alimoniam fideliter & studiosè eroget. *c. nullum 9. c. Apostolicos 13. caus. 12. q. 2.* & videri potest *Suarez. tom. 4. de Religione lib. 2. de Religiosis quatenus Prælati c. 26. n. 8.* ubi monet *n. 11.* non posse Prælatum ex ejusmodi bonis donationes facere merè gratuitas, seu liberales, id est, nullo alio titulo, aut causâ subnixus, nisi liberalitatis. Est enim datum liberale de suæ, nullo jure cogente, licitè facta collatio, juxta *L. 1 ff. de donationibus.* At verò ex rebus non proprijs, sed alienis liberalem esse, injustitiæ species est; donationes autem, quæ fiunt causâ pietatis, aut misericordiæ, non sunt propriè liberales, cùm fiant ex quadam juris obligatione, ac necessitate *argum. c. 1. hujus tit.* Sed neque donatio antidoralis, seu remuneratoria

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

meritorum erga Ecclesiam, vel personas ejus, seu membra Ecclesiæ, merè liberalis est, cùm ex gratitudinis obligatione oriatur, sicuti habetur *in* L. *sed etsi 24. §. consuluit. ff. de petitione hæreditatis.* Ubi dicitur antidoron, seu remunerationé esse veluti genus quoddam permutationis, quam ob rem tales donationes prudenter ac moderatè facere ad Prælatum pertinet, sicuti docui *lib. 3. tra. 4. c. 12. n. 9.* Addit verò *Suarez tit. c. 26. n. 14.* Prælatum non tantùm habere potestatem remunerandi beneficia jam præstita, sed etiam præveniendo, & excitando ad benefaciendum, erogandi, seu donandi, ita nim. ut ob oculos habeatur, tum proximorum ædificatio, tum Ecclesiæ, seu monasterij utilitas.

Dico secundò. Si portio quædam redituum Prælato assignata sit ad sustentationem, distinguere oportet inter regularem, & sæcularem; nam regularis, sicuti & alius beneficiarius Religiosus, Ecclesiasticorum redituum liberam quidem, & à Conventu, vel Superiore Prælato independenter administrationem habet, tamen sine causa, & merè liberales donationes, in causas profanas, facere non potest, cùm non sit dominus redituum suorum, prout docui *lib. 4. tra. 6. c. 7. n. 12. §. interdum.* At verò secularis Prælatus, v.g. Episcopus, videtur esse verus dominus redituum, seu portionis suæ, non minùs, quàm alij beneficiarij sæculares. De quibus docui *lib. 4. tra. 2. c. 3.* eos dominos esse redituum, sed ex justitia obligatos, ut quæ supra decentem sustentationem supersunt, pauperibus, vel ad pias causas erogent. Sin autem propriâ parsimoniâ aliqua cumulent, ea inter reditus abundantes numerari non debent, sed inter proprios Prælati, aut beneficiatij, de quibus tanquam dominus ad libitum disponere potest, juxta doctrinam *S. Thomæ tit. a. 7. in corpore.*

2 Notandum secundum. Prælatus obesse non potest Ecclesiæ agendo, seu contrahendo; id verò intellige quoad jura & bona Ecclesiæ acquisita, at verò quoad acquirenda ijs Prælatus absque Capituli consensu renuntiare, atque Ecclesiæ obesse potest, sicuti docui *lib. 3. tra. 4. c. 10. n. 6.* Deinde dixi, Prælatum Ecclesiæ obesse non posse agendo, seu contrahendo; at verò omittendo, seu negligendo obesse potest, videlicet in judicialibus, & usucapionibus, ita tamen, ut Ecclesiæ beneficium restitutionis in integrum competat, sicuti ibidem docui, & tradit ex communi *Imola hic n. 3. ex L. finali cod. de acquirenda possessione.* Denique cum Capituli consensu obesse potest Prælatus etiam contrahendo, & donando sine causa *argum. hujus c. v. inconsultis Canonicis.* & tradit *Andreas, & Imola hic circa Gl. penult.* quamvis concedi debeat in integrum restitutio. Tametsi *Abb. in fine c.* aliter sentiat, donationem irritam esse, si Prælatus cum Capitulo rem Ecclesiæ, sine causa meritorum, donet diviti: quod videtur esse contra communem, & contra praxin, dummodo periculum non sit alienandi res immobiles, aut mobiles pretiosas.

Notandum tertium. Donationes, & alienationes ex rebus Ecclesiæ malè factas à Prælato, successor revocare potest, imò debet revocare, tanquam ipso jure irritas *c. si quis 6. junctâ Gl. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Sed & ipsemet Prælatus, quamdiu ab administratione remotus non est, revocare debet *c. si quis junctâ Gl. v. alienata.*

CAPITULUM III.

Cæterùm.

Paraphrasis.

Quæsitum fuit ex Alexandro III. si Abbas, vel solus, vel cum Priore, & quibusdam de Conventu, donationem fecerit, ex rebus monasterij, postea autem pars aliqua Conventûs contradicat, quid faciendum sit? Respondet Papa, in hoc casu tum rei donatæ quantitatem, tum regionis consuetudinem, quæ tamen sacris Canonibus contraria non sit, diligenter

esse considerandam, & secundùm hæc donationem ratam, vel irritam declarandam.

SUMMARIUM.

Quando, & quæ possit Prælatus regularis de rebus monasterij sui alienare sine consensu Capituli?

NOtandum. Prælatus regularis etiam sine consensu Conventûs quasdam ex rebus monasterij donationes non magnas facere potest, si loci consuetudo, quæ irrationabilis non sit, id permittat.

Adverte hîc. Tametsi Prælatus regularis liberam habeat rerum Ecclesiæ administrationem, sicuti tradit *Gl. recepta in c. is cui 42. v. & libera de electione in 6.* tamen donare non potest *argum. Legis filiusfamilias 7. ff. de donationibus.* Ex qua colligitur, si cui libera administratio concessa sit, eâ non extendi ad perdendum, & simile dixi de Religioso, cui peculium à Prælato permissum est, *lib. 4. tra. 5. c. 7. n. 14.*

Excipitur primò. Quòd ex causa rationabili donare potest, videl. pietatis, vel misericordiæ, aut gratitudinis ergò, prout præcedente c. dictum & significatum *in cit. L. 7.* Imò talis donatio etiam ex rebus pupilli concessa est, considerato, quòd pupillo expediat L. 1. *§. cum tutor. ff. de administratione tutorum.* Ubi dicitur: alimenta servis, libertísque nonnunquam etiam exteris, si hoc pupillo expediet, tutor præstabit, solennia munera parentibus, cognatísque mittet.

Excipitur secundò. Quòd si consuetudo permittat, Prælatus donationes modicas, seu non magnas facere possit. Ita sumitur *ex textu hoc*, & tradit *Gl. finalis in c. cum nobis 19. de electione*, & *Gl. in cit. c. is cui.* partim quia consuetudo, si irrationabilis non sit, facultatem & jus dare potest, partim quia consuetudo facit, ut donationes sine querela, & avaritiæ suspicione facilè non possint omitti, nisi rerum status mutatus sit, quia v.g. onera, & expensæ monasterij augentur, vel reditus diminuti sunt, partim quia, si consuetudo diuturna fuit, contrarius rationabiliter contradicit.

CAPITULUM IV.

Consultationibus.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia, priusquam vacat, seu vivente eo, qui Ecclesiam possidet, particulari personæ conferatur in titulum, irrita est collatio. Sin autem Episcopi auctoritate Ecclesia loco Religioso concedatur in proprietatem, rata est concessio, ita tamen, ut persona, quæ Ecclesiam tum possidet, invita privari non debeat, quamdiu vivit.

SUMMARIUM.

Collatio beneficij, vivente beneficiato, fieri non potest in titulum, quamvis in proprietatem in corporari possit monasterio, vel prælaturæ.

NOtandum. Licèt beneficiario vivente, non possit fieri collatio beneficij in titulum *c. 1. 2. & ult. de concessione præbendæ*, tamen nihil obstat, quin beneficium nondum vacans, seu vivente adhuc beneficiario, in proprietatem conferatur, seu incorporetur monasterio, vel prælaturæ, seu dignitati. Ratio discriminis est. Primò. Cùm titulus beneficij indissolubilis sit *c. Multi 12. de filijs presbyterorum.* is autem dicitur beneficiarium investitum, impossibile est, ut eo non remoto, alteri beneficium conferatur in titulum, quandoquidem unius Ecclesiæ, & cuiuscunque beneficij non possunt esse duo beneficiarij, seu titulati. *c. cùm non ignores 15. c. ina. de præbendis.* & docent DD. *in c. super eo. eodem in 6.* At verò incorporatio beneficij non necessariò secum fert titulum in actu, sed tantùm in habitu, cùm frequentissimum sit, ut ad Prælatum monasterij v.g. pertineat Ecclesia parochialis, quoad habitualem rationem incorporationis; ad alium autem, videlicet intitulatum Vicarium, quoad actum,

tam, & titulum actualem, sicuti explicavi *in disp. de Prælatis q.* 208.

Secundò. Sacri Canones ad imitationem civilium legum reprobant pacta, si fiant de futura successione in beneficio, quæ causa est, cur, beneficiario vivente, non tantùm conferri non possit, sed nec promitti beneficium *c.* 2. *de concessione præbendæ*. At verò si beneficium, vivente Rectore ejus, incorporatum, sive in proprietatem concessum sit, monasterio, dignitati, vel præbendæ, mortuo vel remoto beneficiario locus non est successioni, quia beneficiū secundùm titulum principalem vacare non censetur, sed extinctum esse juxta ea, quæ docui *lib.* 4. *tra.* 2. *c.* 9. *n.* 2. *& consentit Clement.* 2. *de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

CAPITULUM V.

Per tuas.

Paraphrasis.

Nobiles quidam Episcopum Florentinum persecutionis, & schismatis tempore, domi suæ sustentârunt; sedato verò schismate Episcopus ex mandato Alexandri III. remunerationis loco dedit ipsis in feudum quatuor modios terræ, & successor ipsius secundùm morem ipsos in feudo investivit. Verùm cùm nobiles datam sibi terram mensurari curâssent, non nisi duo terræ modij reperti sunt, ideóque feudum integrari postulârunt. Super hac re dubitavit Episcopus Florentinus, propterea, quòd nobiles possessionem partis adjiciendæ non haberent, & ideò Episcopus eos de novo investire videretur, num id ipsi liceret. Respondet Innoc. III. cùm Ecclesia in actibus suis fraudem ullam committere non debeat, quòd Episcopus securè possit feudum integrare, quandoquidem infeudatio super quatuor modios facta fuit nobilibus.

Summarium.

Ad fraudes cavendas, etiam contra Ecclesiam ad supplementum agitur.

NOtandum primum. Episcopus, aliúsve Prælatus propter insidias, & vitæ propriæ periculum licitè se ad tempus abscondere, vel ab Ecclesia discedere potest, ita tamen, ut interim ea, ab hostibus fidei detrimentum non patiatur, alioquin bonus Pastor animam suam ponet pro ovibus *Joan.* 10. & ita docet *Innoc. in c. nisi n.* 4. *de renunciatione.*

Notandum secundum. Justa causa est, rem immobilem Ecclesiæ in feudum concedendi ob remunerationem beneficiorum præstitorum Ecclesiæ, vel Prælato intuitu Ecclesiæ. Ita *Abbas hìc n.* 2. sicuti enim Ecclesia ad liberandum Prælatum à gravi periculo ex pietatis lege, si opus sit, etiam bona immobilia alienare potest, ita multò magis in remunerationem ejusmodi beneficij, vel obsequij, in feudum dare, adhibitis tamen juris solemnitatibus.

Notandum tertium. Ad Ecclesiam, & Ecclesiasticos maximè pertinet in actibus, & contractibus ab omni fraude abstinere, & conventa fideliter adimplere. Ita sumitur *ex hoc c.* & videri potest Gl. *in authent. hoc jus v. ut plus causa* 10. *q.* 2.

Notandum quartum. Si cui titulo feudi, vel venditionis acquisitum sit jus ad certam quantitatem agrorum, v. g. quatuor jugera, & traditio facta sit minoris quantitatis, agi potest ad supplementum, v. g. duorum jugerum, quæ in mensuratione desunt, nam iste est error facti, qui involuntarium operatur in decepto, sicuti *Imola notat n.* 5. quare inanem in hoc casu scrupulum habuit Episcopus, quasi de novo aliqua fieret infeudatio duorum jugerum, quòd eorum possessio antea acquisita non esset; satis enim est, si infeudatio quatuor jugerum antecessit, per quam jus acquisitum fuit nobilibus vasallis, ut ejus vigore traditionem petere, possessionémque accipere possent. Ita colligitur *ex hoc c. secundùm integram lectionem.*

CAPI-

CAPITULUM VI.

Cùm dilecti.

PARAPHRASIS.

Vir nobilis terras monasterio donavit, tanquam eleemosinam pro remedio animæ. Sed progrediente tempore filius ejus Alanus dicebat, donatorem concessisse sub conditione pensionis, quæ si soluta non fuerit, terræ redigi possint in forestam, seu saltum: & cùm de facto, ac per violentiam terras auferre vellet, Abbas & Conventus questi sunt Innocentio III., ne molestarentur. Is judicibus delegavit, qui, negotio examinato, causam instructam remiserunt Romani: quare Pontifex hìc scribit, & mandat, ut pro monasterio sententiam ferant, quia ex transmisso donationis instrumento evidenter apparet, hanc fuisse mentem donationis, ut clausula in fine posita de facienda foresta non ad priorem donationem, quæ ita libera, ac pura fuit, ut ab omni vexatione, & consuetudine sæcularium immunis esset, referri deberet secundùm sanum verborum intellectum, sed ad donationem sequentem, quæ pensionem, ac conditionem insertam habet, etenim in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficijs plenissima interpretatio facienda est.

SUMMARIUM.

1. *Laicus etiam donationi à se Ecclesiæ factæ conditionem adijcere potest, quæ tamen, si repugnet sacris canonibus, nulla est.*
2. *Si mens certa disponentis ex verbis instrumenti colligatur, censeri debet probatio evidens.*
3. *Quid clausula operetur in fine dispositionis plura Capitula continentis.*
4. *In contractibus bonæ fidei non est necessarium strictè verbis inhærere.*
5. *Limitatur hæc doctrina.*

NOtandum primum. Fundator etiam Laicus fundationi, ac donationi, quam facit Ecclesiæ, apponere potest conditionem, sacris Canonibus non adversantem, v. g. ut pensio ipsi, & hæredibus solvatur, aut non alienetur res &c. Sin autem conditio non servetur, res donata cadat in commissum, & à fundatore, ejúsque hærede revocari possit. Ita *hìc & in c. Verum de donationibus appositis*, & notavit *Abbas n. 3. Imola n. 5.* Ubi ait, quòd in libro fundationis fundator propriâ auctoritate rei donatæ possessionem ingredi possit, licèt decretum sit, ut fiat cum judicis auctoritate. Simile est, si quis monasterium fundaverit, aut ædificaverit religiosis, eo apposito pacto, ut si ipsi illud deserant, patronus alijs, quibus voluerit, Religiosis, vel Clericis dare possit.

Notandum secundum. Si ex verborum tenore instrumenti certa mens disponentis colligatur, censeri debet probatio evidens, ut testibus opus non sit. Ita sumitur ex *hoc c.* ubi notat *Abbas n. 1. & ex L. liber 2. ff. de Legatis primò.* ubi *Bartolus* ait, probationem evidenter apparere dicitur, quod legentibus conjecturis apparet, licèt non fuerit expressum.

Notandum tertium. Licèt aliquando regula sit, quòd clausula in fine dispositionis plura Capitula continentis posita referatur ad omnia antecedentia *c. inquisitioni 71. de appellationibus.* Tamen id limitat debet primò. Si Capitulum priùs positum propriam clausulam, seu determinationem habuit, tunc clausula in fine, seu posteriùs posita, ad priùs illud Capitulum se non extendit. Secundò. Si contrarietas, vel absurditas aliqua diceretur per ejusmodi extensionem. Ita docuit *Bartolus in L. ratione scripturæ §. hanc autem. ff. de legatis primò, Imola hìc. n. 9.* & sumitur *ex hoc cap.* cùm enim duæ donationes factæ essent, priori apposita fuit determinatio, ut esset pura & libera ab omni sæcularium impositione, quare cùm post alteram donationem conditio pensionis adjecta esset, non po-

tuit

suit ea adjectio ad utramque donationem, sed tantùm ad proximè præcedentem referri.

4 Notandum quartum. In contractibus bonæ fidei plena, & non omninò adstricta verbis interpretatio est facienda. Sicuti etiam colligitur *ex L. ult. Cod. qua res pignori &c.* In testamentis verò, & ultimis voluntatibus plenior interpretatio facienda est, uti habetur *in regula ff. 12.* in testamentis pleniùs voluntates testatorum interpretantur (accipitur passivè) & consentit L. 3. *ff. ff. de tritico, vino &c* Denique in beneficijs, donationibus, & gratijs plenissima verborum interpretatio fieri debet *c. quia 22. de privilegijs c. olim 16. de verborum significatione.* Quod maximè verum est, si gratia à Principe procedat, quippe, quem liberalitas ante alios decet L. 3. *Cod. de constitutionibus Principum.* Item si in causam per se favorabilem, v.g in Ecclesiam donatio, aut beneficium conferatur. Ratio hujus doctrinæ sumi debet ex majore affectione, seu benevolentia, quæ in disponente esse censetur, nam qui contractum, eúmque reciprocum celebrat, is justitiam, seu æqualitatem inter contrahentes servari vult, & ideò secundùm jura gentium verba nec nimis strictè, nec nimis amplè accipere censetur, sed prout bona fides postulat, ut pars neutra graveretur. At verò, qui testatur, vel mortis causâ quidquam relinquit, is donationem aliquam facit liberaliter, sed non tam liberalem, quàm is, qui inter vivos donat, aut gratiam confert, siquidem qui mortis causâ dat, aut relinquit, mavult ipse habere, quàm eum, cui relinquit *L. 1 ff. de mortis causâ donationibus.* At verò, qui inter vivos donat, mavult habere eum, cui donat, quàm se. *L. senatus 35. §. sed mortis ff. eodem.*

Limitari debet primò. Quòd concessiones, & gratiæ quatenus in tertiæ personæ præjudicium cedunt, strictam interpretationem habent. L. 2. *Cod. de precibus Imperatori offerendis.* L. 2. §. *si quis ff. ne quid in publico loco.* Ubi dicitur, quòd in rescripto, vel privilegio Principis non censeatur concessum, si quid alijs incommodum, aut præjudicium afferat, nisi exprimatur.

Secundò. Quòd beneficia, seu privilegia strictæ interpretationis sint, quatenus juri communi derogant, videlicet dispensationes, ut legitimatio spuriorum &c. Cùm enim juris publici magnus favor sit, ideò omnis discessus à jure publico, seu communi, odiosus censeri debet, sicut tradit *Gl. in c. 3. v. dispensationes de officio ordinarij in 6. argum. c. 1. & 2. de filijs presbyterorum in 6. & c. 3. de consanguinitate.*

CAPITULUM VII.

Pastoralis.

Paraphrasis.

Ex Innocentio III. quæsivit Episcopus Heliensis, si Episcopus patrono consentiente, Religiosis Ecclesiam concedat his verbis: concedo vobis Ecclesiam hanc: num censeri debeat, proventus Ecclesiæ donâsse, an verò tantùm jus patronatûs. Respondet Papa, quandoquidem Episcopus Ecclesiam concessit ex consensu patroni, existimandum est, patronum quod suum est, concedere voluisse, videlicet jus patronatûs, Episcopum verò id donâsse, quod de temporalibus proventibus in eadem Ecclesia obtinet, ut in Religiosorum usus convertantur: quòd si ex proventibus nulla ad ipsum Episcopum portio spectat, tunc omnes proventus, excepto Cathedratico in Religiosorum usus convertendi sunt. Verùm ut legitima sit ista concessio, seu donatio; Capituli consensus requiritur.

Summarium.

1. *Jus habens in re aliqua, si consentiat illius alienationi, censetur, jus suum in alterum transferre, cum distinctione aliqua.*
2. *Episcopus non potest Ecclesiam sibi subjectam donare monasterio plenissimo jure.*

3. *Verbum concessionis, quando significet dominij translationem?*

1 NOtandum primum. Si aliquis jus habens in re consentit alienationi ejus, vel subscribit, censetur abdicare, & in alterum transferre jus suum; id tamen distinctionem postulat secundùm *Gl. in L. Laicus 39. v. non obesse, de pignoratitia actione*, Vel enim alienatio validè non fit sine consensu ejus, tunc vera est doctrina, uti apparet *in hoc c.* & in *L. fidejussor 26. §. pater ff. de pignoribus*. Vel alienatio fieri potuit sine consensu, aut subscriptione ejus, quia adhibetur tantùm ut testis alienationis factæ ab altero, tunc vera non est regula. *argum. cit.* L. *Laicus* ubi *Gl.* ait, quòd subscribens ego alienationi rei meæ, quam alius etiam me invito facere potest, mihi non præjudico, secùs si alienationem facere non potuit sine consensu meo, tunc subscribendo videor consentire, & abdicare jus meum.

2 Notandum secundum. Episcopus non potest Ecclesiam sibi subditam donare monasterio jure plenissimo, ita, ut ab ipsius jurisdictione Episcopali exempta sit, secundùm *Gl. hic v. cathedraticum. Gl. in c. 1. v. traditæ causâ 16. q. 1.* ubi ait, quòd Episcopus non potest abdicare à se jurisdictionem Episcopalem; & ideò quantumcunque generalibus verbis eximat Ecclesiam, semper retinet correctionem, visitationem, & cathedraticum, ut *hic & c. cùm venerabilis 21. de censibus.*

Corollarium. Cùm cathedraticum detur in signum subjectionis, teste *Innoc. & Imola hic n. 8.* ideò si Prælatus, vel quicunque alius ex Ecclesia Cathedraticum solvat Episcopo, eo ipso profitetur Ecclesiam Episcopali jurisdictioni subditam esse.

3 Notandum tertium. Licèt verbum concessionis non significet dominij translationem, siquidem precarium, & commodatum est concessio rei ad usum duntaxat, uti *hic Imola* notat *n. 3.* tamen si hoc verbum, quippe valde generale, consideratâ qualitate materiæ subjectæ, personæ item donantis, & donatariæ, verificari non possit secundùm translationem usûs, ut juris cujusdam partialis, tunc intelligi debet secundùm omnem dominij translationem, quatenus fieri potest, & solet. Ita *Innoc.* ubi ait, si Episcopus Archidiacono in quibusdam Ecclesijs parochialibus jurisdictionem habenti, talem novam concessionem faceret, interpretatio fieret, quòd ipsi Ecclesiam istam, antè non subditam, in jurisdictione subijcere vellet: sed quia monasteria parochias ita non habent subditas, sed incorporatas, & donatas quoad proventus, ideò de tali donatione intelligi debet concessio Episcopi, & ita quidem, ut si ipsemet portionem redituum percipiat, eam donare censeatur; sin autem nullos reditus accipiat, ne frustranea sit concessio, intelligere debemus, quòd Ecclesiam secundùm omnes reditus, quatenus potuit, monasterio incorporare voluerit: requiritur autem ad hanc incorporationem consensus Capituli & patroni, uti *ex hoc c.* colligitur. Vide quæ dixi *in c. tua 8. de his, quæ fiunt a prælatis &c.*

CAPITULUM VIII.

Inter.

Paraphrasis.

Inter Hospitalarios S. Sepulchri, & Hospitalarios S. Allucij lis erat super hospitali S. Allucij: & quidem Hospitalarij Sepulchri semel & iterum ex diversis causis judicium possessorium intentantes sententiam contra se retulerunt; postea ad petitorium transierunt, & dixerunt quòd G. Rector, fratres item & Patroni hospitalis S. Allucij, habito communi multitu constituissent hospitale, ipsum subjacere Hospitalarijs Sepulchri, quod tamen procuratoribus vices suas commisissent, ita, ut quod ab ipsis actum fuerit, ipsi approbarent: procuratores ad Hospitalarios Sepulchri accedentes, cum ipsis convenerunt, ut aliqui mitterentur ad hospi-

hoſpitale S. Allucij, qui nomine omnium acceptarent aſſignationem & ſubjectionem hoſpitalis; cùm itaque duo ex fratribus hoſpitalis Sepulchri miſſi eſſent, ipſi à Magiſtro, procuratoribus, & fratribus S. Allucij receperunt donationem, & aſſignationem ejusdem, eáque omnia per teſtium depoſitiones ſufficienter oſtenſa fuerunt. Sed procurator partis adverſæ reſpondit, donationem retractandam eſſe, quia multis fratribus inconſultis, à Rectore, & paucioribus fratribus ex comunicatis, ac perjuris celebrata fuit, & quidem circa rem litigioſam, in fraudem plebani, qui ſuper eodem hoſpitali litem intenderat. His ita expoſitis Innocentius Papa conſideratis, quòd fratres & patroni S. Allucij pro ſe, imò contra ſe turpitudinem allegârunt, videlicet excommunicationem, perjurium, & fraudem ab ipſis commiſſam; præterea quòd donatio hoſpitalis ab Hoſpitalarijs S. Allucij facta pura fuerit, & ſimplex; quare, cùm non deceptoribus, ſed deceptis jura ſubveniant, ideò Hoſpitalarios illos contra proprium factum ſe legitimè non poſſe defendere, & ideò dictum hoſpitale cum pertinentijs ſuis Hoſpitalarijs Sepulchri ſe adjudicare, ita tamen, ut per hanc ſententiam Epiſcopo, & plebano nullum præjudicium generetur, quia res inter alios acta non debet alijs præjudicium creare.

SUMMARIUM.

1. *Allegans propriam turpitudinem ordinariè in judicio non auditur.*
2. *Qui negat contra inſtrumenti authentici tenorem, quòd Capitulum conſenſerit, probare debet, ſi neget majorem partem Capituli conſenſiſſe.*

NOtandum primum. Qui in uno judicio ſuccubuit, eo non obſtante, poteſt ſuper eadem re ex alia cauſa experiri non tantùm petitorio judicio, ſed etiam poſſeſſorio. Ita *Gl. hic v. diſſimilibus. Imolan.* 15.

Notandum ſecundum. Allegans propriam turpitudinem in judicio non auditur, ut *hic & c. cùm ſuper* 8. *junctâ Gl. v. poſſe de conceſſione prabenda. L.* 2. *ff. de conditione ob turpem cauſam &c.* Eſt autem hæc regula vera ordinariè; exceptiones autem ſunt, quas *Gl.* affert. Prima, niſi vertatur periculum animæ. *c. conſanguinei* 11. *de ſententia & re judicata.* Secunda, niſi agatur de favore, aut jure Eccleſiæ. *c.* 3. *cauſâ* 35. *q.* 9. & docent DD. in *c.* 2. *de rerum permutatione.* Quòd Prælatus malè alienans rem Eccleſiæ revocare poteſt, allegans propriam turpitudinē. Tertia in cauſa libertatis. *argum. L. interrogatum* 24. *cod. de liberali cauſa.*

Notandum tertium. Si in inſtrumento 2
alienationis authentico contineatur, conſenſum Capituli interveniſſe, & poſtea allegetur, non fuiſſe partem majorem Capituli, ſeu partem majorem non fuiſſe adhibitam, alleganti probatio incumbit. Ita tradit *Imola hic n.* 6. *Abbas n.* 2. *& in c. quanto n.* 7. *de ijs, quæ fiunt à Prælatis.* Ubi concludit, neceſſarium non eſſe, ut notarius conficiens inſtrumentum, nomina Capitularium conſentientium exprimat; ſatis enim eſt, ſi teſtetur de conſenſu majoris partis Capitularium, ſeu unanimi Capitularium conſenſu (nam latè loquendo hîc etiam conſenſus, qui majoris partis eſt, unanimis cenſetur) coram ſe facto. Addit *Imola in cit. c. quantò*, ſatis eſſe, ſi notarius dicat, Capitulum conſenſiſſe, cùm non poſſit dici Capituli conſenſus, niſi pars major Capituli conſenſerit, pro notario autem tanquam perito præſumptio eſſe debet, quòd verba accipiat ſecundùm juris intellectum, ait *Imola cit. loco.*

CAPITVLVM IX.

Apoſtolicæ.

PARAPHRASIS.

Tametſi *in can. bona cauſâ* 12. *q.* 2. definitum ſit, ſi Epiſcopus in diœceſi monaſterium conſtruere voluerit, & de rebus

Ecclesiæ suæ dotare, quòd partem quinquagesimam, & non ampliùs, census sui ei dare possit, centesimam autem, si alteri alicui Ecclesiæ, vel pro sepulchro suo conferre velit, quia tamen in Canone subjungitur, id cum temperamento concessum esse, ut dum alienæ Ecclesiæ subsidium affertur, propriæ Ecclesiæ damnum grave non inferatur: ut Episcopus unam duntaxat ex his duabus, quam maluerit, dotationem, seu donationem faciat, ideò observandum hoc est, quòd Episcopus neque tantum, imò nec minus parte quinquagesima, aut centesima, sive simul & semel, sive sæpius & successivè, in pias eas causas de rebus Ecclesiæ conferre possit cum gravi ejus detrimento, alioquin si damnosa donatio, & alienatio, seu ex possessionibus, seu ex proventibus ad Episcopalem mensam, vel Cathedralem Ecclesiam pertinentibus, facta sit, canonicè revocari poterit, præterquam, si præscriptione, aliáve legitima exceptione actio, seu revocatio excludatur. Porrò licèt prima facie præsumptio sit, quòd collatio partis quinquagesimæ, vel centesimæ grave non afferat Ecclesiæ detrimentum, tamen ex varijs circumstantijs, quæ potiùs ostensione facti, quàm expressione statuti, cognoscuntur, interdum deprehendi potest, esse id valde damnosum, etiamsi semel tantùm fiat; quòd si verò Ecclesia ita abundet possessionibus, & proventibus, ut sine detrimento etiam amplius, quàm quinquagesimæ vel centesimæ partis subsidium alteri Ecclesiæ præbere queat, quamvis tunc Episcopus per se non debeat, summam eam à Canone ad incautas donationes impediendas definitam, excedere, de Superioris tamen, nempe Pontificis, auctoritate potest etiam in majore quantitate alterius Ecclesiæ inopiam sublevare.

SUMMARIUM.

1. *Quid Episcopo liceat in dotationem monasterij à se constructi, aut subsidium Ecclesiæ suæ diœcesis conferre.*
2. *Revocari tamen potest talis dotatio, si in præjudicium Ecclesiæ Cathedralis cedat.*

NOtandum primum, Episcopus etiam sine petito Capituli consensu, & licentia Pontificis, semel, aut successivè conferre potest quinquagesimam partem bonorum Ecclesiæ ad monasterij exstructi dotationem, aut partem centesimam in alterius ejusdem Ecclesiæ subsidium. Sed necessarium est primò. Ut monasterium seu Ecclesia, cui tribuitur, positum sit intra diœcesin, cum ea non censeatur tanta alienatio, ac si extra diœcesin bona transferantur. Ait verò Abb. *hic n. 3.* quòd Episcopus dotationem facere possit Ecclesiæ exemptæ intra diœcesin, quandoquidem Ecclesia, vel monasterium exemptum, constat esse in diœcesi, etsi non sit de diœcesi. Necessarium est secundò. Ut monasterium vel Ecclesia ab Episcopo exstructa sit, cum consensu Capituli *arg. c. si Episcopus 73. causa 12. q. 2.* tunc enim Capitulum contradicere non potest, cùm æquum, imò necessarium sit, ut Ecclesia, vel monasterium exstructum competens dotetur, quatenus id fieri potest sine gravi damno Ecclesiæ donantis. Ita *Imola hic n. 7. Abbas in c. pastoralis n. 4. de his, quæ fiunt à Prælatis.*

Notandum secundum. Episcopus sepulturam sibi eligere potest extra Ecclesiam Cathedralem, quemadmodum & uxor licèt sibi eligit sepulturam à marito diversam *c. de uxore 7. de sepulturis.* ubi de hoc dicetur.

Notandum tertium. Quædam sunt, quæ ostensione seu consideratione facti, secundùm omnes ejus circumstantias, facilius determinantur juxta boni viri arbitrium, quàm per status expressionem. Quare & lex indeterminatè caveat, de magno, gravi, diuturno &c. plerumque ex facti naturâ, de circum-

circumstantijs colligi debet, num id sub Lege comprehensum sit, nécne.

1 Notandum quartum. Si dotatio monasterij, v. g. siti in Diœcesi, ab Episcopo facta sit, cum gravi damno Ecclesiæ Cathedralis, revocari potest, ac debet, cùm ipso jure irrita fuerit, quippe à SS. Canonibus in hoc casu non concessa, sed prohibita. Si tamen tempore dotationis visum fuit, eam damnosam non esse, consistet donatio, tametsi postea contrarium se prodat. Verùm tunc restitutionis in integrum beneficium concedi debet, uti *Abbas hic* notat *in fine Capituli*. Præterea si quadraginta anni post donationem rei immobilis ex tali causa factam lapsi sint, cùm bona fide monasterij dotati, securum esse debet propter præscriptionem, sicuti hîc dicitur.

CAPITULUM ULTIMUM.

Propter.

Paraphrasis.

Donator propter ingratitudinem ejus, in quem liberalitas collata est, donationem ex juris rigore revocare potest, si fortè impias in eum manus injecerit, vel atroces injurias, aut grave rerum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit: veruntamen si donator tacuit, seu revocandi voluntatem non expressit, successor ejus revocare non potest.

Summarium.

1. *Ex quibus causis donatio revocari possit?*
2. *Hoc jus revocandi probabiliter non transit contra hæredem.*

NOtandum primum. Propter ingratitu- 1
dinem donatarij donatio revocari potest in quinque numeratis casibus, si causa in Judicio ostensa, & pro donatore judicatum sit. Sumptum est ex *L. ult. Cod. de revocandis donationibus.* & explicavi *lib. 3. tract. 4. c. 12. q. 5.*

Notandum secundum. Hoc jus revo- 2
candi donationem personale est, neque transit ad successorem donatoris. Ita *hìc & in L. ult.* Sed nec ipsemet donator revocare potest donationem ab hærede donatarij ingrati, cùm actio ista revocationis ex delicto nascatur, cujusmodi actio contra delinquentis hæredes non competit, nisi lis cum defuncto contestata fuerit. *L. unicâ C. de delictis defunctorum.* & ex communi tradit *hìc Imola n. 2.* Non pauci tamen, ut *Joann. And. & Abb. n. 7.* existimant, si donator ignoravit, injuriam contra se commissam, quòd agere possit adversus hæredem; imò etiam, quòd hæres donatoris injuriam prosequi, atque donationem revocare possit: quæ, licèt ex jure non satis ostendantur, tamen propter doctorum auctoritatem probabiliter dicuntur, & confirmantur ex doctrina *Gl. in L. fideicommissum 27. Cod. de fideicommissis. Gl. in L. loco rem 10. C. de his, quibus ut indignis.* & latiùs explicat *Mol. tra. 2. disp. 281.*

* * *

TITULUS XXV.

DE PECULIO CLERICORUM.

DE alienationibus, & speciebus quibusdam contractuum eo maximè fine dictum fuit, ut appareret, an & quomodo Prælati, & Clerici Ecclesiarum alienationes, contractus, ipsásque donationes instituere possent. Ad id verò exactè cognoscendum, sicuti & ad sequentes titulos de ultimis voluntatibus, necessarium est tradere doctrinam de Clericorum peculio, sicuti in progressu patebit.

CAPITULUM I.

Investigandum.

PARAPHRASIS.

Rector aliquis Ecclesiæ prædia suo nomine emerat, sed postea dubitatum fuit, cujus juris essent, sive, utrùm ad Rectorem, an ad Ecclesiam spectarent. Respondetur, investigandum esse, quidnam patrimonij habuerit, quando promotus fuit; si enim nihil patrimonij habuit, & prædia emit, ea ad Ecclesiam spectare præsumendum est. Sumptum est *ex c. 1. causa 12. q. 3.*

SUMMARIUM.

1. *Quid præsumendum, si Rector Ecclesiæ prædia emat?*
2. *Præsumptio hujus juris etiam ad simplices beneficiatos extenditur.*

1 NOtandum primum. Si Prælatus, vel Rector Ecclesiæ, cùm promotus fuit, nihil aut parum patrimonij habuit, præsumptio esse debet, prædia, sive possessiones ab ipso emptas esse, non ex bonis patrimonialibus, sed Ecclesiasticis reditibus.

Porrò ea doctrina vera non est, quam Glossa ita generatim hîc tradit, quòd omnia, quæ Prælatus possidet, de bonis Ecclesiæ præsumitur acquisiviſſe, cùm potius contrarium colligatur ex textu nostro: perpenditur enim, quòd Prælatus tempore promotionis suæ patrimonialia bona non habuit: itaque per sensum contrarium infertur, si talia bona habuit, ita ut ea in possessiones emere potuerit, aliud dicendum esse. Et verò in hoc ipso casu generalis regula tradi non potest, sed ad varias conjecturas recurrendum; si enim patrimonium Prælati amplum fuit, Ecclesiæ autem, in beneficij reditus non ampli, tum ex suis proprijs potiùs, quàm Ecclesiasticis redditibus comparâsse censetur, teste *Abb. in c. 3. hoc tit.* Præterea si Prælatus seu Rector possessiones suo nomine comparavit, eas pacificè tenuit, ac possedit, in dubio ejus possessore, & hærede ejus præsumendum est, quia in dubio non debet præsumi delictum, seu dolus juxtà L. *meritò ff. pro socio.* Refert etiam, num rationes dederit Prælatus, aliúsque administrator, vel officialis; tunc, si quid comparârit, quod in rationes non venerit, ex proprijs, si talibus habuit, acquisiviſſe præsumitur, sicuti docet *Ioann. And. in cit. c. 3.* & videri potest *Mascardus de probationibus concl.* Id verò bene monet *Gl. hic. V.* adhuc præsumptionem hujus Capituli, si patuit fuit Prælatus, censeri ex bonis Ecclesiasticis ditatum, non esse juris & de jure, sed contra eam admitti probationem in contrarium. Adde, dictam præsumptionem, cùm ex conjecturis tantùm orta sit, contrariis urgentioribus conjecturis superari posse, ut quia rector, vel beneficiarius postea hæreditates,

ditates, legata, vel donationes sibi personaliter factas accepit, aut cùm reditus ex beneficio non amplos haberet, honestâ negotiatione, artificio, vel consilijs scribendis lucratus fuit juxta *c. relaxatum 12. de testamentis.*

Notandum secundum. Bona, quæ presbyter, vel Ecclesiæ ex reditibus Ecclesiasticis emit, ea Ecclesiæ acquiruntur. Ita sumitur *ex hoc c.* & expressiùs habetur *in c. 2. & 4. hoc tit. & c. 1. causa 12. q. 3.* Tantùm bona patrimonialia excipiuntur, reliqua autem, quæ ex reditibus Ecclesiasticis comparata, aut empta sunt, dominio Ecclesiæ reservata esse dicuntur: quæ ipsa doctrina colligitur *ex c. relatum jam cit.* ubi eam tradit *Imola & Abb.* atque ita etiam intellexit Gl. *Summaria. causa 12. q. 3.* cùm sit: certum est, quòd, quidquid Clericus acquirit de rebus Ecclesiæ, totum debet Ecclesiæ relinquere, item si quid acquirat intuitu Ecclesiæ. Et *Ioan. Turrecremata super cap. 1. eodem q. 3.* eodem modo intelligit, quòd Clericus emens quidpiam suo nomine ex pecunia Ecclesiæ seu intuitu Ecclesiæ quæsita, ut sacrilegus judicatur. Huc spectat doctrina *Cardinalis Tusci v. Clericus concl. 396. n. 26.* quòd Clericus duplex habere possit peculium, unum professitium, videlicet eorum bonorum, quæ intuitu Ecclesiæ sive ex beneficijs, ac titulis Ecclesiasticis acquisita sunt: & hæc Ecclesiæ obligata manent. Alterum Castrense, vel quasi Castrense, eorum bonorum, quæ non intuitu Ecclesiæ, seu ex titulo Ecclesiastico, sed aliunde ipsi acquiruntur, videlicet ex successione cognatorum, ex artificio, aut industria propria, amicorum dono &c. Quò etiam multi referunt distributiones quotidianas, stipendia pro celebratione missarum, cùm sint ex justitia debita, tanquam laboris merces; & de his rebus beneficiarij sæculares suo arbitratu, tam inter vivos, quàm mortis causâ, disponere possunt, cùm pleno jure ad ipsos pertineant. Cui doctrinæ consentit *c. 1. causa 12. q. 3. & c. relatum 12. de testamentis* Adde, quòd etiam de reditibus Ecclesiasticis, quatenus ipso justitiæ titulo, beneficiarijs propter labores suos, ut justum stipendium, debentur, liberè, tanquam absoluti domini disponere possint. *argum. c. cùm secundùm. 17. de præbendis.*

Porrò tametsi in hoc cap. sermo tantùm sit de rectoribus Ecclesiarum, seu administrationem aliquam habentibus, tamen idem dici debet de alijs beneficiarijs, non habentibus administrationem, videlicet Canonicis, si superfluos reditus percipiant, vel ex ijs aliqua emant, ea ad Ecclesiam pertinere, prout dicetur *in c. relatum. 12. de testamentis.* & habetur *in c. 1. causâ 12. q. 4.* 2

CAPITULUM II.

Presbyter.

Paraphrasis.

Si Presbyter, vel Rector Ecclesiæ ex reditibus Ecclesiasticis aliquid emat, instrumentum emptionis nomine Ecclesiæ conficere debet, alioquin ab Ecclesia amovebitur.

Summarium.

1. *Nomine Ecclesiæ confici debet instrumentum emptionis, si ex reditibus Ecclesiæ ematur aliquid.*
2. *Quâ pœnâ afficiatur, & ad quid teneatur Prælatus res Ecclesiæ acquisitas dilapidans?*
3. *Ad quid teneatur non acquirens Ecclesiæ dona, vel legata.*

NOtandum primum. Instrumentum emptionis ejus nomine confici debet, cui res ea acquiritur. Quare cùm res empta ex reditibus Ecclesiasticis Ecclesiæ acquiratur, ideò instrumentum nomine Ecclesiæ confici debet: idem autem, seu æquivalens est, si Episcopus v. g. nomine dignitatis suæ instrumentum emptionis confici curet.

Notandum secundum. Non tantùm Prælatus deponi debet, si res Ecclesiæ malè

lè alienet, vel dilapidet, *C. monemus 18. junctâ Gl. causâ 12. q. 2.* Sed etiam si ex reditibus Ecclesiæ possessiones comparans, eas non Ecclesiæ incorporet, sed sibi appropriet: priùs tamen admonendus est, ut rem malè alienatam revocet, vel ex reditibus Ecclesiasticis emptam Ecclesiæ incorporet, quòd si monitus obedierit, puniri non debet, quia delictum ejus non censetur in effectum deductum, juxtà ea, quæ docui *in c. si quis 6. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

13 Quærunt hîc. Si Prælatus vel Rector Ecclesiæ alicui personæ volenti quidpiam in testamento relinquere suæ Ecclesiæ, persuaserit, ut potiùs personæ suæ relinquat, num conveniri possit ad lucrum abscedens Ecclesiæ resarciendum? Respondetur, si blando sermone, aut precibus, sine dolo, vi, aut importunitate persuasit, non obligatur, quia adversus justitiam non peccavit. *argum. L. ult. C. si quis aliquem testari prohibuerit.* Idémque de tutore persuadente testatori, ut non pupillo, sed sibi relinquat, docuit *Cynus in* L. *quidquid 9. C. arbitrium tutelæ.* Secùs autem est, si dolo, aut precum importunitate Prælatus, vel tutor testatorem circumvenit, sicuti docet *Abb. hic in fine cap. Sylvester V. Clericus 4 q. 8.* Sed etsi Prælatus, aut Parochus persuadeat morituro, ut non Ecclesiæ suæ, sicuti proposuerat, sed alteri personæ, v. g. amico Parochi, relinquat, secluſa fraude, vi aut precum importunitate, non arbitror, eum obligari ad resarciendum, cùm non peccet adversùs justitiam, eò quòd Prælatus, aut Parochus ratione officij sui obligatus non sit, ad providendum Ecclesiæ, talibus modis, nisi fortasse ea valde pauper sit, & indigens.

CAPITVLVM III.

Ut unusquisque.

Paraphrasis.

Quidquid Episcopus, vel Rector Ecclesiæ post ordinationem suam acquisiverit, moriens Ecclesiæ suæ relinquere debet.

NOtandum. De acquisitis ratione Prælaturæ, seu ex reditibus Ecclesiasticis Prælatus, aut Rector testari non potest, sed Ecclesiæ suæ relinquere debet. De hac dixi *lib. 4. tra. 2. c. 3. n. 6.* & dicetur *infra sequente.*

CAPITULUM IV.

Inquirendum.

Paraphrasis.

Si Ecclesiæ Rector ex reditibus Ecclesiasticis, aut fidelium oblationibus, res aliquas comparaverit, nomine alieno, v. g. amici sui, fraudem fecisse censendus est, non minùs, quàm si suo nomine emisset, imò hoc sacrilegium quodammodo par crimini Judæ furis, sacras oblationes asportantis.

Summarium.

Ad Ecclesiam pertinent ex reditibus Ecclesiæ empta, quamvis alieno nomine empta sint.

NOtandum primum. Res à Prælato emptæ ex Ecclesiasticis reditibus, vel fidelium oblationibus ad Ecclesiam pertinent, non obstante, quòd suo, aut alieno nomine emerit, ut etiam significatur in *l. 1. hoc tit.* ubi notavit *Abbas n. 4.* Conferi autem hoc debet speciale in Ecclesia, quòd res ex pecunia ejus empta nomine alieno ipsi Ecclesiæ acquiratur, ita, ut Ecclesia rem eam vindicare possit *testes Gloss. V. comparaverit.* Idémque dicendum de pupillo, si aliquis ex pecunia ipsius tenuis nomine emerit, eam à pupillo peti posse, nisi malit adversùs ementem, v. g. tutorem agere, ut pecuniam cum interesse restituat *L. 3. C. arbitrium tutelæ*, cujusmodi actio etiam Ecclesiæ competit. Sed & de minus hoc ipsum speciali favore statutum est in *L. si ut 8, C. de rei vindicatione*, si ex aliena pecunia

pecunia res aliqua alieno nomine comparata sit, utilem illi vindicationem concedi; & videri potest ibi *Gl. marginalis*, & *Tiraquellus privilegio 105. piæ causæ. Gl. & Abb. hic n. 5.* At verò, si alius quispiam, etiam procurator, vel administrator, ex pecuniis tuis, cujus v. g. bona administrat, quidpiam emat suo nomine, id ementis efficitur. Quare contra ipsum agere debes ad pecunias tuas recuperandas. L. *si ex ea 6. C. de rei vindicatione. L. 1. C. si quis alteri vel sibi.* L. *si patruus 4. C. gratia utriusque.*

Notandum secundum. Si Prælatus ex reditibus Ecclesiasticis rem emptam tanquam suam retineat veluti sacrilegium committit juxtà id, quod dixi *in c. 2. not. 2. hoc tit.* & habetur etiam *in c. 1. causa 11. q. 2.*

CAPITULUM VLTIMVM.

Si quis.

PARAPHRASIS.

Si aliquis Clericorum in terra Ecclesiæ vineas, vel agros, meliorando fundum, fecerit, vitæ suæ sustentandæ causâ, eas melioraciones usque ad diem obitûs possideat, sed postea Ecclesiæ restituat; non autem seu jure testamenti, seu successionis ab intestato, hæredibus relinquere possit; nisi forsan Episcopus alicui pro servitijs Ecclesiæ præstitis eas largiri voluerit.

SUMMARIUM.

1. *Beneficiatus potest terram sui beneficij meliorare.*
2. *Ad quem meliorationes tales pertineant?*

NOtandum primum. Ecclesiæ Rector, aliúsque beneficiarius terram sui beneficij meliorare potest v. g. ex prato agrum, ex terra sylvestri vineam efficiendo: sed meliorationes Ecclesiæ cedunt ita, ut de ijs beneficiarius disponere non possit alienando, aut mortis causa relinquendo, sed neque impendia repetere, si ex Ecclesiasticis reditibus excoluit, prout *Abbas hic* docet *n. 2.* benè admonens, secùs esse, si ex patrimonialibus, seu proprijs bonis excoluit, tum ipse, vel hæredes ejus (nisi ostendatur donandi animo meliorâsse) repetere possunt meliorationum, seu impendiorum æstimationem, prout colligitur ex *c. 2. junctâ Gl. causa 12. q. 4.* & docuit *hìc Barbosa, & Paulus Comitolus in responsionibus moralibus tom. 1. q. 82. in fine.* 1

Notandum secundum. Si beneficiarius in fundo Ecclesiæ, aut beneficij sui quidpiam ædificavit, vel meliorando excoluit ex reditibus Ecclesiasticis, eas meliorationes habere potest, dum vivit, postea verò Ecclesiæ, vel beneficio relinquere debet. Id verò extendunt aliqui apud *Innoc. hìc & Abb. n. 4.* tametsi beneficiarius ob crimen amoveatur, meliorationes ipsi esse relinquendas. *argum. c. ad aures 7. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Verùm ex *eo cap. & hujus cap. textu* plus non colligitur, quàm quòd Episcopus possit beneficiario in remunerationem relinquere meliorationes, vel impendiorum æstimationem eidem solvere; imò æquum esse, ut ipsi relinquantur, nisi gravitas delicti aliud postulare videatur. 2

TITULUS XXVI.

DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

POstquam de dispositionibus inter vivos dictum est, sequitur, ut de testamentis, & alijs dispositionibus mortis causâ factis agatur, cujus rei causâ præmissum fuit de peculio Clericorum; si enim illud profectitium sit, id est, bonorum, quæ ab Ecclesia, seu ex Ecclesiastico titulo, vel intuitu Ecclesiæ proveniunt, beneficiarij testari, seu mortis causa de ijs disponere non possunt, ut infrà apparebit, & habetur *in authent. licentiam C. de Episcopis.* Sin verò peculium sit quasi castrense, videlicet bonorum, quæ in Clericatu ex quacunque alia causa, præterquam per Ecclesiam, uti explicatum fuit, acquisita sunt, de ijs liberè testari, ac disponere possunt, uti constat ex titulo præcedente, & *L. Sacrosanctæ. 32. & authent. Presbyteros. C. de Episcopis.* Sed & de adventitijs bonis, id est, quæ ante Clericatum non à patre, aut intuitu patris (hæc enim profectitia dicuntur, & ad patrem reverti debent *§. sancitum Inst. per quas personas &c.*) nec intuitu militiæ armatæ, aut togatæ (hæc enim Castrensia, vel quasi Castensia censentur) sed aliunde, v. g. ex materna aut cognatorum successione, vel donatione acquiruntur, liberè testari potest & disponere.

CAPITVLVM I.

Quorundam.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius I. quòd Episcopus Atellanæ Ecclesiæ testamentum condidisset, in quo nurum in octo uncijs bonorum ditatis instituit, Ecclesiam verò suam alijs quatuor. Ideò scribit ad Artemium Subdiaconum, eúmque hortatur, ut [illegible] licitè inquirat, unde ejus bona [illegible] rint, seu acquisita sint, nec patiatur [illegible] qualibet persona quidpiam detineri [illegible] ante Episcopatum illud acquisivisse [illegible] stiterit. Quidquid autem cognoverit [illegible] Ecclesiæ fuisse ante ejus consecrationem [illegible] & quidquid in Episcopatu acquisivit, [illegible] in ejusdem Ecclesiæ dominio continetur. Habetur *lib. 7. regist. indict. 2. epistola 52.*

SUMMARIUM.

Acquisita ab Episcopo, titulo Episcopatûs, inter bona profectitia Ecclesiæ numerantur.

NOtandum. Quæcunque Episcopus titulo Episcopatûs, vel intuitu [illegible] suæ acquisivit, ea Ecclesiæ tanquam [illegible] fectitia bona reservata sunt, ut proinde [illegible] mortis causa disponere non possit. Consentit *c. 2. causa 12. q. 5.* & quæ dicta [illegible] *c. 1. tit. præcedente.*

CAPITULUM II.

Quia.

PARAPHRASIS.

Gabina SS. Gravini, & Luxorij monach[illegible] Abbatissa retulit ad Gregorium IX. pon[illegible] Syrica Abbatissa, quæ antecessit, condi[illegible] testamento Xenodochio, & alijs quibus[illegible] dam legata reliquisset. De hac re, cum [illegible] rus

rescivisset Pontifex, intellexit, Syricam vestem Monachalem nunquam induisse, sed usque ad mortem in vestibus, quibus loci ejus presbyteræ (id est sacerdotum conversæ uxores) utebantur, permansisse; id Gabina dicebat, pœnè ex consuetudine licuisse, quia etiam Abbatissa, quæ Syricam antecesserat, talibus vestibus usa fuerat. Causam istam Gregorius consiliarijs suis, & alijs viris doctis in urbe examinandam dedit, qui responderunt, quia Syrica solemni more ab Episcopo Caralitano ordinata fuit Abbatissa, atque in monasterij regimine per annos multos, usque ad vitæ finem stetit, quòd vestis qualitas Episcopi culpæ imputari, non autem præjudicium monasterio, in quod ingressa, & Abbatissa constituta fuit, afferre debeat; cùm itaque Xenodochium rerum illicitè legatarum possessionem retinere non debeat, hortatur proinde Papa Episcopum Caralitanum, in cujus civitate monasterium, & xenodochium sita erant, ut si ita res se habeat, quòd possessiones, non ex contractu, sed per modum legati, seu ultimæ voluntatis, ad xenodochium translatæ sint, eas monasterio restitui, & alia omnia, quæ prætextu testamenti conditi detinentur (quippe quod secundùm legalem sanctionem irritum est) ad jus monasterij reduci omnimodè curet. Habetur *lib. 7. indictione secundâ epistolâ 7.*

Summarium.

1. *Habitus non facit Monachum, aut Monacham.*
2. *Religionem professi non possunt testamentum facere, aut mortis causa disponere.*

1 NOtandum primum. Habitus non facit Monachum, aut Monacham, sed professio regularis. Ita *hìc & in c. porrectum 13. de regularibus.* Sufficit etiam ad statum Religionis acquirendum professio tacita, seu, quæ facto fit, *c. vidua 4. junctâ Gl. eodem tit.* & sumitur *ex hoc c.* quando ex eo solum, quia Syrica in Abbatissam se ordinari passa est, & per multos annos Prælationem gessit, professa censetur. Verùm jure novo *c. nullus 28. de electione in 6.* nullus Religiosus ad Abbatiam, seu Prælaturam eligi potest, nisi Ordinem eum fuerit expressè professus, quod etiam decernitur in *Trident. sess. 25. c. 11. de regularibus.* Vide *in disp. de Prælatis quæstionem 183. Covar. hìc, n. 2.*

2 Notandum secundum. Religionem professi non possunt testamentum condere, aut mortis causâ quidpiam disponere. Ita *hìc & in Authent. ingressi C. de SS. Ecclesijs*, quia ob paupertatis votum proprium aliquid, seu rerum dominium nullum habent, *cit. authent. & c. non dicatis 11. causa 12. q. 1.*

CAPITULUM III.

Nos quidem.

Paraphrasis.

Intellexit Gregorius IX. quòd Stephanus, antequam moreretur, condito testamento, monasterium fundari jusserit, cujus ultimæ voluntatis executionem, cùm Theodosia hæres differret, eapropter Papa hortatur Caralitanum Episcopum, ut fœminam moneat, ad monasterium intra anni spatium inchoandum, & omnia juxta defuncti voluntatem sine tergiversatione exequenda. Quòd si verò intrà hoc tempus, vel in loco, in quo jussit testator, vel, si non possit ibi, in alio loco, ubi visum fuerit, cum Episcopo monasterium ordinare intermittat, tum Episcopus ædificet, & omnia loco illi sine diminutione assignari curet, quia secundùm pijssimas Leges tali modo decet Episcopum dilatam piarum ultimarum voluntatum executionem supplere.

SUMMARIUM.

1. *Ad hæredem ordinariè pertinet munus exequendi testamentum, si nullum executorem nominavit testator.*
2. *Devolvitur tamen hæc exequendi potestas ad Episcopum circa pia legata, si per annum moratus fuerit, & neglexerit executor.*
3. *Limitatur hæc doctrina.*
4. *Etsi non possit legatum purum applicari ad illum usum, ad quem testator determinavit, potest cum consensu Episcopi ad alium usum pium executor applicare.*
4. *Ita tamen, ut integrè, sinéque diminutione, talia legata præstentur.*
6. *Quid censeri debeat ad piam causam legatum?*

1 NOtandum primum. Si nullus à testatore executor testamenti, aut ultimæ voluntatis nominatus est, munus exequendi pertinet ad hæredem, etiam quod attinet ad legata pia, saltem regulariter loquendo, ut *hic, & c. si hæredes 6. hoc tit.* Aliqua verò specialiter excipiuntur, quòd videlicet pro redemptione captivorum, aut paupertum alimoniis relicta sint. Horum executio, si alius executor non est nominatus, ad loci Episcopum spectare debet. *L. nulli 28. C. de Episcopis. authent. de Ecclesiasticis titulis §. siquis ædificationem. collatione 6.* & docui *lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 1.*

2 Notandum secundum. Si hæres, vel alius executor legata præsertim pia intra annum non exequatur, propter negligentiam potestas exequendi devolvitur ad Episcopum, ut *hic, & cit. §. si quis ædificationem*, & tradit *Innoc. & Imola hic n. 8. Barbosa n. 3. Gl. in cit. c. si hæredes. V. adimpleverint.* Necessarium verò est, monitionem antecedere, ad hoc, ut executio devolvatur ad Episcopum, uti *Imola, & Barbosa his* tradunt, & colligitur ex *hoc c. & cit. authent. §. si quis autem pro redemptione. versiculo si autem, qui hoc.* Non ignoro *Abb. hic n. 11. Molin. tra. 2. disp. 251. n. 2.* existimare, si executor legatum ad causam piam intra 6. menses exequatur, ad Episcopum devolvi facultatem. Id verò nullo jure probari potest, sed tantùm, quòd executor, si tanto tempore negligat, pœnis subditus sit. *Authent. de Ecclesiasticis titulis. §. si autem legatum.* Limitari debet suprà tradita doctrina, si testator ipse tempus determinavit, in quo voluntas executioni mandari debeat, etiamsi rendum est. Numerari autem tempus debet à die aditæ hæreditatis *L. 3. §. si quis haredi. ff. de statu liberorum*, & tradit *Abb. hic. n. 10. Covar. n. 2.* quia ante aditam hæreditatem impeditur executio testamenti, sicuti docent *Gl. & DD. in L. nam filio 38. §. servus ff. de haredibus instituendis.* Quare monet *Covar. n. 3.* quòd testamenti executor per judicem cogere possit hæredem institutum, ut voluntatem acceptandi declaret. Verùm quod attinet ad legata pia, cùm ea non pendeant ab hæreditatis aditione, statim post mortem testatoris, aut saltem insinuationem testamenti exigi possunt, *teste Sylvest. V. testamentum 2. q. 10.* consequenter & fructus, ac pensiones à tempore mortis cedere debent.

Notandum tertium. Si relictum à testatore ad certum pium usum, aut locum applicari non possit, debet ad alium locum usumve pium applicari arbitrio executorum & Episcopi, ut sumitur *ex hoc* docui *lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 10.* & tradit *Molin. tra. 2. disp. 249. n. 7.* nam principalis intentio testatoris, quæ est honor Dei, & salus animæ, servatur. *argum. L. legatum 16. ff. de usufructu legato.* ubi dicitur, si quid civitati legatum sit ad ludos illiciros, ad alium ejus civitatis usum à primoribus, & hæredibus applicandum esse; idemque dicendum, si pecunia legata ad certum usum pium, v. g. Ecclesiam extruendam, non sufficiat, quòd possit applicari ad alium usum pium, uti docet *Bartolus in cit. legatum.*

Notan

Notandum quartum. Legata ad pias causas, integrè, & sine diminutione præstanda sunt. Ita sumitur ex hoc *c. v. sine diminutione.* Adde: si fundus, vel designata pecunia relicta sit, ut intra annum v.g. monasterium ædificetur, quòd fructus, aut pensio pecuniæ elocatæ, non hæredi, sed monasterio, vel alteri causæ piæ præstari debet. *arguu. L. si ita relictum §. Pegasus. ff. de legatis secundo* & notavit *hic Abb. n. 7.* quia tempus non in favorem hæredis, sed *in favorem* causæ piæ relictum videtur; voluit enim testator hanc pecuniam, vel hunc fundum piæ causæ deputare, tempus autem adjecit ad carctandum hæredem, vel executorem, ne diutius executionem, seu ædificationem operis differant.

6 Quæres quidnam censeri debeat relictum ad causam piam? Respondetur: quod principaliter ob cultum Dei & Animæ salutem. Quare non sufficit, personam, cui relinquitur, pauperem esse, nisi etiam intuitu pietatis, ac misericordiæ relinquatur, & non principaliter ob servitia, v.g. ancillæ. Differt autem plurimum, priore, an posteriore modo relinquatur. Primò. Si sit relictum ad piam causam, non pendet ab hæredis additione, ut postea dicetur. Secundò. Si sit relictum ad piam causam, non opus est testium solemnitate *c. relatum* 11. *hoc tit.* Tertiò. Si Titius puellæ inopi pietatis intuitu dotem reliquit, eâ mortuâ, alteri puellæ nubili, & inopi applicari debet; sin autem puellæ favore personæ ob servitia v.g. reliquit, eâ mortuâ, legatum caducum fit, & hæredi manet. *L. Pater 38. ubi Bartolus in §. Tusculanus ff. de Legatis tetio.* & docet *hic in fine c Covar. n.* 11. ubi ait, si testator dotis legatum conditionatum fecerit puellæ inopi, si nupserit, & ex circumstantijs appareat, pietatis causâ motum, eâ non nubente in similem usum esse applicandum; at verò in dubio præsumitur legatum ad causam piam favore religionis, ac pietatis.

CAPITULUM IV.

Indicante.

Paraphrasis.

Gregorius IX. intellexit, quòd uxor Redempti ante mortem concham argenteam, nudis verbis venundari mandaverit, & liberis suis tradi; scutellam quoque argenteam, monasterio reliquerit. In his voluntatem defuncti mandat, omnimodè impleri, ne ex rebus parvis neglectis, in majora peccata ruendi occasio præbeatur. *lib. 12. registri. epistola 30. ad Petrum Subdiaconum.*

Summarium.

Quis sit Capituli hujus intellectus, & quando nudis verbis legata relicta censeantur?

INtellectus Capituli ex eo pendet, quid- 1
nam voluerit Pontifex significare, cùm dixit, legata nudis verbis esse relicta. Covar. varias affert interpretationes *n. 1.* Ea placet, ut dicamus, legata esse relicta nudè, & sine hæredis institutione. Hinc enim dubitatio oriebatur, num præstari deberent, quia legatum ab hæredis institutione, ac testamento dependet, ita ut cadente testamento etiam legata, tanquam accessoria, cadant. *L. ult. §. illud. C. de codicillis. L. sinemo 9. ff. de testamentaria tutela.* Sed hoc non obstante, respondit Papa, legata ita nudè relicta deberi, idque non tantùm, si ad causam piam sint; sed etiam si ad profanam, propterea quòd defunctus censeatur velle decedere intestatus, atque hæredis ab intestato succedentis fidei committere, ut talia legata præstet. *Inst. de codicillis. §. non tantùm.* Vide, quæ dixi *lib. 3. tra. 5. c. 8.* ubi etiam monui in fine, legata etiam nuncupativè, seu verbis nudis coram quinque testibus relinqui posse; quòd si autem ipsius hæredis consentientis fidei committatur, ut legata præstet, testium solemnitas non requiritur. *L. ult. c. de fideicommissis,* quam *Cl.* hîc allegâsse videtur.

Addendum verò est, legata, quæ sunt ad pias causas, tametsi ab eo relicta sint, qui testamentum condere intendebat, nequaquam pendere à testamenti valore, ita, ut tametsi testamentum ab initio irritum, vel imperfectum, aut minùs solemne existat, vel postea irritum fiat, quia hæres institutus mortuus est, vel hæreditatem repudiavit, aut quia hæredi necessario jure institutionis nihil relictum, aut quia ruptum testamentum, per posthumi scienter præteriti nativitatem, nihilominus consistant, & debeantur legata pia, prout ex communiore verâ, & in Romano Imperio recepta doctrina tradidi *cit. tra. 5. c. 2. n. 9.* & inter alios tradit *Molin. tra 2. disp. 134. & 181. Capella Tolosana in decisione 89. & decisione 335. Marcus Antonius Genuensis in practicalibus q. 757.* Ratio est, quia in relictis ad pias causas locum non habent solemnitates, aut subtilitates civilibus legibus introductæ, quandoquidem eæ in præjudicium Ecclesiæ, aut de causis Ecclesiasticis disponere nihil possunt. Quare in his relictis pijs secundùm jus naturale, ac gentium, sequenda est voluntas testatoris, si ea justa esse possit, idque non tantùm in terris Ecclesiæ, sed etiam in foro Cæsaris, ait *Clarus ex communi §. testamentum q. 6.*

CAPITULUM V.

Filius.

Paraphrasis.

Faustinus questus est Gregorio IX. quòd pater quædam, sepulturæ suæ causâ, Cathedrali Messanæ Ecclesiæ moriturus reliquerit, quæ alieni juris, ac dominij sint. Tametsi verò notum esset, quòd de hac re leges sæculares decreverint, videlicet, quòd hæres rem alienam redimere & legatum solvere debeat; veruntamen quia Messanus Episcopus secundùm legem Dei, non legem sæculi vivere debet, injustum videtur, ut ea, quæ ad aliam Ecclesiam pertinent, à dicto Episcopo teneantur, cùm eum aliena restituere oporteat. *lib. 7. Epistola 4. ad Dominum Messanum Episcopum.*

Summarium.

An de Jure Canonico res aliena legari possit?

NOtandum. Quòd Jure Cæsareo statutum est, si testator rem alienam, sciens esse alienam, seu in ea jus nullum se habere, legaverit, quòd hæres gravatus censeatur, ut rem sibi comparet, & legatario tradat; vel si id facere non possit, æstimationem solvat. *§. non solùm Inst. de legatis* L. *cùm res* 72. *C. eodem* & videre est *apud Menochium lib. 4. præsumptione 116.* Hinc verò difficultas oritur circa sensum Capituli, num Gregorius improbaverit eam civilem constitutionem, vel saltem in foro Ecclesiæ, aut in ordine ad res Ecclesiasticas noluerit observari. Circa quam difficultatem variæ sunt responsiones apud *Abb. Imolam & Corn. hìc, Genuensem in practicalibus q. 10.* Mihi placet responsio Innocentij, plures fuisse causas, cur Gregorius IX. diversas res alienas, quæ penes legatarium Episcopum erant, restituendas esse. Prima. Quia Dominus rei cogi non potest, ut rem suam vendat, & legatario juxta defuncti voluntatem tradi permittat. Altera; etsi ordinariè loquendo validum sit legatum rei alienæ, modo, quo dictum est, excipitur tamen, si eæ res legentur, quarum commercium habere non possumus, quia vendi nequeunt, ut sacræ ædes; vel quia non solent vendi, uti sunt forum Romanum, forum Salustiani Cæsaris. *L. cùm servus 39. & constat & §. sivero Salustiani ff. de legat. 1.* Talia autem erant ea, quæ hic legabantur, sepulturæ causâ.

Ob has itaque causas Pontifex examinare noluit, an & quatenus eæ Cæsareæ leges valere deberent, cùm satis manifestum esset, saltem in isto casu, effectum habere non

non posse, sed Episcopum injuriam inferre, atque contra Dei legem peccare, quando res alterius Ecclesiæ prætextu ejus legati detinebat.

CAPITULUM VI.

Si hæredes.

Paraphrasis.

Si hæres justa testatoris implere neglexerit, ab Episcopo loci interdicenda ipsi est omnis res illi relicta, una cum fructibus, & emolumentis, ut hac ratione vota defuncti impleantur.

Summarium.

1. *Hæres voluntatem defuncti implere negligens, quam pœnam incurrat, post judicis admonitionem?*
2. *Ad quem talis hæreditatis emolumenta postea pertineant?*

NOtandum primum. Si hæres voluntatem defuncti implere negligat, post judicis admonitionem, arcendus est ab hæreditate, ita, ut nihil commodi ex rebus defuncti percipiat. Ita explicat *Barbosa hic* & sumitur *ex L. si patroni 55. §. sed si nec ff. ad S. C. Trebellianum.* ubi, cur non videatur indignus, qui destruit supremas defuncti preces, ut consequatur aliquid ex voluntate? Expressius habetur *in authent. hoc amplius C. de fideicommissis & in authent. Ecclesiasticis titulis §. si quis autem pro redemptione &c. versiculo si autem, collatione 9.* ubi indicatur alteram admonitionem permitti debere.

Pro majore intellectu adverte primò. Hæres post aditam hæreditatem, cùm primùm potest, & sine mora legata solvere, & alia jussa exequi debet, atque ad hoc à judice cogi potest. *L. cùm res 47. & L. si domus 71. §. in pecunia ff. de legatis.* 1. Quòd si verò toto anno exequi negligat, pœnam privationis incurrit, uti videre est apud *Sylvest. v. testamentum 2. q. 6. Molin. tra. 2. disp. 251. n. 7. & habetur in cit. authenticis.*

Secundò. Pœna hæc privationis non tantùm hæredi, sed etiam cuicunque executori jure decreta est, si jussa non adimpleant, dummodo de facto, & de jure possibilia sint, quia ratio legis: *si patroni.* generalis est. Et consentit *c. tua 17. & ibi DD. hoc tit. Covar. hic n. 4.*

Tertiò. Pœna privationis ipso jure incurritur, licèt ad ejus executionem judicis declaratione, & condemnatione opus sit, teste *Covar. hic n. 8.* & docui *lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 13.*

Notandum secundum. Judex Ecclesiasticus compellere potest hæredem, & executores alios, etiam Laicos, ad defuncti jussa & legata præstanda, præsertim si pia sint. juxta *authent. de Ecclesiasticis titulis cit. v. si autem & cit. c. tua.* ubi de hoc dicetur.

Quæres; si hæres, vel executor propter negligentiam privatus sit, ad quem executio, & emolumenta proventre debeant. Respondeo, & dico primò. Si testator ipsemet in casu negligentiæ disposuit, aut quempiam substituit, id servari debet, sicuti docet *Sylvest. loc. cit. q. 11.* ubi benè admonet, licèt testator non possit imponere pœnam hæredi, vel executori, cùm in eum jurisdictionem non habeat; posse tamen adimere ipsi sub nomine pœnæ, quæ eidem reliquit. Quare erit hæc pœna veluti conditionalis, quæ etiam in conscientia obligat, uti docui *lib. 3. tra. 4. c. 30. n. 6.*

Dico secundò. Si quidpiam ad piam causam dandum, vel exequendum sit, Episcopus succedit in executione. *authent. licèt c. de Episcopis, & Clericis*, ubi etiam dicitur, quòd Episcopus vindicare possit commoda hæredi, vel executori relicta, quibus ob negligentiam privatus est.

Dico tertiò. In relictis ad causas profanas, cui executio & emolumenta deferri debeant, videri potest *authent. hoc amplius c. de fideicommissis.* & tradit *Imola hic n. 13.*

***

CAPI-

CAPITULUM VII.

Cùm in officijs.

Paraphrasis.

Etsi Charitatis officia ijs ante alios exhibere debeamus, à quibus beneficium accepimus, contrarium tamen agunt Clerici nonnulli, qui cùm multa ab Ecclesijs beneficia acceperint, bona per eam acquisita in alios transferre præsumunt: quia verò id sacris Canonibus prohibitum est, ideò Alexander III. in Concilio Lateranensi *c.* 15. decernit, sive beneficiatij intestati decedant, sive testati, ut bona ea penes Ecclesiam maneant.

Summarium.

1. *Illis, cæteris paribus, benefacere nos oportet, qui in nos præcæteris benefici fuerunt.*
2. *De bonis per Ecclesiam acquisitis testari non potest Clericus.*

1 NOtandum primum. Ijs ante alios benefacere oportet, qui priùs nos beneficijs affecerunt; id enim gratitudinis ratio postulat. Veruntamen hæc congruentia quædam est, non causa adæquata, & principalis, cur beneficiarij Ecclesiasticos reditus, qui ipsis supersunt, Ecclesiæ relinquere, si eos ad causas pias in vita non erogârunt, sicuti iterum dicetur *c. sequente.*

2 Notandum secundum. Clericus de bonis per Ecclesiam acquisitis testari, seu mortis causâ relinquere non potest, quia secundùm Canonum statuta remanere debent penes Ecclesiam, sive beneficiarius decedat testatus, sive intestatus. Ita *hic & in c. sequente c. quia 9. c. relatum* 12. *hoc tit.*

CAPITULUM VIII.

Adhæc.

Paraphrasis.

Tametsi Clerici beneficiarij de rebus mobilibus, quas ab Ecclesia acquisiverunt, testari de jure non possint; tamen in ægritudine constituti, si sui compotes sint, aliqua intuitu eleemosinæ erogare, seu donare moderatè non prohibentur.

Summarium.

1. *In mortis periculo potest ex reditibus Ecclesiasticis superfluis beneficiatus Clericus, moderatas donationes facere in causas pias.*
2. *Et ad multas lites cavendas, ut donationem taliter faciat, si quâ dispositione velit ad causas pias, suadetur.*

NOtandum. Clericus beneficiatus in mortis periculo ex reditibus Ecclesiasticis, qui ipsi supersunt, donationes moderatas in pauperes, vel alias causas pias facere potest. Ita *hic* & tradit *Gl. Abbas, Cœv. & alij in c. præcedente.*

Quæres primò. Quare de hoc dubitatum sit, cùm certum sit Prælatis & aliis beneficiarijs concessum esse, hujusmodi erogationes in pauperes &c. aliàsque causas pias facere, dum in vivis sunt. Resp. rationem dubitandi ortam fuisse *ex regula 34. in 6.* cùm quod unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti: Clerici autem morituri, quibus prohibitum est, mortis causa disponere ad causas pias, possent hoc ipsum in effectu agere per modum donationis, atque eleemosinæ.

Veruntamen hoc non obstante, Pontificales donationes ratas esse ait: nam uti Doctores hîc notârunt circa *Gl. finalem*, ea juris regula vera est, si res, seu effectus secundùm se, & absolutè prohibitus sit, non item, si prohibitus tantùm respectu certi modi. Exempli causâ prohibitum est ex pecunijs elocatis aliquid supra sortem seu capitale accipere per modum usuræ, seu ex vi mutui, licèt alio ex titulo accipi hoc ipsum nihil obstet. Ita verò se res habet in proposito, siquidem erogatio in pauperes ex superfluis reditibus beneficiario morituro non prohibetur secundùm se, & propter se, atque absolutè, sed cum ordine tan-

tantùm ad modum, ne fiat disponendo in tempus mortis, seu post mortem, in quo finita est administratio Clerici, seu jus dispensandi ejus, *argum. L. eum qui 13. ff. de jurisdictione.* ubi dicitur, quòd judex ordinarius non possit delegare, seu jubere alteri, ut judicet eo die, in quo finitum erit officium illius. Ita annotavit *Imola hic. n. 5.* ubi ait, discrimen id esse inter dominum rei, & administratorem, quòd ille dominium absolutum, & de rebus disponendi independentem habeat potestatem; at verò officium administrationis limitatum est, ac dependens, ut ultra vitæ tempus effectum producere non possit.

Corollarium. Consilium & cautio est, sv.g. Abbas aut Rector Ecclesiæ intelligat, quòd aliquis beneficiarius relinquere velit moriturus suæ Ecclesiæ, ut suadeat illi fame donationem absolutam inter vivos, & tam donatam tradat; nam hoc casu non facilè poterit donatio impugnari, dummodo instrumento authentico, vel duobus testibus firmata sit.

CAPITVLVM IX.

Quia.

Paraphrasis.

Tametsi Clerici de his, quæ ex paterna successione, vel cognationis jure, aut artificio suo, vel donatione consanguineorum & amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, ad ipsos pervenerunt, liberè mortis causâ disponere possint, de ijs tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt testamentum.

Summarium.

De quibus bonis Clerici testari possint.

NOtandum. Clerici de bonis non profectitijs ab Ecclesia, libere disponere possunt, seu inter vivos, seu mortis causâ, non autem de ijs bonis, quæ ex Ecclesiasticis titulis perceperunt, aut quæ ipsis Ecclesiæ intuitu donata, aut relicta sunt.

Coroll. Cùm Clericis libera disponendi facultas data sit de ijs, quæ industriâ acquisiverunt, valde probabilis est sententia multorum, quam etiam *Imola hic* tenet *in fine cap.* quæ Clerico pro Missis v.g. celebrandis donantur, tanquam vitæ stipendia; item beneficiales reditus, quatenus justum stipendium non excedunt, absoluto jure ad beneficiarium spectare, ut liberè disponere possit. Sicuti ex communi docui *lib. 4. tra. 2 c. 3. n. 2.* Veruntamen per consuetudinem, per quam jus constitui potest, in pluribus Ecclesijs contrarium introductum est, ut, tametsi constet, bona, quæ beneficiarius reliquit, non ex redituum Ecclesiasticorum abundantiâ, sed per parsimoniam ejus, ac veluti industriam acquisita fuisse, hæredibus, seu ab intestato, seu ex testamento non permittantur, sed Ecclesiæ applicentur.

CAPITVLVM X.

Cùm esses.

Paraphrasis.

Episcopus Hostiensis Alexandro III. proposuit consuetudinem vigere in diœcesi sua, ut testamenta, nisi septem, aut quinque testium subscriptionem habeant, penitùs rescindantur, sicuti lege Cæsarea decretum est: ad hoc respondet Papa, quia id à divina Lege, & SS. Patrum institutis, & generali Ecclesiæ consuetudine, alienum est, eò quòd scriptum sit in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, se improbare consuetudinem illam, & decernere, ut testamenta, quæ parochiani coram parocho suo, & tribus, vel duabus alijs idoneis personis per modum ultimæ Voluntatis fecerint, firma permaneant, sub anathematis commination prohibens, ne quisquam talia testamenta rescindere audeat.

SUMMARIUM.

1. *Latè nonnunquam accipitur nomen testamenti, pro quavis mentis Testatione.*
2. *Ad valorem testamenti, quot testes requirantur in territorio temporali Romani Pontificis.*

1 NOtandum primum. Nomen Testamenti interdum latè accipitur pro quavis mentis testatione, quæ mortis causâ fit. Ita sumitur ex hoc *c.* siquidem de ultima Voluntate generatim legibus Cæsareis statutum est, ut vel 7. testes adhibeantur, si sit testamentum legale, & propriè dictum, in quo hæres institutus sit; vel quinque testes, si sit ultima dispositio, videlicet codicillus, aut mortis causâ donatio. Vide, quæ dixi *lib. 3. tra. 4. c. 12. n. 4. & tra. 5. c. 1. & 8.*

2 Notandum secundum. In locis temporali jurisdictioni Romani Pontificis subditis sufficit ad valorem testamenti, si duo testes unà cum Parocho adhibiti sint. Hic est fermè communiter receptus hujus cap. intellectus, sicuti docui *cit. tract. 5. c. 2. infine.*

Pro majore intellectu adverte primò. Testes in testamento, seu ultima Voluntate requisitos esse de forma substantiali, & non tantùm probatorios, sicuti hîc rectè docet *Covar. n. 8.* nam spectato jure naturali ac gentium ad actûs probationem sufficiunt duo testes: cùm itaque præter eos etiam Parochus requiritur, signum est, præsentiam testium etiam in foro Ecclesiæ requiri ceu formam substantialem; adeò, ut si Testamentum coram duobus, aut tribus testibus sine parocho conditum sit, pro irrito haberi debeat, & si alioquin de defuncti Voluntate non dubitetur: secùs est, si quatuor testes adhibeantur, nam duo testes supplent vices unius, quantumcunque maximæ sint auctoritatis, ait *Covar. hic n. 14.* & simile quid de duobus testibus vicem tabellionis supplentibus dixi in materia de testibus.

Adverte secundò. Pontificem hîc satis significare, quòd Clerici aliarum omnium Ecclesiarum possint se conformare huic decreto, ita, ut eorum testamenta etiam in terris Imperij secundùm formam hic traditam tuta censeri debeant. Sicuti docet Card. *Tusc. v. testamentum. q. 57. n. 3.* Verumtamen in hac re attendi debet ad consuetudinem locorum, sicuti monuit *Molin. de Just. tom. 2. tract. 2. disp. 133. n. 7. in 2. tra* juxta quam recipiendum est, ut testamenta, & aliæ ultimæ dispositiones à beneficiarijs factæ, ad causas pias profanas, secundùm jus Cæsareum regulari debeant, & ideò nisi septé aut quinque testes, aliásque solemnitates habeant, irrita haberi possint, eò quòd rectæ rationi contrarium non sit, si in causis his, suapte natura politicis, Clerici se conforment legibus secularibus locorum, in quibus ut incolæ & cives versantur. Sicuti docui *lib. 1. tra. 6. 13.*

CAPITULUM XI.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Quidam Judices, quando circa Testamenta, seu ultimas voluntates, in quibus clesijs relictum aliquid fuit, controversiæ motæ sunt, pro valore Testamentorum, seu ultimarum voluntatum dicare non solebant, nisi septé aut quinque idonei testes adhibiti essent, id Alexander III. reprobans ait, cùm earum causæ non secundùm leges, sed secundùm Canones tractari debeant, ad secundùm Scripturam factam duo, vel idonei testes sufficiant, id judicibus clesiasticis esse sequendum, ut in ejusmodi Testamentis, sive ultimis Voluntatibus plus non requiratur.

SUMMARIUM.

1. *Ultimæ Voluntates ad pias causas non sunt examinandæ ad rigorem legum civilium, sed secundùm benignitatem Canonicam.*

2. Di-

2. *Possunt tamen beneficiati, si velint, ad pias causas testari, ex statutis synodalibus, juxta certum numerum testium.*

1 NOtandum. Testamenta, & aliæ ultimæ Voluntates, circa ea, quæ Ecclesijs, sive in pias causas relicta sunt, à judicibus non secundùm leges civiles, sed secundùm sacros Canones examinari, & judicari debent. De hac re dixi *lib 3. tra. 5. c. 2.*

Hinc inferunt Doctores *Bartolus in L. 1. n. 6. C. SS. Ecclesijs. Baldus in L. generali. C. eodem. Imola hic n. 9. Abbas n. 3. Covar. n. 4. & alij plerique*, in Testamentis aliisque ultimis Voluntatibus, quæ sunt ad pias causas, nullam omninò juris civilis solemnitatem requiri, sed id solùm, quod de jure naturali, & gentium exigitur, videlicet, ut de Voluntate testatoris constet, seu per duos testes, etiamsi rogati non sint, nec masculi, dummodo alioquin idonei, & non suspecti: sive per scripturam, aut subscriptione testatoris, seu per confessionem hæredis &c. Sed nec opus esse ad valorem legatorum piorum, ut hæreditas adita sit, rectè ait hîc *Abb. n. 6.* cùm & hæc civilis juris solemnitas sit, quòd legata non debeantur, hæreditate non adita, aut nullo existente hærede.

Sumitur hæc doctrina ex isto *cap.* quando generatim dicitur, testamenta ad pias causas non secundùm leges civiles judicanda esse: itaque sublata est omnis solemnitas. Quam esse communem sententiam, in terris Imperij receptam, testatur *Clarus v. Testamentum q. 6. n. 1.* Etenim Testamenta & ultimæ Voluntates, quatenus ad piam causam tendunt, inter Ecclesiasticas causas numerantur, de quibus civilis magistratus decernere non potest, præsertim in præjudicium Ecclesiarum *c. Ecclesia 10. de constitutionibus.* At verò, quoad executionem, & compulsionem, si hæres executor, aut hæreditatis possessor Laicus sit, causam hanc esse mixti fori, ut tam Ecclesiasticus, quàm secularis judex ad præstationem piorum relictorum cogere possit, docet *hic Imola n. 9. Abb. n. 8. Covar. n. 1.*

Id moneo. Nihil obstare, quò minùs per 2 synodale diœcesis statutum decernatur, ut beneficiarij etiam ad pias causas testari non possint, nisi cum tanto numero testium, vel obsignationibus &c. cùm enim spectato jure communi ipsis omnis ex Ecclesiasticorum titulorum bonis acquisitis, etiam ad pias causas, testandi facultas adempta sit, ideò per tale statutum, quo libera per consuetudinem introducta testandi licentia restringitur, nihil contra Canones agi manifestum est.

CAPITULUM XII.

Causa.

Paraphrasis.

Cùm in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. suprà *in c. cùm in officijs hoc tit.* statutum fuerit, ut bona per Ecclesiam acquisita, ad eandem per mortem Clericorum devolvantur, dubium ortum est, num id tantùm de immobilibus, an etiam mobilibus intelligatur. Respondet Papa, de omnibus esse accipiendum. Porrò nomine Ecclesiæ, ad quam bona devolvi debent, non Episcopus, nec successor morientis, ubi collegium Clericorum est, sed conventus, seu congregatio intelligitur, quæ rerum istarum distributionem, & curam habere debet: quando autem nullo existente Collegio, successor substituendus est, tunc bona relicta, sicuti & bona Ecclesiæ, is ipse in Dei timore dispensare debet: tametsi verò bona mobilia, ab Ecclesia profectitia, morituri arbitrio transferri non possint in alios, tamen consuetudo non irrationabilis obtinuit, ut aliqua ex dictis bonis pauperibus, & locis religiosis, iisque, qui morituro servierant, seu consanguinei sint, seu alij, juxta merita eorundem conferantur. Cæterùm quæ Clericus

hæreditate, artificio, aut doctrina acquisivit, ea arbitrio decedentis distribuuntur: quia verò aliqui sunt, in diversis Ecclesijs beneficia possidentes, eorum mortuorum bona profectitia inter easdem Ecclesias juxta proportionem redituum, seu proventuum, debent dividi.

SUMMARIUM.

1. *Inter Clericos beneficiatos alij administrationem habent, alij simplicem tantùm præbendam.*
2. *Ad quem devolvantur bona profectitia Ecclesiæ, si beneficiarius administrationem habens moriatur.*

1 NOtandum primum. Quæ beneficiarij non tantùm, qui administrationem habent, sed etiam, qui simplicem Canonicatum, intuitu Ecclesiæ, vel ex titulis Ecclesiasticis colligunt, ea Ecclesiæ remanere debent, sive sint immobilia, sive mobilia, & ideò de ijs bonis liberè testari non possunt.

Notandum secundum. Inter beneficiarios alij sunt, qui administrationem, & curam Ecclesiæ, Capellæ, vel altaris habent; alij verò, qui administrationem nullam habent, quibus portio aliqua Capitularium bonorum præbetur. Hanc distinctionem sumptam *ex hoc cap.* videre potes *in Gl. c. ult. v. reservari de officio ordinarij in 6.*

2 Notandum tertium. Si Prælatus, Rector, aliúsve beneficiarius administrationem habens moriatur, bona ejus profectitia, spectato communi jure, devolvuntur ad successorem, non ut ijs ad libitum utatur, sed tanquam administrator fidelis, dispenset; sin autem Canonicus, seu aliquis ex Collegio præbendarius, moriatur, bona ejus devolvuntur ad Capitulum, ut ea, vel distribuat inter singulos, vel in communi massâ ad futuras necessitates servet. Ratio est, cùm enim bona hæc ad Ecclesiam redeant, dari debent illi, qui bonorum Ecclesiæ administrationem, & curam habet; talis autem est Prælatus, Rector &c. in Canonicatibus autē & Collgijs eorum non singuli Canonici, sed Capitulum administrationem, & curam bonorum communiter habet.

Notandum quartum. Permissum est beneficiarijs, ut ex restantibus profectitijs bonis mobilibus moderatas eleemosinas, & donationes remuneratorias ante mortem faciant. Idem habetur *in c. ad hæc 3. hoc tit.*

Notandum quintum. Si plurium Ecclesiarum beneficiarius sit, ejus mortui bona profectitia dividenda sunt inter Ecclesias vel successores in administratione, secundùm proportionem, ita, ut si abundanti Ecclesia duplo plus proventuum accepit, ejus duæ partes proveniant ex bonis relictis, & altera pars tertia; præterquā si constet, quòd bona residua profecta sint ex una Ecclesia, illi verò proventus, quantumvis abundent in ejus loci pauperes, Ecclesiæ fabricam &c. à beneficiario insumpti sint. Vide *hic dict. n.* 11.

CAPITULUM XIII.

Cùm tibi.

PARAPHRASIS.

Si quis decessurus voluntatem suam ultimam Titij amici sui dispositioni committat, non videtur decedere intestatus.

SUMMARIUM.

Qui decessurus alterius arbitrio dispositionem bonorum suorum committit, de jure Canonico ad pias causas testari videtur.

NOtandum. Secundùm Jus Canonicum, si quis decessurus dispositionem bonorum alterius committat arbitrio, ita bona sua omnia censetur ad pias causas relinquere, secundùm alterius à se nominati liberam distributionem. Ita intelligit *Abbas, Abb. Covar. & alij, Bartolus in L. 1. c. de SS. Ecclesijs. Clarus v. testamentum. q. 1. n. 6.* Ratio est, nam ultima Voluntas ita intelligi debet, ita, ut valeat potiùs, quam pe-

pereat, *argum.* L. *Scævola 76. ff. ad S.C. Trebellianum*; dispositiones autem ultimæ, si in tertiæ personæ voluntatem, & arbitrium referantur, irritæ censentur, quoad civiles Leges L. *ita 32. ff. de hæredibus instituendis.* ideò, ne omninò intercidat dispositio, explicari debet, quòd defunctus voluerit in pias causas bona devolvi, secundùm electionem, & arbitrium Titij: id enim fieri potest, cùm hæ causæ civilium legum solemnitatibus subditæ non sint, & ideò secundùm istum intellectum voluntas testatoris consistat, sicuti dictum est in *c. cùm estis.* Accedit, si alterius personæ arbitrio aliquid committatur, quòd ea ita debeat arbitrari, sicuti quilibet vir prudens arbitraretur, sive quod optimum, & consultissimum videri debet *L. fideicommissa 11. § quamquam ff. de legatis tertiò.* optimum autem defuncto & prudentissimè factum erit, si Titius, cujus arbitrio dispositio bonorum commissa est, ea in pauperes, & alias causas pias pro salute animæ ejusdem defuncti distribuerit.

CAPITULUM XIV.

Officij.

Paraphrasis.

In hoc cap. Innocentius III. tria asserit; primum. Si testator portionem aliquam Episcopo legavit, hac conditione, ut is eâ contentus, portionem canonicam, sive quæ ipsi secundùm Canones ex funeralibus, & similibus legatis deberur, petere nolit, Episcopus autem portionem sibi tali pacto legatam acceptavit, tunc portionem canonicam petere non potest. Ratio dari debet, quia juri suo, ac favori quilibet renunciare potest. Alterum, si Episcopus portionem, quæ ipsi absolutè legata fuit, acceptavit, tunc portionem canonicam ex legatis, & funeralibus, nihilominus petere potest. Ratio est, quia hæc duo rectè simul consistunt, ut Episcopus portionem unam accipiat ex voluntate testatoris; alteram verò ex constitutione Canonis, & à legatarijs Ecclesiæ, consequenter dum unam portionem Episcopus acceptat, alteri renunciare non censetur, cùm renunciatio stricti juris sit, neque sine necessitate colligenda. Confirmari potest *ex* L. *unicâ §. primum verò sciendum. 6. de rei uxoriæ actione.* Ubi dicitur, si maritus absolutè legaverit, quòd censendus non sit, reliquisse animo compensandi dotem, quæ ipsi soluto matrimonio ex Lege restitui debet, præterquam si id testator exprimat. Tertium Si testator plura reliquerit Ecclesijs tali verborum conceptione, juxta quam Episcopo portio canonica non debetur, constet autem id ipsum egisse in fraudem, tunc Episcopo portio Canonica nihilominus danda est. Ita hoc membrum intelligit *Innoc.* & habetur expressiùs *in c. ult. hoc tit.*

CAPITVLVM XV.

Requisisti.

Paraphrasis.

In hoc c. Innocentius III. asserit primò. Ex ijs, quæ pro salute animæ Ecclesijs, aut pijs locis legata, vel mortis causâ donata sunt (mortuaria vocari solent) Episcopus portionem, quæ est quarta, quibusdam in locis tertia pars, secundùm Canones vindicare potest. Ita etiam habetur *in c. conquerente 16. de officio ordinarij.* Ratio est, quia Episcopus est caput Ecclesiæ sibi subditæ, & ideò pars aliqua ad ipsum spectare debet ex ijs, quæ Ecclesiæ relinquuntur. Habet autem id locum non tantùm, si Cathedrali Ecclesiæ relictum sit, sed etiam si inferioribus Ecclesijs, cùm & earum ordinarius pastor sit *c. cùm Episcopus 7. de officio ordinarij in 6.* Portò hanc quartam mortuariorum, sicuti & decimarum quartam pluribus in locis

abolitam esse per consuetudinem, dixi *in cit. c. conquerente. & lib. 3. tra. 5. c. ult. n.* 13. Videri potest *Trident. sessio n. 25. c. 13. de reformatione.* Secundò ait. Si quidpiam legatum, aut mortis causâ relictum sit Episcopo (vel alteri Prælato, seu administrationem habenti) censeri debet legatum pium, ita ut intuitu Ecclesiæ relictum fuerit, & ita portio aliqua Ecclesiæ Cathedralis debeatur. Excipitur, nisi conjecturæ sint in contrarium, ut quia propinquus Episcopo, alteríque Prælato relinquit, tunc personæ, & non intuitu Ecclesiæ reliquisse censendus est. Quamvis & hæc præsumptio juris quidem sit, non tamen de jure, sed talis, ut per contrarias majores conjecturas superari possit, atque ostendi, quòd etiam propinquus, aut valde amicus Episcopo, vel Prælato, contemplatione Ecclesiæ, reliquerit, ut etiam sumitur *ex c. litteras 13. de præsumptionibus.* Porrò, quæ hîc dicuntur de relictis, aut donatis mortis causâ, eadem pari ratione locum habent in donatione absoluta, seu inter vivos, uti *hîc Abb. n.* 24. notavit. Tertiò. Si quid Episcopo relictum, aut mortis causâ donatum sit, nulla ejus portio debetur Ecclesijs inferioribus, seu non Cathedralibus, tametsi vice versa, si inferiori Ecclesiæ aliquid relictum sit, portio debeatur Episcopo. Quartò. Testator non potest Ecclesiæ ea conditione relinquere, ut Episcopus portionem Canonicam inde non accipiat. Ratio est, quia hæc portio, ex Legatis pijs, factis Ecclesiæ, Episcopo debetur per publici Canonis auctoritatem, juri autem publico hominis dispositio derogare non potest. *argu. L. jus publicum 38. ff. de pactis*, & notavit *Imola hîc n. 6. Abb. n.* 22. ubi eadem ratione ait, fundatorem non posse statuere, ut electio, confirmatio, aut institutio ad alium pertineat, quàm secundùm Canones pertinere debet. Veruntamen Episcopo nihil prohibet legari, aut donari, ita ut ejus proprium sit, & ad Ecclesiam ipsius nihil pertineat, nam sicuti cuilibet alteri relinqui potest, ita etiam personæ Episcopi. Adde *cum Gl. hîc V. necessi.* quòd simili ratione Canonicis, seu capitularibus omnibus seorsim, & personaliter relinqui possit, ita, ut Episcopus portionem non habeat, dummodo id non fiat in fraudem; sin autem Canonicis conjunctim, seu Capitulo relinquatur, tunc Ecclesiæ, seu corpori Ecclesiæ relictum videri debet, ideóque Episcopus, propter unionem capitis cum corpore, portionem habebit. Ita *Imola hîc n.* 30. & videri potest *Gl. in c. pueri fices. causa.* 12. q. 3. eâque simili ratione dicitur *in L. 2. ff. de rebus dubijs.* si quid civibus (conjunctim intelligi non personaliter, & disjunctim) relictum sit, civitati, seu universitati relictum censeri. Vide *Bartolum ibidem* in hoc nostrum Capitulum explicant. Quintò, ait, si quidpiam beneficiato cuilibet non habenti administrationem mortis causâ relinquatur, v. g. Canonico Titio, censetur esse certum personæ non intuitu Ecclesiæ: quare Ecclesia, dum Canonicus vivit, nihil ex eo petere potest, sed post mortem, si intestatus decedat, & consanguineos non habeat, in hoc, sicuti & in alijs bonis Ecclesia succedit *c. 1. de successione ab intestato. nlt. causâ 12. q.* 5. Ideò autem de laicularibus beneficiarijs, qui propria habere possunt, sermo hic est, nam, quæ religiosis donantur, aut causâ mortis relinquuntur, ea monasterio acquiruntur. *L. Deo nobis C. de Episcopis, & Clericis.*

CAPITULVM XVI.

Raynutius.

Summarium.

1. *De varijs modis instituendi, & substituendi.*
2. *Hæres per fideicommissum gravatus, alteri*

alteri hæreditatem restituens, Trebellianicam detrahit.

3. *Hæredi necessariò debetur legitima ante omnia detrahenda, & nulla conditione gravanda.*

4. *Et probabiliter etiam Trebellianica.*

1 PRo intellectu Capituli hujus advertendum est primò. Verba, quibus per ultimam voluntatem quidpiam relinquitur, aliqua sunt directa, sive civilia, quia significat testator, velle se eum, cui relinquitur, directè, & immediatè, sine alterius intermediæ personæ ministerio, capere, v.g. hæres meus esto Sempronius, vel instituo Sempronium. Aliqua verò sunt indirecta, seu obliqua, quia ijs significat testator, velle se eum, cui relinquit, capere per ministerium hæredis, alteriúsve personæ intermediæ, v.g mando, jubeo, rogo hæredem meum, legatarium meum &c. Et hoc est fideicommissum, seu universale, quod consistit in hæreditate, aut parte hæreditatis restituendâ alteri per hæredem; seu particulare fidei commissum, quod consistit non in universitate bonorum, sive hæreditate totâ, aut partiali, sed in re particulari unâ, vel pluribus, quas hæres, aut legatarius jussus est alteri dare. Denique alia verba communia sunt, quæ tam directam, quàm indirectam, seu fidei commissariam institutionem significare possunt, cujusmodi est ipsum verbum, *relinquo*, item verbum *substituo*, cùm indifferens sit ad substitutionem directam, & substitutionem indirectam, sicuti explicavi *lib. 3. tit. 5. c. 9. & 10.* Item si dicat testator, si hæres institutus moriatur, Cajo, seu in commodum Caij, verba censeri debent communia, uti dicam *c. 1. hoc tit. in 6.* Vide *L. quoniam 15. C. de testamentis.*

Adverte secundò. Non ita ad verba, quibus testator usus fuit, directis, an obliquis, attendendum est, ut non præferenda sit perspecta voluntas testatoris, quibuscunque verbis expressa *cit. L. quoniam.* Quare si dicat: mando, ut Titius hæres meus sit, directa est institutio; item si dicat, relinquo omnia bona Titio, ut videre est *in hoc cap.* & testatur *Abb. n. 7.* quòd verbum *relinquo* adjectum universitati bonorum importat hæredis institutionem. Idémque sentiendum de verbo *lego*, ut si dicat, lego omnia bona mea Titio, censetur institutio hæredis, non legatum, teste *Abb. in c. Rainaldus n. 5. hoc. tit. argum. ejus textus.*

Adunt tertiò. Si Titius moriatur habens ascendentem v.g. matrem, & descendentes videlicet filios, aut nepotes, communi jure Cæsareo mater non est hæres necessariò, seu ab intestato, sed liberi. Verùm jure Longobardorum ascendenti debetur tertia hæreditatis pars, sive triens. Quòd si Titius moriatur habens uxorem & liberos, uxori necessariò, & ab intestato nihil debetur, sed jure municipali quandoque debetur æqua pars cum filijs, jure Longobardorum debetur tertia pars, seu triens.

Adverte quartò. Substitutionis plures species sunt, uti dicam latiùs in *c. 1. hoc tit. in 6.* est enim substitutio alia vulgaris: instituo hæredem Titium, si is hæres non erit, hæres sit Cajus. Alia est substitutio reciproca: instituo hæredes Titium, & Cajum, & ipsos invicem substituo. Alia verò est substitutio compendiosa, videlicet: instituo filium hæredem, si is decesserit, aut quandocunque decesserit, substituo Cajum; si enim filius non aditâ hæreditate decesserit, erit substitutio vulgaris, seu, ut clariùs dicam, Cajus ex vulgari succedet. Sin autem idem filius post aditam hæreditatem decesserit impubes, succedet ex pupillari; si denique decesserit post pubertatem, succedet Cajus ex substitutione obliquâ, seu fideicommissariâ.

Quintò. Si hæres per fideicommissum 2
gravatus sit hæreditatem alteri restituere, ne frustrà hæres sit, partem quartam hæreditatis, quæ Trebellianica dicitur, deducere potest. Quemadmodum & de legatis solvendis hæres deducere potest quartam partem, quæ Falcidia dicitur, si alioquin legata hæreditatem ita exhaurirent, ut quar-

quartam partem hæreditatis non assequeretur. Quæ in his advertendis dixi, legi possunt *Institutis de vulgari substitutione*, & *tit. de pupillari substitutione. tit. de fideicommissarijs hæreditatibus. tit. de Lege Falcidia ff. de vulgari, & pupillari substitutione. ff. & C. ad S. C. Trebellianum ff. & C. ad legem Falcidiam. C. de impuberum, & alijs substitutionibus.*

3 Adverte sextò. Si hæres necessarius, sive sit descendens, sive ascendens, gravatus sit hæreditatem restituere, ante omnia legitimam partem, videlicet tertiam hæreditatis (imò verò semissem, si multi liberi sint) inde deducere potest, quia legitima hæreditatis debetur sine ulla conditione, onere, aut gravamine, ut hîc dicitur, & in *L. quoniam 32. ff. de inofficioso testamento*, & quidem jure, ac titulo institutionis hæreditariæ. *Authent. ut cùm de appellatione cognoscitur §. aliud quoque coll. 8.* Quòd si minus legitima portione relictum sit filijs, non possunt testamentum impugnare, sed debent agere ad supplementum legitimæ *L. omnimodo. 30. C. de inofficioso testamento.* Dixi de hac re *lib. 3. tra. 5. c. 5. n. 9.* Videri etiam potest *c. 9. ejusdem tractatûs.*

4 Adverte septimò. Si filius gravatus sit hæreditatem restituere sub conditione, videlicet si sine liberis decesserit, tum non tantùm legitimam subducere potest, sed etiam Trebellianicam. Ita *hic & infrà in c. Raynaldus.* & docui *cit. c. 9. n 2.*

Adverte ult. Licèt ordinariè loquendo, si testator rem certam, v. g. domum relinquat, censeatur esse legatum præstandum ab hærede: excipi tamen debet, nisi sit hæres necessarius, cui res certa relinquitur, tunc enim, ne testamentum corruat, dicendum, rem eam, non ut legatum, sed tanquam partem hæreditatis, jure institutionis relictam esse, uti colligitur ex hoc *c. & c. 1. eodem tit. in 6.* & esse communem sententiam testatur Gl. *Marginalis in Authent. novissimâ Lege V. titulo C. de inofficioso testamento. & Authent. ut cùm de appellatione c. 5. coll. 8. junctâ Gl. marginali.*

CAPITULUM XVII.

Tua.

Paraphrasis.

Intellexit Gregorius IX. quòd aliqui ex Religiosi, tum Clerici sæculares, acce Laici pecunias, & alia bona, quæ ab pis secundùm ultimas defunctorum v luntates, ad pios usus expendi deberen alijs usibus applicent; cùm autem a omnibus pijs testamentis, seu ultimis v luntatibus per locorum Episcopos pro videndum sit, ut secundùm defunctor rum voluntatem omnia peragantur, non obstante, quòd testatores voluerint, & inhibuerint Episcopis, ideò mandat Pap Episcopo, ut dictos executores pravia monitione compellat ad bona relicta a dictos pios usus expendenda.

Summarium.

1. *Hæres, vel executor testamenti cui relicta ad piam causam, si certa bo sint, non potest voluntatem defuncti mutare.*
2. *Potest Episcopus compellere executo ad exequendam ultimam defuncti voluntatem.*

NOtandum primum. Hæres vel executor testamenti relicta ad certum usum non potest ad alium, quamvis meliorem aut magis pium usum applicare, cùm ultima defuncti voluntas, dummodo ea possibilis sit, & non inhonesta, omnimodè servari debeat. Ita sumitur *ex hoc c.* & tradit ex communi *Mol. disp. 249. n. 3. & 5. Abb. hic n. 4.* ubi ait, quòd nec Episcopus ultimas voluntates, & fundationes mutare possit, cùm id Principi reservatum fit. *Clemen. quia contingit, de Religiosis domibus* L. *legatam 4. ff. de administratione rerum &c.* Quamvis aliqui Episcopo hanc tam

tiam commutandi tribuant apud *Sylv. V. legatum 4. q. 12.* & dixi de hoc *lib. 4. tra. 2. c. 13. n. 14.*

Notandum secundum. Episcopus compellere debet executores testamentorum ad exequendas ultimas pias voluntates. Ita etiam habetur *in c. 3. & c. 6. hoc tit.* Putat verò *Gl. hic v. pijs*, quòd in causis profanis Episcopus se immiscere non possit, si testator Laicus sit ; sed contrarium docet *Gl in cit. c. 6. V. ab Episcopo*, quæ magis communiter recepta est à Doctoribus (quamvis non ubique in praxi servetur) tametsi publicatio testamenti, si testator Laicus sit, ad judicem tantùm sæcularem pertineat, tamen compulsionem ad exequendum circa pia, & profana relicta esse mixti fori, & dari locum præventioni, eò quòd defunctus, cùm pro se agere non possit, inter miserabiles personas numeretur, quarum causa ad Judicem etiam Ecclesiasticum spectat.

His adde primò. Quòd Episcopus curare etiam debet, ut, quæ ad pias causas inter vivos donata sunt, executioni mandentur, juxta *Trident. sess. 22. c. 8. de reformatione*, ubi additur, quòd Episcopi jus habent visitandi hospitalia, & confraternitates omnes pias, & consequenter exigendi rationem administrationis.

Adde secundò. Si commutationes ultimarum voluntatum fiant à Sede Apostolica, quòd Episcopi tanquam delegati ejusdem Sedis cognoscere debeant, in impetratione nihil subreptionis contigisse, priusquam commutationes executioni mandent. *Trident. sess. eadem c. 6. reformationis.*

Adde tertiò. Si dispositio pia defuncti executioni non mandetur, quilibet è populo querelam deferre potest ad Ecclesiæ Prælatum, vel judicem loci sæcularem, si executor Laicus sit. *L. nulli 29. in fine. C. de Episcopis.*

Notandum tertium. Etsi testator prohibeat, ne hæredem, aut executorem negligentem Episcopus compellat, nihilominus tamen compellere potest, quia persona privata non potest tollere, aut impedire juris publici dispositionem, uti suprà dixi *c. requisisti 15. not. 4. hoc tit.* Sin autem prohibeat, ne Episcopus se immisceat exequendo, tum refert, num testator alium in casu negligentiæ substituerit executorem, & valet dispositio, seu prohibitio; an nullum substituerit, tunc pro non adjecta habetur, *teste Abb. hic. n. 6. Mol. disp. 251. n. 9.*

CAPITULUM XVIII.

Rainaldus.

Paraphrasis.

Pepo Filium Rainaldum hæredem instituit, ita ut si absque liberis masculis decederet, patruis suis hæreditatem restitueret; mortuo Pepone inter Rainaldum, & patruos super bonis hæreditatis controversia mota est, in qua ipsi in tres arbitros compromiserunt, sed uno mortuo duo alij (quia ex forma compromissi poterant) procedentes arbitrati sunt, sed perperam, & imperitè, uti ex textu apparet. Porrò Rainaldus prole destitutus testamentum fecit, in quo medietatem partis sibi ex bonis paternis competentis legavit avunculis suis, aliam medietatem uni patruo (alij patrui fortè mortui fuerunt) & filijs ejus reliquit, eo adjecto, ut si patruus, & filij impedirent legatum avunculorum, bona, in quibus sibi hæredes essent, ad eosdem avunculos secundùm ratas portiones devolverentur. Post mortem Rainaldi, cùm patruus hæreditatem adijsset, contra eum, & filios ejus, avunculi coram Judice litem moverunt, petentes legatum suum : sin autem patruus, & filij illud detinerent, & dare nollent, tunc restitui sibi volebant, quæcunque ex testamento Rainaldi ad illos pervenerunt, aut pervenire potuerunt : Judex tamen absolvit patruum, & filios à dando legatum (secutus videlicet imperitorum arbitrorum pronuntiatum) & nihilominus illos condemnavit,

vit, ad bonorum aliorum restitutionem, secundùm formam testamenti. Ab hac sententia pars utraque appellavit ad Papam, petens, ut, quatenus contra se lata sit, sententia, infirmaretur, & quatenus pro se lata, executioni mandaretur; Causam proinde commisit Papa Gregorius IX. Cardinali; is consideravit, quòd Rainaldo ex bonis patrijs tertia pars, jure naturæ, debita fuerit, in qua gravari non potuit; insuper, quòd ex reliqua, seu restante hæreditate, quartam Trebellianicam, sicuti quilibet alius restituere gravatus, deducere potuerit, consequenter, quòd ex ijs partibus, quæ simul faciunt semissem hæreditatis, avunculis suis validè potuerit legare. Eapropter Cardinalis pronuntiavit, judicem in eo, quòd patruum confitentem se medietatem legati avunculorum possidere, absolvit, perperam judicâsse; in reliquo autem ejusdem judicis sententiam confirmavit. Porrò in eo, quòd idem judex patruum, & filios totaliter in ijs, quæ in secundo articulo, videlicet circa pœnam, à testatore appositam, petita fuerunt, condemnavit, malè eum pronuntiâsse decrevit, quandoquidem filij nihil contra defunctum commiserunt, quia nihil ex ijs, quæ petuntur, possederunt, sed quoad portionem, quam patruus habuit, confirmavit ejusdem judicis sententiam. Eundem patruum, & filios ejus in residuo absolvens, salvo nihilominus manente ipsi patruo beneficio Legis Falcidiæ, circa restitutionem partis legati à se detentæ, & possessæ, dummodo intra tempus legitimum paruerit, restituendo legatum, eò quòd inventarium confecerit, atque etiam contra voluntatem testatoris lex Falcidia locum habeat.

Summarium.

1. *Hæres, si inventarium conficiat, quando detrahat Falcidiam?*
2. *Etiam ex donationibus mortis causâ factis?*

NOtandum primum. Testator hæredi non necessario pœnam privationis imponere potest, nisi legata, & alia justa exequatur, atque insuper disponere, ad quem commoda, quæ hæredi (aut alteri executori) propter negligentiam tolluntur, pervenire debeant.

Notandum secundum. Hæres si inventarium confecit, saltem quartam partem hereditariæ suæ portionis retinere debet, ita ut ea legatis exhauriri non possit, sed deductum quadrantem ex ijs deducendi jus habeat. *tit. ff. & C. ad legem Falcidiam, de stitutis de Lege Falcidia.*

Excipitur primò. Nisi testator prohibuerit, ne Falcidia detrahatur, *Authent. cum C. eodem.* Idémque pari ratione de Trebellianica sentiendum, uti dicam *n. 1. eodem in 6.* Neque obstat, quòd hic dicitur deductioni Falcidiæ locum non esse contra testatoris voluntatem, Respondetur enim *ex L. Titia 86. ff. eodem ad L. Falcidiam*, Falcidiam non ex voluntate defuncti, sed potiùs contra eam, ex Legis dispositione introductam esse, quandoquidem testator significat, legatario totum dandum esse, prout maximè apparet in casu nostri *cap. V. quacunque occasione testamenti* &c. nihilominus verò ex vi Legis deductio fit, nisi testator expressè prohibuerit. Excipe secundò. Quòd in Legatario Falcidiæ locus non est, *Authent. similiter C. ad Legem Falcidiam*, & idem de Trebellianica sentiendum esse, est communior Doctorum sententia apud *Covar. hic §. 3. n. 7.* Excipe tertiò. Si alicui res legata sit eo modo, ut non alienetur, sed maneat apud hæredes, Falcidia deduci non potest *Authent. sed & in ea C. eodem.* Idem quoque de Trebellianica dicendum, cùm in jure æquiparetur, uti videre est apud *Molin. tract. 2. disp. 187. n. 28.* Excipe quartò. Si hæres à judice admonitus per annum jussa testatoris non exequatur, amittit jus Falcidiæ *Athen. de hæredibus, & Falcidia, §.*

his igitur. & sequentibus. Plura vide apud *Molin. cit. loc.*

1 Duo adde, primum. Non tantùm ex Legatis, sed etiam donationibus mortis causâ factis Falcidiam deduci posse. L. *si mortis 5. & L. penult. C. eodem* L. 2. *ff. de mortis causâ donationibus.*

Alterum. Modus detrahendi Falcidiam traditur *in §. quantitas §. cùm autem Inst. de* L. *Falcidia, &* L. *in imponenda 6. C. eodem.* hæreditatis, ac patrimonij defuncti quantitatem considerandam esse secundùm tempus mortis, ita, ut sive aucta sint bona, jacente hæreditate, sive diminuta, nihil id prosit, aut obsit hæredi; postea deducitur æs alienum defuncti, cùm neque legata debeantur, nisi ære alieno deducto L. *successores C. eodem.* Deinde deducuntur funeris impendia *cit. §. cùm autem* & quidquid hæres ratione testamenti, videlicet in ejus insinuatione, conficiendo inventario &c. expendere debuit, L. *ult. §. in compensatione C. de jure deliberandi.* His omnibus deductis hæres, si hæreditatem adijt, inventarium confecit, & legata solvere paratus est, quartam partem seu totius hæreditatis, si unicus, seu ex asse hæres est, seu portionis, in qua institutus est, habere debet.

CAPITULUM XIX.

Joannes.

Paraphrasis.

Clericus O. de bonis suis per ultimam voluntatem quædam legavit ad pia loca, executores constituens Joannem Clericum, & P. Laicum, quibus etiam mandavit, ut creditoribus suis satisfacerent; quapropter Gregorius IX. ait, hos executores, cùm mandatum susceperint, cogi debere ad exequendum.

Summarium.

1. *Episcopus etiam Laicum executorem compellere potest ad executionem piarum voluntatum.*
2. *Nemo quidem cogi potest ad munus executoris testamentarij suscipiendum, compelli tamen ad executionem potest, si munus hoc in se susceperit.*

NOtandum primum. Ad executionem piarum voluntatum Episcopus etiam Laicum executorem compellere potest. Addit verò *Abb. n. 2.* id locum etiam habere in causa non pia, saltem si testator Clericus sit, & ideò insinuatio testamenti coram Judice Ecclesiastico fiat, prout satis colligitur *ex c. isto.* 1

Notandum secundum. Munus executoris testamentarij nemo cogitur suscipere, sed postquam suscepit, jussa defuncti implere debet. Ita etiam docui *lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 2.* Sufficit autem acceptatio tacita, quæ ex facto cognosci possit, ut si litteras scienter accepisti, in quibus officium executoris tibi demandatum, nec contra protestatus es. *argum. Clement. 1. de procuratoribus,* & tradit *Bartolus in* L. *C. Titius. ff. de constituta pecunia,* quòd in ijs, quæ per epistolam inter absentes geri, & obligatio contrahi potest, qui scienter suscipit litteras offerentes obligationem, & non contradicit, v. g. coram testibus, consentire censeatur. 2

Deinde benè admonet *hic Abb. n. 3.* quòd Superior ad quem cura ista pertinet, videlicet Episcopus in legatis pijs, vel etiam non pijs, si testator Clericus sit, possit aliquem sibi subditum, si ita opus sit, compellere, saltem ut delegatum sive commissarium suum, ad exequendum. *argum. c. pastoralis 28. de officio delegati. &* L. 1. *C. qui pro sua jurisdictione.* &c.

Ad extremum adverte, quòd executor testamentarius rationem acceptorum, & expensorum Superiori reddere teneatur, prout monuit *Archidiaconus in c. Episcopus. distinct. 80.* atque conveniens fore, ut hæres, & legatarij intersint, quia ipsorum interest.

* * *

CAPITULUM VLTIMVM.

De his.

PARAPHRASIS.

Ex Legatis pro Ecclesiarum ornamentis, fabrica, luminaribus, vel pro anniversario, vigesimo, septimo die, aliisque pertinentibus ad cultum divinum, canonica portio (nisi in fraudem ita legetur, ut Episcopus, vel Parochia defraudetur) deduci non debet.

NOtandum. Ex ijs Legatis pijs, quæ hîc numerantur, non solvitur portio Canonica Episcopo, aut Ecclesiæ parochiali. Excipe, nisi in fraudem ita concipiantur legata, quasi sint pro fabrica, pro luminaribus &c. cùm tamen testatoris voluntas sit, ut Ecclesiæ absolutè proveniant. Vide, quæ dixi *in c. officij 13. hoc. tit.*

CAPITULUM I.

in Sexto.

Si Pater.

PARAPHRASIS.

Titius habens filium, & filiam impuberes. Filiam instituit in re certa, & filium in reliquis bonis hæredem fecit, uxori aliqua legavit; adjecit porrò, si filia absque liberis decederet, ut filio; sin autem filius priùs sine liberis decederet, ut filiæ moreretur; denique pauperes hæredes instituens, si utrumque sine liberis mori contingat. Evenit postea, ut post mortem testatoris tum filius, tum filia absque prole morerentur, cùm itaque vi testamenti paterni hæreditas pauperibus restituenda esset, mater partem legitimam, & Trebellianicam deducere voluit; sed Bonifacius VIII. his non deductis, bona omnia pauperibus deberi respondit, propterea quòd substitutiones filio ad filiam, & filiæ ad filium, & ab his ad pauperes fuerint pupillares, directæ, non obliquæ, quia in substitutionibus (si verbis ac personis conveniri possit, ut in nostro casu) semper interpretatio facienda est, potiùs, ut sint directæ, quàm ut obliquæ, tamesi secundum substitutio directa ad fideicommissariam, seu obliquam ex causa traducatur; neque verò mirum est, matrem à portione legitima excludi, quia filius ipse filius, aut filia non possit in suo testamento matrem legitimâ portione privare, pater tamen in testamento, quo filio, aut filiæ impuberi facit, matrem omninò excludere non prohibetur, adeò istud testamentum pupillare patris testamenti pars quædam esse censetur.

SUMMARIUM.

1. *Si hæredi necessario res certa relicta sit, censetur in ea institutus hæres.*
2. *Verba communia in testamento substitutionem, an substitutionem significent, ex varijs conjecturis dijudicatur.*
3. *Num substitutus hæreditatem conquatur, si pater filio impuberi substituit, & hic post pubertatem accepta moriatur?*
4. *Utrùm Trebellianica deduci possit in hæreditate restituenda pia causa?*

NOtandum primum. Si hæredi necessario, priò res certa relicta sit, censetur hæres in ea institutus. Ita sumitur *ex hac c.* & dixi de hoc *in c. Raynutius.*

Notandum secundum. Verba ista: hæres, institutus, moriatur Titio, vel moriatur pauperibus, communia substitutionis verba sunt, ita, ut quantum est ex vi eorum, tum directam, tum obliquam significare possint substitutionem. Ita sumitur *ex hoc c.* & notat *hic Francus n. 19. Mol. disp. 155. n. 8.*

Notandum tertium. Verba communia (si materia, & personæ subditæ patiantur, nec aliundè ostendi possit aliam fuisse testatoris mentem) potiùs intelligi debent, ut directam, quàm ut obliquam substitutionem.

tionem significent. Ita indicatur *in hoc c.* & notavit *Molin. disp. 182. n. 17.* Ratio est, quia directa substitutio, per quam hæreditas sine alterius interventu à testatore ipso capitur, est magis naturalis, simplex, honorata, liberalis.

1 Pro majori intellectu horum suppono primò. Quòd pater filio impuberi, quem in potestate habet, substituere possit directe, quæ dici solet substitutio pupillaris simpliciter, si filius meus in impubertate decesserit, hæres esto Cajus *Inst. de pupillari substitutione*, ubi dicitur : Si filius hæreditatem patris adierit, & ante pubertatem mortuus sit, Cajum hæredem fore tum patris, tum filij, adeóque omnium bonorum à filio relictorum undequaque provenientium, atque in hac ipsa substitutione pupillari tacitè continetur vulgaris, ita, ut si filius hæreditatem non adeat, quia priùs moritur, substitutus testatori succedat, nisi de contraria ejus voluntate appareat *L. 4. ff. de vulgari, & pupillari substitutione.* Sed & vice versa sub vulgari substitutione facta filio impuberi continetur tacita pupillaris, ita, ut tametsi filius hæres sit, tamen intra annos impubertatis moriatur, succedat substitutus, videlicet, si dixerit testator, si filius hæres non erit, Cajus hæres esto *cit. L. quartæ & L. quamvis 4. Cod. de impuberum, & alijs substitutionibus* & videri potest *Covar in c. Raynutius §. 4. & 5.*

Excipitur tamen mater, cujus respectu tacita pupillaris subintellecta in vulgari effectum non habet, videlicet ad eam excludendam, *L. precibus C. dicto tit.* præterquam, si substitutus sit filius testatoris, seu frater instituti filij, secundùm *Bartolum in L. 2. n 44. ff. de vulgari & pupillari substitutione.*

Suppono secundò. Quòd pater filio impuberi etiam obliquè seu fideicommissariè substituere possit, si filius ante annos pubertatis moriatur, hæreditatem det Cajo *L. cohæredi 41. §. cùm filiæ ff. dicto tit.* ubi additur primò. In hoc casu Falcidiam (intellige Trebellianicam, nam pro eodem quandoque usurpantur) detrahi posse. Additur secundò. In hoc casu restituenda esse tantùm bona hæreditatis paternæ, non item 2
bona, quæ filio aliunde provenerunt, hæc enim non ad substitutum, sed ad proximum consanguineum tanquam hæredem ab intestato v. g. matre proveniunt.

Ex his itaque sumpta est principalis decisio Capituli, cùm verba, quibus pater usus est, communia sint, & intelligi possint de substitutione pupillari directa, ideò sic accipienda esse, ut proinde mater jus Trebellianicæ non habeat, sed neque legitimam deducere possit, cùm non filij, sed patris (cujus respectu mater necessariò hæres non est) testamentum, & hæreditas esse censeatur.

Id in controversia est, si pater filio im- 3
puberi substituerit, is autem post pubertatem mortuus sit, num substitutus saltem obliquè hæreditatem consequatur.

Respondeo, & dico primò. Si pater filio impuberi verbis directis substituit, non trahuntur ea ad fideicommissum, ideò si filius pubes factus decedat, excluditur substitutus *L verbis 7. L. centurio 15. ubi Bartolus n. 3. ff. de vulgari &c.* cùm enim verba directa, & verba obliqua seu fideicommissaria, oppositas habeant significationes, ideò non convenit verba directa ita intelligere, ut obliquam contineant substitutionem.

Excipe primò. Nisi necessitas cogat, quia alioquin corrueret substitutio. *L Scævola 76. ff. ad Trebellianum.* ubi substitutio facta verbis directis in codicillo (in quo hæreditas directè dari nequit) trahitur ad fideicommissariam, ut valeat tanquam fideicommissum, & hæres, v. g. mater impuberis, gravata censeatur. Vide *Bartolum in L. cit. verbis n. 4.*

Excipe secundò. Quòd militi privilegium hoc datum sit, ut tametsi verbis directis substituerit filio, exempli causa, si filius hæres meus impubes intra 25. annos ætatis moriatur, sit hæres Cajus, ita intelligenda sit substitutio, ut etiam post puber-

tatem ipsi substituere voluerit non quidem directè (quod impossibile est, cùm ipsemet tunc filius faciendi testamenti capax sit) sed fideicommissariè, *cit. L. centurio* & docet *Gl. in cit. L. Scævolav. obligetur.*

Excipe tertiò. Etsi testator utatur verbis directis, hæres esto substitutus, si tamen ex adjunctis colligatur, habuisse eum animum filio impuberi substituendi etiam post pubertatem, adeóque fideicommissariè, præferenda est mens testatoris v. g. instituo filium impuberem hæredem, & quandocunque is decesserit, hæres esto Cajus, censeri hæc debet substitutio compendiosa: de qua suprà aliquid dixi, quæ doctrina sumitur *ex c. Raynutius* & tradit *Gl. ibi v. vel institutionis. Abb. n. 17.* ibidem *& ex cit. L. Scævola, & cit. L. precibus junctâ Gl.* quamvis multi Legistæ, quos sequitur *Covarruvias in cit. c. Raynutius §. 9. n. 15. & alij Canonistæ apud Anchoranum hic* contrarium teneant, videlicet evanescere substitutionem, adveniente tempore pubertatis, & ad *cit. Leges* respondent, speciale id esse in milite. Sed melius est, ut dicamus, privilegium militis in hoc tantùm consistere, quòd tametsi constet, eum voluisse directè substituere filio, postquam pubes factus est, seu quia, ob juris imperitiam, nescivit id fieri posse, arbitratus videlicet omnes minores, videlicet usque ad annum ætatis 25. testamenta facere non posse, sive quia arbitratus est, filios censeri impuberes usque ad dictam ætatem, talem substitutionem post adeptam pubertatem valere, eo modo, quo potest, videl. ut fideicommissariam speciali militis favore, cui juris ignorantia ignoscitur: at verò in alio testatore hæc locum non habent, si constet, quòd directè voluerit substituere, sed tantùm eo in casu, si directis quidem verbis usus sit, ea verò benigniùs accipi possint, & impropriari, ut mens & voluntas testatoris, ipsiúsque testamentum conservetur *L. 2. communia de legatis.*

Dico secundò. Si testator verbis communibus usus sit in substitutione facta impuberi, neque eam restrinxerit ad annos pubillares, tum extendi debet ad annos pubertatis ita, ut si post pubertatem decesserit substitutus succedat, tanquam ex fideicommisso, ut si dicat: quandocunque filius meus, qui jam impubes est, decesserit, substituo Cajum: nam hæc est compendiosa substitutio, quæ secundùm omnes Doctores comprehendit in se fideicommissariam, uti dixi *lib. 3 tra. 5. c. 9.* Verùm opus non videtur voculâ *quandocunque*: sufficit, si indefinitè testator substituerit per verbum commune: instituo filium meum, si is decesserit, substituto Cajum, moriatur Cajus. Ita *ex c. Raynutius* sumitur, ubi docet *Abb. n. 6. Covar. n. 16. Joann. Andreas n. 19. cum Gl. v. absque deductione*, contra plerosque Legistas. Ratio est, quia locum indefinita, & indeterminata æquivalet universali, ut idem sit dicere: *si filius decesserit* (videlicet sine liberis) ac dicere: *quandocunque decesserit*, utraque ergo erit compendiosa, plura in se tempora comprehendens, & sumitur *ex L. quidam 6. L. patiens 12. ff. de rebus dubijs.*

Quæstio est tractanda, utrùm ex fideicommisso facto ad causas pias v. g. pauperibus, hæreditatem restituendo, Trebellianica deduci possit? Affirmat hic *Gl. v. Trebellianicæ* & alij *apud Dominicum hic agen. hujus cap.* quando Pontifex ait, Trebellianicam à matre deduci non posse, si filius ante pubertatem mortuus sit, quia ex dicta substitutione hæreditas pauperibus debetur: ergò per sensum contrarium, si fideicommisso deberetur, Trebellianica deduci posset; deinde ex legatis pijs detrahi posse expressum est in L. 1. *§. ad manciparn ff. ad Legem Falcidiam*, ergò etiam Trebellianica detrahitur, cùm eæ defalcationes in nos æquiparentur. Ccontraria tamen sententia est fermè communis teste *Abb. in c. Raynaldus. n. 8. Covar. ibidem §. 3. n. 7. Cald. lib. 2. observ. 119 n. 7.* Probatur: si ex relictis pijs Falcidia detrahi non potest, nec Trebellianica deducitur; sed verum est antecedens, ergò & consequens. Probatur sequela majoris, quia Trebellianica ad similitu-

situdinem Falcidiæ introducta eidem æquiparatur, adeò, ut hæc ipsa deductio Trebellianicæ sæpe in jure Falcidia appelletur *L. pater 14. L. Titia 86. ff. ad Legem Falcidiam.* Notum autem est, quando duo in jure ob identitatem rationis æquiparata sunt, quod statutum de uno, etiam de altero statutum censeri debet *argum. L. si quis servo C. de furtis.* ubi Gl. marginalis nova ait: ubi eadem est æquitas, idem est jus; & docui *lib. 1. tra. 4. c. 18. n. 10.* Minor propositio, quòd Falcidia à pijs legatis detrahi non possit, adeò recepta est, ex *authent. de Ecclesiasticis titulis. §. si autem hæres*, ut in cod. cem Justinianeum *tit. ad Legem Falcidiam* disertis verbis inserta fuerit. Accedit, quòd hactenus in tribunalibus ita judicatum fuerit, ac proinde Ecclesijs jus acquisitum etiam per temporis antiquitatem, si quispiam ostendere conetur alium fuisse *cit. §. si autem hæres* intellectum, de quo *Andreas Fachineus lib. 5. controversiarum c. 17.* quare locum hîc habet, quod dicitur *in L. 23. ff. de LL. minimè sunt mutanda, quæ interpretationē certam semper habuerunt.*

Deinde ita argumentor: quæ circa ultimas voluntates præter jus naturale, aut gentium civili jure introducta sunt, ea circa relicta pia cum præjudicio Ecclesiæ non valent. *c. cùm esset 10. hoc tit.* atqui Falcidia & Trebellianica civili lege præter jus naturale, ac gentium constituta fuit, ergo &c. Probatur minor ex eo, quia secundùm jus naturale, ac gentium, quàm maximè attendi debet ad testatoris voluntatem, si ea honestè impleri possit *cit. c cùm esses.* Falcidiâ præter voluntatem testatoris introductam esse, per se patet, & colligitur *ex c. Raynaldus junctâ Gl. contra voluntatem*, nam testator v. g. jubet mille aureos, aut totam hæreditatem dari Titio, ideò si hæres non totum det, sed partem deducat, id non agit secundùm testatoris voluntatem. Ad primum argumentum Resp. locum non esse argumento per sensum contrarium, quia ea non erat decisio Papæ, sed allegatio mulieris, quæ ita petitionem formabat: si hæres per fideicommissum hæreditatem restituere debeat pauperibus, Trebellianicam deducere potest, sed filius meus hæreditatem per fideicommissum pauperibus restituere jussus fuit, ergò &c. Ad hoc Pontifex majorem, seu principium non examinans, cùm ea res majorem indaginem requireret, facilè se expediendo respondet, falsam esse assumptionem, seu speciem facti, cùm fideicommissum, seu substitutio obliqua non fuerit, sed directa.

Ad secundum Resp. *cum Glossis & DD. in cit. §. si autem hæres & in authent. similiter C. ad legem Falcidiam* jus illud antiquum à Justiniano immutatum esse.

Notandum quartum. Pater filio impuberi pupillariter substituere potest verbis directis, ita ut mater ejus penitus excludatur. Ita *habetur in fine c. & explicavi lib. 3. tra. 5. c. 9. in fine n. 1.*

CAPITULUM II.

Religiosus.

Paraphrasis.

Si Religiosus ab aliquo in voluntate ultima executor deputatus sit, non potest is, cùm velle, & nolle non habeat, illud suscipere, aut exequi, nisi à Superiore suo licentiam petiverit, & obtinuerit. De hac re egi *lib. 3. tra. 5. c. 11. q. 2.*

Summarium.

1. *Quis hîc intelligatur nomine Superioris?*
2. *Non transit ad hæredem officium testamentarij executoris.*
3. *Si tamen nomine dignitatis demandata sit executio, nisi ex verbis colligatur aliud, ordinariè ad successorem in dignitate transit.*
4. *Ex pluribus deputatis in testamento executoribus, si unus non velit, vel non possit, utrùm alij ad executionem procedere possint?*

1 Quæres. Quis intelligatur nomine Superioris? Resp. in Religionibus exemptis intelligitur Prælatus Ordinis, in non ex-

exemptis non tantùm Prælatus, sed etiam Episcopus, præsertim in defectu, ut si Sedes vacet, sicuti *Archidiaconus*, *Ioannes de Lignano*, & *alij* docent apud *Francum hic n. 6.*

§.

Sanè.

Si pluribus à testatore simpliciter deputatis executoribus, unus mortuus sit, vel in remota regione degens exequi nolit, ne testatoris voluntatem diu impediri, aut differri contingat, potest alter deputatus liberè exequi, nisi testator aliud expresserit.

1 NOtandum primum. Officium executoris testamentarij non transit ad hæredem, quia censetur electa industria personæ *argum. c. ult. §. is autem de officio delegati* & tradit *Gl. recepta hic v. mortuo. Gl. marginalis in L. tutela 16. ff. de tutelis.*

2 Quæritur, si executio demandata sit alicui nomine dignitatis, appositò v. g. Abbati S. Vincentij, vel Rectori Hospitalis, num transeat ad successorem in dignitate vel officio. Affirmat *Gl.* à plerisque recepta *hic v. expresserit.* Præterquam si ex circumstantijs colligi possit, contemplatione personæ demandatum fuisse, ut quia testator propinquus fuit Abbatis, aut Rectoris *argum. c. requisiti 15. extra hoc tit.*

3 Contrà objici potest, licèt hæc distinctio, num sub nomine dignitatis, aut proprio, facta sit commissio, locum habere possit in jurisdictione delegati *c. quoniam 43. de officio delegati*, tamen aliud videtur dicendum de nudo ministerio, & executione mandatâ, cùm in ea personæ industria specialiter censeatur electa *argum. cit. c. ultimi*, & *L. mandatum 57. ff. mandati.* Quâ ratione Bartolus concludit, quòd commissum factum in Abbatem S. Proculi, eo mortuo non transit in successorem. Verùm eo non obstante defenditur sententia *Glossæ*, quæ & in praxi recepta videtur, idque propter ultimæ voluntatis favorem, ne ejus executio diu differatur, sicuti ex hoc *c.* colligitur, & benè monuit *Francus n. 8.* Quare idem sit *n. 3.* quòd jura prohibent, quantum possunt, ne defunctorum voluntates impediantur *c. nos quidem 3. c. si heredes 6. hoc tit.*

Notandum secundum. Si unus ex pluribus deputatis executoribus non possit aut nolit exequi, alius liberè potest ad executionem, nisi testator aliter disposuerit; sed quid si quinque v. g. sint deputati, & alij omnes nolint, aut non possint exequi, potestne unus solus facere executionem? De hac re disputant *Dominicus hic calum. penult. Anchoran. q. 4.* Mihi placet, utrâque affirmemus cum *Franco n. 5.* quia textus indefinitè loquitur, si plures sint constituti executores &c. idque ob rationem, quæ generalis est, ne voluntas testatoris impediatur, aut diu differatur.

Coroll. Dummodo unus executorum nolit, ac possit exequi voluntatem, reliqui alij nolint, vel impediti sint, Episcopus se immiscere non potest, vel executori facultatem dare, teste *Ioanne Andreæ hic n. 3. Baldo L. nulli in fine C. de Episcopis*, ubi aliis, hanc doctrinam, quòd unus executor absque alijs exequi non possit, si ij adesse nolint, locum non habere, si executio urgeat, & expedita sit v. g. Titio pauperi legata 100. sin autem executio, aut modus exequendi incertus sit, tunc unus sine alijs exequi non debet; quòd si in hoc casu dissideant, tum judex, & quidem in relicta ipse Episcopus, dirimet.

Eadémque ratione ait *Aud. hic n. 8.* Si executio rei certæ, & in certo loco demandata sit, quòd executor per alium tantum ministrum suum exequi possit *argum. c. cui 14. de officio delegati in 6.* alioquin verò executio per ipsum executorem fieri deberet, propter electam industriam personæ *argum. c. tua 17. v. per manus hoc. cit. L. nulli v. pro sua conscientia.*

TITULUS XXVII.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

POstquam dictum est de testamentis, & alis ultimis voluntatibus, conveniente ordine agitur de ijs hæredibus, qui non ex testamento succedunt (quia vel nullum factum fuit, vel non legitimè factum *L. ult. (familiæ hærciscundæ)* sed ab intestato, sive agnationis, sive alio jure.

CAPITVLVM I.

Sed hoc.

PARAPHRASIS.

Episcopi, presbyteri & alij Clerici, quæ per hæreditatem, vel alio modo, personæ suæ intuitu acquisiverunt, donare possunt, atque de ijs disponere, sicuti volunt; sin autem priùs mortem objerint, quàm disponant, ad Ecclesiam, cui serviunt, devolvuntur.

SUMMARIUM.

Cui acquirantur bona Clericorum patrimonialia sine hærede decedentium.

NOtandum. Si Clericus non habens consanguineos, qui jure sanguinis succedere debeant, absque testamento moriatur, Ecclesia, cui servit, succedit in bonis ejus proprijs, seu patrimonialibus, de quibus testari potuisset. Hic est hujus Capituli communiter receptus intellectus, & consentite. *2. causâ 12. q. 3. & c. ult. q. 5.*

Sed quid si Clericus clericalibus privilegijs gaudens ita decedat, qui nulli Ecclesiæ servit, seu beneficiarius non est? Resp. quòd bona ejus devolvuntur ad Ecclesiam, in qua degit, distribuenda secundùm providentiam Episcopi in pias causas, uti hîc docet *Abb. in fine c. & inc. sequente argumento ejus textûs*, quandoquidem fiscus etiam sæcularis ita succedit, si Laicus absque consanguineis moriatur L. *vacantia 4. C. de bonis vacantibus lib. 10.* & docui *lib. 3. tra. 5. c. 4. n. 4.*

CAPITULUM II.

Sancto.

PARAPHRASIS.

Quidam servi Laicorum à Dominis manumissi Sacerdotes ordinati fuerunt, de eorum morientium substantia, Laici illi partes sibi vendicarunt tanquam de proprijs mancipijs. Id in hoc *c.* prohibetur, ne fiat, cùm enim servi eo modo dimissi liberi facti sint, ad suscipiendum Ordinem, & divinum celebrandum officium, nihil ab ijs præter divinum officium exigi debet; peculium autem horum Sacerdotum de cedentiũ dividatur in 4. partes, quarum una Episcopo, altera Ecclesiæ tertia pauperibus, & quarta parentibus assignetur; si parentes non idonei sive incapaces sint (videlicet hæretici) Episcopus eam portionem accipiat, & in usum Ecclesiæ fideliter distribuat. Quòd si aliquis contra hæc agere præsumpserit, excommunicetur.

SUMMARIUM.

Potest quidem Dominus servum manumittens, ut cum licentia suain Sacerdotem ordinetur, retinere sibi spiritualia illius obsequia, ab intestato tamen in temporalibus succedere non potest, neque sibi retinere aliquid.

NOtandum. Servi, si priùs à Domino manumissi sint, ordinari possunt Sacerdotes, & Dominus in ijs tanquam libertis suis, spiritualia officia retinere potest, id est, sub ea conditione manumittere, ut sibi divina officia celebrent *c. 2. & 6. de servis ordinandis.* Sed ex facultatibus temporalibus non debet sibi aliquid patronus retinere, neque ab intestato succedere, licèt alijs libertis, si sine liberis moriantur, patronus succedat. *§. sed nostra Inst. de successione ab intestato.*

Porrò quod de divisione bonorum in 4. partes hîc dicitur, id hodie locum non habet, sed sicuti *Gl.* notavit, si talis manumissus Clericus consanguineos relinquat, ij succedent ab intestato; alioquin Ecclesia.

CAPITULUM III.

Cùm dilectus.

Paraphrasis.

Lis erat inter Abbatem de Brussia, & Episcopum Eduen. Ille proposuit coram Papa, quòd Archipresbyter de Alerio se & sua monasterio obtulerit, quædam suo usui simpliciter reservans; eámque oblationem moriens coram Abbate confessus sit: cùm autem Abbas & Monachi ejusdem Archipresbyteri bona ad monasterium deferrent, Episcopus per vim ea, & alias ipsius monasterij res occupavit. Quare earundem rerum restitutionem Abbas petitorio judicio imploravit, sed ex parte Episcopi allegatum fuit, Archipresbyterum mentis impotem fuisse, quando veluti in ultima voluntate donationem, seu oblationem factam confessu sest. In causa ista ait *Innoc.* intellexisse se, satis fuisse probatum, quòd Archipresbyter, in extremis veluti ultimam exprimens voluntatem, se & sua monasterio obtulisse, dixerit. Quare cùm admoneretur, ut testamentum conderet, respondit se non posse, cùm se & sua obtulerit monasterio. Porrò tametsi unus tantùm testis dixerit se vidisse & præsentem fuisse, quando ille se & [illegible] obtulit; tamen quia alij testes dixerunt se audivisse, ipsum, præsente Abbate confitentem de oblatione à se facta, [illegible] ij testes, non ut sufficienter probantes, sed ut vehementer adminiculantes intentionem Abbatis plurimùm adjuvabant; sed quia Episcopus obtulit se probandum, quòd Archipresbyter, cùm in extremis positus esset, phreneticus fuerit, & ideò confessio ejus non valuerit, ideò sub hac forma causæ hujus cognitionem Papa delegat Episcopo Mutinen. quòd si Episcopus Aduenensis non probaverit, Archipresbyterum eo tempore, quo veluti ultimam voluntatem declaravit, mentis impotem fuisse perpetuo ei silentium imponatur, & restituere cogatur monasterio, quæcunque ille bonis Archipresbyteri, & monasterio cupavit. Sin autem legitimè probaverit mentis alienationem, tunc ad faciendam ipsi nomine Ecclesiæ parochialis (cujus administrationem Archipresbyter gesserat) ad bonorum, quæ ejusdem Archipresbyteri erant, restitutionem, monasterium condemnetur, eò quòd Archipresbyter ab intestato decesserit, ita proinde monasterio super impetitam Episcopi silentium imponatur.

Summarium.

1. *Qui se, & sua donat monasterio, non eo ut profiteatur, sed in ordine tantùm oblatorum maneat, potest sibi retinere aliquid.*
2. *Testes quomodo probent?*
3. *Quid probet propria confessio in testamento; aut ultima voluntate facta, & declarata?*

NOtandum primum. Sunt aliqui se & sua monasterio offerentes, qui proinde Oblati vocari solent, ac donati, professionem tamen non edunt, uti videre est in c. *Ut privilegia 24. de privilegijs, & Clem. 1. in fine de decimis.* Interdum etiam quæ-

dam

dam sibi retinent, vel usum fructum rerum, & ideò votum paupertatis non habent; vide *c. ut lex 40 27. q. 1.* & quæ docui *hîc. 1. tra. 2. c. 5. n. 4. dub. 1.*

Notandum secundum. Unus testis nunquam sufficit ad probationem, quatenus alterius præjudicium junctum esse potest: *licèt 23. junctâ Gl. v. unius de testibus.*

Notandum tertium. Duæ probationes insufficientes, ac semiplenæ efficere possunt unam plenam, ut docent DD. *in c. cùm causam 13. de probationibus. Bartolus in L. admonendi n. 48. ff. de jure jurando*, ubi rectè monet, necesse esse, ut eæ probationes tendant ad eundem finem. Ratio dari debet, quia judex non ex uno tantùm probationis genere, sed ex omnibus animum suum informare debet circa litis statum *L. 3. §. ejusdemquoque ff. de testibus.* Et sumuntur ista *ex hoc c.* in quæstione enim venit, num archipresbyter se, & sua bona monasterio obtulisset, tum pro affirmativa parte, quæ erat secundùm intentionem Abbatis, ponderat Innocentius, quòd unus testis de visu id confirmet; ulterius, quòd archipresbyter ante mortem talem à se oblationem factam confessus dicatur, hæc enim extrajudicialis ante mortem facta confessio, licèt non probet plenè, facit tamen magnũ indicium, & probationem quasi semiplenam; opus tamen est, ut tale indicium sufficienter probetur, videlicet in casu proposito per duos testes idoneos.

Quæres. Cur propria confessio probationem plenam non faciat. Respondet hìc *Abb. n. 17.* quia fuit incidenter facta, cùm principaliter & ex intentione de ea non quæreretur; interrogatus enim erat archipresbyter, an vellet testari, tunc respondit, se non posse, cùm sua monasterio obtulerit. Et ita docetur *in L. non nudis 14. C. de probationibus & in c. per tuas 10. de probationibus.* Secundò. Respondet *Bartolus cit. n. 48.* quòd confessio plenè non probet in præjudicium alterius, & quidem absentis; attamen indicium aliquod generet, præsertim favore causæ piæ, & iste videtur casus capituli.

Hac occasione quæritur, si moriturus in testamento confessus sit, se propter injustos contractus obnoxium esse restitutioni, & ideò mandârit, centum aureos dari Titio, quem fraudavit, vel pauperibus, num si convalescat ex sola hac confessione cogi possit ad restitutionem. Resp. ex doctrina *Bartoli in L. cùm quis §. codicillis ff. de legatis 3.* & dico primò. Confessio debiti facta in testamento, si fuit jurata, obligationem inducit respectu testatoris *cit. §. codicillis*, sed non respectu hæredis, quia ut paulò antè dixi, talis confessio non debet probare in alterius præjudicium, alioquin pater legitimam filio auferre posset, æs alienum confitendo.

Dico secundò. Si confessio jurata non est, distingue, num facta sit in præsentia partis, videlicet creditoris acceptantis, seu approbantis, tunc probat tanquam confessio inter vivos facta, & approbata juxta *Gl. in L. ult. C. de confessis* & sumitur *ex L. generaliter 13. C. de non numerata pecuniâ.* ubi dicitur, ejusmodi confessionem debiti, adjectâ causâ (præter causam mutui, & dotis acceptæ) probare contra confitentem, sed admittendam esse probationem in contrarium. Sin autem facta non sit in præsentia partis, tunc non probat quidem debitum, attamen si verbis enuntiativis principaliter, & propter se non incidenter facta sit, inducit fideicommissum, seu legatum *L. si creditori 28. ff. de legatis primo L. Lucius 22. ff. de legatis secundo. L. 2. C. de falsa causa*, ubi dicitur, quòd falsa demonstratio non perimit legatum rei certæ, v. g. dentur Titio 100. quos debeo ipsi ob hanc causam, & si ponamus, nihil deberi, solvi tamen debent aurei tanquam legati.

TITULUS XXVIII.

DE SEPULTURIS.

TEstamentum, & omnis voluntas ultima, morte testatoris, confirmatur, ita ut antea non valeat, sed revocari possit, teste Apostolo *ad Heb. 9. v. 16.* & habetur *in L. 4. ff. de alimentis legatis.* Ideò postquam de testamentis & successoribus ab intestato, quæ & ipsæ ante mortem non fiunt, agitur nunc de Sepultura, quæ morti proxima est.

CAPITULUM I.

Nos.

PARAPHRASIS.

Assertum primum Leonis III. Quisque fidelium sepeliri debet in eo loco sacro, ubi sibi elegit; sin autem non elegit Sepulturam, tunc in Sepultura majorum; sin talem extra parochiam suam non habeat, tunc in parochia sepeliri debet. Dixi de hac re *lib. 3. tra. 5. c. ult. q. 3. & 4.* Assertum secundum. Si quis extra parochiam sepeliatur, Ecclesia, in qua sepelitur, portionem Canonicã dare debet, ex mortuarijs Ecclesiæ parochiali. Vide *Clement. unicam hoc tit. Trident. Sess. 25. c. 13. de reformatione.*

CAPITVLVM II.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Si Religiosi non Zelo Christiano, sed avaritiæ studio Sæculares illaqueare studeant, ut nihil parochiæ relinquant, sed omnes suas res monasterio tradant, hæc fraus, & illicita attractio ipsis prodesse non debet. Hac re dicetur infrã max. *6. de his 4.*

CAPITULUM III.

Fraternitatem.

PARAPHRASIS.

Regulares in Ecclesijs tuis jus sepeliendi habent, quare, si aliquis Sepulturam majorum in ipsorum Ecclesia habeat, & aliam Ecclesiam sibi eligat, irrationabiliter (seu quia fraude inductus, seu quia Ecclesia, in qua sibi Sepulturam elegit, jus sepeliendi non habet) tunc corpus defuncti justè repetent Regulares, ut a ipsorum Ecclesia cum majoribus defuncti sepeliatur. Hic debet esse sensus hujus cap. ut apparebit *in c. 2. §. si quis enim sit, in 6.*

CAPITULUM IV.

De his.

PARAPHRASIS.

Episcopus Spalensis questus est apud Pontificem, quòd aliqui se cum bonis suis ad Religionem transferant, nihil sibi, vel Ecclesijs, à quibus salutis pabulum meruerunt, relinquentes. Respondet Pontifex, si in ægritudine constituti ad Religionem transeant, & in ea ægritudine moriantur, tunc portio Canonica Ecclesijs parochialibus exhiberi debet; sin autem, dum sani sunt, vel non morituri, ad monasterium se transferant, & bona sua conferant, cogi non possunt, ut dictis Ecclesijs aliquid tribuant, cùm liberum ipsis sit, bona omnia quibuslibet tum Religiosis, tum privatis etiam personis largiri.

SIMI-

SUMMARIUM.

Quando de bonis ingredientis monasterium debeatur Ecclesiæ parochiali portio Canonica?

NOtandum primum. Si quis moriturus professionem faciat in Religione, professio valet, dummodo annum continuum steterit in novitiatu, juxta Trident. *Sess. 25. c. 15. de regularibus*, tametsi toto tempore novitiatûs fuerit lecto defixus, teste *Nav. lib. 3. consilio 32. n. 5. de regularibus. Suarez tom. 3. de religione lib. 5. c. 13. n. 8.*

Notandum secundum. Qui Religionem ingressuri, aut professuri sunt, liberè de bonis suis disponere possunt, donando, quibus volunt, ut in hoc *c.* dicitur. Si autem non disponendo profiteantur, ac veluti intestati moriantur, succedit monasterium, si capax sit. *authent. ingressi C. de SS. Eccles. c. quia 7. causa 19. q. 2.*

Notandum tertium. Ex ijs, quæ non instante morte, sed sanitatis tempore Novitij aut Religionem ingressuri, monasterio donant, non debetur Ecclesiæ parochiali Canonica portio. Ita etiam docet *Gl. finalis in c. 1. de statu monachorum.* Adde, cùm secundùm privilegia & consuetudines Religionum Novitij privilegijs gaudeant earundem Religionum, & in monasterio soleant sepeliri, teste *Sanchez lib. 6. moralium c. 14. n. 4.* ideò Canonicam portionem parochiali Ecclesiæ non deberi decedentibus Novitijs in Religione, nisi ostendatur, eos in fraudem ingressos, non verò profitendi animo, sed ut Ecclesijs nihil relinquere debeant; quæ de re *Barbosa hic n. 3. & 4. Sylv. v. Sepultura n. 8. causa 5.*

CAPITVLVM V.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Si in Ecclesia v. g. Regularium parochianus sepultus sit, cùm id ab Ecclesiastica traditione alienum sit, corpus Ecclesiæ parochiali restitui debet.

SUMMARIUM.

Parochia habet jus sepulturæ.

NOtandum. Jus Sepulturæ ad parochiam pertinet, *Clement. unica §. verùm hoc tit. & c. 1. causa 11. q. 1.* & tradit *Innoc. in c. 1. hoc tit.* ideò ea erga parochianos suos intentionem fundatam habet, ut sibi corpus tradi debeat ad sepeliendum, nisi altera Ecclesia, v. g. regularis, ostendat causam specialem, ob quam ibi potiùs sepeliri debeat, videlicet, quia defunctus in ea Sepulturam elegit; aut quia majorum sepulchrum ibi est.

CAPITULUM VI.

Cùm liberum.

PARAPHRASIS.

Cùm quidam Monachi cadaver cujusdam mulieris violenter raptum in sua Ecclesia sepelivissent, mandat Pontifex illud Parochiæ restitui, unà cum illis, quæ occasione sepulturæ à Monachis fuerint percepta.

SUMMARIUM.

NOtandum. Regulares plerique, nominatim Prædicatores & Minores, privilegium habent in Ecclesijs suis liberè sepeliendi parochianos, qui apud ipsos Sepulturã elegerunt, dummodo quartam canonicam dent parochiali Ecclesiæ. Habetur latiùs *in cit. Clement.* & videri potest *Sylv. v. Sepultura q. 4.* ubi is admonet, quòd Religiosi non teneantur permittere, ut funus priùs ducatur ad Ecclesiam parochialem, sicuti etiam colligitur ex *c. in nostram 10. hoc tit.* Quare si presbyteri moniti deferre nolint ad Ecclesiam regularem, ipsimet regulares levare, & deferre possunt, cùm alioquin non haberent jus sepeliendi liberè; deinde si parochus corpus ad Ecclesiam suam detulit, quòd regulares cum processione intrare possint, & auferre sine ullius contradictione, nam concesso fine, & quidem liberè; id est, sine ullius contradictione,

aut impedimento, censentur etiam concessa media necessaria ad finem, ita ut nemo impediat. argum. *L. 3. §. 3. de servitutibus prædiorum rusticorum. Qui habet haustum*, id est, jus aquam hauriendi ex puteo, *iter quoque habere videtur ad hauriendum*; & paulò post, *in jure hauriendi inesse & aditum.* Consentit *Lex 2. ff. de jurisdictione omnium judicum.*

CAPITULUM VII.

De uxore.

PARAPHRASIS.

Sicuti maritus, ita non minùs uxor liberam sibi eligendæ Sepulturæ potestatem habet, quia Sepulturæ electio, quæ fit ab uxore, in illud tempus refertur, & secundùm eum statum, in quo mulier soluta est à lege viri.

SUMMARIUM.

Dispositio judicatur valida, vel invalida secundùm tempus, in quod ejus effectus confertur.

NOtandum. Dispositio judicatur valida, vel invalida secundùm tempus, in quod ejus effectus confertur. Ita etiam docent DD. *in L. in tempus 62. ff. de hæredibus instituendis, & lib. 5. tra. 10. p. 2. c. 7. n. 4.* docui, quòd valet dispositio, quæ fit in tempore inhabili, si effectus conferatur in tempus habile; & vice versâ non valet dispositio, quæ fit tempore habili, si effectus conferatur in tempus inhabile. L. 4. *C. de donationibus ante nuptias.* ubi dicitur, non valere donationem factam sponsæ, si ejus effectus conferatur in tempus matrimonij, ita ut tunc effectum sortiatur. Valet tamen donatio ante vel post nuptias facta sponsæ, aut conjugi, si ejus effectus conferatur in tempus matrimonij soluti per mortem. L. *cùm hic §. 1. & §. si sponsus ff. de donatione inter virum & uxorem.* Vide, quæ docui *lib. 3. tra. 4. c. 12. q. 2.* & quæ dixi *lib. 4. tra 4. c. 7. assertione 2. & 6.*

CAPITULUM VIII.

Cùm super.

PARAPHRASIS.

Si Cathedralis Ecclesiæ parochianus in ea sibi Ecclesia eligat sepulturam, quæ canonica ex pijs in testamento relictis debetur Cathedrali.

SUMMARIUM.

Ecclesiæ Cathedrali, si sit Parochialis, debetur quarta Canonica ex mortuarijs.

NOtandum. Ecclesia Cathedralis quandoque etiam est parochialis, & tunc debetur ei quarta canonica ex mortuarijs relictis Ecclesiæ, in qua parochianus legitur, ita tamen, ut ex eisdem relictis etiam Episcopo sua portio tribuatur, resp. *sisti 15. de testamentis*, & iterum portio, seu quarta quartæ, quæ pervenit ad Ecclesiam Cathedralem tanquam parochialem, idque propter unionem, quæ est inter Cathedralem & Episcopum; quam ob rem ex Ecclesiæ, in qua sepultura fuit, relictis aut 80. aurei, Episcopus habebit 20. Ecclesia Cathedralis 5. Ita docet *Ioan. Andreas 2. Abb. hic n. 8. & in c. requisisti in fin.*

CAPITULUM IX.

Certificari.

PARAPHRASIS.

Privilegia quandoque à Sede Apostolica Ecclesijs non parochialibus, v.g. Regularibus, conceduntur, habentia hanc clausulam: *salvâ justitiâ earum Ecclesiarum* (videlicet parochialium) *à quibus mortuorum corpora assumuntur.* De hac clausula, quomodo intelligenda sit, diversa Pontificum responsa prodierunt; nam alij intellexerunt, esse dimidium, alij tertiam, alij

alij quartam portionem canonicam & justam: at verò Clemens III. hîc respondet cum *S. Hieron. in epistola 28. ad Lucinium*, qui refertur *in c. utinam* 11. *dist.* 76. quòd unaquæque provincia abundet in suo sensu, & ideò attendi debet ad rationabilem cujusque diœcesis consuetudinem.

Summarium.

1. *Juxta Regionis consuetudinem censetur legislator verba dispositionis accepisse.*
2. *Clausulæ nonnunquam non expressæ in privilegijs, tacitè tamen intelliguntur.*
3. *Consuetudo loci observanda in portione canonica parochiali Ecclesiæ solvenda.*

1 NOtandum primum. Cujusque dispositionis auctor censendus est verba accepisse secundùm regionis consuetudinem, & ita quidem, ut jus alteri competens minimè lædatur: quamobrem si in privilegio ita positum sit, concedimus vobis jus sepeliendi, servatâ justitiâ, seu jure portionis debitæ parochiali Ecclesiæ, attendi tunc debet, quanta portio juxta loci cujusque rationabiliter præscriptam consuetudinem parochiæ debeatur.

2 Porrò tametsi clausula hæc *salvâ justitiâ*, in privilegio non exprimatur, tamen tacitè intelligitur, uti benè hîc docet *Abb.* n. 10. propterea, quòd privilegia quatenus cedere possunt in aliorum præjudicium, seu juris derogationem, strictam interpretationem habeant, sicuti traditur *in Gl. c. ex tuarum. de auctoritate & usu palij*: præsertim si illud jus competat ex Lege publica: quò pertinet *L. si quando 30. C. de inofficioso testamento*, ubi dicitur, si alicui concessa sit liberè testandi facultas, ita esse explicandum, quòd testamenti factionem habeat legitimam, & consuetam; testari enim debet modo, & solemnitate legibus requisitâ, quia credendum non est, Principem, qui jura tuetur, hujusmodi verbo, *liberè*, totam testamentorum observationem evertere voluisse.

Notandum secundum. In portione Canonica parochiali (sicuti & in Episcopali) spectanda est cujusque loci consuetudo: sed & omninò per consuetudinem, seu præscriptionem temporis immemorialis sine titulo, vel 40. annorum cum titulo colorato, contra Episcopum, vel parochiam portiones Canonicas abrogari posse, videre licet apud *Sylv. V. Canonica portio n. 3. Molin. tra. 2. disp 215. n. 7.* & dixi *lib. 3. tra. 5. c. ult. propè finem*, quòd regulares aliqui, videlicet Cistercienses, nihil solvant, alij autem tantùm oblationes funeris ejus diei, quo sepultura est. 5

CAPITULUM X.

In nostra.

Paraphrasis.

Cùm Procurator Hospitaliorum Claromontensis Diœcesis contenderet, licere illis ex speciali privilegio Parochianos Montis Ferrandi, præter Excommunicatos & Interdictos, qui sepulturam apud ipsos elegerint, ad illam recipere, & fideicommissa in testamento relicta accipere, solutâ tantummodo quartâ parochiali Ecclesiæ, de qua corpora mortuorum assumuntur, præterquam de equis & armis: pronuntiavit Pontifex, Hospitalarios non debere recipere Parochianos Monti Ferrandi, nisi, qui apud ipsos elegerint sepulturam; & tunc deberi Parochiali Ecclesiæ de relictis à defuncto (præterquam de equis & armis) quartam partem; residuum Hospitalarios habere, nisi dolus aut fraus intercesserit. Præterea ijsdem injunxit restitutionem quartæ de tribus millibus solidorum, quos à Parochianis illis eos recepisse constabat. Item ut restituerent, quæ perceperunt ex relictis cujusdam occisi, nisi probâssent, quòd apud ipsos sepulturam elegerit; alioquin quartam solùm partem darent.

Quæ

Quæ verò pro decedentibus infra legitimos annos perceperunt, restituant universa.

SUMMARIUM.

1. *Privilegium liberè sepeliendi concessum Religiosis, intelligi debet conformiter juri communi.*
2. *De quibus debeatur portio Canonica?*
3. *Fraudulentè inducentium ad eligendam apud se sepulturam, quæ pœna?*

1 ASsertum primum Pontificis. Privilegium concessum Religiosis liberè sepeliendi intelligi debet conformiter juri communi, ut nimirum excommunicatos, & interdictos sepelire non liceat. Ratio est, quia vox *liberè*, non significat liberationem à Canonibus, quibus decernitur, quæ personæ, & quomodo sepeliri debeant, sed significat facultatem sepeliendi absque cuiusquam contradictione juxta *L. si quando c. præcedente citatam.*

Porrò tametsi in Privilegio generali permissio contineatur sepeliendi omnes, constat tamen, non comprehendi impuberes, quippe qui communi jure sepulturam eligere non possunt. Eadémque ratio est de ijs, qui in peccato mortali notoriè decedunt. Nam, uti dixi, privilegium, si quidpiam operari possit, ita in reliquis intelligi debet, ut juribus communibus non deroget.

2 Assertum secundum. De omnibus, quæ per ultimæ voluntatis dispositionem Ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam elegit, obveniunt, quarta portio parochiæ dari debet; nec refert, quòd Ecclesia, in qua sepultura eligitur, alioquin exempta sit, sicuti colligitur ex *Clement. unica §. verum de sepulturis*, & testatur communis sententia. At verò de Episcopali portione, num eâ Ecclesiæ exemptæ solvere debeant, dissentiunt DD. uti videre est apud *Petrum de Perusio de portione Canonica. c. 4. q. 5 principali: Abb. in c. officij. n. 6. de testamentis.* Sed cùm ea apud nos in usu non sit, soliciti esse non debemus.

Assertum tertium. Ex ijs, quæ oblati vel conversi reliquerunt monasterijs, non debetur quarta parochialis. Id verò certum est, si intelligamus de conversis Laicis, qui vota edunt, & Religiosi sunt; sed non de his tantùm sermo est, verùm etiam de oblatis, qui se & sua monasterio obtulerunt, tametsi habitum non mutent, juxta *c. ut privilegia 24. de privilegijs, ubi Abb. ann. And. n. 1. Sylv. V. sepultura. n. 5 casu 5.*

Assertum quartum. Si Religiosi alicui parochianum, propter oblationes consequendas, fraudulenter inducant ad eligendam sepulturam, oblationes, de quibus licta ipsis debent auferri, & parochiali ri. Ita intelligit *Abbas hic n. 7. Gl. 7. si dolo, allegans c. ult. causa 20. q. 3.* ubi decernitur, si Abbas non in animarum fectum, sed ex avaritia, & inhians turpi cro, aliquem circumveniendo ad profess nem faciendam inducat, ipsi ita profes ita permanere debeant, sed res ipsorum hæredibus monasterium reddere cogatur. Vide etiam *c. 1. hoc tit. in 6.*

CAPITULVM XI.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Quidam nobilis puellam sæpè ad stuprum solicitaverat, accidit aliquando, ut filius gartiones, id est, juniores famuli, super ponte occurrerent puellæ, tunc eam volentes, tunc illa aufugiens, in amnem cecidit, & submersa est. Dubitatur, an in sacro loco sepeliendi sit. Respondet Innoc. III. cùm puella casu ceciderit, & non sponte se præcipitârit, corpus ejus Ecclesiasticæ sepulturæ tradendum, præsertim quia ex causa honesta fugit, & cui communicamus vivo, etiam mortuo communicare debemus.

Simile

SUMMARIUM.

1. *Nemo licitè se conijcit in certum vitæ periculum, stupri vitandi causâ.*
2. *Non debet privari sepulturâ sacrâ, de quo non certo constat, quòd in peccato gravi obierit.*

1 NOtandum primum. Non est licitum, stupri vitandi causâ, se in foveam, aut fluvium præcipitare cum certo moriendi periculo. Ita per contrarium sensum sumitur *ex hoc c.* Vide *congesta Gratiani. causa 23. q. 5.* & quæ *lib. 3. tra. 3. p. 3. c. 1.* docui.

2 Notandum secundum. Qui mortuus est, aut interfectus, non præmissâ sacrâ confessione, quia eam instituere non potuit, in loco sacro sepeliri debet, nisi evidenter constet, eum in peccato mortali impœnitentem decessisse. De hac re dixi *lib. 3. tra. 5. c. ult. n. 11.* & legi potest *Abb. hic & Gl. in c. 1. V. non communicavimus causâ 24. q. 2.*

CAPITULUM XII.

Sacris.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex, sacris Canonibus esse statutum, ut careant sepulturâ Ecclesiasticâ, qui priùs ab Ecclesiastica unitate præcisi fuerunt, & in morte non reconciliati; ideóque mandat, excommunicatorum cadavera aliquo casu in Cœmeterio Ecclesiastico tumulata, si discerni possint, exhumari; si non possint, non expedire, ut cum ossibus excommunicatorum corpora extumulentur fidelium.

SUMMARIUM.

1. *Quorum Excommunicatorum & Hæreticorum corpora è loco sacro sint exhumanda?*
2. *Nunquam sunt exhumanda, quando ab aliorum corporibus discerni non possunt.*

ASsertum primum. Quibus vivis communicare non licet, ijs nec mortuis per sepulturam Ecclesiasticam communicare possumus. Sumptum est ex *Leone I. epistolâ 90. aliàs 92. ad Rusticum.* & refertur *in c. 1. causa 24. q. 1.* Porrò ij, quibus vivis communicare non licet, sunt excommunicati, iisque vitandi; hos autem, si mortui sint, adeò vitare debent fideles, ut non tantùm sepelire eos non debeant in sacro loco, sed etiam in quocunque casu sepulti sint, eorundem corpora extrahere, & aliò deferre, sicuti etiam habetur *in c. quocunque 37. causâ 11. q. 3.* Adde, si corpus excommunicati vitandi sepultum sit, sacrum locum vitandum esse, ut in eo rem divinam peragere non sit concessum, donec per Episcopum sit reconciliatus *c. consuluisti. 7. de consecratione Ecclesiæ.* Adverte hoc in loco, si aliquis mortuus sit in peccato mortali, aut in excommunicatione notoriâ, tamen non vitandus, v. g. Lutheranus, vel Calvinianus Prædicans in Germania, tametsi licitum non sit ejus corpus in loco sacro sepelire, eò quòd Ecclesiastico honore indignus, neque capax sit suffragiorum Ecclesiæ, & ideò sepultura ista cedat in irreverentiam sacri loci, tamen per eam sepulturam nequaquam violari sacrum locum, ita ut reconciliatione solemni indigeat, sicuti post *Extravag. Ad evitanda* Theologi communiter annotârunt. *Navar. c. 27. n. 137. Henriq. lib. 13 c. 11. n 3. Suarez de censuris. disp. 12. s. 4. Coninck disp. 14. n. 63. & lib. 3. tra. 5. c. ult. n. 12.* docui, & videri possunt, quæ docui *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. 4. n. 9.*

Quare hinc solvitur dubium, quòd multi hoc tempore movent, cùm Ecclesias ab Acatholicis dudum occupatas Catholici recipiunt, in quibus longo tempore hæreticæ Religionis exercitia, atque hæreticorum corpora sepulta jacent, num solemni reconciliatione indigeant. Quâ in re mirari licet, non paucos persuasos esse, quòd reconciliandæ sint Ecclesiæ, tanquam violatæ, cùm tamen quotidie in ijs celebrent,

vel celebrari permittant ; certum autem sit, in violatis Ecclesijs licitum non esse divina officia peragere, sicuti docent omnes *apud Sayrum in thesauro lib. 5. c. 16. n. 29.*

Dicendum igitur, Ecclesias non esse violatas, ideóque reconciliatione non indigere, saltem solemni; interim decens est, ut aqua lustrali, seu benedictâ per presbyterum aliquem priùs aspergantur Ecclesiæ, quàm in ijs divina officia dennò peragantur, sicuti *lib. 5. tra. 5. c. 5. n. 13.* explicavi *addendo 5.*

Quamobrem necessarium etiam non est, ut excommunicatorum & hæreticorum corpora exhumentur, cùm id facilè, & sine perturbatione aliqua, plerumque fieri non possit. Quamobrem *Sa V. sepultura n. 3.* limitatè loquitur, si sint sepulti excommunicati denuntiati, tunc exhumandos, & locum reconciliandum esse. Interim non nego, si aliquis, seu hæreticus, seu alius notorius peccator, contra sacros Canones in loco sacro sepultus esset, quin Episcopus in detestationem sceleris, & honorem loco sacro conservandum, jubere possit, & interdum debeat, ut exhumetur ; nego autem, id universim esse necessarium, aut in præcepto, præsertim quoad eos, qui dudum sepulti, longo tempore in terra continebantur. Consultum tamen valde, ut omnes memoriæ, & sepulchra externa, quæ honoris causa posita sunt, paulatim ex Ecclesia penitus tollantur.

a Assertum secundum. Si excommunicatorum corpora discerni non possint, ideóque nec exhumari, quin simul etiam corpora fidelium eruantur, utraque intacta relinqui debent. Hinc bene infert *Abb. n. 4.* si non potest puniri malus, quin etiam innoxius affligatur, tolerandus potiùs est malus juxta *L. absentem 5. ff. de pœnis.* ubi dicitur, satius est, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari.

* * *

CAPITULUM XIII.

Abolendæ.

Paraphrasis.

Perversa est consuetudo, si sepultura mortuo non permittatur, nisi certum pretium Ecclesiæ persolvatur.

NOtandum. Terram Cœmeterij, seu sepulturis fidelium deputatam vendere, aut pro pretio dare, in sacris Canonibus tanquam Simoniacum, prohibetur, ut sumitur *ex hoc c. & ex c. quæsti 12. & sequentibus causâ 13. q. 2.* De hac re plura dicentur *in tit. de Simonia.*

CAPITULUM ULTIMUM.

Parochiano.

Paraphrasis.

Parochianus, qui ob manifesta crimina, videlicet homicidium, incendium, violentam injectionem manuum in Clericum, vel incestum, excommunicatus fuit, si in extremis positus à presbytero sanctæ formam Ecclesiæ absolutus est, in cœmeterio sepeliri, & aliorum Ecclesiæ suffragiorum particeps fieri debet; attamen hæredes, ad quos bona ejus pervenerunt, per Ecclesiasticam censuram compelli debent, ut pro ipso satisfaciant.

Summarium.

1. *Moribundis quomodo imponenda satisfactio?*
2. *Quando, & quomodo ad hæredes transeat obligatio satisfaciendi lapsa?*

NOtandum primum. In morituro articulo constitutum presbyter ab omnibus peccatis, & annexis excommunicationibus, quamvis alioquin reservatis, absolvere potest; debet tamen servare formam à SS. Canonibus præscriptam *c. 1. ex tenore 10. c. cùm desideres 15. de sententia excommunicationis*, videlicet ut imponat satisfactionem parti læsæ, & quidem realem, si statim præstari possit; sin minùs,

nis, præsertim eo tempore, quo periculum in mora est, sufficit cautio de satisfaciendo. Qua de re dixi *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. ult. n. 8.* Videri etiam debet *lib. 5. tra. 6. c. 12. n. 14.*

2 Notandum secundum, Obligatio satisfaciendi læsis transit ad hæredes, secundùm quantitatem bonorum ad ipsos pervenientium. Verùm distinguendum est, utrùm agatur duntaxat de injuria illata sine damno, pecuniâ æstimabili; an verò agatur de satisfactione propter illatum damnum, v. g. in homicidio, furto &c. Prior illa obligatio ordinariè non transit ad hæredem. *§. non autem Inst. de perpetuis, & temporalibus actionibus*, nisi lis cum defuncto contestata fuerit. L. *unica C. de debitis defunctorum*, quia per litis contestationem, veluti contrahunt partes inter se; at verò, si ex contractu orta sit obligatio, eam ad hæredes transire certum est. Posterior autem obligatio, quæ oritur ex damno voluntariè dato per maleficium, aut quasi maleficium, ad hæredes transit, saltem secundùm Canonicum, & conscientiæ forum, ut colligitur *ex hoc c. & c. 1. de raptoribus c. 2. de usuris in 6.* & explicavi *lib. 3 tra. 2. c. 6. n. 3 & 4.*

Adde, si damnum non sit illatum, sed sola injuria, tunc actionem quidem non competere adversus hæredem, cùm actio criminalis personalis sit, hæredi, & adversus hæredem non competens, ut docui *lib. 3. tra. 6. c. 1. n. 5.* tamen injuriam passus judicis officium implorare potest, ut hæres, ad quem bona injuriam inferentis pervenium (si is de satisfaciendo ante absolutionem, juratoriam v. g. cautionem fecit) compellatur, ad exonerandam animam defuncti, pro ipso satisfacere, sicuti *hic Innoc.* docet.

CAPITVLVM I.

in Sexto.

Animarum.

Paraphrasis.

Bonifacius VIII. severè prohibet Religiosis, & Clericis sæcularibus, ne aliquem ad vovendum, jurandum, aut promittendum inducant, ut apud ipsorum Ecclesiam eligat sepulturam, vel jam electam ulteriùs non immutet; quòd si secùs actum fuerit, electio sepulturæ irrita erit, & quæ occasione sepulturæ provenerunt, restitui debent Ecclesiæ, in qua de jure corpus sepeliri deberet, si sepultura electa non esset: quòd si restitutionem non faciant, Ecclesiæ ipsorum, in quibus corpora ita sepulta fuerunt, ipso facta sint, & maneant suppositæ interdicto, donec plena, & sepultorum corporum, & oblationum, fiat restitutio. Videri possunt, quæ dixi *in c. cùm liberum 6. hoc tit. & Suarez de censuris disp. 37. s. 1.* ubi hoc jure latum interdictum explicat.

CAPITULUM II.

Cùm quis.

Paraphrasis.

Si is, cujus Majores soliti sunt in aliqua Ecclesia v. g. Regularium sepeliri, câ dimissâ, in alia Ecclesia extra suam parochiam Sepulturam sibi elegerit, portio Canonica non Ecclesiæ, in qua sepultura Majorum est, sed illi Ecclesiæ, in qua officia divina defunctus audivit, & Ecclesiastica Sacramenta percepit, provenire debet.

Summarium.

1. *Portio Canonica debetur Ecclesiæ parochiali, quando extra parochiam, in alia Ecclesia, defunctus sepelitur.*
2. *Quid faciendum, si quis duo domicilia habeat?*

3. *Sepultura in loco quidem sacro, sed minùs celebri, rationabiliter electa censetur.*

1 NOtandum primum. Quotiescunque aliquis extra parochiam suam sepelitur in alia Ecclesia, portio Canonica dari debet Ecclesiæ parochiali; quod adeò verum esse tradit *Monachus hic & Francus n.* 1. ut si aliquis nullâ sepulturâ electâ in sepulchro Majorum extra parochiam sepultus sit, parochiali Ecclesiæ portio debeatur, similiterque si in Ecclesia Cathedrali sepultus fuerit, teste *Abb. in c. cum super. n. 9. extra. hoc tit.* Ratio est, quæ traditur *in c. 1. extra hoc tit. & Clement. 2 §. verum de sepulturis*, quòd Clericis parochiæ hæc veluti merces debeatur à parochiano, post mortem ipsius: spectanda est tamen cujusque diœcesis consuetudo, quandoquidem portio canonica ex consuetudine regulatur.

2 Notandum secundum. Si quis duo habens domicilia, in quibus quasi æqualiter degere solitus est, moriatur, sepulturâ sibi electâ in loco tertio, tunc parochiæ domiciliorum inter se dividunt portionem canonicam.

3 Notandum tertium. Qui in duobus diversis locis domicilia habet, quasi æqualiter per diversa anni tempora commorari solitus, duas parochias habere censetur, ut proinde, in qua malit, Sacramenta percipere possit. Ita sumitur *ex hoc c. & L. eum qui 27. §. Celsus ff. ad municipalem* & docui *lib. 5. tra. 6. c. 10. n. 6.*

§.

Si quis.

Si aliquis postposita sua antiqua sepultura in alio sacro loco, quamvis minùs religioso elegerit sepulturam, talis electio (quamvis de hoc jura videantur esse diversa) impugnari non debet.

PEr locum minùs religiosum intelligitur, qui sacer sit, & jus sepeliendi habeat, licèt minùs frequenter in eo divina officia, & publicæ orationes peragantur. Responsioni hujus Capituli adversari videbatur c. 3. *hoc tit.* sed quia jura cum juribus conciliari debent, ideò explica, ut ibi dixi, si electio sepulturæ in loco minùs religioso irrationabiliter facta sit, non esse attendendam electionem, sed pro irrita habendam.

CAPITULUM III.

Is qui.

Paraphrasis.

Si aliquis in civitate vel castro habens domicilium quandoque ad villam transferat recreationis causâ, vel ut rusticis exerceat, accidat autem, ut non electâ sepulturâ moriatur, non in Ecclesia villæ, sed in parochia, sive potiùs, in ea Ecclesia, ubi Majorum sepulchrum est, sepeliri debet, si absque periculo ibi possit deportari.

Summarium.

1. *Habitatio sola sicuti non facit aliquem incolam, sic nec parochianum.*
2. *Quamvis ob necessitatem, aut quasi domicilium habeat, nunquam in loco, ubi moratur aegrotus, si moriatur, sepeliri possit.*
3. *Ubi sepelienda sit mulier post plures viros, quos maritos habuit, mortua, si nullam elegerit sepulturam?*

NOtandum primum. Habitatio non facit aliquem incolam, eâque tanquam parochianum, nisi adsit animus manendi. Ita *hic & in L. domicilium 20. ff. ad municipalem.* Docui *lib. 5. tra. 6. c. 10. n. 6.*

Corollarium. Si quis propter pestem v. g. è civitate sua se transferat ad pagum, animo redeundi, postquam pestis cessarit, accidat verò, ut in pago moriatur, & sepeliatur, portio Canonica debetur Ecclesiæ parochiali civitatis. Ita *Abb. in c. in nostra extra hoc tit.*

Nota-

2 Notandum secundum. Si aliquis alibi domicilium habens in alio loco ad tempus moretur negotij causâ, tun propter necessitatem, quia ad suam parochiam commodè transferri non potest, in parochia ejus loci sepeliri potest: quod maximè verum est in studiosis, mechanicis, & famulis conductitijs, qui ob longioris habitationis propositum quasi domicilium habent, eâque ratione parochiam acquirunt, licèt domicilium, aut parochiam suæ civitatis, aut ubi patres ipsorum habitant, non amittant. Quâ de re *Innoc. in c. omnis. n. 6. de pœnitentijs. Abb in c. 1. n. 4. c. in nostra. n. 11. extra hoc tit.*

3 Notandum tertium. Mulier non tantùm vivente marito, sed etiam post mortem ejus retinet domicilium, & honorem mariti. Ita etiam habetur *in c. ex parte ij.* ubi id docui de foro competente, & *in L. 3. C. de privilegijs scholarum tib. 12.* ubi *Gl.* ait, quòd vidua fruitur privilegijs mariti. Excipe, nisi ad aliud matrimonium accesserit; tunc enim consequitur honorem, & domicilium posterioris mariti, argumento hujus textûs. Multóque magìs si vidua impudicè vivat, perdit privilegia & honorem mariti L. *his solis 7. C. de revocandis donationibus.* & videri potest *Abb. in c. uxoratus n. 2. de conversione conjugatorum.*

4 Notandum quartum. Mulier non in sepulchro Majorum, sed mariti sepeliri debet, si non electâ sepulturâ decessit. Ratio dari debet, quia major est conjunctio uxoris cum marito, quàm cum proprijs parentibus, juxta illud *Gen. 2.* relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Adde cum *Franco*, si maritus ibi sepulturam deputârit, & uxor præmortua fuerit, eam in deputato sepulchro esse sepeliendam.

CAPITULUM IV.

Licet.

Paraphrasis.

Pater liberos impuberes defunctos, qui in ea ætate sepulturam eligere non potuerunt, sepelire potest in Ecclesia, in qua voluerit, si consuetudo regionis permittat; sin autem consuetudo id non ferat, cum majoribus suis, vel in parochiali Ecclesia sepeliendi sunt.

Summarium.

1. *Spectato jure communi non potest pater filio impuberi eligere sepulturam, quamvis possit ei hæredem instituere, nisi consuetudo loci aliud habeat.*
2. *Si pubes tamen sit filiusfamilias, liberè sibi eligit sepulturam, etiam sine patris consensu, quamvis sine hoc pro anima etiam suâ disponere non possit, nisi de peculio castrensi, aut quasi castrensi.*

NOtandum. Spectato communi jure impuberes in sepulchro Majorum, vel in paroch ali Ecclesia debent sepeliri, & non, ubi pater voluerit. 1

Quæres. Cur spectato communi jure pater filio hæredem instituere, sive pro filio impubere testamentum facere possit, *L. 1. ff. de vulgari substitutione c. 1. de testamentis in 6.* non item sepulturam eidem eligere. Respondetur cum *Dominico hic*, quia jus sepulturæ spirituale est, jus autem testamenti temporale; majorem autem pater erga filium potestatem in temporalibus habet, quàm in spiritualibus, sicuti dicetur §. *sequente.* Adde, quòd per consuetudinem introduci possit, ut etiam mater, imò & propinqui filio impuberi eligant sepulturam, secundùm *Dominicum & Francum hic.*

Notandum secundum. Filiusfamilias, 2
si pubes sit, absque patris consensu liberè sibi eligit sepulturam; per ultimam tamen voluntatem disponere, aut relinquere etiam

pro anima sua non potest, sine patris assensu, præterquam si castrense, aut quasi castrense peculium habet. Neque enim videbatur conveniens, ut juri ac potestati patriæ à SS. Canonibus præjudicium aliquod afferatur (vide, quæ dixi *lib. 3. tra. 5. c. 3. n. 2.*) & quòd patria potestas non ita se extendat ad jura spiritualia, qualis est electio sepulturæ, prout habetur in Capitulo *ult. de judicijs in 6.* & jam dictum est.

CAPITULVM VLTIMVM.

Religiosi.

Paraphrasis.

Cùm Religiosi velle, & nolle non habeant, sepulturam sibi eligere non possunt, sed in monasterijs suis sepeliri debent, nisi adeò remoti sint, ut eò commodè non possint portari, tunc jus sepulturæ eligere ipsis competit.

Summarium.

1. *Religiosus absque Prælati consensu sepulturam sibi eligere non potest.*
2. *Nisi distantia, & incommoditas hoc requirat.*

NOtandum primum. Tametsi uxor absque mariti consensu sepulturam sibi eligere possit, non tamen Religiosus absque Prælati consensu. Rationem discrimin dat *Gl. hic.* quia Religiosus simpliciter, omnimodè subditus est Prælato, ab eóque dependens in omnibus, saltem exteriorib actionibus, & dispositionibus; at verò uxor non est absolutè, & omnimodè subdita marito, ab eóque dependens, sed tantùm, quatenus Lex matrimonialis ipsam cum marito copulat, eidémque subijcit: itaque cessante ea Lege disponere potest uxor absque mariti consensu. Vide, quæ dixi *lib. 4. tra. 4. c. 7. assert. 2. & 6.*

Notandum secundum. Ratione distantiæ, & incommoditatis quædam permittuntur, quæ alioquin non permitterentur. Ita *Gl. hic. V. commodè*, & sumitur ex *c. 3. supra. hoc lib. & tit.*

* *
*

TITULUS XXIX.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS

IUs sepeliendi communi jure ad parochias pertinet; eâ occasione, cùm post ultimas voluntates de sepulturis, & jure sepeliendi dictum fuerit, ideò generatim de parochijs, earúmque juribus subjungitur

CAPITULUM I.

Si Episcopus.

Paraphrasis.

Episcopus cum magna Diœcesanorum parte incidit in hæresin Donati, & idcircò alius suffectus: postea Episcopus ille ad Catholicam rediit unitatem. Hoc invalidò duo Episcopi isti parochias, in quibus ab aliquo tempore Catholici, & Donatistæ fuerunt, dividebant ita, ut alia ad alterum, & alia ad alterum loca pertinerent, & ille Episcopus partitionem hanc faciat, qui est antiquior, alter verò eligat. Quòd si tantùm unus locus, seu parochia sit, pertineat ad illum, quem plebs consenserit. Quòd si eam consentiant, & Catholici antiqui suum velint Episcopum, & qui recens sunt conversi, suum; voluntas plurium præferatur voluntati pauciorum: sin partes æquales sint, attendatur, uter diutius gesse-

gesserit Episcopatum : quòd si plura loca Diœcesis sint, numero v. g. impari, tunc divisis alijs locis, circa unum fiat, sicuti dictum est in casu, si unicus tantùm sit locus.

SUMMARIUM.

1. *Vtrùm beneficiarius ad hæresin deficiens, si iterum ad Ecclesiam redeat, sua beneficia recuperet?*
2. *In re communi dividenda Majoris est divisionem facere, Minoris rem eligere?*

NOtandum primum. Si Episcopus, aliúsve beneficiarius, in hæresin incidat, alius in locum ejus sufficiendus est, quia privationem juris, ac tituli ipso jure incurrit. Sed quæres. Si Episcopus, aut beneficiarius ad Ecclesiam reversus sit, num recuperet jura amissa, ac titulum beneficij. Affirmare videtur *Glossa c. maximum 10. causâ 1. q. 7.* ubi loquitur de jure patronatûs, quòd patronus, qui propter hæresin jus patronatus amisit, reversus ad Ecclesiam illud recuperet: sed generaliùs respondetur, si sententia privationis contra hæreticum v. g. lata sit, non recuperat jus amissum, per emendationem, sicut *in eadem Gl.* notatur: idemque dicendum, si pœna privationis ipso jure contracta sit v. g ob hæresin, quæ juris infamiam habet annexam, item bonorum omnium confiscationem, talis enim pœna seu jure, seu ab homine, per sententiam inflicta, non tollitur, nisi per Principis restitutionem *argum. c. vergentis 10. de hæreticis & L. commissa 14. ff. de publicanis.* & tradit *Abb. c. quia n. 9. de electione.* Sin autem damnatus à Principe sit restitutus, recuperat omnia bona, & jura *L. 1. C. de sententiam passis.* ubi explicatur, quid sit damnatum in integrum restitui, videlicet honoribus, & ordini, & omnibus cæteris restituere, & *in L. 2.* notatur, aliud esse indulgentiam crimini dare, aliud verò restituere hominem; nam indulgentia solius pœnæ remissionem continet, sed restitutio in statum pristinum per omnia reponit, quam rem explicat *Bartolus cit. L. 1. n. 1.*

Limitari debet. Si bona & jura, quibus reus est privatus, in alium Principis donatione translata sint, damnato per restitutionem in integrum non acquiruntur: quia ea fieri censetur sine præjudicio juris alieni *argum. c. quamvis. 8. de rescriptis in 6.* Quare cùm in casu hujus Capituli Episcopo post reditum ad Ecclesiam pars Diœcesis assignata fuit, id factum est ex gratia, & concessione speciali, propter circumstantias loci, ac temporis, quæ in Africa dominantibus Donatistis concurrerunt; præsertim cùm Episcopi reversi in possessione adhuc essent, nec facilè removeri possent, ut videre licet apud *S. Aug. epistola 50. ad Bonifacium.* Quare cum decisio Capituli ex speciali causa processerit, non facit jus commune, nec debet ad alios casus extendi, nisi ad omninò similes; quales tempore schismatis accidere possunt, ut *Innoc. & Ioann. And. hic* notavit.

Notandum secundum. Non incongruus 2
modus est, si res communis dividenda sit, ut major natu, aut peritior, rerum divisionem faciat, alter verò minor natu, aut minùs peritus electionem habeat, argum. sumpto *ex c. 13. Genesis. v. 8.* & ita docuit *Guido papa decisione 259.* & videri potest *Bartolus L. senatus §. senatus ff. de jure fisci.* Usitatius tamen, & securius est, ut Judex dividat, & electio sorti committatur secundùm *Gl. L. 2. quando, & quibus quarta pars, Tolosanum lib. 5. Syntagmatum c. 4.* Quòd si res divisionem commodè non admittat, æquum est, ut ei detur, qui plus pretij ad alterius jus redimendum obtulerit, vel ut alterius partis redemptio, seu electio tribuatur ei, cui major portio, seu jus potius competit, sicuti *Gl.* notavit *cit. L. V. in sortium.*

* * *

CAPI-

CAPITULUM II.

Ut dominium.

PARAPHRASIS.

Parochi in dominicis, & festis diebus, priusquam Missam celebrent, interrogare debent, num alienus parochianus in Ecclesia sit, qui ex parochi proprij contemptu accesserit, ut eum mox ab Ecclesia ejiciant. Refertur etiam *c. 4. causâ. 9. q. 3.*

SUMMARIUM.

1. *Vtrùm parochiani fideles in suis Ecclesijs Parochialibus Missam audire debeant ex præcepto?*
2. *Vtrùm munus prædicandi proprium sit Episcoporum?*
3. *Privilegium Mendicantium, ut possint in quovis loco Verbum DEI prædicare juxtà Extravagantem Benedicti XI. de privilegijs inter communes, quomodo intelligendum?*

1 NOtandum. Parochianus peccat, & prohiberi debet, si ad alienam parochiam diebus dominicis ac festis ad divina audienda se conferat ex contemptu proprij parochi. Præsumitur autem contemptus, si id faciat absque causa rationabili; secùs si ex causa, v. g. dum parochianus peregrinatur.

Dubium est, utrùm sit præceptum, ut fideles in parochia sua & non alibi die Dominico, aut festo Missam audiant. Resp. & dico primò, spectato communi jure scripto videtur esse præscriptum, ut parochiani in propria parochia, si id commodè fieri possit, Missam audiant; ita enim indicatur *in hoc cap.* cedere in contemptum parochi, si extra parochiam parochiani, justâ causâ non excusati, Missam audiant, sicuti *Innoc. Ioan. Andreas* & alij explicant, & videri potest *c. 4. & 5. causâ 9. q. 2.* & expressiùs habetur *in Extravag. Sixti IV. de treuga & pace.* Quare Innocentius III. in rubrica hujus cap. ait: jus parochiale consistit, ut in diebus festis parochiani Missam audiant in suis Ecclesijs, juxta *c. 2. hoc tit. & c. fin. dist. 35. dist. 1. de consecratione*, & hanc sententiam tenent Doctores apud *Sylv. v. missa q. 5. Azor tom. 1. lib. 7. c. 6. q. 5.*

Dico secundò. Mendicantibus Religiosis concessum est à Leone X. & Pio V. ut in ... rum Ecclesijs, non contempto parochi ... diebus dominicis, ac festis missam audiant ... satisfaciant præcepto Ecclesiæ. Videri potest *Navarrus c. 21. Manualis n. 5.*

Dico tertiò. Etiam seclusis Regularium privilegijs, juri communi scripto multis ... derogatum est, præsertim in civitatibus, in quibus numerosus populus est, & plures Ecclesiæ, adeò ut quisque pro suo arbitrio & devotione Missam in Ecclesia, aut oratorio quocunque audire possit. De hoc refertur *Sylvester & Navar. cit. Gutierez. lib. canonicarum quæst. c. 30. n. 7.* nec dissimiliter videtur *Trident. Sess. 22. in decreto de observandis in celebratione Missæ*, ubi dicitur: moneant ordinarij populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis ac majoribus festis, accedant. Monendum ait, non cogendum pœnis aut censuris, sicut testatur *Navarrus loc. cit. Azor q. 6. Zerola p. 1. praxis v. missa q. 6.*

Dixi autem, præsertim in civitatibus, nisi enim causa aliqua sit cohonestans, seu rationabilem reddens consuetudinem, posset ea poterit in injuriam, ac contemptum propriæ parochiæ, ideóque contra eum Episcopus præceptum edere posset, ut bene notavit *Azor cit. loc.* Si tota, inquit, aut maxima pars parochianorum parochiam desereret, vel contemneret; aut si res divina audiretur extra ullam causam justam in privatis Sacellis, & Oratorijs, nullo privilegio Pontificio munitis, putà rim, Episcopis licere, simplici mandato præcipere, ut parochiani ad suas parochias accedant, non tamen irrogatis pœnis; neque constitutionem ita formare posset: ne parochiani diebus dominicis sacrum audiant in Sacellis privatis.

A-

Alterum dubium, num munus prædicandi proprium sit Episcoporum, & parochorum, an verò etiam Regularibus competat, & plebs eorum conciones posthabitâ parochiâ audire possit.

2 Respondeo & dico primò. Munus prædicandi populo Verbum Dei per se pertinet ad curam Animarum, ideò præcipuum hoc dicitur esse munus Episcoporum, in Tridentino *Sess. 24. c. 4. de reformatione*, & consentit *c. 15. inter de officio Ordinarij.* Ubi etiam dixi, hoc prædicandi officium ad parochos pertinere, in suis Ecclesijs, ita, ut Episcopus cum ipsis in potestate concurrat; imò præferendus sit, si ipsemet prædicare velit; alioqui parochum prædicare volentem, si idoneus sit, impedire non debet; sin autem non idoneus, tunc ad utrumque cumulativè spectat, alium substituere: qua tamen in re Episcopus, tanquam major, & universaliorem potestatem habens, præferri debet, ut colligitur ex Trident. *cit. c. 4.* Eadémque ratio est, si ob populi frequentiam duæ conciones in die, vel frequentes per hebdomadem, judicio Episcopi, habendæ sint, ita, ut unus satisfacere non possit, sed alter adjungendus sit, cura illa potissimùm ad Episcopum spectat; similitérque in Cathedralibus Ecclesijs concionatorem deputare, eidémque stipendium assignare, spectato communi jure, ad Episcopum pertinet *cit. c. 4.* & docet *Zerola in praxi parte 1. v. prædicatio ad 7.*

Dico secundò. Tametsi munus prædicandi etiam non curatis, v. g. Regularibus committi possit ab Ordinario, videlicet Papa, Episcopo, vel Parocho, tamen ejusmodi commissiones, & privilegia concessa, v. g. à Sede Apostolica, intelligi debent sine præjudicio inferiorum ordinariorum pastorum, nisi expresè eorum juri derogetur, Ita inter alios *Suarez tom. 4. de religione lib. 9. de ministerijs c. 1. n. 3.* & constat ex recepta doctrina Gl. *c. 2. v. uniendæ de Relig. domibus*, quòd Princeps dando privilegium non censetur derogare juri tertiæ personæ, nisi exprimat: id verò maximè locum habere debet in proposito, cùm ad pastorem quemlibet, seu ordinarium, ratione muneris sui pertineat, ut plebis sibi commissæ curam habeat, & Verbo Dei tanquam spirituali pabulo pascat, *cit. c. inter* & sumitur *ex Apostolo 1. Tim. 5. v. 17.*

Dubium tertium. Quid sentiendum sit 3
de Extravag. 1. de privilegijs, quæ est Benedicti XI. inter communes, quòd Ordinum Mendicantium fratres à Superioribus suis deputati, in Ecclesijs, & locis ipsorum, & in publicis plateis, liberè, absque diœcesanorum, & aliorum prælatorum petitâ licentiâ, valeant clero & populo Verbum Dei prædicare; in Ecclesijs autem parochialibus, invitis earum Rectoribus, nisi jussi ab eorundem Superioribus, non audeant prædicare. Resp. hodie attendendum esse, quid de hac re constitutum sit in Tridentino, præterquam, si postea datum Sedis Romanæ privilegium exhiberi possit, in quo expresè derogatum sit Tridentino. Ita *Suarez cit. c. 1. n. 4.* Itaque distingue, num Regulares in suis Ecclesijs prædicare velint, Clero & populo, qui Episcopo subditus est; an in publicis plateis, & vicis; an in Ecclesijs parochialibus & earundem filiabus. In primo casu servari debet, quod habetur in Tridentino *Sess. 5. c. 2. de reformatione.* ubi dicitur, quòd regulares cujusque ordinis, nisi Superioribus suis (regularibus) de vita, moribus, & scientiâ examinati, & approbati fuerint, ac de eorundem licentia, etiam in Ecclesijs suorum ordinum prædicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eisdem benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. Et *Sess. 24. c. 4. de reformatione*: nullus Sæcularis, vel regularis, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Ex quibus locis *Suarez cit. n 4.* colligit, ut regulares in suis Ecclesijs clero aut populo prædicare possint, requiri consensum Episcopi, saltem implicitum: quod etiam docuit *Zerola p. 1. praxis v. prædicatio ad*

tio ad 3. licèt aliter intellexerit *Rodriq. tom. 3. regularium q. 32. a. 1. & 5.*

Quæres. Quidsi Episcopus benedictionem dare nollet, aut contradiceret, quo minùs Regularis approbatus, & præsentatus à Superiore suo in Ecclesia Ordinis sui prædicare posset. Respondetur: si Episcopus absolutè contradicat, ne Regulares à Sede Apostolica privilegiati in Ecclesijs suis prædicent, non est attendenda contradictio, quia inferior non potest tollere privilegium datum à Superiore. Sin autem non absolutè se opponat, sed ne hæc persona ad prædicandum assumatur, tunc parendum esse Episcopo, etiamsi persona idonea videatur Prælato, ut plurib. docet *Suarez n. 9.* nam si res dubia sit, Episcopi judicium præfertur, cùm ad ipsum spectet cura plebis: sin autem ponamus indubium, ac notorium videri, quòd persona idonea sit, tunc saltem ob scandalum vitandum, antequam ea idoneitas per Superiorem judicem declaretur, obediendum plerumque est, & alius præsentandus.

Adde primò. Quòd Episcopus ex justa causa prohibere possit, ne Regulares in Ecclesijs suis prædicent certâ aliquâ horâ, v. g. dum in parochiali Ecclesiâ concio habetur, quia ad ipsum, ut dixi, pertinet cura parochianorũ, quam impedire, aut restringere privilegijs non intendit Papa.

Adde secundò. Quòd Episcopus Religioso in propria Ecclesia prædicanti, si errores, aut scandala disseminet, prædicationem interdicere debeat; sin verò hæreses prædicet, secundùm juris dispositionem contra ipsum procedere, auctoritate ordinariâ, si exemptus non est; auctoritate verò Apostolicâ, & tanquam delegatus Sedis, si exemptus: curare tamen debet, ne ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè prædicator vexetur. Ita habetur in Trident. *Sess. 5. c. 2. de reformatione*, & videri potest *Leo X. in Concilio Lateran. Sess. 11.* ubi inter alia prohibetur, ne Episcopis, Prælatis, aliisque Superioribus scandalosè detrahant Regulares, in concionibus, aut intemperatè reprehendant: quod etiam habetur in *Clement. 1. de privilegijs.* ubi ex Tullio *v. detrahant* allegat: sæpe vi graviùs offendere animos Auditorum, qui aliena vitia apertè dixerunt, quàm eo qui commiserunt.

Adde tertiò. Quòd Episcopus permittere non debeat, ut Regularis, qui extra claustrum, & Religionis obedientiam degit, civitate, aut diœcesi suâ concionetur. *Trident. 5. c. 2. § caveant.* Etidem de ejectis ob culpas ex Clemente IV. tradit *driquez tom. 3. q. 32. a. 9.*

Adde quartò. Ex eadem *Clement. 1.* *Leone X.* prohiberi Religiosis, ne indulgentias prædicent, & ne confin miracula, nova, & falsa vaticinia, aut revelationes populo proponant, eosque in talibus delinquunt, à prædicationis officio suspensos esse decernitur. Videri potest *Navar in manuali c. 25. n. 141. Rodriquez cit. q. 32. a. 2. & 10. Sà v. prædicare 4.*

In altero casu, videlicet in publicis pleteis, & vicis, ut prædicare possint Regulares privilegiati, opus est Episcopi licentiâ, ubi ea commodè peti potest: sin minus, quia Episcopus abest, prædicandum non est repugnantibus parochis, sicuti aperte significat Gregorius XIII. in bullâ data Sociatati nostræ anno 1575. incipiente: *Ad perpetuam rei memoriam.* Peccant autem Episcopi, vel parochi, si absque justa causa Religiosos Mendicantes, & privile... in officio prædicationis, quod juxta privilegia exercent, impedire conentur. De re *Rodriquez. cit. loc. a. 7. Suarez c. 1. n. 10.*

Tertius prædicandi modus in Ecclesi parochialibus concessus non est Religiosis, nisi earundem curati consentiant, vel ... Episcopus facultatem det; tunc enim parochus contradicere non potest. Ita intelligi debet *Extravagans prima de privilegijs.* videatur *Suarez n. 6.* qui admonet n. 10. ... prædicandi licentiam Religiosis, [illegible] non initiatis Ordinibus sacris, dummodo primam habeant tonsuram, committi pos...

si idonei sint, & *n. 18.* in privilegio prædicandi etiam novitios comprehendi, *argu. c. Religioso 21. §. quamvis de sententia excommunicationis in 6.*

CAPITVLVM III.

Nullus.

PARAPHRASIS.

Episcopus alterius Episcopi diœcesanum judicare non potest, cùm neque ordinare possit.

NOtandum. Argumentum procedit à minore ad majus, negativè videlicet, cùm Episcopus sibi non subditum, seu qui alterius diœcesis est, ordinare non possit *c. 1. causâ 9. q. 2.* sequitur, quòd nec judicare possit: nam iste actus jurisdictionis contentiosæ coactionem habet, & ideò erga non subditum non rectè exercetur. At verò ordinariè referri potest ad jurisdictionem voluntariam, cui aliquis se sponte subijcere potest, & tamè requiritur, ut ordinandus subditus sit Episcopo ordinanti, nisi à proprio Episcopo dimissorias habeat.

CAPITVLVM IV.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Dubitatum fuit, num ea, quæ in sacris canonibus decreta reperiuntur *c quicunque & sequentibus causâ 16. q. 3.* de finibus provinciarum, ac diœcesium, iisque, quæ finibus adhærent non præscribendis, etiam in parochijs locum habeant, ut & ipsarum fines & quæ finibus cohærent, præscribi non possint. Respondet Urbanus III. de utrisque, intelligè, dummodo per legitimam probationem, vel aliàs indubitatâ fide constiterit, fines auctoritate Ecclesiasticâ constitutos esse.

SUMMARIUM.

Fines parochiarum, & diœcesium, quomodo præscribi non possint.

NOtandum. Fines parochiarum, Diœcesium, & Provinciarum, & quæ finibus cohærent, præscribi nunquam possunt. Ita *Gl. hic in notandis.* Ratio datur in *cit. c. quicunque*, ne Provinciarum termini confundantur, & in *c. inter 6. eadem q.* ne quis terminos alienos usurpet.

Pro majori intellectu adverte, quòd limes est linea, seu longitudo distinguens spatium à spatio, teste *Andreâ hic n. 2.* Adhærentia limiti dicuntur, quæ posita sunt, ut signa limitis, videlicet lapis positus in confinibus; in diœcesibus enim, & parochijs discernendis solent esse montes, flumina & paludes. Hæc ita formaliter spectata, quatenus posita sunt ad constituendos terminos, seu fines diœcesis, mutari per præscriptionem non possunt, quia constituti sunt fines, ut in æternum maneant: exempli cauâ; usque ad Ecclesiam positam in radice montis, tendit Episcopatus N. post Ecclesiam illam incipit Episcopatus confinis. Interim verò nihil prohibet, quin Episcopus per præscriptionem, saltem immemorialem, vel 40. annorum cum titulo præscribat Ecclesiam positam intra diœcesin alterius Episcopi, quæ tamen non cohæreat finibus, sive non sit constituta ad significandos & discernendos fines, uti sumitur ex *cit. c. inter*, *junctâ Gl. & docent Doctores apud Andream hic n. 3. Abbas n. 6.* & dixi *lib. 3. tra. 1. c. 8. n. 14.* Ratio discriminis est, quia si Episcopus Ecclesiam, quæ intra alienam diœcesin est, per præscriptionem suæ jurisdictioni subijciat non ideò confunduntur termini antiqui diœcesis, sicuti in casu priore confunderentur, quandoquidem Ecclesia, quæ antea erat intra diœcesin hanc, transiret ad diœcesin alteram. His duo adde. Tametsi plerique sentiant, hæc locum etiam habere in finibus Regnorum, & Dominiorum *argum. L.*

agros 3. C. de fundis limitotrephis. Tamen ea res consuetudine non ita observari, sed non rarò mutari solent, uti *Hostien. & Ioan. And. hìc* annotârunt. Alterum, montem, aut fluvium per se, ac propriè non esse limitem diœcesis, sed potiùs signum, sicut & lapis limitaneus, quare translato lapide, fluvio exiccato, aut alium alveũ acquirente, non sunt mutati fines, quandoquidem signatum non dependet à signo, ita ut eo ablato etiam signatum mutetur.

Portò quod dixi, fines præscribi non posse, intelligi debet de omni præscriptione etiam centenariâ, aut temporis immemorialis, eò quòd præscriptioni huic canon omnimodè resistat, præscriptio autem lege resistente prævalere non possit *cit. L. agros in lib. 11. Codicis.* & ita docet *Abb. hic n. 2. Felinus in c. quia n. 5. de præscriptionibus p. 6. q. 15. casu 10.*

CAPITVLVM VLTIMVM.

Significavit.

Paraphrasis.

Cùm civitas Aconensis recuperata esset à Christianis, multi se eò contulerunt, habitatione constitutâ, qui antè occupationem terræ sanctæ in regno Ierosolymitano habitabant: tunc Prælati ejus regni ab Aconensibus habitatoribus jura Episcopalia exegerunt, quare Episcopus Aconensis questus est Clementi III. qui hîc mandat, ut Prælati illi nullam in Aconenses incolas jurisdictionem exerceant, quibus spiritualia non ministrant. Vtrùm si ex agris, qui in parochijs eorundem Prælatorum constituti sunt, Aconenses percipiant fructus, tum rationem prædiorum decimas solvant Prælatis, et verò Episcopo Aconensi subjectionem, & obedientiam in posterum præstent.

Summarium.

Domicilium tam quo ad temporalem quàm spiritualem jurisdictionem, liberè quivis acquirere potest.

NOtandum primum. Domicilium aliquis libera voluntate mutat, & jurisdictioni alteri spirituali, ac temporali subjicitur, transferendo se ad alium locum, vel diœcesin animo constanter habitandi. *L. postliminij 5. ff. de captivis* & explicavi *lib. 5. tra. 6. c. 10. n. 6. & tra. 9. c. 9. n. 10.*

Notandum secundum. Qui parochi vel prælati parochianis spiritualia non ministrant, non debent ab eis exigere temporalia: hæc enim debentur ministris Ecclesiæ propter spiritualia, & ideò exigi non possunt, nisi spiritualia ministrentur; imò etiamsi accepta sint, repeti possunt, si cessante, ob quam dantur, non sequatur. *Cod. de conditione ob causam datorum, & de conditione causa data, causa non secuta. Gl. hìc And. n. 4.*

Notandum tertium. Decimæ prædiales dantur parochiæ, in qua prædia sita sunt, nisi alia sit consuetudo Regionis, ut dicemus *in c. ad Apostolicæ 20. de decimis* & habetur *in textu nostro.*

TITU-

TITULUS XXX.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

INter jura parochialia non minimum locum tenet jus decimarum, primitiarum, & oblationum: ideò postquam de parochijs, & quibusdam ejus juribus actum est, peculiari jam titulo de decimis &c. subjungitur.

CAPITULUM I.

Decimam.

PARAPHRASIS.

Populus Israeliticus partem decimam frugum ex Legis Præcepto Leviticæ Tribui solvebat; & rursus Levitæ ex ipsis decimis partem decimam Sacerdotibus *lib. 2. Esdræ c. 10. v. 37 Deuter 18. v. 23.* Erant & aliæ decimæ fructuum, quas quisque è populo in horreo seperabat, ut cùm in templum Jerusalem iret, eas comederet in vestibulo templi cum Sacerdotibus, & Levitis *Deuter 12. v. 11. & 14. capite v. 22.* Sed & aliæ decimæ erant, quas pauperibus recondere solebant *Deuter. 26. v. 12.* At verò primitiæ, quas de frugibus offerebant Hebræi, non erant in quantitate definitæ, sed offerentium arbitrio relictæ: erat tamen traditio Hebræorum à Magistris introducta, quòd, qui plurimum dare vellent, quadragesimam partem; qui minimum, sexagesimam darent, adeóque inter quadragesimam, & sexagesimam offerre liceret, quòd cuique liberet; & ita, quòd in Pentateucho decretum non erat, id Magistri Hebræorum definiêrunt, propter Sacerdotum avaritiam, ne supra modum exigerent, ut colligitur *ex c. 45. Ezechielis v. 11.*

CAPITULUM II.

Novum.

PARAPHRASIS.

Exactionis hoc novum genus est, si Clerici à Clericis decimas exigant, cùm nuspiam in lege Domini reperiatur, quòd Levitæ à Levitis decimas acceperint. Veruntamen Clerici, quibus alij Clerici spiritualium ministeriorum labores impendunt, his ipsis decimas meritò persolvunt.

PARAPHRASIS.

Quomodo Clerici ad decimas dandas obligentur.

NOtandum. Clerici, qui decimas, aliósve fructus ex titulis Ecclesiasticis accipiunt, ex ijs sibi invicem decimas non dant. At verò ex alijs proventibus suis Clerici pastoribus, à quibus spiritualia accipiunt, decimas dare coguntur. Ita explicat *Suarez. lib. 1 de decimis c. 17.*

Verùm hujus cap. vix aliquis hodie locus est, quia personales decimæ hodie non sunt in consuetudine; at verò in decimis realibus, spectato communi jure, attendi debet ad parochiam, intra cujus fines prædium situm *c. quoniam 13. hoc tit.* Vide, quæ dixi *lib. 4. tra. 6. c. 1. n. 3. & c. 3. n. 2.*

CAPITVLVM III.

Ex multiplici.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem, & Conventum ex una parte, & parochum nomine Ecclesiæ suæ ex altera parte transactio facta fuit, instrumento authentico monachorum roborata, quòd monachi parocho, & Ecclesiæ

ejus de frumento, & omnibus leguminibus, quamdiu is viveret, decimas persolvere debeant, exceptis decimis minutis. Deinde verò Abbas à Pontifice privilegium obtinuit, ut de terris, quas proprijs manibus, aut sumptibus monasterium excolit, nulli teneantur solvere decimas: post acceptum privilegium, idem Abbas, colonos ex villa, monasterio à Rege Angliæ donata, quæ intra parochiam illam sita erat, expulit, & totam eam terram proprijs sumptibus, & laboribus colere cœpit. Hoc intellecto rescripsit Hadrianus IV. ad Episcopos quosdam, ut Abbatem, & monachos ad dictam transactionem (non obstante privilegio illo, si in eo transactionis mentio nulla fuit) cum parocho initam inviolabiliter servandam, vel pacificè cum eodem componendum compellant.

Summarium.

1. *Potest transigere parochus super decimis, ita, ut non videatur opus esse auctoritate Episcopi, si transactio sit temporalis, & personalis, ad vitam parochi v. g.*
2. *Privilegium exemptionis à decimis non derogat spectali transactioni, quæ antecessit, nisi fiat de ea in privilegio mentio.*

1 NOtandum primum. Parochus transigere potest super decimis v. g. cum monasterio; neque videtur, opus esse auctoritate Episcopi, si transactio sit temporalis & personalis, videlicet ad vitam parochi. Ita *Gl. hic v. eodem. Rebuff. de decimis q. 13. n. 33.* & dixi *in c. venient 8. de transactionibus, & in disp. de alienatione thesi 81.* Contrarium verò docet Abb. in *c. quamvis hoc tit.* opus esse auctoritate Superioris, si concessio sit ad tempus longum, aut vitam parochi. Et ita in multis diœcesibus observatur. Attendenda itaque est consuetudo, & statuta synodalia, in quantum tempus parochis concessionem, seu elocationem, & consequenter transactionem liberam permittant.

Notandum secundum. Privilegium exemptionis à decimis non derogat speciali transactioni, quæ antecessit, nisi de ea in privilegio mentio fiat. Ita hic, & docui lib. 1. *tra. 4. c. 23. n. 6.* Ratio est duplex prima. Cùm per transactionem jus parti acquisitum fuerit, non censetur Princeps ei derogare velle, nisi exprimat. *argum. c. mandatum 38. de rescriptis junctâ Gl. finali Habetur in c. extuarum 5. de auctoritate, & ibi pulsan c super 15. de officio delegati.* Altera, quia Papa verisimiliter non concessisset privilegium, si transactionem cognitam habuisset, quandoquidem, quæ semel transacta, & composita sunt inter partes, rescindi facilè non debent *L. causas 16. c. de transactionibus.* quare subreptitia censetur impetratio privilegij, si antecedentis transactionis mentio non fiat. *c. super 20. de rescriptis.*

CAPITULUM IV.

Commissum.

Paraphrasis.

Delatum fuit ad Hadrianum IV. quòd monachi de Bossa Ecclesiæ S. MARIÆ, in cujus parochia morabantur, decimas integrè non persolverent; ea propter mandat is Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo (qui postea circa annum Christi 1170. ob Ecclesiasticæ immunitatis defensionem martyrio coronatus est, sub Alexandro III. Papa) ut monachos ex novis cultis, in quibus olim domus constructa erant, ad decimas integrè solvendas parochiæ compellat, sicuti, ex priusquam monachi intra parochiæ fines morarentur, pendi consueverant, & sicuti olim ex pascuis decimæ persolvi integrè debeant.

SUM-

SUMMARIUM.

1. *Dominus fundi decimalis arbitratu suo mutationem instituere potest, ex agro v. g. faciendo hortum, modò hoc non fiat in fraudem Ecclesiæ.*
2. *Ita, ut maneat decimarum obligatio in substantia, quamvis mutetur in qualitate.*
3. *Cui ex vineis, in quas ager v. g. mutatus est, jam solvendæ sint decimæ, si alij ex vineis decimæ solvantur, alij ex agris.*
4. *Utrùm post factam talem mutationem decimæ solvi debeant ex illis fructibus, ex quibus ob loci consuetudinem nullæ decimæ solvuntur, si fundus priùs decimalis in tales fructus vertatur?*

1 NOtandum primum. Dominus fundi decimalis arbitratu suo mutationem instituere potest, v. g. ut ex agro faciat hortum, dummodo partem decimam fructuum solvere paratus sit. Ita *Abb. hìc n.* 2. Amplia; & si agrum decimalem aliquamdiu incultum relinquat, non posse contra eum agi, præterquam, si id faciat in fraudem, videlicet nullâ justâ ratione motus, adeóque ut Ecclesiæ obsit, sibi non prosit: in hoc casu Ecclesia officium Judicis implorare potest, ut ad fundum colendum dominus ejus cogatur.

2 Notandum secundum. Si prædium sit ad decimas obligatum, & mutatio fiat, ita, ut ex prato fiat ager v. g. vel ex prædio urbano prædium rusticum, decimarum obligatio manet in substantia, licèt mutetur in qualitate: quia, ut *Andreas hìc ait n.* 2. etsi qualitas terræ mutetur, non tamen substantia, quandoquidem terra decimalis non gerit obligationem ad decimam partem determinatorum fructuum, aut proventuum, sed quorumlibet *c. cùm in tua 30. hoc tit.*

3 Quæritur primò. Si per consuetudinem alicubi introductum sit, ut ex vineis, v. g. decimas percipiat monasterium, ex agris verò parochus, & agri convertantur in vineas, pertinebúntne harum decimæ ad monasterium? Resp. cum *Host. & Ioann. Andrea hìc n.* 3. consuetudinem, ut de vineis decimæ monasterio solvantur, servandam esse, quòd ad ea tantùm prædia, in quibus est præscripta, non quoad alia, quæ de novo in vineas rediguntur; cùm enim in his monasterium jus decimandi non possederit, non potest censeri præscripsisse, quia præscriptio sine possessione non est, ideóque præscriptio, quippe stricti juris, non extenditur de re ad rem, nisi propter connexionem, sive inseparabilitatem, uti docet *Gl. in c. auditis v. interruptionem, ibidem Felinus n.* 20. *de præscriptionibus. Abb. in cit. c. cùm in tua n.* 3. *Baldus de præscriptione p.* 2. *in principio. q.* 2. *n.* 11. ubi aiunt, quòd præscriptio non extenditur ad futura similia.

Secùs verò dicendum de privilegio juxta *c. quia 22. de privilegijs*, si v. g. monasterio indefinitè, aut generatim concessum sit, ut ex vineis decimas percipere debeat, & postea agri in vineas convertantur, etiam harum decimatio monasterio debetur, quia concessio indefinita etiam ad futura similia extenditur, nisi appareat, aliam fuisse concedentis intentionem. Accedit, quòd & vice versâ, si vineæ in agros convertantur, decimæ ad parochiam spectent; erit itaque æqualis conditio, ita, ut, qui oneri subditus est, etiam commodum accipiat juxta *regulam 55. in 6.* qui sentit commodum, sentire debet & onus, ac vice versâ. Idémque sentiendum est de transactione, uti constat *ex c. præcedente* & notat *ibi Gl. v. quamdiu vivere.* Limitari debet, si postea accidat, ut Ecclesia parochialis nimiùm gravetur, quia agri plerique in vineas convertuntur, ut ministri necessaria non habeant, tunc judicis officio, vel partium compositione succurrendum est, quia privilegium non censetur concessum cum tali gravi præjudicio *c. suggestum 9. hoc tit.* sed neque transactio ita intelligitur, ut parochia debito suo fraudetur; cùm in omni promissione ea excepta censeantur, ad quæ verisimiliter, aut rationabiliter se extendere non potuit.

potuit. Confirmatur ex eo, quòd & ipsis parochianis grave accidat, & quodammodo injuria inferatur, si ipsi decimas solvant, quæ suapte institutione debentur Ecclesiæ parochialis ministris, ij verò egere debeant, seu sustentationem sufficientem non habeant. Quare ipsi parochiani querelam deponere, & Ecclesiastici Prælati officium implorare possunt; tunc verò videndum, ad quemnam decimæ deveniant; neque enim ad alium quemcunque, translatio quacunque, etiam pontificia auctoritate, fieri poterit justè, nisi cum onere, suapte naturâ decimis annexo, ut Ecclesiæ ministri necessaria habeant, quam rem bene explicat *Suarez lib. 1. de decimis c. 15. n. 9.* ubi rectè ostendit, populum in hoc casu non posse cogi, ut parocho, & ministris sustentationem præbeant, quando ipse decimas dare solet, quæ aliò derivantur.

Porrò quod supra de præscriptione dixi, eam non extendi ad similia futura, id limitatur, nisi adsit consuetudo præscripta ratione quadam universali, tunc ea extenditur ad species contentas sub universali, secundùm theoriam *Innocentij in c. dilecto n. 10. de officio Archidiaconi Baldi cit. q. 2. n. 20.* Explico: si monasterium v. g. consuetudinem ostendat immemorialem, quòd si intra parochiam in aliquo fundo de novo vites plantatæ sint, inde decimas exegerit, eâ solâ ratione, quia ex vineis omnibus, etiam de novo plantatis, decimæ debeantur, per hanc præscriptionem acquiritur jus universale, quod ad omnes particulares pariter applicatur. Quemadmodum hoc idem dici solet de similibus actibus jurisdictionis, si quispiam jurisdictionem generatim præscripserit, sicuti docuit *Jason in L. Imperium n. 23. ff. de jurisdictione.* cùm jurisdictio præscribatur per actus, qui exercentur, non est dicendum, quòd solùm acquiratur jus circa actus gestos, sic enim nihil acquireretur in futurũ, sed dicendũ est, quòd omnes actus ejusdem speciei quasi possidentur. Eadémque ratione aliquis Princeps præscribere potest omnes insulas, quæ in fluvio aliquo exoriuntur.

Quæritur secundò. Si consuetudine introductum sit alicubi, ut decimæ fœni non solvantur ex pratis, aut decimæ olerum, & arborum non solvantur ex hortis, accidat autem, ut agri decimales vertantur in prata, aut hortos, num obligatio decimarum in ijs cesset. Respondetur sicuti ad quæstionẽ præcedentem; præscriptio immunitatis à decimis cùm sit juris stricti, & non extendenda, restringi debet ad eos hortos, & prata, in quibus possessio immunitatis hactenus fuit, non autem ad eos referendos fundos, qui hactenus decimales, nunc in prata, & hortos rediguntur; præterquam, si consuetudo, quibusdam actibus sub generali ratione exercitis ostendi possit legitimè præscripta, videlicet, si talis casus de novo accideret, ut ager v. g. in pratum converteretur, quod eâ ipsâ ratione à decimis immune censeretur, tum jus hujus consuetudinis etiam ad futuros similes casus extenditur. Excipe, nisi eâ ratione Ecclesiam parochialem nimis gravari contingat, ut suprà dixi, vel nisi in fraudem fiat, ut aliquis de industria, sive eo principaliter fine, agros redigat in prata, vel hortos, ut Ecclesiam decimis defraudet.

CAPITULUM V.

Pervenit.

Paraphrasis.

Parochiani à Prælatis Ecclesiasticis compellendi sunt sub excommunicationis censura, ut etiam de proventibus molendinorum & piscariarum, item de lana & lana decimas Ecclesijs persolvant.

Summarium.

1. *Monendi, & compellendi sunt Parochiani à Prælatis Ecclesiarum, si in damnis decimis sint negligentes, & inobedientes.*

2. De

2. *De jure communi, etiam de personalis industriæ lucris solvendæ sunt decimæ, consuetudo tamen circa has observanda.*

1 NOtandum primum. Prælatis Ecclesiarum incumbit, ut parochianos, si in mora, aut negligentiâ sint, moneant, & inobedientes sub excomunicatione compellant, ad solutionem decimarum; nam ad Prælatum, videlicet Episcopum, ratione muneris sui pertinet cura Ecclesiarum, ut earum jura conservet, & imminui vel tolli non patiatur. Videri potest *Gl. in c. 3. de officio Archidiaconi.*

2 Notandum secundum. Spectato communi jure etiam de fœno, lanâ, & minutis proventibus, imò etiam de molendino, piscatione, venatione, & alijs personalis industriæ, decimæ solvendæ sunt. Hac tamen in re consuetudo provinciarum attendi debet, per quam decimæ personales, sive ex lucris personæ provenientes fermè ubique abolitæ sunt, uti docui *lib. 4. tra. 6. c. 1. n. 4.*

CAPITULVM VI.

Nuncios.

Paraphrasis.

Mandat Alexander III. Vintonienſi Episcopo, ut parochianos, seu diœcesanos de apibus (videlicet fructu ex apibus collecto, id est, melle & cerâ) & de omni fructu decimas solvere per censuram Ecclesiasticam compellat. Vide, quæ dixi *in c. præcedente*, & Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 12. de reformatione.*

CAPITULUM VII.

Cùm homines.

Paraphrasis.

Incolæ de Hortona, qui de frugibus novem sibi retentis partibus, decimam parochiæ sine diminutione solvere debebant, priusquam id facerent, servis & mercenarijs suis totius anni mercedem ex frugibus non decimatis solvebant, ex residuo autem decimam partem Ecclesiæ dabant. Hoc intellecto mandat Alexander III. ut de fructibus collectis decimam partem mox solvant, atque de subtractis Ecclesiæ fructibus dignam satisfactionem præstent.

Summarium.

1. *Decimæ prædiales solvendæ sunt, non deductis expensis.*
2. *Transeunt ad quemcunque possessorem cum hoc onere fructus indecimati.*
3. *Qui in mora est solvendarum decimarum, si eæ propterea pereant, ad satisfactionem parocho præstandam obligatur.*

NOtandum primum. Decimæ prædiales solvendæ sunt non deductis impendijs. Ita etiam habetur *in c. non est 22. c. tua 26. eodem tit.* & explicavi *in eodem tract. 6. c. 2. n. 4.* 1

Notandum secundum. Postquam fructus à solo separati sunt, decima pars ad Ecclesiam spectat. Hinc sequitur primò Quòd fructus indecimati ad quemvis possessorem cum hoc onere transeant, uti docet *S. Thom. 2. 2. q. 87. c. 4. ad 2.* & explicavi latè *cit. c. 2. n. 4.* Vide etiam *Rebuffum de decimis q. 12.* ubi ostendit, monitione opus non esse, nisi eo fine, ut censura propter contumaciam, morosò debitori inferri possit juxta *c. 5. hoc tit.* alioquin verò collectis frugibus statim paratus esse debet colonus ad decimæ præstationem. 2

Sequitur secundò. Si colonus in solvendi mora sit, & ob eam decimæ auferantur, vel pereant, quòd satisfactionem præstare debeat parocho *l. cùm res 47. §. ult. ff. de legatis primò.* ubi distinguunt Doctores, an nihilominus res peritura fuisset apud creditorem, si solutio in tempore facta fuisset, nec ne. Quòd si colonus obtulit parocho, vel eum monuit, ut reciperet, isque acci- 3

perè neglexit; periculum, atque interitus rei, si culpa coloni non intervenit, Parocho incumbit, L. *qui decem 72. ff. de solutionibus.* Cæterùm si postea iterum recipere velit Parochus, at colonus dare recuset, tunc iterum in culpabili mora censebitur esse colonus; semper enim posterior mora nocet *L illud 17. ff. de periculo, & cõmodo rei venditæ.* & tradit *Gl. his V. fructibus collectis.*

CAPITULUM VIII.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Monachi de Neuclan impetrârunt à Papa privilegium, ut non teneantur decimas solvere ex prædijs, quæ proprijs laboribus, ac sumptibus colerent; posteà verò multa prædia sita in parochia, Abbatis & Fratrum S. Crucis, ex quibus ipsi decimas, & sustentationem percipiebant, conduxerunt ad firmam, sive sub certa annua pensione. Ea re, cùm Abbas & Fratres S. Crucis se enormiter gravatos sentirent, Alexandro III. questi sunt; is respondet, non fuisse suam, aut Antecessorum suorum intentionem, ut ex possessionibus conductis Monachi privilegiati decimas non solverent, ideò mandat ipsis, ut ex talibus prædijs, ex quibus anteà Abbas & Fratres S. Crucis decimas accipere soliti sunt, integrè eisdem solvant, aut cum ipsis amicabiliter rem componant.

SUMMARIUM.

1. *Privilegium de non solvendis decimis ex illis, quæ proprio labore, aut sumptu quis colit, intelligi non debet de prædijs conductitijs ad decimas obligatis.*
2. *Neque de prædijs emphyteuticis taliter obligatis.*

NOtandum primum. Si aliquibus à Papa privilegium datum sit, ut ex prædijs, quæ proprio labore, aut sumptu colunt, decimas solvere non debeant, id non intelligitur de prædijs conductitijs. Ratio est, quia privilegium quatenus cedit in alterius præjudicium, strictè est interpretandum, ut docui *lib. 1. tra. 4. c. 23. n. 5. §. dixi autem.* Item Principis privilegium non ita intelligi debet, ut per illud grave præjudicium alteri inferatur *L. 2. C. de precibus Imperatori offerendis.* & tradit *Innoc. in. cùm dilecti V. beneficijs. de donationibus* & dixi *in c. 3. hoc. tit.* tale autem fuisset præjudicium, & damnum parochialis Ecclesiæ, si Religiosi etiam in conductitijs prædijs à decimis solvendis immunes essent: itaque privilegium datum Religiosis ad prædia propria restringendum est, & non de conductitijs accipiendum.

Idem quoque sentiendum de prædijs emphyteuticis, id est, quæ Religiosi privilegiati in emphyteusin accipiunt, si antè decimis fuerint obligata, propter illud privilegium, non solvendi decimas, ex proprijs laboribus (sive ex prædijs, quæ propria manu, aut sumptu excolunt) non esse exempta, sicuti benè docet Suarez *lib. 1. de decimis. c. 19. n. 12.*

Notandum secundum. Si Religiosi propria prædia non sufficiant ad sustentationem, possunt conducere aliena, ut ea excolant, non causâ lucri, sed ob necessariam sustentationem. Ita *Gl. in c. ult. dist. 88.* & docui *lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 39.*

CAPITVLVM IX.

Suggestum.

PARAPHRASIS.

Abbas, & Fratres Dolonenses significârunt Alexandro III. quòd Abbas, & Fratres monasterij Utsinensis decimas ab ipsis contra suorum privilegiorum tenorem exigere, & auferre conentur. Ad hoc rescribit Papa, & mandat Abbati, & Fratribus Dolonensibus, ut cum Utsinensibus super decimis componant, quia cum

cùm Romana Ecclesia huic Ordini (Cistercienſium, interprete *Innoc. hic*) privilegium immunitatis à decimis dedit, paucæ erant ejus Ordinis Abbatiæ, ita, ut exinde ſcandalum jure merito generari non poſſet, ſed nunc adeò auctæ, & poſſeſſionibus locupletatæ ſunt Abbatiæ ejus Ordinis, ut multi viri Eccleſiaſtici ob illam immunitatis conceſſionem, querelam apud Sedem Apoſtolicam proponant.

Summarium.

1. *Religioſis curam parochialem habentibus decimæ debentur.*
2. *Privilegium, quod ſucceſſu temporis in grave Eccleſiarum præjudicium tendit, ceſſare debet.*
3. *Niſi privilegium conceſſum effectum ſuum jam plenè conſecutum eſſet.*

1 NOtandum primum. Si Religioſi curam populi gerant, ſeu parochias incorporatas adminiſtrent, decimas exigere poſſunt, ſicuti curati ſæculares.

2 Notandum ſecundum. Si privilegium temporis progreſſu in grave aliorum præjudicium tendat, ita, ut ſcandalum, & querelæ juſtæ oriantur, ceſſare debet, vel revocari privilegium. Ita *Innoc. & alij hic. Rebuff. q. 14. n. 55. Suarez. lib. 1. c. 20.* & ſumitur *ex L. ex facto 43. ff. de vulgari & pupillari ſubſtitutione, & c. cùm ad hoc 16 de Clericis non reſidentibus.* ubi textus, & DD notârunt, quòd privilegium non reſidendi, ſi per rerum mutationem Eccleſiæ oneroſum fiat, aut ſcandalum, & querelam juſtam generet, attendi non debeat: & hæc jura oſtendunt, privilegia per ſe ceſſare, ſaltem ſi cauſa mutati ſtatûs, & orti gravaminis, notoria ſit, alioquin ad Principem, ſive eum, qui privilegium dedit, recurri debet *cit. L. ex facto. & c. cùm veniſſet 12. de Judicijs.*

3 Veruntamen intelligi non debet doctrina de privilegio, quod conſecuto effectu conſumatum eſt, ut ſi Principis reſcripto filius naturalis legitimatus ſit ad hæreditatem patris, poſtea verò naſcatur filius legitimus, non retractabitur privilegium, per quod jus abſolutum acquiſitum fuit, uti reſpondit *Abb. hic. n. 5. ex regula 73. in 6.* Sed intelligitur de privilegijs, & gratijs habentibus effectum ſucceſſivum, v. g. immunitate à decimis, à reſidentia &c. licèt enim privilegium ab initio & pluribus ſequentibus annis vim habuerit, tamen ſuccedente tempore fieri poteſt, ut ejus vis, & effectus ob rerum mutationem fiat nimis oneroſus, ideóque ceſſet, cùm non fuerit intentio concedentis ad eum caſum privilegium extendere. *argum. cit. L.* & in ſimili docui *cit. lib. 1. tra. 4. c. 22. n. 15.*

CAPITULUM X.

Ex parte.

Paraphrasis.

Pro intellectu Capituli notanda eſt *Gloſſa ſolemnis hic. V. laborum*, quòd Monachi olim, cùm in parochijs divina audire & Sacramenta percipere ſolerent, ex omnibus rebus decimas dare debuerunt parochis, uti colligitur *ex c. alia cauſa 6. & c. ſequente. c. interdicimus 10. & alijs Capitulis in cauſa 16. q. 1.* & notat etiam *Rebuff. q. 14. de decimis. n. 37.* At verò tempore Concilij Cabilonenſis ſub Carolo Magno *c. 19.* & iterum à Paſchali Pontifice, uti legimus *in. c. queſti 40. & c. ſequente. eadem q. 1.* conceſſum eſt, ut Monachi, & Clerici in communi viventes, ex laboribus ſuis, ac nutrimentis, adeóque ex hortis, ac prædijs, quæ proprio ſumptu, aut labore excolerent, decimas ſolvere non deberent. Succeſſit deinde aliud tempus ſub Adriano IV. & Alexandro III. qui jam dictum privilegium ad ſolos Ciſtercienſes, Templarios, & Hoſpitalarios reſtrinxerunt, cæteris verò Religioſis duntaxat decimas ex novalibus ſuis, paſcuis, & hortis remiſerunt, ſicuti in textu hujus Capituli habetur.

betur. Denique *Innoc. III. in c. penult. hoc tit.* privilegium Ciſtercienſibus, Templarijs, & Hoſpitalarijs conceſſum reſtrinxit ad prædia, quorum poſſeſſionem ante Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. habuerunt; at verò ex prædijs poſtea acquiſitis ad decimas dandas ijs, quibus dari ſolitæ ſunt, priuſquam ad Religioſos illos prædia pervenerunt, obligati eſſe debeant; ſalvo interim manente privilegio omnibus Religioſis, & Clericis in communi viventibus conceſſo, quoad novalia, paſcua, & hortos ipſorum. Hanc ipſam rem explicavi etiam *lib. 4. tra. 6. c. 3. n. 4.* & videri poteſt *Rebuffus cit. loco.*

CAPITULUM XI.

Licèt.

Paraphrasis.

Tametſi Religioſis quibuſdam, videlicet Ciſtercienſibus, Hoſpitalarijs &c. indultum fuerit, ut ex prædijs, quæ propriâ manu, vel ſumptu colunt, nemini decimas dare teneantur, non ideò hoc extendi, & intelligi debet de prædijs, quæ Religioſi alijs tradunt excolenda.

Summarium.

1. *De quibus prædijs intelligi debeat privilegium Immunitatis a decimis conceſſum Ciſtercienbus.*
2. *Privilegium immunitatis hujus, ſi perſonale ſit, non tranſit ad colonum.*

1 NOtandum primum. Privilegium Ciſtercienſibus &c. datum de immunitate prædiorum intelligi debet de proprijs prædijs, & quæ ipſimet colunt, pro ſuſtentatione vitæ, dummodo ea ante Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. acquiſierint, & hactenus poſſederint.

Adverte hîc varijs modis tradi poſſe prædium alteri ad excolendum. Primò, ut mero famulo, qui ſumptibus domini excolere debet, conſtituta ipſi mercede, in pecunia, vel frumento, vel conceſſo illi uſu, domo, & proventu fructuum &c. hoc in caſu prædium ſumptibus monaſterij colitur, & ideò privilegio immunitatis gaudet. Secundò, ut prædium alteri colendum tradatur *ad Firmam*, ſeu ſub certa penſione annua pecuniaria, & hæc eſt propriè locatio, vel emphyteuſis. Tertiò, ut prædium alteri colendum tradatur, pro certa penſione fructuaria. Et hæc eſt improprie dicta locatio, & potiùs innominatus contractus, *do, ut des*, ſicuti *Bartolus* tradit *in L. ſi merces. §. vis major. ff. locat.* poteſt tamen, & ſolet locatio appellari *l. ſi olei 21. C. locati.* Quòd ſi ad decennium vel ultrà elocetur ager, emphyteuticus contractus cenſetur, atque in his elocationibus certum eſt, prædia coli ſumptibus coloni & ideò decimis eſſe obnoxia, uti hîc dicitur. Quartò, ut prædium tradatur colono partiario, qui tanquam per ſocietatis contractum v. g. dimidium, vel partem tertiam fructuum percipiat, alterum dimidium domino tradere debeat. De his ita elocatis prædijs dubitatur, num in privilegio illo comprehendantur. Negat *Cl. in Clement. 1. hoc tit. Abb. in c. præterea n. 2.* & puto veram eſſe ſententiam, ſi, ut plerumque fit, colonus partiarius ſumptus facere debeat, & ideò majorem partem fructuum accipiat. At verò ſi monaſterium ſumptus faceret, ipſi autem colono pars fructuum, v. g. quarta, ſolveretur duntaxat pro labore, tunc prædium à decimis immune erit; ſin denique ſumptus communes ſint, tunc decimæ ſolvendæ duntaxat ex ea parte, quæ colono provenit.

Notandum ſecundum. Si immunitas à decimis conceſſa ſit contemplatione perſonarum, ita, ut ſit privilegium perſonale, non tranſit ad colonum; ſecus ſi eſſet reale privilegium, ſive immunitas ipſi prædio data, quamvis in favorem perſonarum v. g. Regularium, ut ſi dicatur: eximimus Religioſos hujus Ordinis, eorúmque prædia à decimis,

decimis, tunc neque coloni decimas dabunt; non quòd ipsis immunitas aliqua concessa sit, sed contemplatione Religiosorum, seu propter ipsos, quippe, qui tantò majorem pensionem colonis imponent, uti advertit *Suarez de decimis c. 19. n. 14.* & videri potest *Gl. in supra cit. Clemen.*

CAPITULUM XII.

Ad audientiam.

Paraphrasis.

Quidam à Monachis Cistercienſibus, ex prædijs, quæ ipsi proprio labore, aut sumptu colebant, decimas exegerunt, privilegia eorum perperam interpretantes, quando ipsis concessum fuit, ut de laboribus, quos propijs manibus, aut sumptibus colunt, decimas non solvant, quod nomine laborum novalia intelligi debeant. Hoc intellecto mandat Papa, ut exactio ista decimarum impediatur, & Cistercienſium privilegium defendatur, quia, si Pontifex, nomine laborum, novalia tantùm intelligere voluisset, non labores, sed novalia posuisset.

Summarium.

Quomodo verba privilegij de immunitate à decimis intelligenda sint?

NOtandum. Licèt verba privilegij, quatenus in aliorum præjudicium cedit, strictè sint interpretanda, uti dixi *in c. 3. hoc tit.* non tamen ita, ut à proprietate, communi acceptione, & usu verborum recedatur. ratio insinuatur hîc, & *in c. quia 22. de privilegijs*, cùm enim verba, quibus auctor utitur, significare debeant mentem ejus, præsumptio est, ita eum verba accipere, sicuti communiter accipi solent, etenim, si aliud significare voluisset, id propijs, aut usitatis vocabulis expressisset. Verùm cùm hæc præsumptio tantùm sit, ideò, si ex verbis adjunctis, vel oppositâ ratione, aut alijs conjecturis, contrarium clarè colligatur, videlicet legislatorem, vel privilegij auctorem, verbum accepisse impropriè, vel minùs usitatè, tunc præferenda est hæc significatio, ut habetur in L. *non aliter 69. ff. de Legatis 3.* Idémque dicendum, si necessitas cogat, quia ex propria, vel usitata significatione contradictio, aliúdve absurdum sequeretur, tunc non præsumitur, hanc fuisse ejus mentem, sed verba intellexisse, ita, ut dispositio rectè consistat, juxta *L. 18. & 19. ff. de legibus*, & explicavi *lib. 1. tra. 4. c. 18. n. 6.*

Videri etiam potest *hic Abb. n. 2.* quòd Legis, aut privilegij dubij interpretatio ad judicem spectet, si eam ex principijs juris communis, aut rationis naturalis facere possit; siquidem hæc interpretandi potestas etiam Doctoribus concessa est *L. unica. C. de professoribus &c. lib. 12.* Sin autem dubium arduum sit, ita, ut nec ex legibus similibus, nec ex naturali dictamine, aut communiter receptis principijs dissolvi possit, tunc ad principem, seu auctorem recurrendum, cùm ejusdem sit Legem interpretari, cujus est condere. *c. inter 31. de sententia excommunicationis.*

CAPITULUM XIII.

Quoniam.

Paraphrasis.

Episcopus Brixiensis ab Alexandro III. quæsivit, quid de decimis novalium suæ Diœcesis statuere debeat. Respondet Papa, si novalia intra certam parochiam sita sint, eorum decimas, demptâ portione Episcopali, ad eandem parochiam spectare; alioquin (id est, si non intra fines alicujus parochiæ sint) ad Episcopum pertinet, ut eas decimas alteri Ecclesiæ deputet, vel ad suas necessitates retineat.

Summarium.

1. *Decimæ novalium ad quem pertineant?*

2. *Discrimen aliquod inter tributa & decimas.*
3. *Quando decima novalium ad Episcopum spectent?*

1 NOtandum primum. Decimæ novalium (id est, prædiorum de novo cultorum, quæ anteà supra hominum memoriam non colebantur, ita, ut nullum, aut modicum fructum afferrent *c. quid 21. de verborum significatione*) ad parochiam spectant, intra cujus fines prædia sita sunt. Ratio est, quia ipsæ terræ hoc onus ab antiquo sustinent, ut decimis obligatæ sint parochiæ illi, intra cujus fines existunt. Est itaque hoc onus reale, non personale *c. si quis Laicus 42. causa 16. q. 1.* Quod ipsum etiam in censibus seu tributis observatur *L. forma 4. §. 2. ff. de censibus.* Ita, ut is, qui agrum in una civitate habet, in alia civitate profiteri debeat, in qua ager est, & *L. 7. ff. de publicanis* Imperatores rescripserint, in vectigalibus (id est tributis) scilicet ipsa prædia, non personas conveniri. Est tamen discrimen inter tributa, & decimas, quòd tributa fundos secundùm se afficiant, ideóque novus possessor fundi, etiam præteritorum tributorum, quæ soluta non sunt, ipsi fundo inhærentem obligationem præstare debeat *cit. L. 7.* Sed decimarum obligatio fundis non inhæret per se, sed respectivè, sive in ordine ad fructus, quibus per se, & immediatè onus decimarum inest, ad quemcunque eæ possessorem veniant, ita, ut utilis vindicatio Ecclesiæ parochiali competat. Prout explicavi *lib. 4. tra. 6. c. 2. n. 5.*

2 Notandum secundum. Si novalia fiant intra Diœcesin, quæ non sint intra certam parochiam, decimæ eorum ad Episcopum spectant; nam ipse est ordinarius pastor, ac veluti parochus intra totam Diœcesin. Quare & Diœcesis interdum appellatur parochia Episcopi *c. penult de donationibus.* & Diœcesanus quilibet Episcopi Parochianus, ut videre est *in c. sequente.*

3 Notandum tertium. Episcopus decimas novalium Ecclesiæ alicui intra suam Diœcesin sitæ applicare potest, etiam sine juris solemnitatibus. Ita sumitur ex *hoc c.* & communem doctrinam ait *Abbas hic n.* nam hæc non est proprie dicta alienatio, cùm jus decimarum in novalibus de novo ortum, & nondum mensæ Episcopali incorporatum sit. Et hæc est doctrina, quam tradidi *lib. 3. tra. 4. c. 10. n. 6.* quòd Prælatus sine Capituli consensu, aliisque juris solemnitatibus, obesse, & præjudicare Ecclesiæ suæ possit in bonis, & juribus acquisitis, tametsi in acquisitis non possit, quia aliud est alienare, aliud non acquirere; succurritur tamen Ecclesiæ per restitutionem in integrum, si notabiliter læsa sit.

CAPITULUM XIV.

Parochianos.

PARAPHRASIS.

Episcopus Parochianos suos ad decimas solvendas per Ecclesiasticam censuram compellere debet, cùm enim non ab homine, sed à Deo institutæ sint, tanquam debitum exigi debent.

SUMMARIUM.

Decimæ ministris Ecclesiæ præstandæ divini juris saltem secundùm imitationem antiquæ Legis, & materialiter spectatæ, ut sint congruam sustentatio ministrorum Ecclesiæ.

NOtandum primum. Decimæ novalibus Ecclesiæ præstandæ à Deo institutionem habent, & divini juris sunt, prout etiam habetur *in c. Tua 25. hoc. tit.* Id verò duobus modis rectè intelligitur: primo, Quòd decimæ secundùm imitationem antiquæ Legis, ab Ecclesia receptæ, constitutæ fuerint: quâ ratione jejunium quadragesimale, uti *S. Augustin.* loquitur *in psalmum 110.* præcipitur nobis ex Lege, ex Prophetis, & ipso Evangelio. Secundò, Quòd decimæ, materialiter spectatæ, secundùm substantiam, ut videlicet Ecclesiæ ministris de-

deles, quibus spiritualia ministrantur, justam vitæ sustentationem tribuant, juris naturalis, ac divini sint, ipsiúsque domini præceptum continent *Math. 10. v. 10.* dignus est enim operarius cibo suo, quamvis formaliter, & secundùm determinationem, ut videlicet sit pars decima proventuum, juris positivi, atque Ecclesiastici sit, uti docet *S. Thomas 2. 2. q. 187. a. 1.* & alij Theologi contra Canonistas, & docui *in tit. trd. 6. c. 2.*

Secundò. Decimæ Ecclesijs parochialibus debitæ sunt à fidelibus, quia ex eorum parte obligatio orta est, & ex parte ministrorum Ecclesiæ actio nata; nam debitor, & creditor correlativa sunt *L. 10. ff. de verborum significatione*, ubi dicitur, creditores omnes esse eos, quibus debetur ex quacunque actione.

CAPITULUM XV.

Ad hæc.

Paraphrasis.

Abbas quidam Laico, & hæredibus ejus decimas donavit. Hanc donationem Alexander III. decrevit esse irritam, quia Sanctuarium DEI jure hæreditario possideri non potest, ideóque Laicum illum, nisi decimas Ecclesiæ liberè resignârit, excommunicatione esse astringendum.

Summarium.

Jus decimarum in Laicum à Prælatis Ecclesiæ Papâ inferioribus transferri non potest.

NOtandum. Jus decimarum à Prælatis Ecclesiarum in Laicum transferri non potest. Hæc assertio est manifesta, si loquamur de jure decimarum, quatenus spirituale est, sive in spiritualis officij titulo fundatur: sin autem sermo sit de jure decimarum, seu proventuum præcisè, & quatenus abstractum est à spirituali titulo, ita temporale quid est, videlicet jus accipiendi decimam fructuum, cujus juris capax est Laicus: qua ipsa ratione olim ante annos ampliùs 450. Prælati jus decimarum Laicis in feudum dabant; postea verò, cùm juris decimarum à spirituali titulo abstractio Prælatis esset interdicta, & Pontifici reservata, ex eo tempore Canonica regula est apud *Gl. receptam in c. quamvis 17. hoc tit.* quòd omnis à Prælatis juris decimarum alienatio facta in Laicum per donationem, venditionem, permutationem, feudum, emphyteusin, precarium, ipso jure irrita sit, neque Laicus in conscientia securus sit, donec decimas Ecclesiæ restituat, juxta *c. causam 7.* ubi id docui *de præscriptionibus*; interim nihil obstat, quò minùs parochus v. g. ipsam commoditatem fructuum decimalium vendat, vel ad tempus aliquod locet Laico, uti docui *in c. 2. de locato & in disp. de alienatione. thes. 8. & in Morali Theologia lib. 4. tra. 6. c. 6. assert. 5.*

Simile quiddam est, quòd jus monetæ cudendæ, cùm inter regalia numeretur, alteri vendi, alióque modo concedi non possit, ita, ut juris translatio, seu alienatio censeatur, quia regalia alienari non possunt; at verò ipsa commoditas, seu lucrum ex moneta cudenda, ad tempus aliquod locari, aut vendi potest, & interdum solet Judæis, ita, ut ipsi nomine, auctoritate, & signo Imperij, Ducis, aut Comitis, cui hoc regale competit, monetas cudant.

CAPITULUM XVI.

De Terris.

Paraphrasis.

Judæi compellendi sunt ad decimas solvendas, ex terris, quas colunt, vel possessiones relinquendas, ne alioquin Ecclesiæ suo jure fraudentur.

Summarium.

1. *Judæi bona immobilia possunt habere.*

2. Co-

2. *Cogendi sunt ad decimas prædiales solvendas Ecclesiæ ministris ex prædijs priùs decimalibus, quàm ad illos pervenerint.*
3. *Utrùm & quomodo ad personales obligari possint?*

1 NOtandum primum. Judæi possunt habere possessiones, seu dominia rerum immobilium *c. 2. de Iudæis*, sed Magistratus, seu dignitatem inter Christianos gerere non possunt L. *hac valitura 18. c. de Iudæis.*

2 Notandum secundum. Judæi cogendi sunt ad decimas prædiales solvendas Ecclesiæ ministris, ex ijs prædijs, quæ decimis obligata erant, priusquam ad ipsos pervenirent: nam onus hoc adhæret rei; onus autem reale ad quemlibet possessorem transit *c. ex litteris 5. de pignoribus.*

3 Quæstio est, num ad personales decimas obligari possint Judæi. Negat *Gl. hic v. persolvendas. Innoc. & alij Canonistæ, Suarez lib. 1. de decimis c. 16. n. 4.* Quia quoad personas suas Ecclesiæ non sunt subditi, & deest ratio, ac fundamentum, cur partem aliquam lucrorum Ecclesiæ ministris solvant, cùm Sacramenta ipsis non ministrentur; & vera est hæc sententia, quòd per se ac directè ad personales decimas non obligentur; attamen indirectè, & per accidens Judæi cogi possunt, & quibusdam in locis solent, ut ratione personalium decimarum, aut oblationum, quas fideles ministris Ecclesiæ præstarent in domibus, nisi à Judæis inhabitarentur, compensationem aliquam faciant *argum. hujus cap. in fine. & c. quanto 18. de usuris in fine*, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes, idque notavit *Gl. in c. tua 26. v. prætextu hoc tit. Abb. hic n. 6.*

CAPITULUM XVII.

Quamvis.

PARAPHRASIS.

Conqueritur Pontifex in hoc Capitulo, non tantùm, quòd Laici aliqui sibi de rebus Ecclesiasticis disponendi assumant licentiam, dum decimas in alios liberè transferunt, sed quòd hujus sui erroris occasionem in ipso clero reperiant, dum Prælati aliqui Ecclesiastici hanc disponendi taliter de decimis licentiam permittunt, ad quæ præcavenda statuit Pontifex, ut si quispiam Prælatorum talium Ecclesiasticorum, Laico alicui in sæculo remanenti, decimas tales, Ecclesiam, vel oblationes concesserit, à statu suo excidatur, & non restituatur, donec rem eandaverit.

SUMMARIUM.

1. *Laici sunt incapaces possidendi juris decimarum, non tantùm quatenus spirituale hoc est, sed etiam quatenus temporale est.*
2. *Nisi speciali Summi Pontificis privilegio, aut legitimâ infeudatione ab Ecclesia illud obtinuerint.*
3. *Probabilius tamen est, quodnec ab inferioribus Papa Prælatis, post Lateranense Concilium, infeudari possint.*

NOtandum primum. Laicos incapaces esse possidendi juris decimarum, non tantùm, quatenus fundatur hoc in jure spirituali, sive obligatione administrandi spiritualia, quæ obligatio in Laicos non cadit, sed quatenus fundatur in solo utili jure percipiendi illas, secluso titulo spirituali, ita ut ex pluribus sacrorum Canonum textibus probatur, & tam ex hoc *cap.* clarè patet, quàm *ex cap. causam quæ 7. de præscript.* ubi mandat Pontifex, causam, quæ inter Archidiaconum, & nobilem Laicum vertebatur

batur circa decimas, debito fine decîdi, non obstante præscriptione temporis, cùm enim, prout expresse dicit Pontifex, Laici decimas (id est jus decimandi) detinere (sive possidere civiliter, *ut ait Glossa hic verbo detinere*) non possint, eas nullâ valent præscribere ratione: non loqui autem Pontificem de juris spiritualis decimarum possessione, rectè inde concluditur, quòd non poterit nobilis ille jus tale spirituale prætendere, cùm pateat omnibus, juris spiritualis possidendi capaces non esse Laicos. *Videatur Theologia Moral. Tract. 6. cap. 6. num. 8.*

Notandum secundum. Incapaces hujus juris temporalis decimarum Laicos esse, sine spirituali Summi Pontificis privilegio, aut alio legitimo titulo, factæ v. g. legitimæ infeudationis ab Ecclesia; cujus perpetuò faciendæ, hodie quidem post Lateranense jus non habent inferiores Pontifice Prælati, habuerunt tamen olim ante Lateranense, sub annum Christi 1179. celebratum: quamvis enim antiquior prohibitio talis infeudationis perpetuæ ab inferioribus Prælatis faciendæ habeatur, facta per Urbanum secundum in Concil. Turon. sub annum 1096. celebrato, benè tamen putant multi, passim receptam hanc constitutionem non fuisse, neque in usum deductam, usque ad tempora Alexandri III.

Notandum tertium. Quamvis sint aliqui, qui probabiliter velint, neque hodie prohiberi inferioribus etiam Prælatis, de decimis, saltem quatenus jus præcisè temporale importat, ad tempus breve infeudare Laicos, cùm ea tantùm infeudatio decimarum per Concilium Lateranense prohibita sit, quæ perpetua est, & magnum Ecclesiis nocumentum infert; probabilius tamen alios judicare, commoditatem quidem colligendorum fructuum decimalium Laicis ad breve tempus elocari posse, jus tamen colligendi suo nomine tales decimas, non concedi posse Laicis, cùm verba Canonis, prohibentis decimas in Laicos transferri, absolutè loquantur, & meritò ad cavendas multas fraudes, etiam hanc temporalem infeudationem prohibere videantur.

CAPITULUM XVIII.

Cùm sint.

Paraphrasis.

Quærebatur ex Pontifice, cuinam Ecclesiæ solvi debeant decimæ de prædijs, quæ in aliena Parochia excolunt aliqui, cùm ipsi tamen extra parochiam illam alibi domicilium habeant: cui quæsito, cùm diversæ SS. PP. super eo authoritates habeantur, quorum aliqui pro Parochia, ubi prædia sita sunt, decîdunt; alij verò pro Parochia, ubi dominus vel colonus prædiorum illorum habitat, & consequenter certum responsum dari non posse putet Pontifex, consuetudinem observandam judicat, & juxta eam solvendas has prædiales decimas; ita tamen, ut diligenter caveatur, ne, si in diversis Episcopatibus Parochiæ existunt, termini Episcopatuum confundantur.

Summarium.

1. *Cui Ecclesiæ parochiali decimæ prædiales solvendæ sint, consuetudo consulenda, & servanda.*
2. *Cùm Patres diversa hac in re sentiant.*

NOtandum primum. Multùm hac in decimarum materia posse consuetudinem, quæ cùm rationabilis sit, ipsam etiam ambiguitatem, quæ ex legibus nonnunquam oritur, tollit, *argum. L. si de interpretatione 37. & L. se ff. de legibus, & cap. dilectus 8. de consuet.* ubi dicitur: consuetudo approbata optima est legum interpretatio: & hinc, quamvis *in cap. 13. 20. & 29.* Pontifex multùm inclinet in eam sententiam, quæ vult solvendas decimas prædiales illi parochiæ, ubi sita sunt prædia (quam Ecclesiam jura nonnunquam matricem appel- 1

lant) licèt dominus, vel colonus talium prædiorum extra hanc Parochiam habitet, & alibi Sacramenta percipiat; in hoc tamen *capit. & in cap. ad Apostolicæ 20. h. t.* consuetudinem loci vult observari, quæ non tantùm jus dubium interpretari potest, sed juri etiam certo derogare positivo, uti patet *ex cap. final. de consuet.*

Notandum secundum. Diversas quidem super hoc quæsito, SS. PP. esse authoritates, non autem adversas, ut advertit *Gloss. hic v. diversæ*: nihil ergo cuicunque authoritati derogat, qui consuetudinē suæ parochiæ in solvendis talibus decimis observat, cùm nulla authoritas contra consuetudinem legitimè præscriptam in tali juris merè humani casu obliget; præsertim, cùm ratio etiam in relato capit. allata pro consuetudine urgeat, ut ne scilicet confundantur termini, & fines Episcopatuùm, & (quod optimè infertur) parochiarum; ut Rectori Ecclesiæ parochialis, & Ecclesiæ ipsi sua semper maneat salva & integra fundatio, quæ nec per parochianorum factas mutationes mutari possit.

CAPITULUM XIX.

Prohibemus.

Paraphrasis.

Statutum est in Concilio Later. sub Alexandro III. celebrato, ut ne Laici, qui decimas cum periculo suarum Animarum detinent (adeóque injustè, & non sine peccato) eas possint in alios Laicos aliquo modo transferre, ne quidem cum consensu Episcopi (ut advertit Glossa ibidem) ita, ut si quis decimas ab illis receperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Ecclesiasticâ sepulturâ privetur.

Summarium.

1. *Quid possint circa transferendas in alios Laicos decimas Laici?*
2. *Quid possint injusti decimarum detentores circa tales decimas in Ecclesias aut Religiosos transferendas?*
3. *Consuetudini tamen deferendum aliquid circa decimas justè obtentas.*

NOtandum primò. Hæc de injustè detinentibus decimas statui, ita ut pœna in hoc cap. contra injustos tales detentores, & qui in alios Laicos decimas tales transtulerunt, statuta, eos etiam afficiat, quiâ Laicis talibus, quocunque titulo, etiam in feudum acceperint decimas tales: qui verò Laici, justè tales decimas possident, quòd mirum illæ ante Concilium Later. vel etiam post illud à legitima authoritate in feudum perpetuum sint concessæ, id valdè probabile est, quòd decimas tales alteri Laico eum consensu Episcopi in feudum concedere possint, ut docet *Glossa in cit. cap. prohibemus v. Laicos, Suarez L. 1. c. 26. n. 7.* Si enim possit Vasallus rem feudalem, sibi in feudum legitimè concessam, subfeudare, ut constat *ex cap. unico §. si vero. 2 Feud. tit. 9.* idque non tantùm in feuda sæcularia, sed etiam Ecclesiastico locum habeat, ut docet *Clarus q. 32. num. 2.* quamvis decimarum feudum excipiat; quia tamen nullus juris textus ostendi potest, in quo prohibetur Laicus, justè decimas in feudum ab antiquo possidens, eas alteri subfeudare, saltem cum consensu Episcopi, consequenter à communi regula, & doctrina recedendum non est, prout probat *Glossa hoc cap. v. Laicos*; & colligitur tum ex *cap. 2. de Feudis.*

Notandum secundò. Injustis hujus decimarum detentoribus, eò quòd eas acquisiverint à non habente potestatem, si persuaderi non possit, ut Ecclesiæ, ad quam illæ pertinent, eas restituant, cui sine consensu Episcopi restituere possent, & deberent, *cap cum Apostolica 7. de his quæ fiunt à Prælatis &c.* posse eos, non quidem in alios Laicos, sed Clericos, præsertim Religiosos, vel in quamcunque aliam Ecclesiam, accedente consensu Episcopi, decimas has transferre, juxta *cap. cùm Apostolica*, & juxta *Suarezium L. 1. c. 26. n. 11.* tum quòd Laicis nulla sit de rebus Ecclesiasticis disponendi facultas, *cap fin. de reb. Eccles.*

Eccles. alienandis. Tum quòd hoc modo multis fraudibus præveniatur; tum quòd laudabilius sit, penes Ecclesiam quamcunque utilitatem decimarum esse, quàm penes Laicum.

3 Notandum tertiò. Negari tamen non posse, nec debere, sine ingenti animarum damnatione, & plurimorum, contractuum eversione, quin consuetudine introduci possit, ut Laici liberè disponant de decimis in feudum legitimè sibi concessis, sicuti de bonis suis patrimonialibus, non tantùm in feudum illas concedendo, sed permutando etiam, donando, in dotem dando &c. qualem consuetudinem non tantùm Gallia, sed etiam nostra Germania tolerat, approbat, & usurpat; cùm videantur tales decimæ per legitimam Sedis Apostolicæ authoritatem penitus à titulis Clericalibus esse abstractæ, & separatæ; vel certè à tempore immemorabili, cum bona fide, ab ipsis Laicis tali modo possessæ, sine ullius contradictione, quæ possessio immemorialis habet vim præsumpti privilegij, aut legitimæ concessionis.

CAPITULUM XX.

Ad Apostolicæ.

Paraphrasis.

Intellexit Lucius Pontifex III. quòd in Hungaria sæpius contingat, ut si populi coloniam ex una diœcesi in aliam ducant, & in hac per multa etiam tempora moram trahant, ab utriusque diœcesis Episcopo, tam ab hoc, ex cujus diœcesi discesserunt, quàm ab illo, in cujus diœcesi modò commorantur, decimæ ab illis exigantur: quæsitum proinde à Pontifice fuit, quid hac in re agendum? Respondet Lucius Pontifex Archiepiscopo Strigoniensi, in relato modo Capitulo, decimas personales (si tamen earum adhuc usus sit) solvendas Ecclesiæ, ubi Sacramenta percipiunt, qui eas solvere tenentur; circa prædiales tamen decimas, cui Ecclesiæ illæ solvendæ sint, optimum esse, receptam, & diuturnam loci consuetudinem observare, prout etiam habetur *in cap. in aliquibus 32. §. illa h. t.*

Summarium.

1. *Cui personales decimæ solvi debeant, si consuetudo non obstet?*
2. *De decimis ex fœtu pecorum, quid observandum, independenter à recepta consuetudine?*
3. *Utrùm illis etiam Ecclesijs hæ pecorum decimæ debeantur, per quarum territoria ad pascua deducuntur greges?*

NOtandum primò. Personales decimas, 2
cùm personam sequantur, rectè solvi illi Ecclesiæ, ubi Sacramenta Ecclesiastica quis percipit, cui Ecclesiæ tanquam matri suæ sine dubio persona talis sacra ab illa percipiens, obligata est: prædiales verò decimas, cùm onus reale sint, & rem decimabilem sequantur, rectiùs illi Ecclesiæ solvi, ubi res onerata sita est, ut onus rebus suis annexum, semper maneat penes eam Ecclesiam, in cujus favorem onerata sunt talia prædia; nisi legitimè præscripta consuetudo aliud jubeat, quam observari vult, quoad solutionem harum decimarum, Pontifex.

Notandum secundò. De illis decimis, quæ ex fœtibus pecorum solvuntur, nihil quidem expressè in textu statuere Pontificem, Glossam tamen *v. personales*, ubi inter prædiales decimas has animalium decimas numerat, statuere, ibi & illi Ecclesiæ parochiali, has decimas solvendas esse, ubi & in cujus parochiæ terminis continuò pascunt, & accubant pecora. *argum. cap. commissum 4. h. t. & Leg. pecoris pascendi ff. 4. de servitutibus prædiorum rusticorum.* Quòd si tamè per medietatem anni in territorio unius Ecclesiæ, & per alteram medietatem in territorio alterius Ecclesiæ pascantur; aut in alia ordinariè parochiâ pascantur,

tur, in alia verò accubent, æquum est, juxta Gloſſam, ut dividantur, *arg. cap. Vulteranæ 25. & Legis aſſumptio ff. ad municipal. &c.* & cuilibet Eccleſiæ pars ea decimarum præſtetur talium, ſive dimidia ſit, ſive tertia, ſive quarta pars, pro proportione temporis, quo paſcua v. g. in hoc vel illo loco, vel habitationem habuerunt; cùm enim tales decimæ prædialium magis naturam induant, conſequenter illis Eccleſijs debebuntur, quibus prædiales decimæ debentur, ita, ut neutri Eccleſiæ præjudicium aliquod fiat, ſi talis proportionata diviſio obſervetur. Rectiſſimè tamen etiam in hoc caſu talium decimarum ſolvendarum conſuetudinis receptæ ratio habenda, prout communiter volunt AA. cum Pontifice in *hoc & cap. 18.* abſolutè loquente, circa decimas prædiales, cuinam Eccleſiæ ſolvendæ ſint: ab hac enim, ſi recedamus, erunt fortaſſe multi, qui poſt S. Thomam arbitrentur, magis deberi decimas tales illi Eccleſiæ, in qua grex paſcitur, quàm illi, in cujus territorio ovile v. g. locatur, ut quod ex paſcuis talibus horum prædiorum incommodum ſentit Eccleſia, ex decimis animalium paſcentium, reparetur.

3 Notandum tertium. Nullas deberi decimas illis Eccleſijs, per quarum territoria greges aguntur, & in itinere paſcuntur, dum ab uno loco in alium diſtantem, ut ibi paſcantur, & accubent, deducuntur; tum quòd reſpectu ſingularum parochiarum, in quibus deducti greges paſcuntur, exigui momenti ſint paſcua talia; tum quòd moraliter fieri non poſſit, ut æqua fiat reſpectu ſingularum diviſio; tum quòd peregrinantes, ſi nullibi habeant domicilium, aut prædia, ad nullas decimas obligentur. *Suarez lib. 1. cap. 21. n. 1.*

CAPITULUM XXI.

Ex parte.

Paraphrasis.

Delata fuit ad Pontificem Clementem III. querela aliqua, ſuper quibusdam agricolis, quòd cùm ſimul, vel diverſis anni temporibus in eodem horto, aut agro, diverſa ſemina ſpargant, ac fructus colligant, de fructibus tamen unius tantùm illorum ſeminum decimas perſolvant: hanc proinde praxin, cum præjudicio Eccleſiarum introductam, ut tollat Pontifex, mandat, ut agricolæ illi compellantur à legitima auctoritate, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi ſuæ obligationi aliter ſatisfacere nolint, ad decimas de omnibus prædiorum ſuorum fructibus, abſque diminutione perſolvendas.

Summarium.

1. *Ex omnibus fructibus prædiorum, ſive ſimul, ſive diverſis temporibus, in eodem prædio excolantur, decimæ debentur.*
2. *Ita ut compelli etiam poſſint Colani ad has decimas perſolvendas, ſi tamen fructus ſint in illo loco decimabiles.*

NOtandum primò. Quòd decimæ ſint ſolvendæ ex omnibus fructibus prædiorum, ſive ſimul, ſive diverſis temporibus in eodem prædio colantur, ob expreſſum textum *cap. hujus*: ubi reprehenduntur, qui contrarium faciunt, & de omnibus prædiorum fructibus decimas perſolvere jubentur, ne res eadem, ut ait Gloſſa in *cap. h. v. unus.* diverſo jure cenſeatur, &, quia ratio, ob quam ſolvi debent decimæ, ex uno ſemine, pugnat etiam, ut ſolvatur ex alio ſemine, ſive eodem, ſive diverſis anni temporibus, ſive in eodem, ſive diverſis fundis, fructus eorum ſeminum colligantur, quòd ſeminantibus ſpiritualia, debentur carnalia; & divini dominij recognitio ex omnibus à divina bonitate conceſſis, quocunque tempore dominati fuerint.

Notandum ſecundò. Compelli etiam ad has decimas perſolvendas poſſe colonos per Eccleſiaſticas cenſuras legitimâ authoritate infligendas, ſi ſuæ obligationi ſatisfacere non

non velint, modò fructus tales in loco illo sint decimabiles, cùm in tali casu non jam fructus decimati iterum decimentur, sed diversi, vel novi fructus, qui nunquam decimati fuerunt: & ager v. g. in tali casu sit in ordine ad persolvendas decimas virtualiter multiplex, ratione variorum, & plurium diversi seminis fructuum decimabilium, quos profert: benè tamen communiter advertunt AA. quòd honestati ministrorum Ecclesiæ non conveniat, ut de *quibuslibet* minimis, quæ in eodem agello post demessas fruges, ad usum domesticum v. g. fortassè coluntur, decimas exigant, ne sordidi, & avari habeantur: consulenda tamen & observanda est loci consuetudo.

CAPITVLVM XXII.

Non est.

Paraphrasis.

Statuit Cælestinus Pontifex, cùm non sit in potestate hominum arbores plantantium, vel semina terræ mandantium, quid fatio, aut plantatio sit redditura, sed fructus horum laborum nostrorum, ob incrementum, & benedictionem dante Deo, dependeat, ut de omnibus his, etiam ex negotiatione, militia, aut venatione acquisitis, decimæ solvantur ministris Ecclesiæ, antequam ullæ deducantur expensæ.

Summarium.

1. *Vix aliquis usus est in nostris partibus personalium decimarum.*
2. *Hæ solvi non debent, ubi eorum usus est, nisi deductis expensis.*

1 NOtandum primum. Loquitur quidem in hoc Capit. Pontifex, etiam de personalibus decimis, ex negotiatione v. g. militiâ, sive prædâ in bello justo acquisitâ solvendis, & ut *in cap. mox sequente ex transmissa* dicit, ex omni lucro licitè acquisito: quia tamen personalium harum decimarum vix aliquis hodie in partibus nostris usus est, ideò de lucro ex negotiationibus, justo bello, ludo, venatione liberâ, acquisito nihil solliciti; de prædialibus tantùm asserimus, cúmque Pontifice, quòd illæ sine diminutione, nullis expensis, aut tributis deductis, integræ solvi debeant, & ad hanc integram solutionem faciendam, etiam per censuras Ecclesiasticas compelli possint, qui solvere quidem tenentur, solvere tamen negligunt.

2 Notandum secundò. Personales quidem decimas, ubi earum usus est, solvi debere, deductis tamen priùs expensis (tum quòd propriè lucri rationem habeat, ex quo personales decimæ solvi debeant, quod deductis expensis in lucro acquirendo factis, supereſt, ut ait Vivianus *in hoc cap.* tum quòd pecunia illa, ex qua v. g. lucrum factum est, plerumque jam fuerit decimata, ut innuit Pontifex *in cap. Pastoralis 28. h. t.*) prædiales tamen decimas solvendas esse integras, priusquam ullæ expensæ, sive illæ in excolendis prædijs, sive in colligendis aut separandis fructibus, sive in meliorandis fundis &c. factæ sunt, aut fiunt, deducantur.

CAPITULUM XXIII.

Ex transmissa.

Paraphrasis.

Mandat Pontifex, ut, cùm fidelis homo de omnibus, quæ licitè acquisivit, decimas dare debeat, miles ille nobilis, de quo hoc cap. loquitur, ad dandas etiam de molendino ad ventum exposito decimas, sine diminutione aliqua compellatur.

Summarium.

1. *Quilibet homo baptizatus de se ad dandas decimas obligatur.*
2. *Quid de illicitè acquisitis, & quid de illis,*

illis, quæ quis titulo merè lucrativo acquisivit, censendum?

3. *Varij tamen tituli possunt esse, quibus à decimis solvendis eximitur aliquis.*

1 NOtandum primò. Hominem quemvis baptizatum, qui de manu Sacerdotis per se Sacramenta tenetur suscipere, & nomine *fidelis hominis* in hoc Capit. venit, dare decimas debere, nisi aliquo legitimo titulo exemptus sit; cùm enim præceptum dandi decimas ex eo partim proveniat, quòd huic spiritualia sint administranda, partim ex eo, quòd ita præcipiat Ecclesia, subsint autem baptizati jurisdictioni Ecclesiasticæ, & Ecclesiæ præcepto obligentur, consequenter obligantur etiam per se ad dandas decimas.

2 Dices tamen adhuc: si ex licitè acquisitis tantùm debeantur decimæ, ergo ex illis, quæ quis illicitè acquisivit, nullæ debentur, hoc autem non videtur dicendum, ne melioris conditionis sit iniquus detentor, quàm justus possessor. Respond. quòd de prædijs v. g. illicitè acquisitis dandæ sint decimæ ab eo, qui injustè ea possider, certa sententia est, prout post *Glossam in cap. ex transmissa V. licitè* communiter docent omnes, cùm prædia talia cum onere suo decimarum transeant ad quemcunque possessorem, sive bonæ, sive malæ fidei ille fuerit: de personalibus verò decimis benè distinguit, post Glossam relatam, communior sententia, quòd de illis illicitè acquisitis, dari non debeant decimæ personales, quas retinere non potest, qui eas detinet; de alijs verò, quæ illicitè quidem acquisita fuerunt, retineri tamen ab eo possunt, qui ea acquisivit, debeant dari decimæ; cùm enim in priori casu nihil sibi acquisiverit, qui retinere non potest, consequenter ad nullas decimas exinde obligari potest; in posteriore verò casu, quo retinere potest, quod illicitè acquisivit, cùm acquisiverit aliquid, consequenter ad decimas ex eo obligabitur; quamvis Ecclesia ab his, dum in vita sua flagitiosa manent, ex qua lucrum illicitum acquirunt, decimas accipere non sit, uti nec accipit oblationem participando aliquid de iniquo hoc lucro, videatur iniquitatem lucrantium approbare.

Notandum secundum. Etiam ex illis quæ titulo lucrativo, & mero gratuito quis aquisivit, deberi decimas, (cùm jura loquantur universaliter) si ex hæreditate v. g. legato, vel donatione, indecimati fructus pervenerunt ad aliquem, cùm res transeat cum suo onere. Videri tamen potest *lib. 4. tract. 6. c. 1. n. 2. in fin.* ubi distinctio, quæ circa hæc talia gratiosè acquisita habetur, de personalibus maximè intelligenda.

Notandum tertium. Teneri ad solvendas decimas, nisi qui legitimo aliquo titulo exempti sint, & vel ab ipso jure, vel speciali privilegio, extra jus commune, concesso, vel legitima præscriptione, consuetudine, compositione, aut simili titulo civili, immunitatem à dandis decimis acquisiverint. Quinam autem, de jure communi, hac immunitate gaudeant, variis capitulis, suis in locis dicendum est. Quinam verò ex speciali jure concessi privilegij, legitimæ præscriptionis, consuetudinis, aut compositionis eximij sint, videatur illi qui hæc specialia jura prætendunt. Quod enim immunitas hæc haberi possit ex specialibus privilegijs, sunt morum scitu hoc dificum, quorum est ab hac juris communis obligatione liberare, nemo negare potest; prout etiam, quòd possit obtineri consuetudine, uti probat immunitas, qua hodie non tantùm à personalibus decimis liberat, sed multis etiam prædialibus, & minutis. Quòd autem compositione, pactione, pacto &c. (si legitimâ authoritate hæc fiant) hæc immunitas obtineri possit, probat *cap. ex multiplici. hoc tit.* Et denique quòd præscriptione, saltem 40. annorum cum titulo, vel tempore immemorial sine titulo, si contra Ecclesiam parochialem fiat præscriptio, *cap. 1. de præscript. in 6.* eximere se quis possit, probant communiter ad

ad legitimè præscribendum requisitæ, quas habere aliquem posse, qui hanc à decimis solvendis immunitatem prætendit, facilè cogitanti patebit. Neque enim decimæ tributa rectè dicuntur, à quibus immunitatem præscribere non concedunt jura civilia L. *comperimus Cod. de præscript. 30. annorum*: negant enim SS. Canones, propriè tributa esse decimas, *cap. cùm non sit, 33. h.t. & Glossa in cap. tua nobis 26. V. tributa h.t.* Et quamvis juris divini sit recognitio divini dominij, ac de jure naturæ debeatur illis necessaria sustentatio, qui spiritualia nobis subministrant, uti ex relato Cap. patet, & ex pluribus decretorum textibus *causa. 16. q. 1.* nego tamen, aliter recognitionem divini dominij, aut necessariam ministrorum sustentationem haberi non posse, quàm per præstationem decimarum.

CAPITVLVM XXIV.

A nobis.

Paraphrasis.

Nobilis quidam possessiones suas, & fundos ad fitinam, sive in emphiteusin locabat alijs, qui cùm ex fundis his sibi elocatis, decimas dare nollent, ex Pontifice quærebatur, utrùm ad solutionem decimarum ex agris suis sic elocatis, conductor hic esset cogendus: cui quæsito respondit Pontifex, obligari hunc talem ad decimas horum agrorum, nisi immunem se probaverit.

Summarium.

Quandonam coloni teneantur ad decimas?

NOtandum. Quòd onus sentire debeat, qui commodum sentit, juxta regulam juris 55. in 6. Cùm ergo conductor talis fundi decimabilis omne habeat commodum, mirum non est, quòd onus decimarum sentire etiam debeat. Aliter tamen discurrendum esset in eo casu, quo pro mercede competente excolendi agri, & pro laboris in operam impensam stipendio, mercenario famulo, velut partiali colono, ut advertit *Glossa in Clement. 1. V. excolendas hoc tit.* traduntur: quibus in casibus, sicuti agri tales (saltem pro parte,) penes privilegiatos manent, ita ut his agri tales (saltem pro sua parte) fructificent; sic pro sua parte à decimis dandis immunes hi erunt, nisi verba privilegij aliter ponderari debeant, ut advertit relatu Glossa.

CAPITULUM XXV.

Tua.

Paraphrasis.

Si Imperator concedit alicui possessiones aliquas liberas, ac immunes ab omni onere, utrùm hi ab onere decimarum dandarum ex his possessionibus sint immunes, ex Pontifice quærebatur; qui respondit in hoc Cap. immunes, ac liberas à præstandis Ecclesiæ decimis, sub quacunque generalitate possessiones tales concessæ fuerint, non esse, non tantùm quòd nulla sit Laicis potestas de rebus Ecclesiasticis disponendi, sed quòd potestas sæcularis, quamvis imperatoria, non possit liberare ab illis, quæ divina constitutione debentur.

Summarium.

1. *Imperator non potest liberare ab onere solvendarum decimarum, etiamsi fundum concedat ab omni onere liberum*
2. *Quo sensu dici possit juris divini obligatio, obligatio decimarum?*

NOtandum. Quòd dicatur in ratione pro responsione in cap. hoc relata, liberare non posse Imperatorem ab illis, quæ divina constitutione debentur. Ex quibus verbis inferunt aliqui, quòd decimæ jure divino debeantur, & consequenter nulla contra illas consuetudo aut præscriptio &c. prævalere possit, cùm consuetudo, quæ juri divino contraria est, sit irrationabilis, nihil utilis ad derogandum juri divino, aut ad præscribendum contra jus divinum. Rectiùs tamen alij dicunt, prout *supra cap.* 14.

14. jam notatum, divini juris obligationem hanc dici posse, eò quòd ab Ecclesia secundùm imitationem divini præcepti lati in antiqua Lege decimæ institutæ sint; & materialiter spectatæ, ut sunt necessaria, ac conveniens ministrorum Ecclesiæ sustentatio; formaliter tamen spectatas, quoad quotam, decimam scilicet omnium fructuum, ac lucri partem, esse obligationem hanc juris positivi Ecclesiastici, contra quod prævalere potest legitima consuetudo *cap. final. de consuet.* communis hodie Canonistarum & Theologorum docet, & nihil pro contraria sententia, allati textus probant.

CAPITULUM XXVI.

Tua nobis.

Paraphrasis.

Graviter conqueritur Pontifex, quòd perversis suis machinationibus Laici aliqui decimas imminuant; vel ex occasione deducendorum priùs sumptuum in agricultura factorum; vel quòd suis Ecclesijs, aut alijs pijs usibus, in pauperum etiam subsidium, pro suo arbitratu applicent illas; vel quòd vitâ Clericorum flagitiosâ offensi nolint solvere illis decimas; vel quòd ab Imperatoribus possessiones tales cum omni libertate acceperint: qui si ad Deum attenderent, cujus respectu decimæ solvuntur, & à quo bona omnia proveniunt, in subtrahendis decimis tam temerarij non essent; cùm frivolæ sint omnes illæ prætensiones; & decimæ non tam personis, quàm Ecclesijs persolvantur, quæ pati non debent, ob vitam flagitiosam Clericorum: neque talibus Laicis ulla sit concessa potestas disponendi de bonis Ecclesiasticis, prout sunt decimæ; nec Deus deterioris conditionis debeat esse, quàm sit alius fundi dominus, cui juxta conventa pacta solvi debet, quod statutum est: & hinc mandat Episcopo Vercellensi, ut omnes, ad decimas persolvendas obligatos, compellat ad integrè eas absque ulla deductione suis Ecclesijs præstandas.

NOtandum. Pleraſque in hoc cap. prætensas excusationes, ex alijs etiam juribus jam nullas esse; sic in cap. priore dictum, Imperatoris concessionem sub quocunque quantitate, & qualitate factam, a decimarum solutione non absolvere; sic in *cap. final. de rebus Ecclesiæ non alien.* dicitur, Laicis non esse disponendi circa Ecclesiastica potestatem: sic in *cap. cum non sit 33. hoc tit.* dicitur, in solutione decimarum, detrahenda non esse priùs tributa, & census; vel si priùs deducantur, solvendas decimas ex his etiam ab eo, qui indistincta hæc talia accepit: sic in *cap. Pastoralis 38. hoc tit.* dicitur, non esse expensas deducendas in prædialibus decimis, quamvis in prædiorum talium frugiferam magis melioralionem factæ sint, priusquam decimæ ex illis solvantur; & fructus alienari non posse, si nondum sint decimati, nisi cum onere solvendarum ex illis decimarum: sic denique in hoc Capitulum Abbas post Suarez advertit, à dandis decimis non excidere vitam flagitiosam beneficiatorum, quibus onus incumbit administrandi Sacramenta illis, qui ad decimas dandas obligantur; cùm hæ non dentur in gratiam talium beneficiatorum, sed ad competentem sustentationem, ex Ecclesiæ bonis capiendam, dum Ecclesiæ in suis ministerijs inserviunt, *arg. reg. 55. in sexto.*

CAPITULUM XXVII.

Ex parte A.

Paraphrasis.

Abbas sanctæ Columbæ Innocentio III. supplicavit, ut, cùm Monasterio suo indultum fuerit, de bonis suarum Parochiarum, suis laboribus excultis, decimas integrè perere, intelligatur etiam per privilegium concedi, ut de novalibus etiam in sua parochia exurgentibus decimas quoque exigere & percipere possit; quod

dicto Monasterio concessit Pontifex, asserens, cùm dicto Monasterio, quod majus est, concessum sit, decimas scilicet suæ Parochiæ exigere, & percipere, etiam quod minus est, concessum videri, jus scilicet percipiendi decimas de novalibus.

Summarium.

1. *Quæ circa hoc cap. difficultates moveri possint?*
2. *Nihil tamen obesse eas decisioni in hoc cap. factæ ostenditur.*

NOtandum. Clara quidem esse concessionis verba, gravem tamen difficultatem duplicem sub eis latere. Primò enim quomodo per privilegium concessum dicitur, quod majus est, si de suis Ecclesijs parochialibus decimas tantùm exigeret, & acciperet monasterium? Et quomodo ex hoc infertur, quasi ex privilegio illi competeret, ex novalibus etiam suarum Parochiarum decimas exigere, & accipere, cùm utrumque hoc de jure commuui monasterio, cui parochiæ hæ, quoad curam etiam animarum incorporatæ fuerunt, competeret, juxta *cap. cum contingat 29. hoc tit.*? Et secundò, quomodo non pugnet, quod hic dicitur cum illis, quæ in *cap. tua, 25. hoc tit. §. nec occasione* asseruntur, ubi dicitur, decimas novalium non pertinere ad Laicum, qui decimas in feudum obtinet? Si enim, quod minus est, conceditur concesso majore, utique etiam conceditur, jus novalia decimandi, cui jus decimas antiquas prædiorum percipiendi, in feudum concessum est. Rectè tamen alij dicunt, neutram illationem hanc contra decisionem ponticiam urgere: non primam (ut plures Abbatis explicationes omittantur) eò quòd hæ parochiæ, monasterio tantùm concessæ fuerint, quoad jus præsentandi, & consequenter jus decimarum, monachis illis de jure communi non competeret, sed ad hoc jus obtinendũ, & retinendũ speciali privilegio indiguerint, quod facilè inde ad novalia extensum fuerat, tanquam minus, & peculiariter nihil præjudicans Ecclesiæ, contra quam jus decimarum monasterio jam priùs concessum fuerat: vel dici poterit, olim quidem huic monasterio in parochialibus his Ecclesijs sibi incorporatis jus decimatum competiisse, postea tamen, per præscriptionem v. g. legitimam, amissum hoc fuisse, ut adeò privilegio indigerent, quo jus antiquum illis restitueretur; & quidem non tantùm ad decimas antiquas, sed etiam ad decimas novalium. Altera verò difficultas ex *cap. tua. 25. hoc tit. §. nec occasione.* nihil probat, si doctrina Abbatis attendatur, qui advertit, decisionem *cap. tua*, circa negandas novalium decimas ei, qui decimas antiquas in feudum obtinebat, contra Laicum latam fuisse; hanc verò decisionem pro Clericis datam fuisse, quibus datũ in materia Ecclesiastica privilegium, cùm favorabile sit, latiùs explicandum est, cùm tamen datum feudum Laico in re Ecclesiastica odiosum sit, & strictæ interpretationis.

CAPITULUM XXVIII.

Pastoralis.

Paraphrasis.

Dubitavit Episcopus Helienſis, utrùm de molendino & piscarijs debeant solvi decimæ, priusquam deducantur expensæ necessariæ ad rei conservationem, aut melioratione factæ: huic dubio respondet Pontifex, de personalibus quidẽ solvi non debere decimas, nisi priùs deductæ fuerint necessariæ expensæ; prædiales verò decimas integras solvendas, priusquam deducantur factæ expensæ.

Summarium.

1. *Quare ex prædialibus nullæ deducendæ priùs expensæ, quàm solvantur decimæ; & quare ex personalibus priùs deduci possint?*

2. *Quommodo, quæ dicuntur cap. hoc, non contradicant cap. Non est 22. h. t.*

1 NOtandum primò. Satis intelligi posse hoc cap. ex illis, quæ supra dicta sunt in *cap. ex transmissa 23. h. t. & in cap. non est 22. h. t.* assignat tamen *Glossa hic* rationem, quare aliter de prædialibus statuerint jura, aliter de personalibus, quòd scilicet in prædialibus potissimùm laboret manus Dei, ut ait *Glossa v. deducendas*, fructus producens, & consequenter rectè sibi vendicet, de omnibus his fructibus supremum suum dominium recognosci: in personalibus verò multùm operetur industria, & manus humana, suæ artis lucrum faciens, & consequenter de lucro facto, divinæ benignitati obligatus est aliquis. Vide aliam etiam rationem apud dictam Glossam.

2 Notandum tamen secundò. Hujus cap. decisionem non contradicere *cap. Non est 22. h. t.* ubi dicitur, *de vino, grano, fructibus, negotiatione, militia, venatione &c. dandas decimas*, & postea subjungitur, *persolvendas illas cum integritate debita Ecclesijs, antequam deducantur ullæ expensæ*: ex quibus verbis, videtur colligi posse, contra decisionem *cap. hujus 28.* quòd nec de personalibus decimis solvendæ sint, deductis expensis, decimæ. Respondent enim communiter DD. quæ dicuntur in *cap.* relato *non est*, intelligi debere de prædialibus decimis, non autem personalibus, ita ut verba accommodanda sint, prout subjecta materia vult, & capax est, ne absurdum aliquid contra clarum textum *cap. pastoralis*, & contra alia Capitula, ubi de lucro tantùm decimæ personales persolvendæ statuuntur, inferatur.

CAPITVLVM XXIX.

Cùm contingat.

Paraphrasis.

Ecclesiæ aliquæ, aut personæ Ecclesiasticæ, in parochijs quibusdam antiquas decimas nonnunquam percipiunt, quæ ex legitimo titulo ad illas devenerunt; dubitatur ergò, & ex Pontifice quærebatur, si in loco tali Novalia fiant, an etiam Novalium horum decimæ ad decimatores antiquarum decimarum pertineant; cui dubio respondet hîc Papa, Novalium decimas, ad Ecclesiam parochialem pertinere, nisi qui antiquas decimas hactenus perceperunt, rationabilem causam ostendant, quòd etiam Novalium decimæ ad se pertineant.

Summarium.

Non sufficit ad decimas Novalium in aliquo loco percipiendas, antiquarum decimarum percipiendarum jus debitori exprescriptione, legitima infeudatione, transactione, aut vi privilegij indefinitè concessi; nisi expressa etiam mentio Novalium fuit, aut tam rationabilis subsit.

NOtandum. Talem causam rationabilem non esse, quòd vi præscriptionis, legitimæ infeudationis, transactionis, vel etiam vi privilegij generaliter & indefinitè concessi, antiquas decimas percipiat; neque enim legitima infeudatio, transactio, aut privilegium tale ad tale extendunt, quæ concessionis tempore, aut tempore transactionis, nondum fructificabat expressa etiam Novaliũ mentio fieret; quo casu causa rationabilis adesset extendendi etiam Novalium decimas) multò minùs præscriptio dat eis Novalium decimas, quarum antiquæ legitimo modo præscriptæ sunt, tum quòd communi sententia Canonistarum illud tantùm præscriptione obtineri possit, quod possidetur, Novalium autem decimæ, cùm non essent eo tempore, quo antiquæ præscribebantur, & consequenter non possiderentur, vi præscriptionis factæ obtineri non possunt; tum quòd tales tituli, quibus jus decimarum in alios transferrur, quàm Ecclesias parochiales proprias, odiosi sint, & consequenter restringendi juxta Regulam juris 15. in 6.

CAP.

CAPITULUM XXX.

Cùm in tua.

Paraphrasis.

Reſcribit Pontifex Epiſcopo Belvacenſi, quòd etiam Eccleſiæ illæ Conventuales, & monaſteria, quæ jus percipiendarum decimarum, tam majorum quàm minorum, in certis parochijs ab antiquo obtinent, fructuum omnium, qui in illis terris decimabilibus proveniunt, decimas percipere poſſint, eò quòd terra talis, ab antiquo fuerit ſemper Eccleſijs talibus decimabilis, & res eadem non debeat diverſo jure cenſeri.

Summarium.

1. *Qui præſcripſit in aliquo fundo decimas, habet jus decimarum ex quolibet fructu, qui in illo fundo creſcit, & decimabilis eſt.*
2. *Quommodo intelligi debeat commune illud dictum, quòd eadem res non debeat diverſo jure cenſeri?*
3. *Fundatam intentionem in jure habet parochus ad decimas ſuæ parochiæ, ita ut alij incumbat probatio, ſi contra eum ratione decimarum agat parochus.*

1 NOtandum primò. Rectè colligi ex *h. cap.* eum, qui in fundo aliquo præſcripſit jus percipiendi decimas, poſſe petere, & percipere quorumcunque fructuum, qui in illo fundo creſcunt, decimas, ſi tamen fructuum illorum, qui in tali fundo creſcunt, decimas conſuetudo ſolvit; & quidem copioſiores fortaſſe, quàm priùs percepit, eò quòd fundus ille fructuum, qui modò in illo coluntur, & creſcunt, feracior ſit; ſic qui priùs ex ſylva v. g. paucas aliquas glandes pro decimis obtinuit, poſtmodum ex illa ſylva, ſi exciſa colatur, ut ager, copioſiores fortaſſe decimas frumenti habere poteſt.

2 Notandum ſecundò. Benè dici, quòd non debeat eadem res diverſo jure cenſeri, ſi ſcilicet eadem ratio pro quolibet caſu militet: quòd ſi enim pro uno caſu hæc ratio habeatur, pro alio caſu alia; pro uno caſu v. g. jus commune, aut conſuetudo recepta, pro alio verò caſu legitima transactio, præſcriptio, vel privilegium &c. ſi ſcilicet majores quidem decimæ aut fundi, ad privilegiatum v. g. pertineant, minores verò decimæ ejusdem prædij, aut fundi Eccleſiæ parochiali, quod fieri poteſt; idem prædium ſeu fundus diverſo jure cenſebitur, in quantum quoad fructus majores ſolvendos privilegiato, quoad minores verò decimas Eccleſiæ parochiali obligabitur.

3 Notandum tertiò. Fundatam quidem intentionem in jure communi habere parochum ad decimas ſuæ parochiæ (in hoc enim cap. expreſsè Pontifex dicit, Eccleſijs parochialibus eas ſolvendas, ad quas de jure communi ſpectat decimarum perceptio) ita ut, quamvis ſpoliatus juxta communem juris doctrinam ante omnia reſtitui debeat, in cauſa tamen decimarum, ſi parochus detentorem decimis ſpoliet, locum hoc non habeat, ſed debeat ſpoliatus probare, antequam reſtituatur, quòd ſibi jus decimarum competat, prout deciditur *in cap. 2. de Reſtit. ſpoliat in 6.* cùm in tali caſu præſumptio adverſetur ſpoliato, & jus commune faveat ſpolianti, ut ait relato loco Pontifex.

CAPITULUM XXXI.

Dudum.

Paraphrasis.

Veſprinenſis Epiſcopus, Hoſpitalarios Hieroſolymitanos, ſuper quibusdam decimis conveniebat, prætendens ad ſuam Eccleſiam eas pertinere; excepit tamen contra Epiſcopum Hoſpitalis Prior, allegans præſcriptionem, & quòd non teneatur reſpondere: Pontifex tamen mandavit Priori, ut Titulum ſuæ præſcriptionis exhiberet; cui mandato ut obediret Prior,

exhibuit Regis & Reginæ Hungariæ privilegium, quo decimæ illæ in perpetuam eleemosynam hospitali dicto donatæ fuerunt; quam donationem etiam Clemens Papa confirmavit: quia verò hanc à Laicis provenientem decimarum ad Ecclesiam pertinentium donationem, non tantùm nullam putabat Pontifex, sed nec præscribendi titulum præbere; neque per confirmationem Clementis Pontificis, quamvis instrumentum, authenticum quidem, in genere tamen tantùm loquens, fuerit exhibitum, juri Episcopali derogatum sit, tunc per sententiam suam prohibuit Pontifex, ut ne Episcopus in petendis & colligendis his decimis impediretur.

Summarium.

1. *Laicorum, quacunque in dignitate constituti sint, non tantùm nulla est de rebus Ecclesiasticis facta dispositio, sed nec præscribendi titulum præbet.*
2. *Confirmatio Papæ sub forma communi, nullum infert tertio jus habenti præjudicium.*
3. *Episcopo, quando jus decimarum integrarum conveniat?*

1 NOtandum primum. Quod sæpius etiam dictum, Laicis de rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis disponendi, nullam esse facultatem, in quacunque dignitate sint constituti, prout etiam ex *cap. tua 25. h. t.* patet & ex *c. finali de rebus. Eccl. Alien.* & ex *cap. quod autem 5. de jure Patron.* quia, ut ait in modo relato cap. Pontifex, pro non dato habetur, quod ab illo donatur, qui non potest de jure donare; ita ut nec legitimum titulum ad præscribendum tribuat, cùm in manifesto jure erret, qui decimarum Ecclesiasticarum donationem à Laico accipit; error autem juris manifesti, nec bonam fidem patitur, ad omnem præscriptionem necessariam, juxta *Reg. Iur. in 6. 28.* nec prodest erranti *L. nunquam 31. ff. de usucap.*

2 Notandum secundum. Per confirmationem à Papa factam sub forma communi, vel sub terminis generalibus, nullum infertur præjudicium tertiæ personæ, cujus jus manifestum est; cùm enim verba, confirmationis talis scil. tantùm sint narrativa, & sub conditione, *si talia, quæ affirmantur, bona vestra sint*, ut ait Abbas *in hoc cap.* manifestus autem juris error nullum titulum tribuat, consequenter etiam nihil proderit confirmatio sub forma communi, & in terminis generalibus concessa.

Notandum tertium. Non tantùm quæ tam decimarum Episcopo competere, *cap. conquerente 16. de off. Iud. Ord. cap. ad quarta, 4. de præscript. cap. cùm non 9. de censibus, & cap. quoniam 13. h. t.* sed hodie etiam fieri posse, ut in certis casibus integra Parochiæ alicujus decima Episcopo solvi debeat; & ad has decimas fundatam in communi jure intentionem habeat, contra omnes alios talium decimarum detentores; si scilicet ipse Episcopus immediatus sit parochus Ecclesiæ ipsius, cui per Vicarium servetur; si prædia sita sint intra diœcesim quidem, nulli tamen parochiæ in particulari assignata, sed ad mensam Episcopalem pertineant; si parochiæ non sint in aliqua diœcesi divisæ, sed omnis cura, ad Episcopum immediatè pertineat &c. debitâ tamen semper sustentatione Capellanis dandâ &c. Videatur, quæ *lib. 4.* dicuntur *in Th. Mor. tr. 6. c. 4 n. 6.*

CAPITULUM XXXII.

In aliquibus.

Paraphrasis.

Præcipit in Concilio Generali Pontifex Innoc. III. ut prædiorum domini prædia sua illis elocent colenda, qui decimas Ecclesijs sine contradictione solverent; cùm enim populi in illis regionibus aliqui essent, qui nullas prædiales decimas solverent, agri tamen illis colendi elocarentur, ut copiosiores inde fructus obtinerent domini prædiorum talium; ita

suis decimis fraudarentur Ecclesiæ, cavere voluit hoc præcepto Pontifex.

SUMMARIUM.

1. *Domini fundorum illis colonis suis decimabilies fundos elocare debent, qui fideliter sunt decimas soluturi.*
2. *Qui vendit fundum, decimabilem quidem, cujus tamen decimas non persolvit, utrùm ad decimas præteritas nondum persolutas obligetur, & conveniri possit, an verò obligetur ad eas, qui emit?*

1 NOtandum. Putare Abbatem populos hos, Christianorum quidem nomine, gavisos fuisse, fuisse tamen hæreticos, aut schismaticos, qui, quamvis præcepto dandarum decimarum obligarentur, ut ex *cap. ex transmissa 23. h. t.* patet, ex peculiari tamen ritu nullas solverint decimas, cùm tamé fundi illi, qui excolendi illis locabantur, Ecclesiæ ad decimas essent obligati, ita ut compelli potuerit dominus fundi, fundos tales illis colonis elocare, qui fideliter, & utiliter eos colerent absque præjudicio Ecclesiæ.

Utrùm autem in casu, quo prædium tale, ex quo nullæ decimæ datæ fuerunt, venditum fuit, solvendæ decimæ, nondum persolutæ, ab antiquo fundi domino, vel ab emptore peti potuerint, & solvi debuerint, dubitatur.

2 Cui dubio valde probabiliter respondet *Suarez de Relig. l. 1. cap. 38. n. 9.* novum fundi possessorem, vel emptorem, obligari quidem ad decimas solvendas futuri temporis, non autem ad decimas præteriti temporis, nondum persolutas, de quibus Ecclesia convenire poterit antiquum fundi dominum, si suæ ille obligationi, in solutione decimarum, non responderit; cùm enim fundus non absolutè, & per se obligatus sit Ecclesiæ, sed respectivè tantùm respectu fructuum scilicet, quos decimabiles profert, consequenter dominus modernus fundi, de præteritis fructibus, quos fundus nunquam adhuc tulerat, & Ecclesia non perceperat, nullam habebit obligationem; habet tamen de futuris, & qui dominus frugiferi fundi antea fuit, ac illius fructus percepit, obligationem habebit de præteritis fructibus. Neque dicas, de jure Civili novum possessorem ad vectigalia & tributa, quæ prior dominus ratione fundi hujus nondum persolverat, obligari, *L. Impera. 7. ff. de public.* ergo etiam obligabitur novus possessor ad decimas præteriti temporis, nondum persolutas, solvendas; præsertim cùm decimæ tributa dicantur gentium animarum *C. Tua 26. hoc tit.* Nego enim cum *Glossa in relatum cap. tua. V. Tributa*, quòd decimæ propriè dici possint Tributa, prout videre est ex differentijs pluribus, quæ in relata Glossa afferuntur. Videatur *Theol. Mor. tr. 6. c. 2. n. 5.*

CAPITULUM XXXIII.

Cùm non sit.

PARAPHRASIS.

In eodem Concilio statuit Pontifex idem, ex prædialibus decimis non esse priùs tributa, & census deducendos, quàm solvantur decimæ; cùm enim fructuũ omne cõmodum divinæ benignitati, quæ incrementa dedit ad scribendũ sit, & Dominus Deus, in recognitionem generalis sui dominij, decimas sibi reservaverit, meritò, quæ sibi solvenda reservavit, ante omnem dominij particularis, & humani recognitionem præstari debent. Vide de hujus Cap. materia, quæ de integrè solvendis decimis *in cap. cum homines. 7. cap. non est 22. cap. tua nobis 76. hoc tit.* & quæ fusiùs habet *Suarez. de Religione. l. 1. cap. 35.*

CAPITULUM XXXIV.

Nuper.

PARAPHRASIS.

Concessum fuit privilegium Cistercien-

bus *in cap. ex parte 10. hoc tit.* ut immunes sint à solvendis decimis ex prædijs suis, & Novalibus, si proprijs manibus aut sumptibus excolant; quod privilegium, cùm successu temporis, multiplicato jam Ordine, & pluribus prædijs Ordini acquisitis, Ecclesijs Parochialibus, plurimùm præjudicaret, moniti fuerunt de hoc præjudicio ab Innoc. III. ex Concilio Lateranen. Abbates Ordinis Cistercienſis, in Cap Gener. congregati, qui sanctè & providè statuerunt, ne de cætero fratres illius Ordinis tales possessiones, seu prædia emerent, aut sibi acciperent, ex quibus decimæ debentur Ecclesijs Parochialibus: vel si illis tales possessiones pro fundandis novis Monasterijs donarentur, ex quibus decimæ Ecclesijs solvi deberent, eas illis excolendas traderent, qui decimas fideliter persoluturi Ecclesijs essent, ita ut de terris alienis, quas in posterum conducturi, vel quocunque titulo acquisituri essent, etiamsi proprijs manibus, aut sumptibus, eas excolerent, decimas illis Ecclesijs, quibus jam antea solvebantur, antequam ad hos Religiosos pervenerint, persolvant, nisi aliter cum ipsis Ecclesijs compositum fuerit. Quæ constitutio ex mente Pontificis, ad omnes alios Religiosos similibus privilegijs gaudentes extensa fuit, ut ne scilicet Ecclesiæ Parochiales nimiùm gravarentur, si debitæ illis decimæ ex privilegio tali subducerentur, & Ecclesiarum Prælati promptiores essent, ad Religiosorum jura, & privilegia conservanda.

Summarium.

1. *Ex omnibus prædijs post Lateran. Concilium acquisitis, debent decimæ a Religiosis solvi Ecclesiæ, si priùs decimæ ex illis fundis, quam ad Religiosos pervenerunt, solutæ fuerant, nisi expressis verbis circa decimas postea acquisitas, huic Cap. fuerit derogatum.*
2. *Ita tamen, ut in quibusdam casibus maneat privilegium immunitatis à solvendis decimis, salvum illius effi[cax].*
3. *Si tamen hodie cum expressa derogatione Cap. hujus privilegium immunitatis à decimis concederetur Religiosis, non tantùm immunes essent a dandis decimis, ex fundis eo tempore possessis, sed ex fundis etiam decimabilibus postmodum acquirendis.*

NOtandum primò Juxta hoc Caput deberi decimas ab omnibus Religiosis ex prædijs, post Lateranense Concilium, quod sub annum 1215. celebratum est, acquisitis, si priùs, quàm fundi illi à Monasterium pervenerunt, decimæ ex illis persolutæ fuerunt Ecclesijs, nisi expressis verbis in privilegio immunitatis à decimis persolvendis, postmodum concesso, hoc Cap. *nuper* derogetur; tum quòd Pontifex cavere vellet Ecclesijs, ne nimiùm illis per alia privilegia præjudicaretur; tum quod res transeat cum suo onere, nisi aliter fuerit tutum, aut transactum legitimè fuit; tum quòd constitutioni Concilij, quæ est hæc constitutio *cap. nuper*, magnæ approbata à Concilio Lateran. nunquam censeatur derogatum, nisi clausula illius derogatoria, expresè ponatur; prout hic mitur ex *Cap. ex Parte 3. de Capit. Monach.*

Notandum secundò. Manere privilegia immunitatis à decimis salva Religione, non tantùm circa prædia, quæ ante Lateranense acquisiverunt, & proprijs manibus aut sumptibus ab illis excoluntur; vel quæ illis post Lateranense acquirantur, sed nullæ ex fundis illis datæ fuerunt decimæ, antequam ad Religiosos fundi tales pervenerunt; vel si immunitas illis concessa fuit cum derogatione expressa *cap. nuper*, sed etiam jura Novalia, quæ suis manibus aut sumptibus post Lateranense excolunt; etiam

ctâm revocatio, quæ habetur in *Cap. nuper*, tantùm facta sit de prædijs, & fundis jam antecedenter frugiferis, & decimabilibus, ex quorum immunitate, per privilegium obtenta, præjudicari potuit Ecclesijs, quibus antea decimabiles fuerunt; & nullibi in allato Cap. de revocatione immunitatis à decimis Novalium, quæ proprijs manibus aut sumptibus à Religiosis talibus excoluntur, fiat mentio: cùm ergo ex *cit. cap. ex parte 10. hoc. tit.* privilegium immunitatis à decimis circa prædia, quæ proprijs manibus aut sumptibus excolunt Religiosi tales, concessum sit, & hoc privilegium præcisè revocatum sit quoad fundos jm antea decimabiles, priusquàm ad monasterium pervenerunt, clarè patet, quoad alia in hoc Notando annotata, salvum manere illis concessum privilegium. Videatur *cap. ex parte 10. h t. & Theologia Moralis loc. cit. cap. 3. n. 4.*

3 Notandum tertiò. Si hodie privilegium immunitatis indefinitè à decimis, quæ proprijs laboribus, aut sumptibus excoluntur, à Pontifice Religioso alicui monasterio, vel Ordini concedatur, cum expressa derogatione *cap. Nuper.* intelligi debet, quòd non tantùm immune sit tale monasterium à dandis decimis circa prædia, quæ tempore concessi hujus privilegij possidebat, sed etiam quæ postmodum acquirit; cùm verbis Concilij, quoad illa tantùm prædia immunitati derogetur, quæ post Lateranense, sine derogatione hujus *cap. nuper* obtenta sunt, non tamen, quæ cum dicti cap. derogatione etiam post Lateranense obtenta sunt, prout probant DD. *ex hoc cap. & ex cap. quæ circa 22. de privilegijs.* ubi dicitur, quòd, qui indefinitè remisit decimas, intellexisse videatur, non tantùm de decimis bonorum illius temporis, sed etiam futuri, cùm nihil exceperit, & tamen potuerit excepisse.

CAPITULUM XXXV.

Interdicimus.

Paraphrasis.

Ut provideretur Ecclesijs, ad quas decimæ de jure pertinent, quæ hîc & nunc à Laicis possidentur, in feudum legitimè concessæ, vel quæ injustè detinentur; statuit Greg. IX. Pontif. non posse, nec debere illas ab ullo accipi in pignus, si à Laico in pignus offerrentur, nisi ab illa Ecclesia, ad quam de jure pertinent.

Summarium.

Quòd decimæ à Laicis injustè detentæ in pignus dari non possint.

NOtandum. Si sermo sit de illis decimis, 1
quæ quidem ad Ecclesiam aliquam de jure pertinent, hîc & nunc tamen injustè à Laicis detinentur, certam, & claram esse Pontificis decisionem, cùm illæ res, quæ in bonis nostris non sunt, sed alienæ, in pignus dari non possint, *Leg. Qui filios 6. Cod. quæ res pignori obligari possunt.* Si tamen Laicus justè possideat decimas, in feudum v. g. legitimè sibi ab antiquo ante Concilium Lateranense datas, potest illas cum consensu Episcopi (illius scilicet, qui in feudum has decimas legitimè concessit, seu successoris, tanquam domini feudi talis, cujus consensus in alienanda re feudali requiritur) non quidem Laico alteri, si scriptum jus attendatur, sed Clerico, Religioso, Monasterio, aut Ecclesiæ alteri in pignus dare, *argum. cap. cùm Apostolica Sedes 7. de his quæ fiunt à Prælat.* Si enim, ut in relato modò cap. conceditur, decimæ tales à Laico justo possessore donari possint Ecclesiæ alienæ, cur non possint oppignorari, quia, cui conceditur majus, videtur etiam minus concessum.

(o)

CAPI-

CAPITULUM I.

in Sexto.

Discretioni.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus, & Capit. Pisanum contra Fratres Prædicatores, & Minores querelam ad Gregorium IX. deferebant, quòd videlicet illi, tam publicè in suis sermonibus ad populum, quàm alibi (in privatis scilicet collationibus, disputationibus &c.) ea proponant, quæ Auditores à decimarum, aliarúmque rerum Ecclesijs debitarum solutione avocent, aut animas corrumpere possint; mandat proinde hîc Pontifex, ut inposterum ab his Religiosi tales abstineant.

NOtandum. Quòd decretum hoc renovatum sit *in Clement. Cupientes tertia de pœnis*, & extensum ad omnes Religiosos, etiam non Mendicantes adjectâ pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ à transgressoribus: sicuti tamen hoc decreto non comprehenduntur Sæculares Clerici, vel Laici, ita nec hanc Clementinæ hujus pœnam timere debent. Lege, si placet dictam Clementinam, ubi plura injuncta Religiosis circa decimarum insinuationem reperies, quorum tamen hodie vix aliquis usus est.

CAPITULUM II.

Statuto.

PARAPHRASIS.

Plura in pluribus hujus Capit. §§. ab Alexandro IV. Pontifice maximo statuta, vel ex alijs jam colligi poterunt ita ut multa hîc statuta priorum constitutionum tantùm sint declarationes, renovationes, aut confirmationes, vel exannotandis patebunt.

SUMMARIUM.

a. *Privilegium de decimis Novalium quomodo intelligendum?*

2. *Quas decimas accipere possint Religiosi à Laicis, & quas solvere teneantur Parochijs?*

3. *Quid de Primitijs & Oblationibus?*

NOtandum I. In Principio hujus Capit. §. 1. statui sive declarari, quòd privilegium de decimis Novalium, alicui per privilegium concedantur, quæ antiquas decimas in aliquo loco, per privilegium v. g. possidet, non extendatur ad Novalium decimas, quas alij impetrati privilegij tempore possidebant; sed intelligi tantùm debeat de illis Novalibus, quæ inposterum post impetratum privilegium fiunt (cùm privilegium tale non concedatur cum præjudicio aliorum, quibus jus jam acquisitum fuit, nisi expressè tali juri derogetur) neque extendatur ad Novalium decimas, nisi in illis locis tempore impetrati privilegij antiquas decimas in locis illis possiderent aliqui: neque denique ultra eam quantitatem extendatur, in qua antiquæ decimæ ab impetrante privilegium percipiebantur, cùm assimilatum intelligi debeat, secundùm conditionem illius, cui assimilatur. Imò non voluit Pontifex in §. *secundo hujus Capit.* ut in illis locis, ubi integræ decimæ antiquæ, vel ultra medietatem, alijs solverentur, quàm Ecclesijs Parochialibus, ne per privilegium de decimis Novalium, etiam impetratum & concessum nimis grave dictis Ecclesijs præjudicium inferret, privilegium tale extenderetur ultra medietatem, ob odiorum etiam refringendorum rationem: ob quam causam pariter etiam Pontifex in §. *ult. hujus cap.* concessionem factam de percipiendis decimis præcisè non se extendere ad decimas Novalium; cùm tamen privilegia, quibus decimæ, vel alia similia jura alicui concedantur, ita intelligi debeant, ut congrua alterius sustentatio, fabrica Ecclesiæ, hospitalitas, & alia Episcopalia jura salva maneant; vel certè poterit Ordinarius, ut necessaria ad hæc onera Ecclesiæ relinquantur, cogere eos, quibus decimarum privilegium indulget, juxta §. 2. *hujus cap.*

Nota-

2 Notandum II. In *quarto §. sanè*, asseri, quòd eas decimas à Laicis, accipere possint Religiosi, quæ ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. fuerunt illis in Feudum perpetuum concessæ, de quo in *cap. cùm Apostolica 7. de his, quæ fiunt à Prælat. & in cap. fin. hoc tit.* In §. 5. autem statuitur, quòd Religiosi etiam exempti solvere debeant decimas Ecclesijs Parochialibus, quibus fundi ratione decimarum priùs obligati fuerant, quàm ad illas pervenerunt, juxta *cap. 3. 4. & 10. hoc tit.* ac in judicio, si coram Diœcesano conveniantur ratione suarum decimarum, respondere debeant, compellendi ad decimas dandas, nisi immunitatem tam suam, quàm rerum suarum probaverint; quem casum specialem asserit Glossa, de quo coram Ordinario conveniri poterunt etiam exempti ratione rei sitæ, quod in §. 6. *Cæterùm* asseritur.

3 Notandum III. In Rubrica quidem hujus tituli, tam in antiquis, quàm in sexto, mentionem fieri de Primitijs etiam & Oblationibus: nulla tamen specialis mentio earum habetur *in cap. hoc tit.* & Primitiarum usus apud Judæos inter Cæremonialia præcepta computatur, in Lege verò Evangelica, olim quidem ex præcepto juris Ecclesiastici usitatus, *cap. præter 6. dist. 32. cap. Revertimini. 65. caus. 16. q. 1.* hodie tamen per contrariam consuetudinem abrogatus est. De Oblationibus verò ad altare faciendis à fidelibus (de quibus Oblationibus Rubrica hujus tit. loquitur) nullum quidem est præceptum, consuetudo tamen attendenda & observanda est. Videatur *Theolog. Mor. l. c. c. 7.*

TITULUS XXXI.

DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

Cùm duo sint Ecclesiasticarum personarum genera, & de primo, videlicet sæcularibus Clericis, dictum sit, ordo postulat, ut de altero genere, videlicet Regularibus, quoque dicatur.

CAPITULUM I.

Nullus.

PARAPHRASIS.

Nemo tondeatur, nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate. Est Canon Moguntini Concilij tempore Imperatoris Caroli habiti Anno Christi 813.

SUMMARIUM.

1. *Vt Religiosus quis efficiatur, legitima ætas requiritur.*
2. *Quæ à Tridentino ad validam professionem ratione ætatis, & annui Novitiatûs requirantur?*
3. *Votorum nuncupatio in susceptione Religiosi statûs, spontanea esse debet.*
4. *Reclamans contra professionem ex defectu ætatis, vel ob vim factam, probare debet.*

1 NOtandum primò. Ut Religiosus efficiatur, legitima ætas requiritur, quæ olim erat pubertatis, videlicet anni 14. completi in masculo, 12. in fœmina, *c. 1. c. Illud 10. causa 20. q. 1. c. 1. & 2. q. 2. c. ad nostram 8. c. cùm virum 12. hoc tit.* eadémque ætas secundùm Canones, ad carnale matrimonium necessaria est, uti docui *lib. 5. tra. 10. p. 4. c. 12.*

2 At verò *Concil. Trident. sess. 25. c. 15. de regularibus*, duo de novo requirit. Primum. Ut in nulla religione professio maris, aut fœminæ valeat, nisi decimus sextus annus ætatis completus sit. Alterum, ut persona, quæ professionem edit, per annum in probatione steterit; veruntamen necesse non est, ut annus iste immediatè antecedat, sed fieri potest, ut ante expletum 15. annum, dummodo anni pubertatis adsint, probationem aliquis inchoet, eâque expletâ, differatur ex causa justa professio, sicuti docet *Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. c. 13. n. 8. Sanchez lib. 5. Mor. c. 4. n. 25.* Sed excipiunt idem *Sanchez v. 17. Nav. con. 10. de regularib. editione 2.* Ordines Militares, quos ajunt, hac constitutione non cõprehendi, atq; post 13. annum exactum, & ante novitiatûs annum profiteri solitos esse. Interim non prohibetur, sed commendatum reperies in sacris Canonibus, ante annos pubertatis pueros, & puellas ad monasteria suscipi; sed tempore illo, quod est ante pubertatem legitimam, non idonei censentur ad professionem. Primò jure novo nec ad probationem; tum quia ante eam ætatem propriæ discretionis facultatem non habent, sed à parentum, ac tutorum voluntate, imperioque pendent; tum quia ante pubertatis ætatem Religionis austeritates, præsertim circa castitatis votum rectè experiri non possunt. Nihilominus hos impuberes in Religionem susceptos, si infantiam excesserant, Ecclesiasticas personas esse, ut Canonis privilegio gaudeant, significatur *c. quisquis 21. causâ 17. q. 1.*

3 Notandum secundò. Emissio votorum in Religione, seu susceptio statûs Religiosi spontanea voluntate fieri debet, alioquin ipso jure (videlicet Ecclesiastico) irrita est, si fiat ex coactione, aut metu gravi, seu in virum constantem cadente. Ita habetur *in c. præsens 4. causa 2. q. 3. in c. 1. de ijs, quæ vi*, & docui *lib. 3. tra. 4. c. 6. n. 3.* Vide *Suarez tom. 3. de religione l. 6. c. 4.* Ratio est, quia professio, seu vota religiosa inducunt novum, eúmque immutabilem statum, & obligationem, quam convenit spontaneâ & liberâ voluntate suscipi: quare idem quoque de matrimonio carnali decretum est, ut coactio, seu metus gravis injustè illatus, impedimentum dirimens sit, *c. 2. de eo, qui duxit &c.* & docui *lib. 7. tra. 10. p. 2. c. 5.*

Porrò rectè notant Andreas, Abbas, & alij hîc, si constat professionem editam esse, & opponatur defectus ætatis, aut coactio, seu metus, alleganti probationem incumbere, eò quòd pro valore actûs præsumptio sit, eum legitimè gestum esse, donec contrarium ostendatur; non prohibetur tamen altera pars, videlicet monasterium, probationes suas afferre, quibus ætas, aut voluntas spontanea ostendatur, *arg. c. quod super 5. junctâ Glossâ verbi renuntiatione, ac renuntiatione.*

CAPITULUM II.

Si quis.

Paraphrasis.

Qui ante annos legitimos, seu pubertatis, absque parentum consensu tonsus est, ut fieret Clericus, seu Canonicus regularis, atque parentes intra annum apud Superiorem non reclamârunt, permanet ingitur. Si verò aliquis post annos legitimos per vim tonsus fuerit, & nec ipse nec parentes ejus per anni spatium contradixerunt, itidem permanere debet. Refertur ex *Mogunt. Conc.* sed in nullis Conciliorum non reperitur.

Summarium.

1. *Etiam impuberes Religionem ingredi possunt, ut regulari vita assuescant, saltem cum consensu Patris, aut tutoris.*
2. *Quando hi taliter ingressum revocare possint?*
3. *Qui per vim ad professionem religiosam coactus fuit, si per annum ante-*

lenta professione non reclamaverit, non auditur amplius, jus antiquum attendendo, Tridentinum verò concedit quinquennium ad reclamandum.

1 NOtandum primò. Nil obstat, quò minus pueri ante pubertatem, religionem ingrediantur, ut regulari vitæ assuescant, uti & constat *ex c. 1. & 2. c. 20. q. 2.* & docet *S. Thom. 2. 2. q. 189. n. 5.* qui etiam significat, quòd possint se obligare voto religionis assumendæ. Sed distinguere oportet, num pater, vel is, qui filium in potestate habet, aut eo mortuo, tutor vel mater expressè, vel tacitè consenserit in ingressum, aut votum, tunc consilium mutare, & impuberem revocare non potest invitum, uti constat *ex cit. c. 20. q. 1. & q. 2. c. ult.* an verò non consenserit, tunc revocare potest ingressum, & votum ejus irritare, cùm puerilis ætas à patris, aut tutoris &c. voluntate pendeat, uti docui *lib. 4. tra. 4. 16.* & habetur *in cit. c. 1. & 4.* Debet tamen pater, vel tutor &c. intra annum, à tempore scientiæ numerandum, reclamare, aut revocare; alioquin consensisse censebitur. Videri potest *Sanchez l. 4. c. 18. Suarez lib. 3. de relig. l. 5. c. 1. & Trident. Sess. 25. c. 17. de regul.* ubi significatur puellis permittendum non esse, ut habitum religiosum ante puberta em, seu expletum annum 12. suscipiant; eas autem, quæ post eam ætatem habitum susceptu æ, vel postea professionem edituræ sunt, ab Episcopo, vel Vicario ejus, alióque deputato ab ijsdem, licèt alioquin Ordo exemptus sit, examinandas esse, num sponte in Religionem ingredi velint, aliasque requisitas qualitates habeant.

3 Notandum secundò. Si quis per vim ad professionem in Religione ductus fuit, & postea anno integro non reclamârit, non auditur amplius, sed permanere cogitur. Ratio est, quia præsumptio tunc juris, ac de jure oritur, quòd per tanti temporis lapsum, professionem irritam ratificârit; & hoc antiquo jure. At verò per *Trident. cit. Sess. c. 19. de regularibus*, tempus quinquenij definitum fuit, uti latiùs explicavi *tra. 5. c. 5. n. 7.* & videri potest *Rod. tom. 3. de regul. q. 17. n. 16.* ubi benè declarat, tametsi nulliter professus post quinquennium in externo foro non admittatur, ad allegandas causas nullitatis; admittendum esse tamen ad allegandas causas impedimenti, sive, quòd intra quinquennium reclamare non potuerit, quia v. g. in carcere fuerit, aut metus semper duraverit. Dixi, in externo foro non admitti: at verò in foro conscientiæ, si reverà non ratificavit professionem, adeóque præsumptio juris falsa est, liber erit, qui ita professus est, ut scandalo, & damno alijs inferendo cessante, propriâ auctoritate abire, aut fugere possit, uti docet *Navar. commen. de regularibus. n. 77. & 78.* & tradidi loco jam citato.

CAPITVLVM III.

Ut Clerici.

Paraphrasis.

Non permittendum est Clericis ut habitum Monachorum gestent, sanctioris, aut strictioris vitæ ostendendæ causâ; sed cogendi sunt à Prælato, ut vel regulam Monachorum profiteantur, si in communi vivant, vel habitum, ac speciem externam Monachorum exuant. Hic est sensus Capituli, quod sumptum est *ex Conc. 4. Tolet.*

CAPITULUM IV.

Vidua.

Paraphrasis.

Si vidua velum conversionis, quamvis non sacrum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, habitum sanctimonialium retinere cogitur, tametsi jurare velit, se sibi velamen imposuisse, ut deponere possit.

SUMMARIUM.

1. *Viduæ profitenti non conceditur velum Consecrationis.*
2. *Habitum professionis gestans, & actum aliquem professis proprium exercens, quandonam censeatur tacitè professus?*
3. *Quæ in animo latent, utrùm per juramentum probari possint?*
4. *Tacita professio non præsumitur ex sola taciturnitate.*

1 NOtandum primò. Viduæ, seu mulieres non virgines in Religione profiteri possunt, sed velum consecrationis, quod solis virginibus convenit, non accipiunt, sed velum conversionis, seu meræ professionis. Consentit *cap. vidua 34. c. 27. q. 1.* Videri potest *Glossa in c. de votis 11. c. 20. q. 1.* & quæ dixi *lib. 3. s. 4. n. 8. & 9.*

2 Notandum secundò. Qui habitum professionis gestat, & actum professionis in eo proprium exercet, is tacitè, seu ipso facto professionem facere censetur, ita, ut ad contrarij probationem, aut recessionem à monasterio non admittatur. Ita *Gloss. hic Innoc. & Andr. n. 2.* & dixi *lib. 4. tract. 6. n. 1* Requiritur autem ad hanc tacitam, & præsumptam professionem primò, ut exercens actum sciat, esse proprium professo, v. g. interesse Capitulo, uti *And. hic* monet *v. 1.* Secundò, ut actum sponte, non per vim adactus exerceat, *arg. hujus cap. & c. 1. de his, quæ vi.* Tertiò, ut post susceptum habitum, anno continuo, in probatione steterit, juxta *Trident. sess. 25. c. 5. de regul.* Quartò, ut actus professorum proprius exerceatur cum consensu ejus, qui in Religionem auctoritativè suscipere potest. Videri potest *Sanchez lib. 5 mor. c. 3. n. 12.* & quæ dicentur *in cap. adversam 8. cap. ex parte 22. hoc tit.*

Limitari debet doctrina. Si quis expressè protestetur, se actum professionis proprium non exercere animo profitendi, præsumptio esse non potest professionis tacitæ; nam tacitum tollitur per expressum contrarium, uti docet *Gloss. finalis hoc tit.*

Quæres. Cùm ea, quæ in animo latent, quia alijs præter operantem cognita non sunt, per juramentum probari possint, *arg. cum. c. si verò quartò. de sententia excommunicationis*, ubi Glossa ait: *soli Sacramento creditur, quando de conscientia alicujus dubitatur*: cur in casu hujus Cap. juramentum non admittitur? Respondetur cum Abbate hîc *n. 6.* doctrinam veram esse in dubijs seu ambiguis factis, in quibus incertum est, ex quo animo processerint; at verò in casu nostro non censetur esse dubium, sed per circumstantias determinatum, ut inde præsumptio juris, & de jure oriri possit, adfuisse intentionem profitendi.

Ad extremum adverte, professionem tacitam non dici ob solam taciturnitatem, quasi ex ea consensus præsumatur; id enim verum non est, cùm in præjudicialibus sola taciturnitas pro consensu non habeatur, sicuti docet Bartolus, & alij *in Lege, qui dotis 28. ff. soluto matrimonio*; sed præter taciturnitatem requiritur actus positivus, qui vel ex rei natura, vel juris constitutione significet consensum, uti docet Abb. *in c. cùm virum n. 3. hoc tit.* v. g. si post Novitiatum completum aliquis habitum induat, qui est proprius professorum, et ad Capitulum admittatur, censebitur tacita, id est, sine verborum signis ipso facto edita professio.

CAPITULUM V.

Joannes.

PARAPHRASIS.

Mandat Pontifex, ut ne cui Monacho liceat de Monasterio in Monasterium temerè transferre, aut peculium quidpiam habere. Sed si id præsumptum, Monasterio, in quo ab initio conversatus est, reddatur.

SUM-

SUMMARIUM.

1. *Temerè se transferre non potest Monachus ex uno in aliud monasterium, sive ejusdem, sive diversi Ordinis hoc sit.*
2. *Quando censeatur temerè se transferre?*
3. *Talem autem professum, qui temerè ad aliud monasterium transivit, repetere potest Prælatus.*
4. *Utrùm talem si pœnitentiâ ductus redeat, recipere teneatur Prælatus?*

1 NOtandum primò. Monachus ex monasterio suo non potest se temerè in aliud monasterium, seu ejusdem, seu diversi Ordinis, transferre. Rationem dat *And. hic. n. 14. Abb. n. 8.* quia per talem transitum violatur votum substantiale professionis, quæ est obedientia erga Superiorem, Priorem, Prælatum; promittit enim Monachus loci stabilitatem, uti constat *ex c. sicut 13. de jurejurando. c. statuimus. cau. 19. q. 3.*

2 Temerè autem se transferre dicitur Religiosus, si non zelo melioris boni, sed ex levitate, aut passione transeat, vel licentiâ non petitâ, aut petitâ quidem, sed non obtentâ, in casibus, in quibus non tantùm peti, sed & obtineri debet: qua de re dicetur *in c. non est 7. &c. licet 18. hoc. tit.* Vide *Sanchez. lib. 6. Moralium c. 7.*

3 Notandum secundò. Prælatus Ordinis professum temerè ad alium Ordinem, aliúdve Monasterium transeuntem, repetere, & revocare potest, ita etiam habetur *in cit. c. statuimus. c. ad nostram 8. hoc tit. c. Monachum causâ 20. q. 4.* nam monachus personaliter obligatus est monasterio suo, sicut servus domino suo, & uxor viro suo *c. ad nostram 8. h. t. c. non est 11. de spons.* & sicuti filius patri suo, in cujus potestate est. *L. 1. ff. de liberis exhibendis.* tales autem personæ repeti, & vindicari possunt adjectâ causâ, *Leg. 1. ff de jurejur. ubi Gloss. v. vindicare*, & explicat *Sanchez cit. c. 7. n. 79.*

Quæres. Num Abbas monachum temerè transeuntem ad aliud monasterium, aliúmve Ordinem, si eum pœniteat, & redire velit, recipere teneatur. Hanc quæstionem disputat hîc *Innoc.* in utramque partem; videtur enim negandum, quia juri, & titulo monachi sponte renuntiavit. *argu. c. quòd in dubijs 8. de renunt.* Sed contrarium est dicendum cum *And. hic n. 73.* & alijs apud *Suarez. l. c. n. 104.* quia monachus, & quilibet professus juri suo renuntiare non potest, cùm veluti spirituale indissolubile matrimonium per traditionem personæ suæ contraxerit, uti tradit *Gloss. in c. 4. v. materia de divortijs.* Et docui in *disp. de restitutione spoliatorum assert. 29. & 30.* Ad *c. quod in dubijs* resp. ibi non esse sermonem de jure, & titulo monachali, sed de beneficijs, maximè sæcularibus.

Porrò, quæ hîc de monachis dicta sunt, pari ratione in Canonicis sæcularibus locum habere bene monet *hic And. n. 5.* Aliud hîc adjicitur de proprio non habendo: qua de re dicetur *in tit. de statu monachorum.*

CAPITULUM VI.

Quia.

PARAPHRASIS.

Ubi dura est Religio, requiritur in profitente plena pubertas.

SUMMARIUM.

Quæ ætas requiratur ad profitendum in Religionibus valde asperis, de jure communi antiquo &c.

1 NOtandum. In quibus Religionibus vita valdè aspera est, expedit, adolescentes non admitti ad professionem, nisi in plena pubertate, quæ anno 18. contingit. *L. ad rogato 4. ff. de adoptionibus.* Quare in statutis Ordinis Minimorum, seu S. Francisci de Paula, decernitur, neminem ad-

mittendum ad professionem esse, nisi annum 18. attigerit.

Dixi autem, expedire, saltem ex consideratione, quòd adolescentes ante eam ætatem ad vitæ asperitates perferendas non satis idonei censeantur. Interim aliæ rationes sunt, ob quas absolutè loquendo, magis expediat ante eam ætatem admitti, si corporis viribus polleant: quare Trident. *Sess. 25. c. 15. de regularibus* pro omnibus Religionibus 16. completorum annorum ætatem sufficere significat, & ideò huic constitutioni Minores, & Prædicatores se conformant apud *Sylv. v. Religio 3. q. 2.*

CAPITVLVM VII.

Non est.

PARAPHRASIS.

Alexander III. mandat Archiepiscopis, & alijs Prælatis per Galliam, ut monachos, & conversos Ordinis Cistercienſis, sine licentia suorum Abbatum per Episcopatus recipi non permittant; quòd si aliqui sine Abbatum suorum licentia à monasterio exire præsumpserint, & post monitionem non celeriter redierint, ipsos ad reditum compellant.

SUMMARIUM.

1. *Qui profitentur in monasterio aliquo monachi, sunt astricti suo monasterio, & Abbati.*
2. *Quis Superior dare possit licentiam transeundi ad aliud monasterium?*
3. *Et quidem, si transire velit ad aliud strictioris Ordinis?*
4. *Vel si transire velit ad aliud æquè strictum?*
5. *Vel denique, si transire velit ad aliud laxioris disciplinæ, & regulæ?*

1 NOtandum, Monachi, & conversi, qui professionem edunt, sunt astricti monasterio, & Abbati, ut sine ejus licentia abire non possint, aut si abierint, ab Abbate revocari queant, implorato etiam auxilio prælatorum, in quorum diœcesi morantur. Ita *Innoc. Ioann. And. Abbas*, & alij & habetur *in c. Abbates 16. c. 8. q. 1.* qui fuerint pervagati, ubi inventi fuerint cum auxilio Episcopi, tanquam fugaces, sub custodia revocentur.

Et hæc valdè strictè *Innoc.* hic dicit quod neque ad hospitium suscipi debeant, sed hoc non est secundùm sensum Capitis nostri, ut *Hostiensis & Abbas n. 5.* notarunt, quando dicitur, quòd celeriter redeant ad monasterium debeant, quo loquendi modo cavetur, ne moram trahant.

Et hinc prohibetur primò, Ne Prælati quicunque tales suscipiant ad permanendum, seu diu morandum, affirmandum secundùm boni arbitrium viri, ut hic notat *Barbosan. 3.* Secundò. Neutalibus beneficium sæculare conferatur *c. 1. & 2. dist. 58.* & tradit hic *Abb. n. 5. & int. super n. 1. hoc tit.*

Quæritur, quis Superior ad aliam Religionem aliúdve monasterium transeundi licentiam dare possit? Resp. & dico: si quis transire velit ad Religionem, aut monasterium strictioris observationis ex zelo boni, aliud non requiritur, nisi, ut ab Ordinis Prælato licentiam petat, qui eum denegare non potest. Et docet *c. licet 13. hoc tit. Sylv. verbo Religio 4. q. 3. Sanchez lib. 1. moral. c. 7.* Quòd si Religiosus transeat licentiâ non petitâ, bonum regulæ obedientiæ contemnere censetur, & ideò revocari potest professus, teste *Glossa in c. fleximus 12. v. curam, de ætate & qualitate &c. Sanchez n. 94.* Verùm Capitularis consensus non requiritur, ut docet *Glossa in c. cùm singula 12. S. prohibemus v. Canonicatum præbendis in 6. Francus ibidem 26.* ubi Religiosus jus habeat transeundi ad strictiorem Religionem, eò quòd professionis votum non violet, sed in melius commutet. Sed neque Episcopi licentiam petere est necessarium, tametsi monasterium exemptum non sit, sicuti ex probabiliore docet *Abbas*

Abbas n. 6. Sanchez cit. c. 7. n. 60. qui tamen *n. 61.* probabiliter excipit Moniales, propter Trident. constitutionem *Sess. 25. c. de regularibus*, quæ explicabitur *in c. unico de statu regularium in 6.*

4 Dico secundò. Si quis ad monasterium, vel religionem æquè strictam transire velit, ex causa justa, v. g. infirmitatem, inimicitias, aut insidias &c. hoc in casu in monasterijs exemptis Abbas, sive Superior regularis, quasi Episcopalem potestatem in suos obtineus, dispensativè licentiam dare potest; in non exemptis Episcopus. Ita docet *Gloss. in cit. S. prohibemus. Sylvester I cit. Abbas cit. n. 6. Rodriquez to. 3. regularium q 52. a 9. Sanchez n. 65.* ubi bene monet, in Ordinibus exemptis hanc licentiam esse reservatam Prælato mediato, videl. Provinciali, aut Generali &c. Insuper videtur requirendus consensus Conventûs, cùm sit veluti quædam alienatio, atque unum ex negotijs gravioribus, uti notat *Sanchez n. 66.* multò magis consensus Abbatis, vel Præpositi regularis, si professus per Episcopi dispensationem auctoritativè transferendus sit, argum. *hujus Capituli & cap. statuimus causa 19. q. 3.* si enim necessitas esse videatur, Abbas non exemptus ab Episcopo togi potest ad consentiendum.

5 Dico tertiò. Probabile est, ex causa justa, posse prælatum inferiorem Papâ, videlicet Ordinis Generalem, vel Episcopum in monasterijs non exemptis ad laxiorem Ordinem, aut monasterium transeundi, licentiam dare. Ita docuit Innoc. *in Capitulo dilectus n. 3. de temporibus ordinationum. Navar. lib. 3. Consil. 56. de regularibus editione 2. Lessius lib. 2. c. 4 n. 13.* At si Abbas sit exemptus, & solùm Pontifici subjectus, etiam ipse dispensativè licentiam dabit, uti docet Hostiensis *in c. non est hoc tit.* cùm quasi Episcopalem in suos jurisdictionem habeat: requirendus tamen est consensus Capituli, quem negare non poterit, si causa justa, & necessaria appareat.

6 Veruntamen tutius est in casu tertiæ assertionis, si periculum in mora non sit, licentiam à Pontifice petere, nisi Religio speciali privilegio munita sit: etenim hanc dispensationem in transitu ad laxiorem Ordinem Papæ reservatam esse docent *Anchoranus, & Monachus in cit. Capitulo cum singulan. 6. Sà verbo Religio n. 29.* & sumi videtur ex *Sessione Trident. 25. n 19. de regularibus: Nemo regularis transferatur ad laxiorem Religionem, cujuscunque facultatis vigore.* Sed respondet Navarrus, & alij, quòd Concilium, sicut & *Extravagans. Viam ambitiosa de regularibus*, non prohibeant translationes juridicas, quæ fiunt ex justa & cognitâ causâ necessitatis, quia v. g. professus ob debilitatem, statuta Ordinis, aut regulam strictam monasterij servare non potest, ut ponderat *S. Thomas 2. 2. q. 189. a. 3. in corpore*, sed translationes irrationabiles, non præmissa causæ cognitione: quare hodie in externo foro scriptura, seu testimonium authenticum legitimæ causæ, & cognitionis præmissæ requiri solet. Vide etiam, quæ docui *lib. 4. tr. 5. c. 6. n. 9.*

CAPITULUM VIII.

Ad nostram.

Paraphrasis.

Intellexit Alexander III. quòd Eremitæ de Montefolio pueros quosdam suasionibus induxerint, ut Religionis habitum in monasterijs susciperent; ex quibus unum statim pœnituit, & uxorem sibi desponsavit, sed Eremitæ ex monasterio eum dimittere noluerunt. Respondet Papa, & cuidam à se delegato mandat, ut si constiterit, dictum puerum ante completum 14. annum, Religionis habitum induisse, vel si post eam ætatem habitam sine probatione susceperit, & intra triduum deposuit, eum ab impetitione Eremitarum pronuntiet liberum, atque uxorem ducere permittat.

Summarium.

1. *Blandis sermonibus ut trahantur ad Reli-*

Religionem pueri, & adolescentes, consultum non est.

2. *Puniuntur, qui ita pellexerunt, si lucri causâ hoc fecerint.*

3. *Quomodo de jure antiquo per habitûs professorum gestationem fiat professio tacita?*

CAPITULUM IX.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Quæsitum est ex Alexandro III. de Clericis qui Religionis habitum susceperunt, primo, & voto non ampliùs ad sæculum redeundi; sed antequam professionem facerent, ad priorem statum redierunt. Cui quæsito respondet Papa, si illi ante tempus Religionis ad quâ se transtulerunt servare noluerint, quòd ad laxiorem Religionem transire cogendi sint, ac votum suum prævaricentur: verumtamen, si ante susceptum habitum, durante tempore probationis, recedere voluerunt, retineri non possunt, secundum regulam S. Benedicti, in qua etiam provideatur, ut in eadem, in qua venerunt veste dimittantur. Est regula 56.

SUMMARIUM.

1. *De jure antiquo, etiam ante absolutum novitiatûs annum, potuit fieri professio tacita.*

2. *Hodie tamen vi Tridentini necessarium est integer annus novitiatûs ad tacitam professionem; non tamen est de substantia probationis, ut quis habitum Religionis gestet.*

3. *Consuetudo tamen habet, ut fiat probatio in susceptо habitu.*

NOtandum. Si quis olim, nondum exacto probationis anno, habitum professorum sponte susceperit, & aliquo gestavit, censebatur edidisse professionem tacitam, per quam obligatus erat, non solùm Religioni, cujus habitum susceperat, sed Religioni in genere, ut licitum ei fuerit transire ad laxiorem. Ita *Glossa hic v. ne contra votum*, & habetur in *cap. 3. § in aliis in tit. in 6.* Verùm hodierno jure ante exactum annum probationis, nulla professio fieri potest: interim non prohibetur novitius eodem

votum

1 NOtandum primò. Non est consultum, ut pueri, vel adolescentes blandis sermonibus ad Religionem trahantur, cùm frequenter fiat, ut postea perspectis difficultatibus, quas antea nesciverant, eos pœniteat, & recedant. Ita *Abb. hìc*, ubi testatur, quòd S. Benedictus præceperit, ut quæcunque dura, & aspera in Regula continentur, ingressuris proponantur, quia talia prævisa, & animi proposito acceptata, postea minùs hominem absterrent, aut feriunt.

2 Adde ex *c. ult. causa cit. 19. q. 3.* eos, qui ita pellexerunt, si lucri, & avaritiæ causâ fecerunt, puniendos esse, & monasterium bonis, seu hæreditate eorum, quos induxerunt, privandum; saltem si congregatio fuit in culpa: sed delictum personarum particularium non debet in damnum monasterij redundare, uti notat *Abb. in cap. penult. 29. de conversi. conjug.*

3 Notandum secundò. Per spontaneam susceptionem habitus proprij professorum, si per triduum in monasterio gestetur, inducitur tacita professio Religionis *c 1. & 3. eodem tit. in 6* Hodie tamen necessarium est ad tacitam professionem, ut annus integer probationis antecesserit, sicuti explicavi *lib. 4. tract. 5. c. 5. n. 1.* tunc autem necessaria non est gestatio habitûs per triduum; utpote quæ deliberationis causâ requisita est, uti *Abbas in fine cap.* notat, quare si probatio, & deliberatio anni finita sit, sola assumptio habitûs, patenter distincti, ab habitu novitiorum, inducet professionem tacitam, uti sumitur ex *cap 3. cit. junctâ Glossa v. infra probationis*, & explicat *Sanchez l. 5. mor. ca. 3. n. 24.*

* * *

votum simplex religionis profitendæ; tunc autem, si determinatè vovit in hoc Ordine aut monasterio se professurum, obligatur eo voto; nisi ad strictiorẽ Ordinẽ transire malit, quod liberè facere potest, vel nisi per dispensationẽ consequatur licentiam in alia æquali, aut laxiore religione, vel monasterio profitendi, qua de re dixi *cit. tra. 5. c. 6. q. 3.*

Quæritur hîc, utrùm necessarium sit, ut [2] annus probationis in habitu regulari peragatur. Affirmat hîc *Gloss. v. in eadem vesse. Sylv. v. religio 5. q. 5. Sanchez l. 5. c. 7. n. 29.* quia magna pars austeritatis est in habitu, & ideò non potest censeri probatus, qui habitum non gestavit. Sed *Abbas hìc n. ult.* negat, esse de substantia probationis, ut aliquis habitum gestet *argum. c. penult. dist. 64.* ubi dicitur, si aliquis converti desiderat, probetur priùs in Laico habitu: consentit *cap. 3. caus. 17. q. 2.* & regula §8. S. Benedicti. Respondeo, & dico primò: Annus probationis per se, & substantialiter non requirit susceptionem habitûs regularis. Ita etiam docet Suarez *t. 5. de religione lib. 5. c. 13. n. 5.* Ratio talis est, quia tempus probationis per se, & suapte naturâ non postulat omnia probandi media, cùm partim ex consuetudine monasterij, partim ex arbitratu prælati pendeat, quinam probandi modi adhibeantur, si in regula Ordinis determinatè non præscribantur, sicuti nec regula S. Basilij, nec regula S. Benedicti præcepit, ut monasterij habitum gerant, sed potiùs contrarium, ut in vestibus, quas attulerunt, probentur; itaque dicendum, tempus probationis tunc incipere, cùm aliquis ex consensu suo, & consensu, seu acceptione Prælati suscipitur ad novitiorum, seu probantium statum, secundùm regulam, & consuetudinem Ordinis aut monasterij.

Notandum secundò. In plerisque religionibus, Ordinis regula, vel consuetudo [4] exigit, ut utriusque sexûs regulares probationis tempus incipiant, suscepto habitu regulari, Ita notavit *Glossa in cap. unico dist. 63.* Huc etiam Trident. Concil. respexit *Sess. 25. c. 15. de regularibus. Nec si minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit, ad professionem admittatur*: quia videl. in religionibus plerisque consuetudo est, ut cum susceptione habitûs novitiatus inchoetur; & nominatim quidem in regula Ordinis S. Francisci præceptum esse, ut certo habitu novitij induantur, testis est *Rodriq. t. 3. q. 15. a. 9. c. 10.*

CAPITULUM X.

Sanè.

Paraphrasis.

Quidam in Ecclesia Aromatensi Canonicorum Regularium professionem fecerat, sed postea fugiens à quodam Abbate in monachum susceptus est; quæsitum est ex Alexandro III. quid agendum? Respondet, si monasterium, in quo jam versatur, majoris religionis, sive strictioris observationis est, ipsum ibi relinquendum; sin minùs, ad priorem Ecclesiam esse compellendum.

Summarium.

Canonicus Regularis transire potest ad Ordinem monachalem, si strictior in eo sit observantia.

[1] NOtandum. Canonicus Regularis transire potest ad Ordinem monachalem, dummodo in monasterio, ad quod se confert, strictior sit observatio.

Objicitur *cap. primum cum sequentibus causâ 19. q. 3.* ubi severè interdicitur, ne regulares Canonici monachi fiant. Respondetur cum *S. Thoma 2. 2. q. 189. a. 8. ad secundum.* id decretum fuisse secundùm veteris Ecclesiæ morem, quando monachi Clerici non erant, nec divina ministeria tractabant, & ideò descensus videbatur, si quis ex Regulari Canonico monachus fieret: *verùm*, inquit S. *Thomas*, *si monachi sint*

Clerici sacris mysterijs obsequentes, habent id, quod est Canonicorum Regularium, cum majore altitudine.

Addidi autem in notando: dummodo in monasterio &c. quia non sufficit, ut Ordinis institutum, & regula arctior sit, sed requiritur præsens observatio; etenim ut transitus ad aliam religionem concessus sit, fieri debet non ex levitate, sed majoris boni zelo, is autem zelus & bona conscientia præcedens tunc apparet, si regularis observatio in monasterio, ad quod aliquis transijt, strictior sit; alioquin verò præstat, imò ex vi professionis quisque obligatur, ut in prima vocatione persistat, cùm mutationes & transitus inconstantiæ indicium præbeant, & rarò in melius proficere sinant, qua de re *S. Thomas cit. a. 8. in corpore*; & pulchrè *Andreas hic n. 1.* ubi advertit, licèt Ordo Prædicatorum profiteatur regulam S. August. tamen propter adjectas constitutiones, & ejus temporis observantiam, videri strictiorem, quàm Ordinem monachorum, & ideò transitum Prædicatoribus concessum non esse.

Vice versa à regula tradita, quòd ab Ordine monachorum non sit transitus concessus ad Canonicos regulares, excipe, si accidat, ut in Ordine monachorum, seu ubi arctior regula est, eâ non observatâ, remissiùs, & laxiùs vivatur, quàm apud Canonicos regulares, qui habent laxiorem regulam, tunc transire licet ad religionem minorem, ut à *Ioann. And. v. 3.* meliùs observatur. Opus tamen est in hoc casu, ut saltem in eadem Provincia, aut patria monasterium ejusdem Ordinis non reperiatur, in quo regula servatur, sicuti notat *hic Abbas n. 7.* facilius enim permittitur transitus de monasterio ad monasterium ejusdem Ordinis, quàm Ordinis diversi. Vide etiam Sanchez *lib. 6. mor. c. 7. q. 3. c. 11.*

CAPITULUM XI.

Significatur.

Paraphrasis.

Relatum est Alexandro III. quòd ante annum 14. ætatis timore Ludimagistri habitum in monasterio acceperit alterius, & inde intra annum recesserit; hoc intellecto mandat Papa, si ita res se habeat, & ante expletum 14 annum ætatis recesserit, ut à voto professionis, quod dicitur edidisse, absolutus pronuncietur: sin autem à parentibus oblatus fuit, vel 14. annum ætatis implevit, cùm religionem intravit, habitúmque accepit, vel si professionem à se priùs factam post 14. ætatis annum ratam habuit, ad eandem, vel aliam Religionem etiam compellatur.

Summarium.

Impubes à parentibus oblatus monasterio recedere non potest ante pubertatem.

NOtandum primò. Si impubes à parentibus monasterio oblatus sit, recedere non potest ante pubertatem. Ita hic & infra *c. & c. sequente hoc tit.* Secùs est, si impubes absque patris, aut tutoris oblatione sibi ingressus fuit, sicuti *Gl. hic* docet, *a parentibus.*

Notandum secundò. Votum emissum ante legitimam ætatem, post adeptam ætatem, ratificari potest, sed opus est ratificatione expressa *cap. 1. hoc tit. in 6.*

CAPITULUM XII.

Cùm virum.

Paraphrasis.

Puella impubes à parentibus monasterio illata fuit, & licèt quandoque contradixerit, tamen cùm pubes facta est, habitum, & votum professionis accepit, neque tunc contradixisse evidenter constabat, sed postea egressa militi se matrimonio conjunxit: quæsitum est, num ad mo-

nasterio

nasterium redire cogatur. Respondet Clemens III. quòd secundùm *can. 48. Concilij Tolet.* 4. monachum, aut paterna devotio, aut propria professio faciat, utralibet horum fuerit allegata, tenebit: cùm itaque puellam, tempore discretionis constitutam, eum habitum, & consecrationem accepisse, nec contradixisse ostendi possit, non potest ea professionis jugum excutere; præsertim, si quod gestum est, postea ratificavit: neque obstat Leonis I. responsum *in cap. puella 8. causa* 20. *q.* 1. quòd puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, sed sponte habitum susceperunt, postea nuptias eligant, prævaricentur; ex quo per sensum contrarium inferri videtur, quòd puellæ, quæ non sponte, sed coactæ imperio, habitum virginitatis acceperunt, sine prævaricatione nubere possint. Respondetur enim, hoc intelligendum de ea puella, quæ in ætate nubili per parentum imperium cogitur; tunc enim, quia liberum habet arbitrium, in electione propositi parentum non cogitur sequi voluntatem.

Summarium.

1. *Non est attendenda contradictio impuberis a parentibus monasterio oblati, ante pubertatem, ut inde recedere possit.*
2. *Quæ de monachis statuta reperiuntur, ob paritatem rationis ad sanctimoniales extendenda sunt.*
3. *Probatio impedimenti ad validam professionem incumbit opponenti.*
4. *Imò non minùs requiritur discretio libertatis ad statum Religiosum, quàm ad matrimonium.*
5. *Cur puella non restituatur in integrum ante 25. annum, si coacta fuit impubes Religionem ingredi, post pubertatem tamen sponte professa fuit.*
6. *Ad quid obligetur parens, qui filium impuberem Religioni tradidit.*

NOtandum primò. Contradictio impuberis à parentibus monasterio oblati non est attendenda, ut inde dimitti debeat, sed expectandum, donec annos pubertatis assequatur. Ita dixi in præcedente *cap.* & docet *Suarez to. 3. de Religione lib. 5. c. 2.* etsi pater impuberem contradicentem tradidisset, & coegisset ad Religionem, quòd is permanere debeat juxta patris imperium, cujus voluntati, dum in ea ætate est, circa gubernationem vitæ subjicitur; licèt contrarium docuerit *Sylv. v. Religio 2. q. 10. Sanchez l. 4. moral. c. 18. n. 26.* 1

Notandum secundò. Quæ de monachis statuta requiruntur, ob paritatem rationis ad sanctimoniales referri debent, prout ex *hoc c.* apparet, quando ea, quæ à Leone I. *in epist. 95. ad rusticum* de monacho statuta sunt, quòd monachum aut parentum oblatio (si videlicet pubertatem postea adeptus non contradicat, sed habitum suscipiat, vel in suscepto maneat) aut propria professio facit, ad monachum transfert. 2

Notandum tertiò. Si constet, aliquem professionem edidisse expressam, aut tacitam, & postea opponatur impedimentum dirimens, v. g. defectus ætatis legitimæ, vis, seu coactio incutiens metum gravem, probatio ei incumbit, qui impedimentum opponit. Ita sumitur ex textu, & notat *hic Abb. n.* 4. ratio est partim, quia in dubio præsumendum est pro valore actûs *c. Abbate 25. de verborum significatione*, & quidem, legitimè quòd factus sit: partim, quia possessio stat pro professione, ipsáque Religione, quæ hactenus hominem ut professum suum habuit. 3

Notandum quartò. In ordine ad statum Religionis, sicuti & matrimonium amplectendum liberi rationis discretionem, & arbitrij libertatem sequi censentur, cùm annos pubertatis assecuti sunt, ita, ut in his actibus, votis inquam edendis, & statu amplectendo, non pendeant à patris voluntate, & imperio. Ita sumitur ex *hoc cap.* & notavit *Gloss. in cap. 1. causa* 27. *q.* 1. ubi ait, quòd minores annis, tribus modis di- 4

cantur. Primò. Quoad annos infanitæ; nam infans, seu usum rationis non habens dicitur, qui minor est 7. annis. *Lege si infanti 18. cod. de jure lib.* Secundò. Quoad contrahendum matrimonium, item ad testamenti factionem. L. *qua ætate 5. ff. qui testamenta facere possint*, quorum incapax est mas minor 14. fœmina minor annis 12. *cit. Lege qua ætate*, ubi definitur, diem cœptum habendum esse pro completo, e. g. si quis natus anno Christi 1607. die 12. decembris post meridiem, hac die mane, quæ est 12. Decembris Anni 1631. testamentum condere potest. Tertiò. Quoad restitutionem in integrum, quæ minoribus 25. annis, id est, qui 25. ætatis annum nondum exegerunt, utroque jure tribuitur *tit. de in integrum restitutione.*

Quærit Glossa citata, cur puella, quæ à parente adacta, Religionem ingressa est, si adveniente pubertate in professionem expressè, vel tacitè consensit, in integrum, 5 ante completum annum 25. non restituatur, ut habitum deponere possit? Respondetur, quia non est læsa, quando ei nubit, quo meliorem reperire non potest; minor autem non restituitur, nisi cùm læditur *Lege verum* 11. *§. sciendum ff. de minoribus.* Adde, quòd sicuti matrimonium carnale, ita & professio, seu matrimonium spirituale, si semel ratum fuit, postea nō rescinditur, cùm habeat nexum indissolubilem.

6 Iterum quæres, ad quid obligetur parens, qui filium impuberem Religioni vovit? Respondeo, & dico primò. Inprimis debet illum tradere Religioni, etiam contradicentem, si puret, non obstante ejus contradictione fructum secuturum, quia paulatim Religioni assuescit, & animum puerilem mutabit. Dico secundò. Parens obligatur, quantum in ipso est, ut persuadeat filio Religionis professionem, qui cùm factum alienum, seu ab alterius voluntate pendens, promisit, censetur promisisse, curaturum se, quantum moraliter poterit, ut ab altero fiat, ut docui *lib. 3. tra. 4. c. 4. asser. ult.*

CAPITULUM XIII.

Porrectum.

PARAPHRASIS.

Canonicus voverat se monachum fore, postea in morbum incidens cùm timeret, ne voto nondum expleto decederet, junctis manibus se tradidit Abbati, in monachum, & fratrem; hoc in casu ait Clemens III. cùm monachum non fuerit habitus, sed professio regularis, non Canonicum compelli debere, ut monachus maneat.

SUMMARIUM.

1. *Nec scripturam, nec verborum certam formam professio expressa requirit, nisi specialia alicujus Ordinis sint specialia, seu substantialia, hæc requirant.*
2. *Utrùm consensus etiam Capituli necessarius sit ad validam professionem?*
3. *Professio religiosa valida esse potest, etiam non suscepto habitu religioso.*

NOtandum primò. Professio expressa, nec scripturam, nec certam formam verborum postulat, sed quibuslibet verbis significantibus traditionem personæ, & reciprocè acceptam à Religione fieri potest. Ita *Gloss. hic, Azor to. 1. l. 12. c. 5 q. 7. Sanchez, mor. c. 3.* & sumitur ex *c. sicut 17. hoc tit.* Dixi primò: Scripturam non requiri, ut ex hoc patet *cap.* Interim, professio per scripturam fieri solet, & ita fieri præcipitur *cap. ult. causâ 20. q. 1. juncta Gloss.* & docet *Sylv. v. Relig. 3. q. 1. Sanchez. c. 1. n. 3.* ubi advertit, eum, qui tacitè professus est, compelli posse, ut postea expressè profiteatur per scripturam, causâ certitudinis, & futuræ probationis, juxta *citatum cap.* Dixi secundò: certam verborum formam non requiri: debet tamen adhiberi ea, quæ in regula præcipitur, aut in Ordine consueta est, ita tamen, ut si alia verba significantia usurpentur, valeat professio, imò etiamsi nulla verba, sed alia sufficientia signa exprimantur; quare, quòd materia

professionem Religiones edere, sicut & matrimonium contrahere possit, ex communi docet *Azor l. c. 4. q. 1. Sanch. n. 2.*

Limita. Nisi in regula exprimatur, quòd verborum forma substantialis sit, & consequenter sine ea professio nulla, uti idem *Azor c. 5. q. 7. in fine, Sanchez n. 5.* quia ut hîc *Andreas n. 3.* advertit, Ecclesia non minùs circa professionem, quàm circa matrimonium impedimenta dirimentia, seu conditiones, quæ sint de substantiali formâ, decernere potest; sed non ideo, quia conditio, seu forma aliqua postulatur, ei substantialis censeri debet, nisi in canone exprimatur. Dixi tertiò. Quòd per verba, aliâve signa, v. g. nutus in muto, significari debet traditio personæ & acceptatio Religionis. Ita hîc ijs verbis votum à convertendo emittitur, & ab Abbate recipitur; & ut *Innoc. hic n. 6. Abbas n. 5.* aiunt, ut valeat professio, recipi debet ab habente potestatem incorporandi Religioni; non prohibetur tamen Prælatus hanc incorporandi potestatem alteri committere, seu generatim, seu particulatim. *cap. ad Apostolicam 16. hoc tit.* Sed & ipse, qui profiteri vult, professionem per alium, tanquam procuratorem facere potest juxta *Iuris regulam 68. in 6.* & ita docet *Sylv. v. Religio. 3. q. 15. Sanchez n. 7.* nam actus quilibet per procuratorem fieri potest, nisi sit expressè prohibitum *argum. citatæ regulæ.*

2 Dubitant, num etiam consensus Capituli, seu Conventus adhibendus sit: negat *Abbas in cit. cap. ad Apostolicam n. 11. Sylv. q. 13. & q. 18. dicto 4. Navarrus commentar. 3. de reg. n. 5. Rodriquez to. 2. casuum c. 8. con. 7. & 31.* Qui tamen aiunt, consilium, seu consultationem cum Capitulo adeò necessariam esse, ut eâ non præmissâ, acceptio facta à Prælato solo non consistat.

Contrariam sententiam rectiùs docet *Gloss. in cap. finali verbo pertineat, ibidem Monachus, Dominicus, & Francus n. 2. hoc tit. Durandus in speculo, de statu monachorum q. 20 Archidiac. in cap. nlt. causâ 16. q. 7. Rodriquez n. 3. regul. q. 17 a. 7.* ubi bene ait, quòd professio facta retractari possit, si postea ostendatur, majorem partem Conventûs justè, & rationabiliter contradixisse, nec postea ratam habuisse; irrationabilis autem contradictio impedire non potest, cùm ratio dictet, ut in re dubia, aut controversa membra capitis ductum, aut sententiam potiùs sequantur, quàm viceversa. *argum. cap. nullam 9. causa 18. q. 2.* ubi dicitur, quòd tota cura monasterij penes Abbatem est: hæc tamen sententia probari debet, quia agitur de re, pertinente etiam ad Conventum, ne aliquis in corpus monasterij, atque aliorum consortium recipiatur, qui idoneus non est, aut detrimentum afferre potest: & hoc est, quod Suarez *to. 2. de relig. 65. c. 4. n. 65.* dicere voluit, receptionem monachi pertinere ad congregationem, in qua caput, & pars præcipua Prælatus est, compars autem, & consors est Conventus. Vide de hoc *Bartolum in lege 1. §. si plures n. 7. ff. de exercitatoria actione.*

Porrò, quæ dicta sunt de receptione ad professionem, pariter intelligi debent de receptione ad novitiatum, cùm hæc receptio ad illam ordinetur, uti benè notavit *Suarez de relig. to. 3. l. 5. c. 10. n. 9.* in utraque tamen receptione ante omnia spectanda sunt cujusque Ordinis privilegia, & consuetudines juxta *cap. ult. eodem tit. in 6.*

Corollarium. Episcopus ordinariè non potest cogere Abbatem, aut Abbatissam, & Conventum ejus, ut aliquem, vel aliquam ad Monasterium alioquin sibi subditum recipiant. Ita *Rodriq. cit. q. 17. a. 7.* Dixi: ordinariè; nam si in Monasterio, præsertim Monialium Episcopo subdito sufficiens numerus non recipiatur, post monitionem, Episcopus defectum, ac negligentiam supplere potest, teste *Franco in cit. cap. ult.*

Notandum secundò. Professio religionis valida esse potest, etiam non suscepto habitu Religioso: ita hîc, ubi dicitur, Monachum non facit habitus &c. nam profes-

sio consistit in traditione sui facta Religioni per votum solenne, habitus autem solet quidem esse signum hujus traditionis, ita tamen, ut res signata non pendeat à signo: sed neque habitus Religiosi susceptio semper est certum signum professionis, si extra Monasterium suscipiatur *cap. 3. hoc tit. in 6.* vel si in Monasterio habitus suscipiatur absque professionis intentione, *cap. consulti 20. hoc tit.* & tradit *Gloss. hic V. non faciat.*

CAPITULUM XIV.

Cùm simus.

Paraphrasis.

B. miles se unà cum filio impubere, & omnibus bonis suis Monasterio obtulit, filiúmque habitu Monachali indui mandavit, sed filius non post multum temporis Monasterio egressus, bona patris religionem professi postulavit. Hæc causa cùm ad Cælestinum III. devoluta esset, respondet, si puer ille, postquam annos discretionis, seu pubertatis attigit, habitum retinere nolit, cogendum non esse, cùm ipsi tunc liberum sit habitum dimittere, & bona patris, quæ ipsi ex successione debentur, postulare. Consentit *cap. 1. causa 20. q. 2. cap. cùm virum 12. hoc. tit.*

Summarium.

Patre profitente in Monasterio statim debetur legitima liberis.

NOtandum. Si Pater in Monasterio profiteatur, portio legitima statim debetur liberis, quia censetur spiritualiter mori, ideóque locus est successioni, uti hîc dicitur. Et ita intellexi *Gloss. final.* & secutus sum *lib. 4. to. 5. c. 3. n. 7.* Interim non prohibetur, vel ante, vel post professionem de bonis suis inter liberos disponere, & dividere, dummodo Monasterio partem virilem, ein Kinds-Theil relinquat, uti habetur *in Auth. si qua mulier Cod. de SS. Ecclesijs*, quæ refertur *causa 19. q. 3. cap. 29.* Si tamen pater disponere nolit, tunc hoc ipso Monasterio bona sua relinquere censetur, ita tamen, ut portio legitima liberis negari non debeat.

Veruntamen *Abbas hic n. 5.* & alij non pauci apud *Barbosam n. 2.* arbitrari sunt, legitimam filijs non deberi ante mortem patris naturalem, & ad textum hujus cap. respondere coguntur, patrem tunc mortuum fuisse, cùm filius bona ejus petivit, quod tamen nullo verbo indicatur, sed omnino contrarium, uti ex integra lectione cap. apparet.

CAPITULUM XV.

Sicut.

Paraphrasis.

Relatum fuit Innocentio III. quòd R. Sacerdos, cùm gravi morbo laboraret, & extra se positus de vita desperaret, à Monasterij Monacho fuerit habitu Monachali indutus, & ad Monasterium delatus, paucis verò post diebus, cùm convaluisset, cum licentia Abbatis è Monasterio recesserit; ideò petitum sit, ut dicto Sacerdoti liceret in sacerdotali Ordine immuni à jugo professionis, ministrare. Respondet Papa, licèt hæc inter se repugnantia videantur, quòd liquis extra se positus sit, & de vita desperet, si tamen ita est, uti refertur, Sacerdotem, cùm habitu induerent, extra se positum fuisse, ideóque non percepisse, quid ageretur, nec consentire potuisse, ipsum à monastico Ordine libertum pronuntiandum, præterquam, si postea ad se rediens voluntate spontanea professionem ediderit.

Summarium.

1. *Nonnunquam etiam repugnantia proponens juxta æquitatem Canonicam auditur.*

2. Qui

2. *Qui alienus à mente professionem fecit, Religiosus ut fiat, debet de novo profiteri, postquam ad se redijt.*
3. *An & quando tempus amentiæ in probationem computari debeat, & possit?*

1 NOtandum primò. Licèt is, qui repugnantia proponit, audiri non debeat *cap. solicitudinem 54. junctâ Gloss finali de appellation.* secundùm æquitatem tamen Canonicam Papa annuit petitioni, sub conditione, si ea pars propositionis, ex qua petitio, & actio rectè formata est, vera existat, videlicet, quòd tum mentis impos fuerit, cùm habitu monastico fuit indutus.

2 Notandum secundò. Si quis alienus à mente professionem fecerit, ad se rediens Religiosus ut fiat, necesse est, eum de novo profiteri, voluntate spontanea. Ita *Abbas hic n. 4. Sylv. verb. religi. 5. q. 2. Sanchez lib. 5. M c. 4. n. 53.* contra *Hostiensem, & Ioannem And. hic n. 2.* existimantes, satis esse, si per taciturnitatem, seu non contradictionem professio rata habeatur; sed contrarium sumitur *ex hoc cap.* opus esse, ut postea vel expressè sit professio, vel tacita, v. g. per exercitium actûs proprij professorum: novo autem Trid. jure necessarium est, ut anno continuo, dum sanâ mente aliquis est, in probatione steterit, quo expleto, si novitius in furorem incidit, & postea ad mentem redijt, statim professionem facere potest, seu expressam, seu tacitam, v g. assumptione habitûs proprij professorum, & sine tridui gestatione, uti suprà notavi, & tradit *Sanchez c. l. 5. c. 3. n. 24. & cit. n. 53. in cap. 4.*

3 Quærit *Sanchez eodem c. 4. v. 54.* si aliquis, dum sanæ mentis fuit, ad probationem admissus sit, sed currente anno in amentiam lapsus, & postea sibi restitutus, an tempus amentiæ in probationem computari debeat? Respondet rectè, & sequitur *Barbosa n. 3.* si sit ordinaria phrenesis, quæ morbo laborantibus supervenit, & non diu durat, non interrumpi novitiatum; secùs si sit dementia extraordinaria, quæ sine alio morbo incidat, & diu durat v. g. mense integro, tunc probationem non omnino quidem cessare (sicuti cessare infrà dicam, si quis mutatâ voluntate ex religione discedat) sed interrumpi, ac veluti dormire, ut tempus istud computandum non sit, sed perinde se habeat, ac si non intercesserit, ideóque posteà supplendum, sive tantundem anno addendum, prout de interruptione præscriptionis dicitur *in L. 3. Cod. de præscriptio. 30. vel 40. annorum.* & explicavi *l. 3. to. 1. c. 8. v. 19.*

CAPITULUM XVI.

Ad Apostolicam.

Paraphrasis.

Ex hoc cap. habes notandum, quòd secundùm Monachorum instituta tempus probationis regulariter fuit annus, uti sumitur ex Regula S. Benedicti *58. & c. 1. causâ 17. q. 1.* Interdum verò biennium requirebatur, uti videre est apud *S. Gregorium ad Episcopum Neopolitanum*, & refertur *in c. Monasterijs 6. causâ 19. q. 3.* At verò idem S. Greg. relatus *in c. 1. dist. 53.* triennij probationem exigit in viris militaribus, si Religionem ingrediantur; ita in insulis asperioribus *supra c. 5. hoc tit.* quare *Glossa in cit. cap. 1.* putat, tempus istud probationis fuisse arbitrarium, vel rationem habitam fuisse, num conditio, & vita hominis esset cognita, nec ne, ut plus, vel minus temporis requireretur, secundùm *Hostiensem relatum in Gloss. Marginali cit. cap. 1. dist. 53. Gloss. in cit. cap. 1 causâ 17. q. 2. argum c. ultimi eadem quæsti. 2.* videri potest *Azor t. 1. l. 12. c. 2. q. 6. Suarez to. 3. de Religione 15. c. 12 n. 11. Trid. sess. 25. c. 15. de Regul.* universim præscriptus est annus professionis, & ita quidem, ut eo non præmisso professio nullam penitus vim habeat, in quo mutatur jus antiquum, secundùm quod illicita quidem erat ad Religionem admissio ante probationis annum (nisi necessitas

tas excusaret) attamen valida, uti in hoc casu dicitur.

Summarium.

1. *Arbitrarium fuisse videtur de jure antiquo tempus probationis, sive Novitiatus.*
2. *Fuit autem de jure Tridentini annus probationis, decretus, partim in favorem novitij, partim in favorem Religionis.*
3. *Quo tempore in bissextili anno professionem quis facere possit?*
4. *Annus probationis an debeat de momento in momentum computari?*
5. *Pluribus ostenditur, quando dies cœpta pro completa habenda sit, & quando non.*
6. *Num annus probationis necessariò sit continuus?*
7. *Num interruptio modica annum probationis vitiet?*
8. *Neque tamen necessarium est ad continuandum probationis annum semper in Monasterio novitium degere.*
9. *Qui post expletum probationis annum recedit, & postmodum pœnitentiâ ductus iterum redit, poterit de jure communi profiteri sine nova probatione.*
10. *Qui professus in suo ordine transit ad aliam Ordinis alterius regulam, utrùm præmittere debeat in illo Ordine probationem ante factam ibi professionem?*

1 NOtandum primò. Probationis annus decretus fuit partim in novitij favorem, ut priùs experiatur Religionis regulam, & vitæ institutum, ne inconsultò promittat, cujus eum postea pœniteat; partim in favorem Religionis & Monasterij, ut priùs experiatur vitam, & mores hominis, ne si facilè recipiat inquietum, & immorigerum, is toti corpori, seu congregationi molestias, & incommoda creet. Tametsi verò olim in utriusque partis favorem statutum erat, ut probationis annus per utriusque partis renuntiationem tolli, aut relaxari potuerit, saltem valide, interdum etiam licitè: id tamen hodie in Trid. correctum est, & meritò quidem, cùm annua probatio præcipuè ob Religionis bonum sit constituta, & jure publico decreta, juri autem publico privatorum pactis, aut renuntiationibus præjudicari non potest *c. si diligenti 12. de foro competen.*

Dubitatur primò. Si aliquis anno 16.. 6. Kalend. Martij probationem cœperit, anno sequente, qui est bissextilis, professionem edere possit primo sextili die; an verò alterum diem expectare debeat? Eademque dubitatio locum habet in ætate annorum 16. ad professionem requisitorum, anne uterque dies in bissextili computandus sit? Affirmat *Sanchez lib. 2. de Mat. d. 24. n. 22.* expectandum esse, & computandum utrumque diem, quia pro eodem habetur *c. quæsivit 14. de verborum significatione*, & sumpto *argum. ex Lege 3. §. nam. ff. de min.* ubi dicitur ad complendam ætatem 25. annorum in ordine ad petendam restitutionem in integrum, nihil inferre, num quispiam in die bis sexto primo, an posteriore natus sit, quia uterque pro uno habetur, verum autem videtur, si 14. annos quispiam compleat in die bissexto, uti videre est apud *Molin. to. 2. de just. d. 174. n. 2. Sanchez loco cit.*

Contrarium rectiùs docet *Henriq. lib. 5. c. 19. Barbosa hic n. 6.* pro Ordinibus suscipiendis, & religiosâ professione. Cæterùm in computatione anni competentis, ad anni legitimam numerandam non esse alterum diem bissexti probatur, quia licèt dies bissextus uterque computari possit, ac debeat in favorabilibus, quando talis computatio diei utriusque auget concessum favorem, aut odium diminuit, sicuti apertè constat *ex Lege 2. ff. de diversis temporalibus* præfixis videlicet in terminis, seu judicialibus dilationibus, in actionibus, quæ tempore finiuntur, & usucapionibus, in quibus dies uterque intercalaris prodest, si certus numerus dierum definitus sit, v. g. nisi in-

tra 30. dies pretium solvatur &c. in hoc casu certum etiam est, diem intercalarem in numero computandum. Qua de re *Flaminius de resig. beneficiorum l. 12. q. 8.*

Attamen non ita computatio fieri debet, sed satis est in anno bissextili dies numerari 365. si materia odiosa sit; ne si plures dies, sive, quod eódem recidit, uterque dies bissextilis computandus sit, favor concessionis minuatur, vel odium, & onus augeatur, uti constat *ex L. cùm hares 4. §. Stichus ff. de statu liberis*, ubi dicitur, si Sticho libertas relicta sit, postquam uno anno servierit, & annus sit bis sextus, satis esse, si computentur dies 365. & hanc esse receptam doctrinam, videre est apud *Gloss. Abbat. & alios in cit. c. quasivit. Sylvest. v. ætas q. 3.* Cùm itaque in computatione anni probationis vel annorum 16. ad complendam ætatem pro professione utriusque diei bissexti computatio odiosa fiat, libertatem profitendi restringens, ideò sufficit, si annus probationis, vel annus 16. ætatis in anno bissextili compleatur, priorem bissextum computare, atque in eo profiteri, idque confirmatur *ex Lege cùm Bissextum 98. ff. de verb. signification.* ubi expressè habetur, si aliquis natus sit anno bissextili, sive in priore, sive in posteriore bissexto natalem ejus in comunibus annis fore 6. Kalend. Martij. Sin autem annus bissextilis incidat, natalem ejus fore in die bissexto priore, non posteriore.

Dubitatur secundò. Num annus probationis, qui in Trident. requiritur, intelligi debeat strictè, & de momento in momentum, ita, ut si aliquis habitum induerit, probationémque cœperit die 17. Decembris 1630. post meridiem: revoluto anno professionem edere non possit die 17. Decembris ante meridiem, an verò dies ultima cœpta videlicet 17. Decembris hujus anni 1631. habeatur pro completa, ita, ut ipso mane professionem edi nihil obstet. Hanc quæstionem tractavit *Sanchez l. 2 de Matr. d. 24. n. 24.* & amplexus est eam sententiam, diem cœptam non haberi pro completa, & tempus computandum de momento in momentum *argum. l. 3. ff. de min.* ubi dicitur, tempus 25. annorum, quod minori datur ad petendam restitutionem, in integrum computandum esse à momento in momentum, ita, ut si natus fueris anno 1606. die 17. Decembris hora 1. pomeridiana usque ad annum 1631. diem 17. Decembris horam 1. pomeridianam, pro minore habendus sis, in ordine ad juris beneficia concessa. Confirmatur ex eo: quando tempus determinatur incipiendo à certa die, computari id debet de momento in momentum secundùm doctrinam Bartoli *in L. pater §. sexaginta ff. ad Legem Iuliam de adulterijs. Gomez. ad Legem Tauri* 70. *n.* 25. idémque docent *Sanchez c. l. & Mol. t. 2. d. 573. n. 2.* de annis 16. ad professionem requisitis, computandos esse de momento in momentum, seu in punctum temporis, in quo aliquis natus fuit, ita, ut ante illud punctum revolutis annis 16. à nativitate professio facta vires non habeat.

Arbitror cum *Rodriq. to. 3. q. 15. a. 4.* contrarium in utroque casu dicendum, videlicet diem cœptum habendum esse pro completo. *argum Legis quâ ætate 5. ff. qui testamenta facere possint*, & dixi suprà in *c. cùm virum 12. hoc tit.* quòd ita sentiendum de facultate testamenti condendi, puberi concessa; item de facultate sponsalia contrahendi, post completum septennium, & matrimonij contrahendi completo anno 14. ut dies cœpta habeatur pro completa, sicuti fatetur *Sanchez l. 1. d. 12. n. 2. & 4. & cit. d. 24. n. 22. Covar. in 4. Decret. p. 1. c. 2. n. 2.* etenim ita licet argumentari: si casus aliquis in jure decisus non sit, à similibus casibus decisis rectè fit argumentatio, ut docent DD. *ff. de Leg. Lege non possunt*, & alijs, cùm itaque casus iste de testamenti factione in jure decisus sit, ex quo ob similitudinem rationis idem docent DD. de sponsalibus, & matrimonio carnali, cur non idem dicere liceat de matrimonio spirituali, seu professione, quippe cujus non minor in jure favor existit?

Idem quoque est de computatione annorum ad Ordines suscipiendos, prout indicat *Henriquez l. 2. c. 10. in comment. l. K. Gloss. in Lege cùm Bissextum 98. verbo intercalatur ff. de verb. signif.*

Inde argumentor, si alicui per Legem, aut judicis sententiam prohibeatur, ne usque ad certam ætatem, vel usque ad annum completum aliquid faciat, præsertim, si ejus faciendi libera facultas esset, nisi lex, aut sententia prohiberet, tunc dies cœpta habenda est pro completa. *cit. L. quæ ætate.* Ubi *Gloss. & DD.* communiter rationem dant, quia talis coarctatio facultatis, puta testamenti condendi, odiosa est, & ideò restringenda potiùs, quàm extendenda, ut satis sit ad tempus complendum, si dies ultima advenerit, licèt finita non sit. Pari ratione, si judex, vel lex suspensionem alicui intulerit per annum continuum, adveniente die ultimo, licèt non completo, relaxabitur suspensio, ut v. g. celebrare liceat summo mane, argumento eorum, quæ docet *Gloss. cap. quæsivit 14. v. qui diu de verb. significatione*, licèt in anno bissextili duo dies pro uno habeantur *cit c. quæsivit*, tamen in suspensionibus, aliisque odiosis unum diem sufficere ad complendum annum bissextilem *argum. leg. cùm hæres. §. Stichus ff. de statu lib.* At verò hìc versamur in casu, cùm Trident. constitutio liberam professionis facultatem restrinxit, ut validè fieri non possit ante annum probationis completum; item ante completum 16. ætatis annum: quæ restrictio ita considerata odiosa censetur, & ideò benignius est, ut dicamus, diem cœptam haberi pro completa.

Alia quasi oppositi regula tradi potest ex *Lege 3. §. minorem. ff. de min.* Si lex in favorem aliquorum certum tempus decernat, intra quod quidpiam agere liceat, postea non liceat, tunc dies cœpta haberi non debet pro completa: sed computatio fiet de momento in momentum: quia favores non restringendi, sed ampliandi sunt. Exempla habes, quòd beneficium restitutionis in integrum competat minoribus usque ad exactum 25. ætatis annum, secundùm computationem momenti in momentum, *citatâ Lege 3. §. minor.* item 60. dies concessi marito ad accusandam uxorem de adulterio integri sunt computandi de momento ad momentum, *cit. Lege pater §. 60.* & universim loquendo, si vel à Lege, vel ab homine, id est, Judice, dilatio, vel temporis spatium concessum sit ad agendum, vel proponendum, ultima dies cœpta non debet haberi pro completa, imò tota dies ultima in termino concesso comprehendi videtur *argum. Legis qui ante 13. junctâ Gloss. ff. de verborum obligationibus*, nisi aliud ex verbis colligatur.

Veruntamen universalem doctrinam, quam Sanchez tradit *in cit. d. 24.* ut tempus determinetur incipiendo à certa die, v. g. hinc post 9. dies, intelligendum esse de momento in momentum, non refert apud DD. sed contrarium apud Baldum *in l. ult. n. 4. C. de jure domnij imperandi.* Puto autem, non posse generalem tradi doctrinam, sed attendendum, num ex modo loquendi colligi possit, quæ fuerit mens disponentis; in dubio verò sequenda sunt ea, quæ suprà dixi secundùm juris regulam 15. in 6. odia restringi, favores verò ampliari.

Ulteriùs in confirmationem hujus sententiæ, quam censeo juribus & DD. conformem, argumentor, si alicui per depositionem Legis, aut hominis concessum aliquid sit, postquam annum v. g. aut biennium transactum fuerit, tunc ampliandi favoris causâ non fit computatio de momento in momentum, sed dies ultima cœpta habetur pro completa *argum. L. item cum hæres, §. Stichus*, & clariùs *in Lege in usucapionibus 6. & Lege sequente Gloss. ff. de usucap.* ubi respondetur, cùm pro usucapionis beneficium tribuant, si ille quis triennio rem mobilem cum bona fide possederit, sufficere ad complementum usucapionis, si dies ultima sit cœpta, neque esse computationem faciendam de momento ad mo-

ad momentum : ubi clarè apparet, quomodo favor iste amplietur, non obstante, quòd usucapionis beneficium cum alterius præjudicio, quodammodo contra jus naturæ institutum sit. Ergò multò magis quando Trident. Conc. ingredientibus Religionem concedit, ut post exactum probationis annum professionem faciant, anni computatio fieri non debet strictè & scrupulosè de momento in momentum, sed moraliter ac benignè, uti est, quòd dies cœpta pro completa habeatur, cùm hac in re de favore potiùs agatur, quàm de alicujus præjudicio.

Corollarium. Si Titius probationem inchoavit anno 1631. die 24. Februarij, Cajus eodem anno die 25. Februarij, Sempronius ultimo Febr. seu die 28. potest Titius anno sequente, qui est bissextilis, professionem facere manè die 24. Febr. seu in vigilia S. Mathiæ, Cajus in ipso festo S. Mathiæ; Sempronius penult. Febru. seu die 28. & quidem manè, ut dixi, non obstante, quòd probationem inchoaverit circa meridiem. Præterea si Sejus probationem inchoavit anno 1632. die 25. Febr. potest anno sequente die 24 Febr. sive in S. Mathiæ festo professionem facere; & Pamphilus, qui anno 1632. die ultima sive 29. Febru. probationem cœpit, altero anno in ultimo die, sive 28. Febru. professionem edere non prohibetur, secundùm meam sententiam, quam arbitror esse ex mente aliorum Doctorum, contra *Sanchez. cit. loco & lib. 4. Mor. c. 4. n. 4.*

Dubitatur tertiò. Num annus probationis necessariò sit continuus, ita, ut si interrumpatur à Novitio, qui v. g. 6. menses in probatione steterat, postea dimissa Religione egrediatur, ac denuò mutatâ sententiâ recipiatur, num. 6. illi menses computari possint; an verò ab initio probationem annuam inchoare oporteat. Non requiri tempus continuum, sed sufficere interruptum, tenuit *Rota antiqua decis. 5. de regul. aliàs decisione 286. Durand. in speculo de statu Monach. §. 1. qualiter concipiet libellum q. 37. n. 43.* & videtur sequi Jason *in L. si idem cum eodem. n. 7. ff. de jurisdictione judicum*, & sumitur ex *Lege Paulus 38. §. Cajus. ff. de lib. causa.* ubi dicitur, si Cajus Stichum servum vendidit Lucio, ita, ut si continuo triennio servierit, eum manumittere teneatur, sed nondum exacto triennio Stichus fugit, & postea reversus est, libertatem consecuturum, expleto tempore, id est, si tanto tempore serviat, quanto in fuga fuit, sicuti Glossa & DD. intelligunt *ex Lege servus 14. §. servus. ff. de statu liberi.*

Sed contrarium fermè communiter tradunt *in L. ult. §. quoties n. 2. ff. de pub. Abbas hic n. 9. Francus in c. 1. hoc tit. in 6. Sylv. v. Religio 5. q. 4. Pertachinus in repertorio v. annus n. 10. Sanchez lib. 5. c. 4. M. n. 31. Azor to. 1. l. 12. c. 2. q. 8.* Probatur: si enim in Lege, aliâve dispositione mentio fiat anni, intelligi debet de continuo, nisi ex materia subjecta, vel præsumpta voluntate disponentis contrarium colligatur, uti ex communi docet *Gutierez l. 1. can. 1 n. 24. Azor, Sanch. l. c. Suarez t. 3. de relig. l. 5. de ingressu relig. c. 15. n. 3.* ubi ait, id maximè verum esse, si terminus designetur, à quo annus computandus sit, uti videre est *in Trident. s. 25. c. 15. de regul. per annum post susceptum habitum.* Congruentia autem reddi debet, ut Novitius omnes, quæ toto anno offerri solent, asperitates Religionis experiatur.

Ad citatam Legem *Paulus* respondetur, id in favorem libertatis specialiter decretum esse ex præsumpta mente testatoris; alioquin si vim, & proprietatem verbi consideremus, dici non potest, eum, qui continuo triennio servire jussus est, satisfacturum, si notabilem interruptionem fugiendo fecerit, etsi postea tempus fugæ compenset. Et ita videtur sensisse *Jason c. l.* ubi bene monet, hac in re multùm consideranda esse verba, & rationem statuti, v. g. si statutum sit: quicunque retinuerit Bannitum per 2. dies, solvat mille aureos; Titius autem retineat Bannitum uno die, postea dimis-

sum, & interpositis pluribus diebus redeuntem recipiat, & iterum uno die retineat, non videtur incidere in pœnam Legis; sin autem Papa concesserit facultatem Religioso in Universitate studendi Juri Civili per totum triennium, poterit ea facultate uti, etiam temporibus interpolatis, secundùm eundem Baldum *in L. non solum ff. de Excusationibus tutorum.*

7 Sed quæstio est, num interruptio modica, seu brevis moræ, annum probationis vitiet, ita, ut de novo inchoandum sit, si v. g. Novitius animo religionem deserendi, ex Monasterio, quamvis habitu retento (id enim ad quæstionem non interest, cùm etiam Novitiatus interrumpatur, uti ex communi *Sylv. & Sanchez.* testantur) discesserit; postridie verò ductus pœnitentiâ reversus sit, & disciplinæ se iterum, atque obedientiæ subjecerit: asserit *Sanchez. cit. c. 4. n. 32. post Lapum*, quem allegat *Francus in cit. c. 1. hoc t. in 6. Navarr. l. 3 consilio 31. n. 1. de regul. editione 2.*

Sed arbitror, contrarium esse probabilius, si consideraris circumstantijs mora modica sit, & st tim purgata per regressum, & pœnitentiam, ejus rationem habendam non esse, neque Novitiatum moraliter loquendo interruptum censeri; prout expressè contra *Lapum* docet *Francus c. l.* & sumitur ex *Lege 3. ff. de divort. quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum est, quam perseverantia apparuit, judicium animi fuisse; ideóque per iracundiam misso repudio, si brevi reversa uxor est, nec divertisse videtur.* Et conferunt huc, quæ ex communi doctrina congerit *Tiraquellus in tr. de judicio in rebus exiguis n. 68.* quòd modicum intervallum non inducit rerum diversitatem *& n. 96.* quòd propter modicum momentum non vitiatur temporis tractus. Cùm itaque quæstio hæc, num & modica diversione, vel egressu, Novitiatus interruptus censeri debeat, in jure decisa non sit, meritò ex similibus decisis in partem benigniorem respondetur; interim tutius, & plerumque consultius est saltem ad constitutionem hominis magis probandam, ut Novitiatus ab initio inchoandus et imperetur.

His adde primum, quod rectè tradunt *Navarrus c. consil. 32. Rodriq. t. 3. q. 35. a.* 10. necessarium non esse ad continuandum probationis annum, ut semper in Monasterio Novitius degat, sed ubicunque morabitur de licentia Prælati, sub obedientia, ideóque in probatione persistet.

Alterum, quod rectè tradit *Glos. verb. 31. in 6. Sylv. l. c. Sanchez c. c. 4. n. 14.* si post expletum Novitiatûs annum quispiam Religionem deseruerit, & postea iterum receptus sit, posse eum admitti ad professionem sine nova probatione; quod etiam tunc locum habere ait Sanchez, si alius ejusdem Ordinis, & regularis observantiæ Monasterium Novitius ingrediatur. Si tamen ex inconstantia aliqua recesserit Novitius, plerumque expediet probationem novam, si non totius anni, saltem alicujus temporis, quatenus necessariũ visum fuerit, permittere. Eadémque ratione, si post medium v. g. annum Novitius ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis transferatur, necessarium non esse, Novitiatum de novo inchoare, sed interdum consultum.

Dubitatur quartò. Si professus ad alium alterius Ordinis aut regulæ Religionem transferat, utrùm ante professionem in ea Religione, quam facere debet, probationem etiam annum necessariò præmittat. Negat *Henriq. l. 13. c. 40. n. 2. in com. cit.* Sed contrarium est dicendum cum *Navarro cap. 61. de regul. editione 2. Sa v. relig. n. 5. Rodriq. a. 11. Sanchez n. 22.* nam & constitutio Trident. & ratio constitutionis id cum hîc habet, si ad quamcunque religionem strictiorem, aut laxiorem transeat, quòd professio nova secundùm regulam inchoanda sit, & ea probanda.

Porrò rectè ostendit *Sanchez lib. 7. de Mat. disp. 37. n. 45. & seq.* non esse Novitiatum repetendum ex ea causa, quòd professio ex aliquo defectu irrita fuerit. Imò, quòd

quòd nec in eo casu, in quo professio edita fuit ante expletum annum probationis, necesse sit totum annum repetere, sed supplere tantùm, quod omissum est, & postea professionem ratificare, probari potest, quòd neque jure antiquo Novitiatûs annus repeti debuerit, propter professionis vitium, cùm sufficeret, eam sublato defectu ratificare, juxta *cap. significatum 11. c. cùm virum 12. hoc. tit.* à jure autem antiquo recedendum non est, nisi necessitas cogat. *Lege præcipimus 32. in fine cod. de appellat.*

CAPITULUM XVII.

Sicut.

Paraphrasis.

Clericus quidam desperans de sanitate & vita, Canonicorum Regularium habitum petiit, & impetravit, sed nec ad ipsos transiit, nec desiit bonis suis uti, videntibus, & scientibus Canonicis: rescribit Pontifex, cogi debere ad resumendum habitum, si illum petiit, & suâ se professione ligavit; nec obesse, quòd tanto tempore extra Canoniam manserit; per hoc enim eum non excusari, sed potiùs ejus transgressionem augeri.

Summarium.

1. *Qui habitum professorum petit, & assumit, de jure antiquo expresse censetur profiteri.*
2. *Contra Religionem præscribere non potest professus, quamvis in sæculo multo tempore vivat.*
3. *Diuturnitas temporis in malefactis non excusat.*

1 NOtandum primum. Si habitum aliquis professorum petat, & assumat, expressâ profitendi intentione, verè professus efficitur, cùm ad substantiam professionis certa verborum forma non requiratur, neque opus sit, ut in Ecclesia, aut monasterio fiat, cùm etiam foris, & in lecto fieri possit. Ita hîc, & dixi *in cap. porrectum 12. hoc tit.* Sed jure novo opus est, annum probationis continuum præcessisse.

2 Notandum secundum. Professus Religionem, etsi longo tempore in sæculo maneat, & bona tanquam propria retineat, nunquam tamen contra Religionem præscribere, aut vinculo, quod sibi sponte imposuit, se liberare potest *c. quod Deo 4. c. 32. q. 5.* & tradit *hic Gloss.* quòd Religiosus contra bonum obedientiæ præscribere non possit *argum. l. 1. Cod. de servis fugit.*

3 Notandum tertium. Diuturnitas temporis in malè factis, non excusat, sed auget culpam propter perseverantiam. *Authentica, ut nulli judicum §. 1. v. neque enim angarijs. Malè enim adinventa, neque ex longo tempore confirmantur.* Et in *Lege Inficiando §. infans. ff. de furtis*, ubi Celsus ait, esse quoddam ridiculum, aliquam meliorem furis conditionem esse propter continuationem furti existimare.

Corollarium. Si professus iste in sæculo mortuus fuisset, monasterium in bonis ejus successisset: neque enim negligentia Prælati ad monasterium eum non compellentis obesse monasterio debet, uti *Abbas hic* monet. Vide *Gloss. hic v. & significat*, & quæ dicentur *in cap. unico.*

CAPITULUM XVIII.

Licet.

Paraphrasis.

Rescribit Pontifex licere Religiosis ad arctiorem Ordinem vitæ melioris desiderio transire, licèt Prælatus contradicat, & Ordini, in quo degunt, indultum sit, ne ejus Professi transeant ad alium etiam arctiorem Ordinem; ejusmodi enim indulto solùm caveri, ne Professi ex temeritate vel levitate ad alium Ordinem transvolent. Si verò dubium sit, an quis ex temeritate transire velit, an

vitæ melioris desiderio, Superioris judicium esse requirendum.

Summarium.

1. *Privilegium interdum conceditur, quamvis nihil novi ultra jus commune contineat, ad specialitatem aliquam, & majorem certitudinem exprimendam.*
2. *Quæ conditiones servandæ, ut Religiosus ad strictiorem Ordinem transire possit de jure communi?*
3. *Quid si Prælatus neget licentiam?*

1 NOtandum primò. Interdum ita privilegium conceditur, ut ultra jus commune nihil de novo tribuat, sed id solùm operatur, ut quod jure communi concessum est, specialiùs, & certiùs exprimat; nam decretum speciale plus timeri solet, quàm generale *c. si adversus 9. de hæreticis* & notat hîc *Abbas n.* 1. & sumitur ex hoc *cap.* quando declaratur, privilegium Regularibus quibusdam à Sede Apostolica concessum, ne ab eorum Ordine ad aliam etiam strictiorem Religionem transire liceat, intelligendum esse, sicuti communi jure dispositum est, ut sine licentia petita, aut temerè, seu ex levitate, transitus non sit permissus; etenim si absolutè & generatim, prout verba privilegij indicant, accipere vellemus, ad strictiorem Ordinem non esse permissum transitum, tunc inspirationi divinæ, & legi propriæ charitatis, quæ semper præponderare debet (cùm charitas incipiat à se, & proximus quisque sibi) apertè repugnaremus: non oportet autem ita privilegium intelligere, ut quidpiam absurdi inde sequatur, aut quod Ecclesiasticæ traditioni repugnet. Limitari debet: si in privilegio expresè contineatur, ut ad alium quemcunque Ordinem transire non liceat, nisi à Superiore licentia non petita tantùm, sed etiam obtenta fuerit, ut hîc advertit *And. n. 2. Sanchez 6. moral. c. 7. n.* 10. & 21. si enim ita expressum sit, non potest dubitari de intentione decernentis, cùm in claris non sit locus conjecturæ, aut interpretationi; dummodo non desit potestas in decernente, quæ hîc non deest, saltem spectato publico Religionis, seu Ordinis, ad cujus bono, ad cujus conservationem plurimùm referre potest, ut nulli transitus permittatur, nisi Ordinis Superior, cum cognitâ, consensum dederit: qui fatis omnibus diligenter consideratis existimaverit, & ad petentis spiritualem salutem profuturum, & Religioni damnum non secuturum, licentiam dare in conscientia obligatur, ne alioquin Spiritûs S. inspirationibus repugnare videatur, sicut *Extrav. I. quæ est Martini IV. de regul.* prohibetur, ne quisquam Religiosus Ordinis Mendicantis ad Ordinem Monachorum, seu Religionem non mendicantem, etiam Carthusianorum, sine speciali Pontificis concessione transeat, sub pœna excommunicationis. Quamvis interdum regulariter non possit, Monachorum Ordinem reputet strictiorem, quàm sit Mendicantium Ordo.

Coroll. Cùm in privilegijs, in quibus prohibetur transitus ad aliam Religionem, quamvis strictiorem, excipi solet Ordo Carthusianorum, at verò à Carthusiano ad alium Ordinem sub motivo arctioris Religionis nunquam legatur transitus concessus, sequitur, Carthusianam Religionem, absolutè loquendo, omnium strictissimam reseri, propter perpetuam à carnibus abstinentiam, chorum, & silentium, & claustram perpetuam, uti notat *Sanchez ubi sup. n.* 29.

Notandum secundò. Spectato communi jure Religiosus transire potest ad Religionem strictiorem, si hæ conditiones adsint. Prima, ut non temerè, seu ex malâ affectione, v. g. odio erga Prælatum, sed pura intentione perfectionis majoris transeat. Secunda, ut id non fiat cum detrimento notabili Religionis, seu Monasterij. Tertia, ut licentia priùs à Prælato petatur. Ita *c. non est 7. hoc tit.* Quòd si una ex his conditio-

dicia-

ditionibus desit, revocari potest transiens à Prælato suo, tametsi in altero Ordine professionem ediderit; quippe cùm ea irrita sit, sicutiexplicat *Sanchez. n. 88.* & docet *Abb. p. 1. con. 95.* nam propter publicum bonum cujusque Religionis, transitus, & liberatio à priore professione, non aliter permittitur in sacris Canonibus, ut hîc & *c. 1. 2. 3. can. 19. q. 3.* Limitatur cum *And. hic n. 2. & alijs apud Sanchez.* si cætera adsint: at verò si Religio grave detrimentum patiatur, post transitum petitum, & obtentum, professionem in altero Ordine fore validum, sed Ordini graviter læso beneficium restitutionis in integrum concedendum; quam esse communiorem doctrinam fatetur hîc *Abbas n. 12.* quamvis ipse dubitet.

3 Notandum tertiò. Si Religiosus bono Zelo motus à Prælato suo ad strictiorem Ordinem transeundi licentiam petierit, & is irrationabiliter neget, etiam, eo invito, liberè transire potest. Ita hîc, & docent omnes.

Limitatur. Si ratio à Prælato allata apertè falsa, aut frivola esset, tunc certum quidem est, non obstante ejus contradictione, regularem transire posse *cap. sanè 10. hoc tit.* At verò si res dubia sit, tunc Superioris Prælati, v. g. Episcopi, aut Generalis Ordinis judicium requirendum est, uti in textu dicitur; consequenter re dubia existente, sive lite pendente transire non potest Religiosus, nec ab altero monasterio recipi, absque litteris dimissorijs, & non existente notoriâ Prælati pravitate *argum. c. 3. can. 19. q. 3.* Sin autem transierit, spectato jure communi, ante omnia restituendus est priori monasterio, quippe quod possessione sua malè privatum fuit; notum verò est, quòd spoliatus ante omnia restitui debet. *c. l. c. in litt. 5. de restitut. spol.* & tradit hîc *Innoc. n. 4.* licèt aliter *And. n. 9. Abbas in fine c.* senserit. Vide *Sanchez c. 7. q. 4. n. 35. & n. 101.*

Adextremum dicendum est, quòd transitus ad strictiorem Religionem, postquam transiens ad suam reversus est, iterum, & iterum concedendus sit, cùm nullo jure prohibeatur, nisi specialia extent privilegia alicujus Ordinis, qua de re *Sanchez c. 7. n. 31.*

CAPITVLVM XIX.

Veniens.

Paraphrasis.

G. Mulier Pontifici proposuit, quòd postquam matrimonium in facie Ecclesiæ contradixisset cum E. & diu ei cohabitâsset, inter ipsos dissensio orta fuerat, adeò, ut neuter ab altero conjugij debitum peteret; cujus divortij causam esse uterque juravit, quòd vir ante matrimonium amitam mulieris carnaliter cognôrit, quod ipsum, etsi plurimi assererent, Ecclesiæ tamen super hac re fides facta non est; accidit deinde, ut uterque alias nuptias contraheret, & alter maritus G. ante ipsum moreretur, priore marito vivente, tunc mulier in arcto loco ad pœnitentiam agendam se inclusit, sed conscientia urgente consilium ab Innocentio III. petijt: hic causam hanc delegans inprimis declarat, juramentum à viro, & muliere editum fuisse illicitum; postea mandat, ut virum superstitem delegati, monitione prævia, compellant ad eam, quam superinduxit mulierem abijciendam, & G. mulierem recipiendam; postea verò super matrimonio illo controversiam ortam cognoscant; quòd si adversus matrimonium non fuerit aliquid demonstratum, & vir sæculo relicto maluerit ad vitam regularem transire, licentia ipsi tribuenda erit, ut etiam mulier in suo proposito perseverare possit.

Summarium.

1. *Mutua renuntiatio conjugatorum de debito conjugali, si fiat tantùm ex indignatione mutua, & nullo bono Zelo, nulla est, quamvis sit jurata.*

2. *Si*

2. *Si tamen à se invicem recedant conjuges, post contractum in facie Ecclesiæ, & consummatum matrimonium, potest unus alterum repetere.*
3. *Neque potest in tali casu ad alias nuptias transire conjugatus, ex prætensione impedimenti, nisi Ecclesia hoc probaverit.*

1. NOtandum primum. Mutua renuntiatio debiti conjugalis si temerè sine justa causa, v.g. ex contentione, fiat, etiam jurata, nullius roboris est *c. tua 24. de jurejur.* & ideò vel judicis officio, vel ad petitionem alterius conjugis redintegrandum est matrimonium, quippe, quod ob sacram significationem indissolubile vinculum, & individuam vitæ societatem postulat. Ita docui *L. 5. t. ult. p 2. c. 2. & p. 3. c. 11.*

2 Notandum secundò. Si conjuges, qui in facie Ecclesiæ contraxerunt, & consumârunt matrimonium, postea se temerè separârint, unus eorum petere potest sui receptionem, adeò quidem, ut altero recusante, jure suo spoliatus censeatur, & ideò statim restituendus, ac recipiendus sit; idque non obstante exceptione de matrimonij dirimente impedimento, quia hæc quæstio de juris proprietate, postea agitari, & dissolvi debet. Ita etiam habetur in *cap. ex transmissa 8. h. cap. litteras 13. de restit. spol.* & docui *eodem tit.*

3 Notandum tertiò. Qui in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerunt, non possunt ad alias nuptias, prætextu impedimenti dirimentis, transire, nisi priùs Ecclesiæ fidem fecerint, seu ostenderint impedimentum; præterquam, si notorium sit. Ratio est, quia agitur hîc de valore Sacramenti, ideóque de re gravissima, & valde præjudiciali. Quam ob rem requiritur probatio plena *argum. c. 1. de consanguinitate* & non sufficit fama, ut hîc appareat, & ex *c. 3 caus. 35. q. 6.* & tradit Mascar. *de prob. con. 335. n. 26.* Sed nec sufficit confessio impedimenti ab utroque conjuge facta, ut docent DD *in c. super ea 1. de eo, qui cognovit.* Ratio est, quia non, uti in alijs contractibus, ita etiam in matrimonio (quippe cujus nexus indissolubilis est) partes per mutuum consensum, seu renuntiationem, obligationem tollere, seu invicem remittere possunt. Vide, quæ dixi *cit. p. 3. c. 11. n. 1. Sanchez. 2. de matr. disp. 45.*

Notandum quartò. Si unus conjugum Religionem ingrediatur, alter verò votum continentiæ in sæculo edere velit, permittendum est divortium. De hac re *tit. sequente.*

CAPITVLVM XX.

Consulti.

PARAPHRASIS.

Olim, si quis Religionem intravit, habitúmque novitiorum sumpsit animo etiam absolutè mutandi, & DEO in perpetuum in Religione serviendi, ad sæculum reverti non potuit, sed cogendus erat, ut Religionem *aliquam*, saltem laxiorem, profiteretur, ita statuitur hoc *cap.* & dicetur infrà in *c. 2. h. t. in 6.* Verùm id hodie locum amplius non habet, ut suprà diximus.

CAPITULUM XXI.

Postulâsti.

PARAPHRASIS.

Novitij, tametsi minores ætate sint, veram habent ad sæculum redeundi facultatem, neque ipsis quidpiam ad beneficia, honores, aut dignitates consequendas obesse debet, quòd tonsuram, aut habitum novitiorum in Religione gesserint.

CAPITVLVM XXII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Mandat Pontifex Episcopo Venetensi, ut eos, qui per annum gestârint habitum Mo-

Monachalem, Ecclesiasticâ Censurâ compellat ad regulam secundùm formã Ordinis profitendam, & servandam.

SUMMARIUM.

Quâ ratione compelli quis possit ad Professionem faciendam?

NOtandum. Episcopus compellere potest Religiosos non exemptos, ut post finitum probationis tempus professionem edant, paupertatem, continentiam, & alia regularia statuta observent.

Limita, & declara, quòd non prohibeantur Ordinum Prælati quicunque, in casibus particularibus, ob justam causam, post finitum probationis annum professionem differre; sicuti ex communi docet *Sanchez l. 6. Mor. c. 4. n. 21.* Talis causa est, si novitius diutiùs probandus videatur, vel nondum de bonis suis disposuerit; imò ordinaria causa erit, si ætatem requisitam, videlicet 16. annos nondum complêrit; potest enim novitiatus mox post exactum annum 14. in masculo inchoari, consequenter post annum expletum adhuc in probatione manet, donec annum 16. exegerit, ut profiteri possit, sicuti notat *Suarez t. 3. de Relig. l. de ingred. c. 13. n. 3. Azor t. 1. c. 12. c. 4. q. 9.*

CAPITULUM XXIII.

Statuimus.

PARAPHRASIS.

Statuit Gregor. IX. Novitios liberè egredi posse ante professionem ediram vel assumptum habitum Professis proprium: nisi evidenter appareat, quòd absolutè statuerint, domino in Religione perpetuò servire. Ad ambiguitatem verò tollendam, jubet, habitum Novitiorum ab habitu Professorum distingui.

* * *

SUMMARIUM.

1. *Novitius liberè egredi potest ex novitiatu.*
2. *Nec expensas in sui sustentationem factas solvere tenetur, nisi pactum de solvendis illis antecesserit.*
3. *Quandonam censeri debeat, quòd quis tacitè fuerit professus?*

NOtandum primum. Novitius liberè à Religione egredi potest, ita ut à nullo egrediendi licentiam petere teneatur. Ita sumitur ex hoc *cap.* & notat *Abbas n. 1.* nam hæc est vis hujus vocis, *liberè*, quòd aliquid liberè quis agere dicatur, si à nemine vetari, aut prohiberi possit. Requiritur autem ad verum novitiatum, seu annum probationis inchoandum, ut pubertatem sit assecutus. 1

Coroll. Neque impensas in sui sustentationem factas novitius egrediens solvere cogitur, prout ex communi docet *Sylv. hic v. Relig. 5. q. 8. Rodriq. t. 3. regul. q. 15. a. ult. Sanchez 6. mor. c. 16. n. 4.* qui limitat, nisi pactum antecesserit de solvendis expensis, sicuti apud Moniales consuetudo est, quæ limitatio colligitur ex *Trident. Sess. 25. c. 16. de regul.* ubi irritæ declarantur donationes monasterio factæ ab ingredientibus, excepto victu, & vestitu novitij ejus temporis, quo in probatione est: si ergo pro sustentatione aliquid dari potest, etiam de dando promissio fieri potest, ita tamen, ut ratione ejus obligationis libertas personæ ab egressu non impediatur, sicuti Suarez notavit *t. 3. de relig. l. 5. c. 11. n. 5. arg. hujus c. & c. 2. eodem in 6.* 2

Notandum secundum. Si quispiam pubes factus, seu post annum 14. ætatis, habitum Novitiorum, non distinctum ab habitu Professorum gestavit, censeri debet tacitè professus. Limitatur verò, & declaratur in textu, si nulla omnino sit distinctio inter habitus; sin autem aliqua, saltem latens distinctio sit, ut quia vestes novitiorum non benedici solent, sed professorum 3

benedicuntur, tunc gestatio habitûs Novitiorum per annum non inducit professionem tacitam. Idem habetur in *c. 1. §. ult. hoc t. in 6.* Hæc declaratio seu limitatio sublata est *in Clement. 2. hoc tit.* & decretum, ut pubes deferens habitum novitiorum non patenter, sed latenter, ut dixi, distinctum, censeri debeat tacitè professus: atque huic tacitæ professioni adhuc hodie locum esse testantur *Navar. Cons. 34. de reg. n. 5. edit. 2. Sanchez 5. mor. c. 3. n. 36.* dummodo Novitius ætatem legitimam compleverit.

Quam ob rem in Religionibus, in quibus habitus Novitiorum ab habitu Professorum, patenter distinctus non est, Novitius si manere nolit, vel Ordinis regulam diutiùs probare cupiat, circa finem anni probationis protestari debet, se non gestare habitum animo profitendi, sed tantùm probandi Religionem. Veruntamen, si vel statutum sit in monasterio, aut consuetudo, seu communis persuasio, quòd nemo censeatur professus, sed semper ab Ordine dimitti possit, donec ad novam vestium benedictarum assumptionem, vel donec ad expressàm professionem admissus sit; tunc tacitæ, seu præsumptæ professioni locus nullus erit, uti notavit *Sanchez c. 13.* & ideò puto casum hujus tacitæ professionis rarissimum esse.

CAPITULUM XXIV.

Ne Religiosi.

Paraphrasis.

Ne Regulares vagandi occasionem habeant, ac propriæ salutis detrimentum incurrant, & peccatis eorum Prælati obnoxij fiant, statuit Greg. IX. ut ij, qui generalibus Capitulis præsident (ut dicetur *in cap. penult. de statu monach.*) seu Abbates, annuatim suos fugitivos, & ejectos requirant: qui si in monasterijs suis recipi possint, secundùm regulam (nam v. g. regulâ S. Benedict. 29. prohibetur, ne qui ter fugitivi facti sunt, iterum recipiantur) monitione præviâ, per censuram compellantur ad redeundum, si vâ Ordinis disciplinâ; sin autem Ordo non patitur, ut recipiantur, tunc Apostolicâ auctoritate provideant, ut ne eadem monasterijs, si fine scandalo fieri possit, alioquin in alijs ejusdem Ordinis ad agendam pœnitentiam includantur, & vitæ necessaria ministrentur: sin autem illos inobedientes esse comperiant, eos excommunicent, & curent ab Ecclesiarum Prælatis publicè denuntiari, tamdiu excommunicatos fore, donec mandato ipsorum præsidum, aut Abbatum pareant. Hanc constitutionem hodie fermè in desuetudinem venisse annotant *L. 4. tract. 5. c. ult. q. 4.* Vide etiam innovationem factam *à Card. congregatione anno 1624. die 21. Septemb. apud Barbosa hic in fine.*

CAPITULUM I.

in Sexto.

Is qui.

Paraphrasis.

Qui ante annos pubertatis Religionem ingressus fuit, adeptus pubertatem libere egredi poterit, nisi post ætatem legitimam, Professionem fecerit expressè, vel habitum Religionis, qui Professis dari solet, susceperit, vel Professionem, quam ante pubertatem fecit, postea tacitè habuerit expressè.

Summarium.

Quando sufficiat tacita ratificatio professionis, quando non?

NOtandum. Qui professionem edidit ante pubertatem, debet eam, postquam annum probationis, & ætatem 16. annorum complevit, expressè ratificare: at verò si professionem edidit pubes factus, sufficit, si postea completâ ætate 16. annorum, tacitè ratificet, exercendo v. g. actus Professorum proprios, dummodo sciverit professionem priorem irritam fuisse. Ita docuit *Navarrus con. 27. de reg. Sanchez*

l. 7. de matrimonio. Cætera, quæ in hoc *cap.* dicuntur, ex suprà dictis intelliguntur.

CAPITULUM II.

Non solùm.

Paraphrasis.

Districtè mandat Alex. IV. Fratribus Prædicatoribus & Minoribus in virtute Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis, ne quemquam ante annum probationis elapsum recipiant ad professionem, aut intra dictum annum impediant, quò minùs ad aliam Religionem transeat, vel omnino ad seculum redeat; nisi major 14. annis expressè vel tacitè professus sit, aut evidenter constet, illum vitam mutare voluisse. Decernit insuper, eum, qui contra hunc Canonem recipitur, non esse Ordini alligatum, ac recipientes à receptione quorumlibet ad professionem, esse ipso facto suspensos, & pœnæ gravamini subdendos.

Summarium.

Circa Professionem ante completum annum Novitiatûs emissam diversis temporibus diversa fuerunt statuta.

PRo intellectu Capituli tria tempora distingue: nam olim annus probationis, secundùm regulam præscriptus erat, sed ita, ut ei renuntiari posset à recipiendis, & recipientibus, ideóque ex utriusque partis consensu, professio fieri ante exactum annum. *c. ad Apostolicam 16. hoc tit.* At verò juxta tempus hujus Capituli renuntiatio ista in Religionibus Mendicantium Fratrum Prædicatorum, & Minorum, sublata est, ita ut licitè fieri non possit professio, ante completum annum; attamen facta obligaret, non quidem ad hanc, sed ad Religionem aliquam, quam professus ingredi mallet: in alijs autem Religionibus nulla veteris juris correctio facta est, Denique Con. Trid. *Sess. 25. c. 15. de regula.* universim statuit, ut professio in quacunque Religione (exceptis Militaribus, in his enim professio fieri solet etiam circa annum 13.) ante exactum annum probationis, & completum 16. neque licita, neque valida sit, nullúmque effectum producere possit. Vide, quæ docui *in cap. consulti 20. & cap. penult. hoc tit.*

CAPITULUM III.

Constitutionem.

Quæ hîc dicuntur, fermè sublata sunt per Trident. Intelliguntur verò ex ijs, quæ dixi *in c. ad nostram 8. & c. penult. c. 1. hoc l. & tit.*

CAPITULUM IV.

Beneficium.

Paraphrasis.

Si Clericus Beneficiarius Religionem ingrediatur, beneficium ejus intra annum probationis alteri conferendum non est, nisi ipse consentiat; vel nisi constet, quòd vitam voluerit absolutè mutare; vel nisi professionem fecerit expressam, vel tacitam: sed interea dum annus probationis durat, beneficio per vicarium inserviri debet, de proventibus parte congruâ eidem assignatâ.

Summarium.

1. *Beneficium ingressi in Religionem Beneficiati non vacat, durante novitiatu; & exceptiones, quæ in hoc textu ponuntur, hodie vi Tridentini locum non habent.*
2. *Novitius Canonicatum habens, utrùm tempore novitiatûs jus suffragij habeat, Prælaturâ vacante?*
3. *Novitio num conferri possit Beneficium?*

1 NOtandum. Durante anno probationis beneficium ingressi Religionem non vacat, & ideò alteri conferri non potest.

Exceptiones, quæ in textu ponuntur, hodie locum non habent, cùm ante expletum probationis annum, nulla professio fieri possit; sed neque beneficio ab ingrediente validè renuntiatur, nisi renuntiatio fiat intra 2. menses proximè antecedentes professionem, juxta *Trident. Conc. Sess. 25. c. 16. de regul.*

Porrò tametsi in hoc *cap.* de anno dicatur, quo beneficium novitij vacare debeat, quia regulariter novitiatus tanto tempore durat, tamen, si probatio, seu propter Ordinis regulam, seu ætatis defectum, aliámve justam causam diutiùs protrahatur, etiam beneficij collatio differri debet, ut videre est apud *Sanchez 7. mor. c. 4. n. 6.* & docui *l. 3. tr. 5. c. 7.*

2 Quæritur primò. Num novitius Canonicatum habens, vacante prælaturâ, si electio sit facienda, jus suffragij habeat? Videtur esse affirmandum ex communiore contra *Monachum hic*, eò quòd novitio jus beneficij, cui electio tanquam fructus quidam annexa est, competat, prout *Archidiac. Ioann. And. & Francus* notat, & sumitur ex *tex.* quando dicitur, portionem tantùm vicario dandam esse.

Veruntamen cùm novitius intra annum inter eos, qui nec solent, nec debent vocari, meritò reputetur, quippe, qui à sæculo se sponte segregavit, ideò vocandus non est; attamen si veniat, repelli non potest. Quæ est sententia *Glossæ, & Franc. Azor t. 1. c. 13. c. 3. q. 1.* Addit *Gloss. recepta*, si jus eligendi, aut præstandi competat novitio, non jure Collegij, sed speciali ratione dignitatis suæ, aut beneficij, intimandam ipsi esse vacationem præbendæ, aut prælaturæ; quemadmodum etiam investituræ in feudis, si ad novitium jure personali, seu speciali pertineat, & ab eodem conferri debeat; quippe cùm jura, & bona sua ante professionem retineat.

Quæritur secundò. An novitio beneficium conferri, vel ad id eligi possit? Respondeo & dico primò. Ad prælaturam regularem, nisi Episcopalis sit, eligi non potest novitius, seu qui Religionem professus non est, *cap. nullus 28. de elect. in 6.* Sed neque ad alia regularia beneficia secundùm *Clement. unicam de supplenda negligentia &c. & Clement. 1. §. sane de statu monachorum.* Ubi requiritur, ut is, cui beneficium regulare datur, expressè professus sit. At verò spectato *Concilio Trid. Sess. 14. c. ref.* novitijs, imò etiam ijs, qui habitum nondum susceperunt, sed susciperè parati sunt, beneficia regularia, in titulum conferri possunt, ita tamen, ut professionem emittere teneantur, alioquin beneficium resignare cogantur, prout explicat *Suarez t. 3. de relig. l. 5. c. 16 n. 14. Sanchez l. c. 3. n. 24.*

Secundò: beneficium sæculare valide confertur, vel ad id eligitur novitius. Ita *Lop. & Franc. Navarr. con. 44. de reg. edit. 2. Garz. p. 7. de beneficijs c. 11. n. 3. contra Gloss. v. conferendum. ibidem Monach. & Dominicum.* Probatur ex eo, quòd novitius secundùm statum suum capax est beneficij, & nullum extat jus, quo incapax factus sit. Hinc infert *Sanchez* primò. Quòd novitius beneficium cum altero commutare possit. Secundò infert, si beneficium vacet, quod ex fundatione sua primogeni v. g. ex certa familia debetur, qui sit novitius, conferri non posse, sed exspectandum, donec voluntatem suam acceptandi, vel in eo tempore, quo potest, renuntiandi declaret. Alioquin verò, ut novitijs liberè conferantur sæcularia beneficia, vel ad ea eligantur, eâque ratione à Religione abstrahantur, vel occasio ipsis detur, ut fructus beneficij percipiant duntaxat, usque ad professionem, nullo ministerio præstito Ecclesiæ, ad quam promoti sunt, oratorio non esse licitum, monet *Francus hic n. 2. Suarez cit. c. 16. n. 13.*

CAP.

CAPITVLVM V.

Qui post.

PARAPHRASIS.

Si Titius Religionem se ingressurum voverit, postea verò aliam Religionem, quamvis laxiorem ingrediatur, in eáque profiteatur, ibi permanere potest, non obstante priore voto, quippe cui tanquam simplici per alterum solemne derogatum est; sed ob votum prius non completum pœnitentia ipsi imponenda est.

SUMMARIUM.

Votum simplex ingrediendi, aut profitendi in Religione aliqua, tollitur per professionem, postmodum in alia quacunque Religione factam.

NOtandum. Simplex votum ingrediendi, aut profitendi in una Religione tollitur per posterius solemne votum professionis, in altera quacunque Religione editum. Ratio est, quam *Monachus* dat, quia minus vinculum tollitur per vinculum majus, & fortius, si cum illo non consistat; v. g. simplex venditio tollitur per alteram posteriorem venditionem, secutâ traditione *L. quoties 15. c. de rei vindicatione* & sponsalia de futuro, cùm sint simplex sponsio, solvuntur per sponsalia de præsente, seu matrimonium cum altera *c. 1. de sponsa duorum*, quamvis peccet is, & injustius sit, qui contra fidem primorum sponsaliorũ cum altera contrahit *c. si inter 31. de sponsalibus*. Pari modo se habet res in proposito; si quis voverit certam Religionem, non ut eam tantùm experiatur, & reipsa profiteatur Religionem laxiorem, is peccat, quia minus præstat, quàm vovit; at verò voto liberatur priore, quia cùm simplex fuerit promissio, tollitur, ac veluti absorbetur à voto solemni professionis, prout docui *L. 4. tr. 5. c. 6. n. 6.*

Addidi autem, *non ut tantùm experiatur &c.* quia, si votum editum sit de Religione ingredienda animo probandi, liberè commutari id potest in votum profitendi, aut ipsam professionem in Religione laxiore; cùm id majus, & melius sit, votum autem non infringit, qui in melius commutat *argum. c. 3. de jurejurando.*

CAPITULUM VI.

Si ad solum.

PARAPHRASIS.

Si creatio monachi, seu susceptio ad Religionem ad solum Abbatem spectet, tunc vacante prælaturâ Conventus monachorum creare, seu ad professionem admittere non potest; sin autem ad utrumque simul spectet monachi creatio, vacante prælaturâ Conventus admittere potest ad professionem.

SUMMARIUM.

1. *Consuetudo Monasterij facere potest, ut consensus Capituli intervenire debeat, in admissione ad professionem.*
2. *Si tamen ad solum prælatum admissio talis pertineat, non potest vacante prælaturâ admittere Conventus.*

NOtandum primum. Num Abbas in admissione ad professionem consensum Capituli habere debeat, nec ne, pendet ex consuetudine Monasterij. Ita *Monachus, & alij hic.* Cæterùm spectato communi jure, videtur requiri consensus, aut receptio ad utrumque simul, Abbatem videlicet, & Conventum, sicuti docet *Glossa* à pluribus approbata. 2

Notandum secundò. Si ad solum Prælatum pertineat susceptio ad professionem, vacante prælatura Conventus non potest aliquem suscipere; nam quæ jure speciali conveniunt Prælato, ea vacante Sede non transeunt ad Capitulum, sive Conventum, prout *Franc. hic* notat *n. 1.* & docui *in disp. de jurisdictione ordinaria c. 89.* Sin autem ad utrumque simul pertineat receptio ad professionem, tunc Conventus recipere potest, si Sedes vacet, uti etiam colligitur ex

cap. unico. ne sede vacante in 6. ubi id ipsum similiter dicitur de collatione beneficij; creatio enim Monachi, quasi quædam beneficij, seu tituli regularis collatio est.

TITULUS XXXII.

DE CONVERSIONE CONIUGATORUM.

Cùm superiore titulo de Regularibus, & ad Religionem transeuntibus, generatim actum fuerit; at verò speciales difficultates sint, si conjugati converti, seu Religionem ingredi velint: ideò de hoc titulus peculiaris annectitur.

CAPITULUM I.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Conjux post matrimonium consummatum Religionem ingredi, & profiteri non potest, nisi alter conjux licentiam dedit, & tunc vel religionem etiam ingrediatur, vel si extra periculum incontinentiæ secundùm Episcopi judicium versetur, perpetuam continentiam in sæculo voveat. Ita *hìc & c. 4. & c. significavit 18. hoc tit.* Explicavi *L. 5. tract. ult. p. 3. c. 7. n. 1.*

COrollarium. Si alter conjugum Monasterium ingressus sit, aut professionem ediderit, ab Episcopo revocari potest, ac debet, uti hìc dicitur; quòd si alter conjux, in sæculo manens, licentiam dederat, licèt tunc actionem propriè non habeat, potest tamen judicis officium allegato incontinentiæ periculo, & Can. constitutione implorare, ut conjux ingressus, aut professus revocetur, & sic etiam ad instantiam partis revocatio fieri potest. Qua de re plenius disputat *Sanchez L. 7. de Mat. D. 33. q. 2.*

CAPITULUM II.

Verùm.

PARAPHRASIS.

Si post matrimonium legitimè contractum non consummatum, alter conjux, altero repugnante, Religionem professus sit, sicuti quosdam sanctos à nuptijs vocatos legimus (videlicet S. Theclam, S. Isaxium, S. Cæciliam & alios apud *Sanctos S. Greg. l. 4 dialogor. c. 14.*) alter corpus in sæculo manens, si monitus continentiam servare nolit, liberè ad alias nuptias transire potest; cùm enim per carnalem conjunctionem non sint una caro effecti, separari possunt (sive alter conjux consentiat, sive non) ita, ut unus ad Deum transeat, alter in sæculo maneat.

SUMMARIUM.

Matrimonium ratum non consummatum, solvitur per professionem in Religione approbata.

NOtandum. Matrimonium ratum non consummatum solvitur per professionem in Religione approbata. Ita *hic & in c. sponsatus 27. & c. sequente caus. 27. q. 2. c. ex publico 7. hoc tit. c. 1. de voto in 6.* & dixi *l. 5. tract. ult. p. 2 c. 1. & p. 3. c. 11. n. 1.* Videri potest *Gloss. in c. quapropter 37. eadem q. 2. c.*

CAPI-

CAPITVLVM III.

Quidam.

PARAPHRASIS.

Ad consultationem, an qui invitâ uxore Monasterium ingressus,& ad eandem redire compulsus est, teneatur illâ mortuâ redire ad Monasterium; an verò ad aliud Matrimonium transire possit: respondit Pontifex, non teneri quidem redire ad Monasterium, eò quòd professio non fuerit valida; non tamen posse aliud matrimonium inire, cùm votum non petendi debitum emittere potuerit, & emiserit.

SUMMARIUM.

1. *Maritus, & uxor quoad debitum conjugale paris sunt obligationis.*
2. *Professio conjugati post matrimonium consummatum, si fiat altera parte invitâ, valida quidem non est in vim professionis, valet tamen in vim simplicis voti.*

1 NOtandum primum. Maritus & uxor, quoad jus debiti conjugalis pares judicantur, cùm non minùs uxor habeat potestatem in corpus mariti, quàm vice versa, prout hîc apparet, cum allegato testimonio Apostoli *1. ad Corinth. 7. vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier* &c. Ratio est, quia ita servatur æquitas, & justitia contractûs matrimonialis. Verùntamen quoad gubernationem domûs uxor debet esse subdita marito, tanquam capiti suo, uti docui *in cit. tract. ult. p. 3. c. 2.* & dicam *in c. Charissimus 11. hoc tit.*

2 Notandum secundum. Tametsi professio conjugis sine consensu alterius conjugis facta post matrimonium consummatum absolutè loquendo non valeat, uti etiam colligitur *ex cap. una 6. cit. q. 2.* quod est *S. Aug. Epist. 45. ad Armentarium.* obligat tamen instar simplicis continentiæ voti à conjuge emissi, consequenter obligatur vovens, seu professus ad non petendum conjugis debitum, licèt petenti conjugi reddere teneatur; deinde si vovens alteri conjugi supervivat, continentiam perpetuam servare debet, juxta ea, quæ dixi *eadem p. 3. c. 1. n. 10.* & habetur *in c. placet 12. hoc tit.* Ratio dari debet, quia ob favorem divini cultûs jus præsumit conjugis professionis intentionem fuisse, si actus non valeat ut votum solenne professionis, quòd valere debeat, quatenus potest, videlicet, ut votum simplicis continentiæ, juxta illud: si non valet, quod ago, valeat, sicut valere potest, vel si non valet totaliter, valeat partialiter, sicuti explicavi *cit. p. 3. c. 7. n. 3. c. 4.*

CAPITULUM IV.

Cùm sis.

PARAPHRASIS.

Cùm SS. Patrum constitutioni contrarium sit, si uxor marito, aut maritus uxore in sæculo relictâ, ad Religionem transeat, ideò Alexan. III. prohibet Episcopo Exonensi, ne in Episcopatu suo conjugem, v. g. maritum, ad Religionem transire permittat, nisi etiam uxor ingredi velit; verùm si ea senex sit, & sterilis, ut absque incontinentiæ suspicione in sæculo manere possit, permitti potest, dummodo continentiam perpetuam voveat.

SUMMARIUM.

Ad validam conjugati professionem post consummatum matrimonium, quid requiratur ex parte alterius conjugis?

NOtandum. Conjux in Religione profiteri non potest, nisi etiam alter profiteri velit. Ita *hic, & in c. 1. c. ad Apostolicam 13. hoc tit. c. Agathosa 21. c. 27. q. 2.* Limita primò. Nisi alter in sæculo manere volens, consentiat, ut alter conjux ingrediatur, & profiteatur; tunc verò distinguendum, an conjux in sæculo juvenis sit, & in peri-

periculo continentiæ positus, tunc ingressus in Monasterium revocari potest, uti videre est apud *Sanchez L. 7. D. 33. n. 6.* si professio nondum edita est: sin verò edita, revocari non potest, quia conjux, dummodo conscia juris fuerit, mulier v. g. censetur se obligâsse, ut & ipsa Monasterium ingrediatur, sicut jus in hoc casu requirit: si verò senex sit, & extra periculum incontinentiæ, tunc ad perpetuam continentiam in sæculo servandam se obligare debet, postquam consentit, ut conjux alter profiteatur, juxta citatum *cap. Agathosa*, & vide, quæ dixi *cit. p. 3. c. 7. n. 5.*

Limita secundò. Nisi conjux in sæculo manens adulterium commiserit; in hoc casu conjux innocens, cùm à debito conjugij reddendo liberatus sit, Religionem profiteri potest, etiam invito conjuge adultero. Ita habetur in *cit. c. Agathosa junctâ Glossa, V. velipsa*, & docui *cit. capite 7. v. 7.*

CAPITULUM V.

Conjugatus.

Paraphrasis.

Nullus conjugatus ad sacros Ordines promovendus est, nisi uxor licentiam dederit, & continentiam voverit. Intellige hæc in casu, si uxor senex sit, & extra incontinentiæ periculum; alioquin verò Religionem profiteri debet, postquam marito licentiam dedit, sacros accipiendi Ordines. Ita *Glossa hic. V. ab uxore*, & docui *in citato capite 7. n. 6.* & dicetur *in c. uxoratus 8. hoc tit.*

CAPITULUM VI.

Sanè.

Paraphrasis.

Si conjugatus ordinari cupiat, uxoris voluntas requirenda priùs est, ut sequestrato mansionis cubiculo, postquam pariter conversi sunt, ordinentur, uxor, & maritus: alioquin prohibetur, ne conjugatus Episcopus consecretur, nisi uxor continentiam priùs professa, sacrum illi velum imponat, & religiosam vestem induat.

Summarium.

Conjugatus, ut ordinari possit Episcopus, quid ex parte uxoris requiratur?

NOtandum. Conjugatus ordinari non potest Episcopus, nisi uxor Religionem profiteatur; & ideò in hoc casu satis non est, uxorem in sæculo manentem votum continentiæ edere. Quæ est communior doctrina apud *Sanchez L. 7. de matrimonio, D. 41.* & secutus sum *citato capite 7. n. 6.* Rationem dat *Abbas hic. n. 2.* ne alioquin uxor mulieribus associata Episcopum inficeret, & gratias ad ditandos consanguineos in sæculo impetret. Hæc ratio locum habet secundùm hujus Ecclesiæ praxin; at veteri Ecclesia constat, uxores à maritis ad Episcopatum evectis separatas non fuisse, nisi mansionis cubiculo, uti etiam ex *hoc c.* sumitur, & docui *L. 5. tract. 9. c. 11. n. 5. & 6.* Videri potest *Baronius t. 1 ad annum 34.* Interim credibile est, velum professionis accepisse, cum tribus Religionis votis, sub Episcopo editis: rationem dare possumus ex præstantia dignitatis Episcopalis, ob quam decebat conjuges, quatenus earum status permittit, etiam ad perfectionis vitæ statum assumptas, & ideò sanctimonialem ex Religionem professas, insuper ad ministerium aliquod Ecclesiæ circa mulieres ordinatas esse.

CAPITULUM VII.

Ex publico.

Paraphrasis.

Rescribit Pontifex, mulierem, quæ ab Episcopo excommunicata fuerat, quòd ad maritum redire nollet, absolvendam esse, si à viro discessit ante matrimonij consum-

ſummationem, & præſtita ſufficienti cautione parata ſit vel ad Religionem tranſire, vel intra duos menſes ad virum redire.

Summarium.

1. *Compelli debet ad cohabitandum conjugi, vel ad profitendum intra certum tempus, qui nondum conſummato matrimonio, ab invita conjuge recedit, ſub prætextu, quòd Religionem ingredi velit.*
2. *Bimeſtre ſpatium conjugi ad deliberandum de ingreſſu in Religionem conceſſum, ante conſummationem, num arbitrarium ſit, an determinatum?*

1 NOtandum primò. Si unus conjugum alteri cohabitare aut conjugij debitum reddere nolit, à judice compelli poteſt, ſub excommunicatione; quòd ſi excipiat, dicátque, ſe Religionem profiteri velle, cùm matrimonium conſummatum non ſit, præfiget ei judex duorum menſium ſpatium, intra quod ingredi debeat, vel ad virum redire, acceptâ de hoc cautione ſufficiente; & poteſt hoc ipſi præcipere ſub excommunicatione, quam incurrere debeat, ſi intra tempus definitum non pareat. Veruntamen ſi poſt tempus elapſum, etiam alter conjux ingreſſus fuerit, revocari non debet, qui priùs ingreſſus, & ad redeundum compelli poterat, ſicuti *Innoc hic* tradit, & docui *L. 5. t. ult. p. 3. c. 11. n. 3.* & videri poteſt *Sanchez L. 2. de mat. D. 24. n. 9.*

Quæritur. Num bimeſtre ſpatium, in omni caſu, conjugi deliberanti, de ingredienda Religione conceſſum, ſit tempus arbitrarium. Reſpondetur, pro foro conſcientiæ, non videtur eſſe tempus determinatum, ſed id ſolùm requiri, ut ſincerè agat conjux, & non diu propoſitum, ac deliberationem ſuam procraſtinet, cum conjugis offenſione. At verò in foro externo arbitrarium eſt tempus, ita tamen, ut ſine cauſa, à ſpatio duorum menſium, judici diſcedere non liceat, prout DD. communiter docent *argum. hujus cap.* in quo tamen, ſi rectè attendimus, ſpatium bimeſtre non fuit definitum à die contracti matrimonij, ſed à tempore, quo judex definivit, uti *Gloſſa hic* tradit *verbo intra duorum.*

Notandum ſecundò. Matrimonium li- 2
cèt per mutuum conſenſum fiat ratum, non tamen cenſetur conſummatum, ante carnis conjunctionem, per quam vir & mulier efficiuntur veluti una caro. Ita *hic & in c. 2. hoc tit.*

CAPITULUM VIII.

Uxoratus.

Paraphrasis.

Statuitur idem, quod *capit. 1. & 4. h. t.* de licentia conjugis neceſſaria ad ingreſſum Religionis. Ac inſuper prohibetur, ne quis Regularis mulierem aliquam tonſurare, vel ad habitandum ſecum præſumat aſſumere.

Summarium.

1. *Conjugi volenti Religionem ingredi neceſſaria eſt licentia conjugis.*
2. *Sanctimoniales an olim tonderi ſolitæ?*
3. *Virorum ac Fœminarum monaſteria ſeparata eſſe debent.*

NOtandum primò. Conjux ad Religio- 1
nem ſuſcipi non debet ſine licentia conjugis, uti ſuprà dictum *in c. 4. & ſequentibus hoc tit.*

Notandum ſecundò. Sanctimonialibus 2
olim non videtur permiſſum, ut coma, ſeu capilli abſcinderentur, ſicuti docet Archidiaconus *in c. 2. cauſa 20. q. 3. & in cap. 2. diſt. 30. argumento ejus textûs*, ubi prohibetur, ne mulier exiſtimet Religioni convenire, quòd comam ſibi amputaverit, quam Deus ad velamen, & in ſignum ſubjectionis dedit; in multis tamen locis Moniales tonderi ſolitas, notat idem Archidiaconus, eámque conſuetudinem à jure non eſſe alienam, ſignificat *hic Abbas n. 5.* & ad tex-

tum *cap. hujus* respondet, reſcriptum hoc fuiſſe ad Fratres S. Joannis, ſed aliam eſſe rationem de Monachis & Monialibus.

3 Notandum tertiò. Monachis, & Sanctimonialibus ſimul habitare non eſt conceſſum, ſed ſeparata habere debent monaſteria, & habitacula, ita, ut ab uno ad alterum non pateat introitus.

CAPITULUM IX.

Ex parte.

Paraphrasis.

Quidam in infirmitate poſitus cum conſenſu uxoris votum Caſtitatis emiſit, & monachalem habitum ſuſcepit: poſtmodum liberatus infirmitate uxorem retinuit, eáque defunctâ aliam ſibi copulavit. Reſcribit Pontifex, compelli debere ad relinquendam mulierem, & redeundum ad Religionem.

Summarium.

Valida eſt profeſſio facta cum Conjugis licentia.

NOtandum. Si conjux conjugi licentiam profitendi in Religione dedit, valida eſt profeſſio: quare ſi maritus v. g. ab Epiſcopo ad uxorem revocetur, in caſu, quo ipſa in periculo incontinentiæ verſatur, & Religionem profiteri non vult, aut non poteſt, conjugis debitum petere non poteſt, licèt petenti uxori reddere teneatur. Deinde ſi uxor prior moriatur, maritus aliud matrimonium contrahere nequit, ſed ad monaſterium redire debet. Vide, quæ dixi *in c. 4. & c. expublico 7. hoc tit.*

CAPITULUM X.

Conſuluit.

Paraphrasis.

Quæſitum eſt ex Clemente III. ſi vir ad Religionem tranſierit, & ultra annum in ea manſerit, poſtea uxor mortua ſit, num habitum ſæcularem iterum aſſumere, & uxorem ducere poſſit. Reſponderet, quòd nec habitum regularem, quem aſſumpſit, abijcere, nec aliquam ſibi matrimonio jungere poſſit, aut ſi matrimonium contraxit, dirimendum ſore.

Summarium.

1. *Mariti profitentis, invitâ quidem uxore, tacente tamen, & diſſimulante eâ mortuâ, valet profeſſio.*
2. *Saltem poſt ratificationem factam, ſciente nullitatem ſuæ primæ profeſſionis.*
3. *Locum habet pro modo, hæc doctrina etiam in caſu extortæ metu injuſto vel dolo licentiæ.*

NOtandum. Si uxore tacente, & diſſimulante maritus Religionem profeſſus ſit, hac mortuâ ſtatim valet profeſſio, ita *hoc cap.* intelligunt *Innocentius, Abbas, & alij apud Ioann. And. hic*, enim ſupponunt profeſſionem ante mortem uxoris non fuiſſe validam, quia licentia non erat ſufficiens.

Sed quæſtio eſt, num ipſo facto, ſeu per ſolam mortem conjugis, veluti ſublato obſtaculo, validetur profeſſio; an verò novo conſenſu, ſeu ratificatione opus ſit ex parte invalidè profeſſi. Priorem partem pleraque tenent apud *Sanchez l. 7. de matrimonio n. 18. Barboſam hic argu. hujus textûs.* Sed contrarium eſt dicendum cum *Gloſſa hìc V. franſ. Innocentium Sanchez cit. loco.* Cùm enim prior profeſſio rita fuerit, neceſſe eſt, novam profeſſionem fieri; at verò nova profeſſio fieri non poſſit ſine novo conſenſu expreſſo vel tacito, conſenſus de forma ſubſtantiali profeſſionis ſit, ſicuti & matrimonij carnalis, & cujuſcunque contractûs; quare idem ſentiendum de matrimonio, ejus nullitas nunquam purgari, id eſt, ſi irritum fuit, nunquam convaleſcere, niſi novus conſenſus contrahentium accedat, uti docent DD.

cum Glossa in c. 1. de eo, qui duxit & c. Sanchez L. 2. D. 35. de mat.

3 Corollarium. Ad hoc, ut conjux censeatur ratificare professionem, quæ ob defectum datæ licentiæ ab altero conjuge irrita fuit, necessarium est, ut sciat defectum, seu professionem irritam fuisse, propterea videlicet, quia taciturnitas, aut dissimulatio non reputatur consensus, si res magni præjudicij sit, *teste Sylv. V. divortium 7. L. 6. n. 7. & L. 2. d. 36. n. 3. Navarro cnc. 28. de regul. edit. secunda & Glossa in cit. c. 1. verbo inscium*, ubi id de nullitate matrimonij docent; etenim in utroque eadem ratio, quia non potest aliquis ratum facere velle, quod nescit irritum, etenim si quis arbitretur matrimonium, aut professionem ratam esse, perseverat in priore voluntate, neque causam habet, novi edendi consensûs, animo ratificandi: deinde, si sciens nullitatis, nesciat obstaculum esse sublatum, v. g. mortem conjugis, non potest velle ratificare, cùm voluntas non sit ejus rei, quam quis nescit esse possibilem.

Quæ hactenus dicta sunt de professione, quæ facta est sine sufficiente licentia conjugis, similiter locum habent in casu, si data sit licentia metu injusto, aut dolo extorta; quia talis licentia perinde est, ac si nulla interveniisset, eò quòd voluntas requiratur *c. 2. can. 35. q. 3. c. una sola. eadem q. 2. c. penult. hoc tit.* & docet *Sanchez L 7. d. 35.* Videri potest *cap. veniens. 16. & cap. sequens hoc tit.*

Ad *textum hujus capituli* dici debet, quòd maritus, qui sine licentia legitima uxoris professus erat, post cognitam ejus mortem, professionem ratificârit saltem tacitè, & ipso facto, quia postea non reclamavit, sed perseveravit, & actus professorum exercuit.

Verùm obstare videtur *Trid. Concil. sess. 25. n. 19. de regul.* ubi tempus quinquennij conceditur, ad ostendendum professionis editæ defectum: ergo propter perseverantiam, v. g. unius anni, non inducitur præsumptio ratificationis, sicuti *in hoc cap.* indicatur. Huc confert etiam, quod *Sanchez* tradit L. 7. *d.* 37. *n.* 10. si præcesserit professio expressa, sed irrita, non tam facilè præsumi ejus ratificationem, sicuti præsumitur professio tacita, v. g. per gestationem habitûs, uno anno, quando nulla præcessit professio. Respondetur ad prius: in Concil. Trident. non dicitur, quòd ante transactum quinquennium non sit præsumenda professionis ratificatio, sed decernitur, post illud tempus neminem in externo foro de nullitate audiendum esse; sin autem intra quinquennium quæstio moveatur, tunc ad judicem pertinebit, cognoscere de causa nullitatis, & num ea per ratificationem sequentem purganda sit, nec ne.

Ad doctrinam *Sanchezij* dico, tametsi demus, quæ in jure decreta sunt de professione tacita, non habere locum in ratificatione antecedentis professionis, irritæ tamen, negari non posse, quin ex varijs indicijs facta ratificatio colligi possit, ita ut judex ad perseverandum condemnare debeat, juxta responsionem hujus cap.

CAPITULUM XI.

Charissimus.

Paraphrasis.

Uxor Regis Sueciæ, aliàs Scotiæ, cùm gravi infirmitate detineretur, timore mortis continentiam vovit, cui etiam Rex consensum dedit ad tempus, postea cùm sanitati reddita esset, Rex matrimonio uti volebat: qua de re Cælest. III. consultus respondet, & mandat à se delegato, si Rex consensum duntaxat dedit ad tempus, & ipsemet continentiam perpetuam non vovit, ut reginam regi cohabitare faciat, & conjugali affectu tractare.

Summarium.

Vxor continentiam vovere potest in perpetuum, vel ad tempus, si consenserit maritus.

PRo intellectu adverte primò. Quòd uxor continentiam vovere non possit, ita ut votum cedat in præjudicium mariti, nisi is consentiat, & juri suo renuntiet *c. 1. & sequentibus causâ 33. q. 5. c. penult. hoc tit.* & docui *l. 4. t. 4. c. 7. n. 15.* Interim obligatur uxor ex voto edito sine mariti approbativo consensu in proprium præjudicium, ut conjugij debitum ipsa petere non possit, juxta *c. sequens.*

Adverte secundò. Tametsi uxoris in hoc casu intentio fuisse videatur, continentiam perpetuam vovere, tamen maritum non consensisse, nisi ad tempus: quamobrem ex contrario sensu colligi debet, si Rex consensum absolutè, & in perpetuum dedisset, animo renuntiandi juri suo, quod reginam ad usum conjugij revocare non potuisset; licèt aliter sentiat *hìc Abbas n. 5. & Sanchez. l. 7. d. 40. n. 19.* quòd etiam in hoc casu maritus datam licentiam revocare, & votum mulieris irritare possit. Sed contrarium docui *l. c. &* juxta *c. quod Deo 4. causa. 33. q. 5.* & tradit *Gloss. super c. manifestè 11. eadem q. 5. ibidem Gratianus §. ex præmissis*, rationem bonam affert, quia quod attinet ad conjugij usum, vir, & uxor æquali jure pollent, & ideo, si unus eorum alterum à jure suo, quod habet, ad conjugij usum, continentiæ amore, ut melius Deo serviatur, absolverit, ad præteritam servitutem deinde non potest reducere; uti etiam colligitur *ex c. penultimo hoc tit.* At verò quoad alia, cùm vir sit caput mulieris, ideò si uxor, etiam consentiente viro, voverit v. g. abstinentiam à carnibus, vel peregrinationem longam, eo postea prohibente, irritatur votum, ut uxor implere amplius non debeat, cùm maritus licentiam dando non abjecerit à se potestatem gubernationis suæ, ideóque prohibendi, quod antè concesserat, sicuti explicavi *cit. c. n. 14.*

7 Quæres, num tempus illud, quod Rex definierat, transactum tunc fuerit? Respondetur, fuisse elapsum; & tunc nulla est difficultas: nisi dicere malis, quòd Rex nullum certum tempus designârit, sed tantùm dixisse, contentum se esse, ut id fieret ad tempus, adeóque sibi integrum manere, cùm vellet, aut tempore oportuno licentiam revocare, uti *And.* hìc indicat; alioquin verè si maritus uxori voventi continentiam, per tempus certum v. g. quadragesimæ consentiat, animo renuntiandi juri suo, videtur licentia revocari non posse, quia idem jus est de parte quoad partem, quod est de toto quoad totum.

CAPITULUM XII.

Placet.

Paraphrasis.

Quærebatur, an mulier, qua maritum mortuum credens habitum Religionis assumpsit, eóque reverso de Monasterio educta est, post mortem viri compellenda sit redire ad Monasterium. Respondet Pontifex, votum fuisse obligatorium quoad debitum non petendum, non verò quoad vinculum Religionis; & idcirco consultum quidem esse, ut rediret ad Monasterium, non verò cogendam.

Summarium.

1. *Valida non est Professio conjugis ignorante facta.*
2. *Professio conjugis invalidè facta valet in vim voti simplicis quoad debitum non petendum.*

NOtandum primò. Si conjux absente & ignorante conjuge, professionem in Religione fecit, v. g. maritus, existimans uxorem suam mortuam esse, non est valida professio, absolutè loquendo; quare cognita nullitate, propriâ etiam auctoritate exire potest: consultius tamen ipsi est, ut remoto impedimento, videlicet post mortem uxoris, aut uxor, si vivente, & non consentiente marito professa fuit, sicuti in casu hujus c. factam professionem ratificet.

Notandum secundò. Si conjux professionem in Religione faciat, etsi ea non valeat

leat in præjudicium conjugis ignorantis, seu non consentientis, videtur tamen valere quoad præjudicium profitentis, seu quatenus erat in potestate ipsius, vovere continentiam quoad debitum non petendum, & non transeundum ad alias nuptias post mortem conjugis, ut dixi *in c. 3. hoc tit.*

CAPITULUM XIII.

Ad Apostolicam.

Paraphrasis.

Cùm vir & uxor per carnalem copulationem veluti una caro effecti sint, non potest unus eorum ad monasterium suscipi, nisi etiam alter continentiam voveat; imò verò Religionem ingredi debet, nisi eam ætatem habeat, ut sine periculo incontinentiæ (secundùm Episcopi judicium) permaneat. Ita etiam habetur *in c. 4. hoc tit.* Vide *Sanchez l. 9. de mat. d. 35. n. 25.*

CAPITULUM XIV.

Ex parte.

Paraphrasis.

Episcopus Lugdunensis proposuit Innoc. III. quòd mulier quædam coram duobus Abbatibus, solemni benedictione sub celebratione Missæ, uti fieri convenit, viduitatis velum assumpserit; postea nobilis vir comparuit, qui eam mulierem per nuntios sibi, verbis de præsente, interposita arrha se desponsâsse proposuit, mulier interrogata ab Episcopo, confessa est, se in eum consensisse; sed quia audierit, eum leprosum esse, ab ipso recessisse. Respondet Papa, etsi videri posset matrimonium, si inter legitimas personas, verbis de præsenti, contractum sit, ijs viventibus in nullo casu dissolvi posse, ita ut ad secundas nuptias alteri liceat transire, etiamsi unus conjugum fieret hæreticus, & fideli cohabitare nollet sine contumelia Creatoris, excepto, si ex divina revelatione, quæ omnem Legem superat, aliud cognoscatur, qua ratione de Sanctis quibusdam legitur, eos à conjugibus recessisse. Veruntamen cùm recedendum non sit ab antecessorum Pontificum vestigijs, qui consulti responderunt, si matrimonium contractum consummatum non sit, licere alteri conjugum, altero inconsulto, Religionem profiteri, ita, ut ille ex eo tempore liber possit ad aliud transire matrimonium; ideò hoc idem in casu isto servandum, non obstante, quòd falsa fuerit causa lepræ, ob quam mulier ad susceptionem veli inducta fuit, cùm sine tali causa, Religionis intuitu, profiteri potuisset. Porrò tametsi mulier illa per solennem veli susceptionem habitum Religionis induisse videatur, si tamen dicat, se castitatis duntaxat concepisse propositum, & ideò in domo privata manere velle, in hoc casu consummandum ei esse matrimonium, præterquam, si votum Religionis ingrediendæ edidisset, tunc enim compelli poterit, ut relicto sæculo Religionem ingrediatur.

Summarium.

Vtrùm per Lepram, Hæresin, vel Votum solvatur Matrimonium?

NOtandum primò. Matrimonium contrahi potest inter absentes per nuntium, seu procuratorem. *L. Mulierem 5. ff. de ritu nupt.*

Notandum secundò. Non est justa causa solvendi desponsationem verbis de præsenti factam, seu matrimonium ratum, si conjux postea intelligit, conjugem esse leprosum, docui *L. 5. t. 10. p. 2. c. 4. n. 2.* attamen sponsalia de futuro ob hanc causam solvi posse, dixi *eodem tractatu p. 1. c. 10.*

Notandum tertiò. Etsi alter conjugum in hæresin incidat, & sine contumelia Creatoris fideli cohabitare nolit, non tamen solvitur inter eos matrimonium quo-

ad vinculum, divortium tamen, quoad thorum, & cohabitationem instituì potest, ac debet. Ita habetur *in c. quanto 7. de divortijs* & dixi *eodem t. p. 2. c. 2. n. 5.* & tradit *Glossa hic v. ratum.*

Notandum quartò. Lex privatæ inspirationis præjudicat legi publicæ, uti etiam habetur *in c. 2. causâ 19. q. 2.* nam Spiritus Sanctus à certis regulis, seu legibus, etiam Divinæ dispositionis (circa ea, quæ juris naturalis, aut per se bona vel mala non sunt) non dependet, quò minùs ab ijs recedere possit; quare licèt matrimonium ex divina institutione individuam vitæ societatem postulet, tamen Spiritûs Sancti speciali vocatione fieri potest, ut aliquis uxorem etiam invitam relinquere debeat.

Notandum quintum. Si vir, vel mulier post matrimonium ratum nondum consummatum Religionis votum edat, ingrediendæ, aut profitendæ, illud observare debet, quia licitè potest, consequenter debet. Vide, quæ dicuntur *in c. commissum de spons.*

CAPITULUM XV.

Constitutus.

Paraphrasis.

Quidam acolythus puellam uxorem duxit, & matrimonium consumavit, postea verò exortâ discordiâ inter ipsum, & amicos uxoris, ea alteri viro adhæsit: at verò acolythus ille Ordinem Sacerdotij accepit, & monachus Cistercienſis factus est. Hoc intellecto mandat Innoc. Episcopo, ut mulier à dicto viro recedere, atque maritum priorem monachum effectum, suam professionem implere per censuram compellat.

NOtandum. Si uxor adulterium committat, maritus innocens sacrum Ordinem suscipere, & Religionem profiteri potest; non tamen solvitur matrimonium, si consummatum fuit, quoad vinculum, & ideò uxor alium virum ducere non potest. Ita *hic & in c. 4. de divortijs* & docui *eodem t. 10. p. 3. c. 7. n. 12.*

CAPITVLVM XVI.

Veniens.

Paraphrasis.

L. Maritus cùm dudum propositum concepisset Religionis, illud exequi volens, pluribus præsentibus Sacerdotibus inditit apud uxorem, ut assentiretur; insuper rogavit Sacerdotes, ne significarent uxori, si licentiam daret, quòd & ipsa postea monasterium ingredi deberet: denique dixit maritus, nisi licentiam impetraret ab ipsa, quòd eidem, & toti mundo inutilem se reddere vellet: tunc mulier precibus, & fletibus mariti, una astantium devicta, caput ejus manu in altari supposuit, atque ita ea præsente tonsus fuit, & monasterium ingressus: atque finito probationis anno professus, mulier autem in sæculo adulteria commisit. Super hoc casu consultus est Innoc. III. utrùm illi L. in monasterio permanere liceat. Respondet Papa, & mandat quibusdam delegatis, ut L. maritum in monasterio manere permittant, quia licèt ipse mulierem captiosè circumvenerit, ut assensum daret, quia tamen ipsa caput ejus altari supposuit, & postea in adulterium lapsa est, maritum revocare non potest, cùm intentio mulieris, atque petitio per fornicationis receptionem repelli possit, præsertim cùm ante fornicationem admissam maritum revocare intermiserit.

Summarium.

1. *Licentia uxoris v. g. dolo obtenta non sufficit ad validam mariti professionem.*
2. *Doctrina Innocentij de libello formando contra Religiosum, casu quo in foro externo actio contra eum instituenda est.*

No-

NOtandum primum. Licentia conjugis, dolo impetrata, non sufficit, ut alter conjunx Religionem validè profiteri possit. Ita docuit *Ioann. And. inc. ex parte n. 4. hoc tit.* & alij, quos sequitur *Sanchez l. 7. D. 73. n. 9. contra Gloss. hic v. captiosè.* Sumitur clarè ex hoc *cap.* quando dicitur, quòd mulier actionem habuerit ad revocandum maritum propter captionem, & dolum, sed exceptione repelli potuisse ob fornicationem ejus; si itaque fornicata non esset, maritum revocare potuisset, uti benè notat *hic Abbas n. 4.* imò sponte maritus egredi potuisset, eò quòd professio non valeret; sed neque convalesceret professio per conjugis in sæculo manentis adulterium, sicuti neque per mortem ejus convalesceit, nisi scientia mariti, & novus consensus, seu ratificatio professionis accedat, uti docui *in c. consului 10. hoc tit.* & contra quosdam docet *Sanchez citato l. 3. D. 35. n. 10.*

1 Annotanda hîc est doctrina Innocentij, tametsi in hoc casu, quo agitur de valore professionis, judicium institui, & libellus formari possit, contra professum, ut revocetur, si dicat v. g. uxor, se non consensisse, dolum, vim injustam, aut minas intercessisse, juxta *cap. penult. hoc tit.* atque in hoc casu professi confessio præjudicet ipsi confitenti; attamen non præjudicat monasterio, quò minùs defensiones & exceptiones opponere possit, ad retinendum professum, uti *Abbas* etiam hîc tradit *n. 6.* & sumitur ex *Glossa in causâ 14. q. 2. in principio*, atque ex regula recepta, quòd confessio non ostendat rem, quæ ex libera confitentis facultate non pendet, sive quatenus in alterius præjudicium tendit.

Hæc verò doctrina intelligi debet in isto, & similibus casibus; alioquin enim si Religiosus in causa civili, v. g. ex debito, ante ingressum Religionis contracto, conveniatur, libellus formari quidem potest in Religiosum, tanquam personam, quacum contractum est, omnis tamen defensio, & executio sententiæ potiùs pertinet ad monasterium, quippe ad quod jura omnia, & bona professi transierunt, quamvis monasterium in tali casu non teneatur ultra id, quàm ad ipsum pervenit. Nihilominus professus præsens esse debet, non ut suam causam agat, si civilis sit, sed ut ad interrogata respondeat, utpote quō meliùs novit; eadémque locum habent, si monachus post professionem ex consensu Abbatis contraxerit.

Quòd si criminaliter agatur propter delictum, ipsemet professus delinquens conveniendus est, atque jus & obligatio defensionis ad ipsum pertinet, sicuti & de servo dicitur *l. 3. cod. de nox. act.* At verò viceversa, si Religiosus vel servus injuriam passus sit, neque agere injuriarum actione potest, neque injuriam remittere, nisi & Prælatus & Syndicus absentes sint *L. sed si 17. §. ait prator. ff. de injurijs*, & tradit *Sanchez 6. Mor. c. 12. n. 5.* qui infert *n. 7.* si Monachus vestitu v. g. spoliatus sit, non posse eum agere, ut restituatur, sed actionem ad Superiorem spectare; is tamen jus istud agendi in judicio, aut se defendendi Religioso dare potest, imò etiam si licentiam non dederit, acta cum Religioso in judicio postea, si velit, rata habere potest.

CAPITULUM XVII.

Accedens.

Paraphrasis.

Rescribit Pontifex, appellatione remotâ compelli debere virum ad uxorem recipiendam, quam verberibus ac alijs gravaminibus compulerat ad dandam licentiam habitûs Monachalis assumendi.

Summarium.

Licentia ingrediendi Religionem, per vim injustam extorta, irrita est.

NOtandum. Si licentia Religionem profitendi à conjuge per vim injustam impetrata sit, pro nulla haberi debet, & ideò professio secuta irrita est. Ita hîc, &

in

in c. 2. junctâ Glossa. causâ 33. q. 5. & rectè egit conjux, quando in hoc casu è monasterio exiit, & habitum abjecit, uti notat *Abb. hic n. 2.* & pluribus refert, ac sequitur *Sanchez l. 7. de Mat. 34. n. 15.*

Nec obstabat Marito in casu hujus cap. quòd uxor diu tacuerit, & maritum non revocârit; nam in casu adeò præjudiciali, taciturnitas, & dissimulatio, præsertim quando vis & coactio antecessit, non habetur pro consensu aut licentiâ datâ.

CAPITULUM XVIII.

Significavit.

Paraphrasis.

Rescribit Pontifex, uxorem, quæ post licentiam ingrediendi Religionem marito datam votum continentiæ perpetuæ emisit, cogi non debere intrare Monasterium, si sit ætatis non suspectæ.

Summarium.

An cogi possit ingredi monasterium uxor, si post ingressum viri & votum continentiæ à se factum, non continenter vivat?

NOtandum unicum. Si uxor dans licentiam marito Religionem ingrediendi senex sit, ita, ut de incontinentia ejus non sit suspicio, non cogitur monasterium ingredi; satis est, si ipsa perpetuæ continentiæ votum coram Episcopo edat. Ita *hic & in cit. cap. ad Apostolicam 13. hoc tit.* Dubium est, si in *casu hujus cap.* mulier, quæ continentiam perpetuam coram Episcopo vovit, postea non vivat continenter, num ad monasterium compellenda sit, saltem, ut pœnitentiam agat? Affirmat *Abb. in cit. cap. ad Apost. in fine Ioan. hic, & alij*, quos refert, & sequitur *Sanchez. lib. 7. mat. d. 32.* Respondeo, & dico 1. Si mulier senex conscia juris sit, tunc dando licentiam, censetur se obligare ad Religionem ingrediendam, nisi in sæculo perpetuam continentiam servare velit; quare si incontinenter vivat, præsertim post monitionem, ad monasterium compelli potest. Ita Glos. *hic v. totalis ætatis*, & alij apud *Innoc. in fine argu. cap. qui uxorem 10. causa 33. q. 5.*

Dico secundò. Si mulier conscia juris non sit, neque de hoc certificetur, cum illa non potest ad Religionem ingredientem, quia ad Religionem nemo ordinariè compellitur, nisi expressè, aut tacitè promiserit, *argum. cap. integritas 13. causa 33. q.* 1. Quòd verò in monasterium inducenda sit ad agendam pœnitentiam, id colligitur quidem ex cap. sequente, sed hodie hæc in usu non est, cùm præsertim difficilem, & plerumque ipsi etiam monasterio onerosam executionē habeat; itaque generatim dicendum, quòd in tali casu ad Episcopi providentiam spectet, ut mulier in loco collocetur, ubi honestè, & continenter vivat.

CAPITULUM XIX.

Gaudemus.

Paraphrasis.

Mulieres, quæ relicto maritali thoro adulteræ factæ sunt, si earum mariti, postquam ab Episcopo moniti sunt, diligenter eas ad meliorem vitam convertere non cupiere propter Deum noluerint, inhonestis cum mulieribus Religiosis ad perpetuam agendam pœnitentiam, per Episcopum collocandæ sunt.

Summarium.

1. *Maritus an possit relinquere uxorem adulteram?*
2. *Quid, si eam reliquit, & recipere nolit?*

NOtandum primò. Maritus innocens ab uxore adultera, cognito adulterio, separare se potest, neque eam etiam emendatam recipere tenetur, quamvis laudabile opus charitatis sit, si post emendationem mo-

recipiat, quare ad hoc admonere debet Epiſcopus, ſed non compellere. De hac re egi *lib. 5. t. 10. p. 3. c. 7. n. 7.*

2 Notandum ſecundò. Si maritus innocens conjugem adulteram recipere nolit, uxor in monaſterium includenda eſt, ad agendam pœnitentiam. Ita etiam ſtatutum eſt civili jure *Authent. ſed hodie Cod. ad Legem Iuliam de adult.* ſed hodie fermè non obſervatur, uti dixi *in c. præcedente.*

CAPITULUM XX.

Dudum.

Paraphrasis.

Pontifex mulierem quandam, quæ cum licentia mariti Religionem profeſſa fuerat, ab impetitione ejusdem viri (qui in ſeculo manens caſtitatem & ipſe vovit) penitus abſolvit, quamvis diceret, ſe illius ætatis eſſe, ut ſine ſuſpicione incontinentiæ in ſeculo non poſſit vivere.

Summarium.

1. *Conjuges ex mutuo conſenſu continentiam vovere poſſunt.*
2. *Quis conjugibus converti volentibus poſſit præcipere votum continentiæ?*
3. *Quid agendum, ſi conjux repetat conjugem?*

1 NOtandum primò. Conjuges mutuo pacto continentiam vovere poſſunt, renunciantes omni juri conjugali, quod invicem habent, ita tamen, ut vinculum conjugij ſubſtantialiter conſiſtat, ſed ſeparatio tantùm fiat quoad thorum. De hoc dixi *in c. Chariſſ. 10. hoc tit.*

2 Notandum ſecundò. Sacerdos tanquam publicus Eccleſiæ miniſter præcipere poteſt conjugibus, converti volentibus, continentiæ votum; ſed videtur hoc propriè ſpectare ad Epiſcopum, ideóque ſacerdotem hîc præcepiſſe, tanquam Epiſcopi vices ſubeuntem, uti colligitur *ex cap. ſignificavit 18. hoc tit.* & notârunt *Hoſt. Abb. n. 10. Ioannes And. c. 2. de uſuris in 6.*

Notandum tertiò. Maritus, ſi recedentem à ſe uxorem reſtitui ſibi petat, tanquam ſpoliato, at verò uxor recedens opponat exceptionem renunciationis, & voti continentiæ, præſertim ſolennis, atque probationes in contrarium faciendas offerat, reſtitui non debet repetenti, ſed priùs cauſa examinari, & cognoſci; idque propter periculum prævaricationis voti; maximè, ſi conjux, aut quæ repetitur, Religionem ingreſſa ſit. Ita *hic Ioan. And. c. 2.* & conſtat ex dictis. 3

CAPITVLVM XXI.

Mulier.

Paraphrasis.

Maritus in infidelitatem ſeu hæreſin lapſus eſt, uxore perſiſtente in fide; ideò ea per judicium Eccleſiæ à viro ſeparata eſt; poſtea ipſe ad Fidem Catholicam revertitur, & uxorem poſtulat: hoc in caſu uxor, etiam nolente marito, Religionem ingredi poteſt.

Summarium.

Non datur obligatio reddendi debitum conjugi Hæreſis damnato.

NOtandum. Si conjux in hæreſin lapſus judicio Eccleſiæ damnatus eſt, abſolvitur conjux innocens à debiti conjugalis redditione. *argum. c. ult. de hæret. in 6.* & habetur *in c. ſi ille in 6. de divortijs*, ubi diſtinguitur, num ſententia, ſeu judicium Eccleſiæ latum ſit, nec ne: ſi latum, & ob id innocens, ſeu fidelis conjux ſe ſeparavit, non cogitur recipere reverſum, ac pœnitentem conjugem, cùm hæc ſit una ex pœnis inflicta ob hæreſin, ut alios ab obligatione, quam erga hominem habent, liberet *c. ult.* Si verò ſententia non ſit lata, reverſum ac pœnitentem recipere cogitur. Ita etiam intelligi poſſe videtur *Inn. hic & Abb. contra Gloſſ. V. judici Eccleſiæ*, & alij apud *Sanchez. l. 10 de matr. c. 15.* Vide, quæ dixi *lib. 5. tra. 10. p. 3. q. n. 10.* & dicentur *in cap. de illa.*

TITULUS XXXIII.

DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

Cùm in præcedente tit. actum sit de conversione conjugatorum ad Religionem, ex occasione subjicitur, de conversione infidelium conjugatorum ad Fidem.

CAPITVLVM I.

Laudabilem.

PARAPHRASIS.

De duobus interrogatus est Cælestinus III. Primò, Saraceni, cùm in captivitate essent, Christianarum quarundam maritos ex insidijs occiderunt; postea verò earundem mulierum operâ ad fidem Christi conversi sunt. Quæritur, an has mulieres uxores ducere possint, aut si duxerunt, matrimonium consistat. Respondet Papa, quòd mulieres, quæ mortem maritorum machinatæ sunt malitiosè, Saracenis occisoribus, etsi eos ad fidem converterint, nubere non possint, neque, si jam ipsis adhæserunt, tolerari debeant, cùm damnum tale tali lucro Ecclesia compensare non soleat. Alterum, quidam Saraceni Christianos occiderunt, & Christiani vicissim Saracenos, postea ad fidem conversi Saraceni, mulieres eorum, quos in bello occiderunt, sibi matrimonio copulârunt, & vicissim Christiani occisorum Saracenorum mulieres, postquam ad fidem conversæ sunt, acceperunt: eæ verò divortium, cognita morte priorum conjugum, constanter petierunt. Respondet Papa, cùm hæ mulieres virorum suorum mortem non procuraverint, matrimonium inter dictas personas licitè contrahi potuisse, & quæ ita contraxerunt, divortium petere non posse.

SUMMARIUM.

1. *Cujus maritum quis occidit, ejus uxorem ducere non potest, si & ipsa necem mariti cooperata sit.*
2. *Plura tamen requiruntur, ad impedimentum hoc criminis incurrendum.*

NOtandum. Si quispiam maritum occidat, uxorem ejus in matrimonium ducere non potest, si & ipsa ad mortem cooperata est, secùs si cooperata non est. *c. si quis 5. & sequente causâ 31. q. 1.* & docui *l. 5. t. 10. p. 4. c. 10. v. 1.* Ratio prioris partis est, quia Ecclesia ex *justa causâ* decernere potest impedimentum dirimens matrimonium.

Dices: hoc Ecclesiæ decretum, præsertim pœnale, seu in criminis pœnam editum, non potest afficere Saracenos, seu infideles. Respondetur cum *Henriq. l. 12. c. 14. n. 2. Sanchez l. 7. de matr. d. 78. n. 3.* hâc pœnâ, seu impedimento Canonico infidelem non affici, nisi indirectè, & per accidens, quia mulier fidelis, quæ in mortem mariti cooperata est occisori, contraxit impedimentum, quò minùs eum in matrimonium accipere possit, consequenter etiam infidelis, etsi ad fidem convertatur, impeditus est: quòd si ponamus uxorem, quæ occisori infidelis in morte mariti cooperata fuit, etiam infidelem fuisse, & postea ambos ad fidem conversi, nihil impedit, quò minùs in matrimonio copulentur, cùm neque ante baptismum impedimentum contraxerint, neque in baptismo contrahant, imò magis crimina, & annexæ pœnæ per Baptismum dimittantur, uti docui *l. 6. t. 1. p. 1. c. 6. n. 3.* Ita quæ

que benè notavit *hìc Barbosa n. 2.* necessarium enim est ad hoc impedimentum, ut uxor v. g. cooperata fuerit, seu activè concurrerit, videlicet consilio, mandato, aut facti executione ad necem mariti, unà cum viro; & quidem ex intentione id egerint, ut post mortem illius inter se contrahere possint secundùm doctrinam *Sanchez cit. d. 38. n. 13. argum. cit. c. si quis, & c. sequentis*, cùm enim id frequenter accidere possit, ut duo, mutuo amore illecti, conspiratent in mortem conjugis, ut inter se contrahere possent, ideò meritò ad hanc occasionem retundendam, impedimentum matrimonium dirimens introductum est. Quare nihil interest, sive uxor aliqua cum viro conspirârit in mortem mariti sui, sive maritus cum muliere aliqua conspirârit in mortem uxoris suæ, dummodo occisio secuta sit, prout ex *cit. c. & alijs juribus* clarè colligitur. De eo dubitatur, num ad incurrendum hoc impedimentum sufficiat, si uxor necem mariti, à viro aliquo, intentione matrimonij cum ipsa contrahendi patratam, postea resciens, ratam habeat. Regat *cum Gloss. fin. hic Ioan. And. n. 7. & Abbas n. 10.* rationem bene dat *Gloss.* quia edictum hoc statuens impedimentum, prohibitorium est, ideò non extendendum ultra casum expressum; quare etsi satis constet *ex c. si quæ mulier 6. c 31. q. 1.* consulentem, & mandantem homicidium fieri, inter insidiantes, & machinantes enumerari, & ideò hoc pœnali edicto comprehendi, nullibi tamen est expressum de ratum habente. Cùm igitur hæc juris æquiparatio (ut ratum habens mandanti æquiparetur *Reg. 10. in 6.*) fictio quædam sit, non debet in hoc casu introduci, quandoquidem reipsa, & verè non est mandatum, aut ullus influxus in necem. Quare tametsi generalis regula sit, quòd ratihabitio subsequens mandato æquiparetur *cit. Reg. 10.* & quidem etiam in pœnis, uti constat *ex c. cum quis 23. de sentent. excommunicationis in 6.* ubi decernitur, eum, qui Clerici occisionem suo nomine factam (id enim necessarium est, ut ratihabitio mandatum censeatur) postea ratum habet, excommunicationem contrahere, & ita docent *Bart. & alij in l. 1. §. sed etsi. ff. de vi*, attamen excipiendum est à regula, nisi lex pœnam, seu impedimentum ac inhabilitatem aliquam ex speciali consideratione decreverit, quòd aliquis ad delictum activè concurrerit, tunc ratum habens, quod factum est, non potest æquiparari mandanti, cùm verè non concurrerit, sive moraliter, sive physicè, cùm ad præteritum non sit potentia; quâ ipsâ ratione ratam habens occisionem Clerici, nec irregularitatem, nec damni resarciendi obligationem contrahit, eò quòd etiam hæ obligationes requirant influxum causalem, qui in ratihabente non est, cùm nullus possit esse causalis influxus, in opus penitus transactum, uti dixi.

CAPITVLVM II.

Ex litteris.

Paraphrasis.

Judæus ad fidem Christi conversus uxore in Judaismo persistente petijt à judice, ut filius quadriennis sibi relinqueretur, ad fidem Catholicam etiam perducendus; sed mater se opposuit, quòd puer infans esset, ideóque potiùs materno, quàm paterno solatio indigens, sibique ante partum onerosus, in partu, & post partum laboriosus fuerit; quocirca etiam matrimonium non à patre, sed à matre nomen acceperit; atque ideò puerum convenientius apud ipsam mansuram. In hac controversia respondet Gregorius IX. cùm filius non in matris, sed patris, cujus & familiam sequitur, potestate consistat, atque in tali ætate filius non debeat permanere apud eas personas, de quibus suspicio esse possit, quòd saluti, aut vitæ ejus insidientur; insuper post triennium ætatis apud patrem, si suspectus non sit, ali debeat, & educari; ob

has causas, maximè autem in favorem Fidei Christianæ, patri puerum assignandum esse.

SUMMARIUM.

1. *A matre matrimonium accepit nomen.*
2. *Filius legitimus in Patris potestate, & cura est.*
3. *Facto divortio cuinam liberi adjudicandi?*

1 NOtandum primò. Matrimonium à matre nomen accepit, quia in prolis generatione, qui est finis matrimonij, mater magis, quàm pater laborat, & affligitur. Ita *Sanchez de mat. in proamio n. 4.* At verò patrimonium à patre dicitur, quia ad patrem potiùs, quàm ad matrem pertinet, necessaria providere.

2 Notandum secundò. Filius in patris potestate & cura est, *Institutis de pat. potest. §. ult.* non in potestate matris. *l. mulierem 5. cod. de adopt.* & dixi *l. 3. t. 4. c. 8. n. 1.* Quare & nomen & familiam patris, non matris filij sequuntur, *inst. de legit. agnat. tutel. §. autem in fine.* Excipe, quòd pater filium illegitimè natum etiam naturalem in potestate non habet *inst. de nupt. §. ult.* nam sicuti dicitur *eodem tit. in principio*, in potestate nostra sunt liberi, quos ex justis nuptijs procreavimus; si tamen principi curiæ traditus sit filius, vel per subsequens matrimonium legitimatus, in patris potestatem redigitur *ett. §. ultimo.*

Notandum tertiò. Facto divortio inter conjuges pater saltem post triennij ætatem, cùm à matris uberibus, & lactatione penè abstractus est, jus habet in filium, ut penes ipsum, & sub cura ejus permaneat, uti fit dicitur, & docuit *Sylv. v. filius q. 11. Sanchez 10. de mat. disp. 20. n. 1.* Limitari omen debet, quòd præcipuè spectandum sit commodum filij, seu apud quem parentem tutiùs, & sine periculo manturus sit, ideoque tradi debet fideli, & non infideli, aut hîc, & tradit *Sylv. & Sanchez*; locupleti, sive qui alere possit, non inopi, ideoque judicis arbitrio opus est. *l. unica cod. divort. fin.* Denique attendendum, uter causam divortio dederit, prout dixi *l. 5. t. 10. p. 1. n. 19.*

Coroll. Plures causæ fuerunt, ob quas mulier à petitione pueri repulsa fuerat; ea tamen præcipua, quia ob fidei favorem, atque perversionis periculum, puerulus ipsi relinqui non debeat, & si ponamus intra infantiam, seu cunas adhuc eum fuisse; summa enim est ratio, quæ pro Religione facit. L. *Sunt personæ 43. ff. de Religiosis &c.*

* * *

TITU-

TITULUS XXXIV.

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

QUandoquidem antea de Regularibus, & solenni eorum professionis voto dictum fuit, ideò nunc agitur de Voto generatim.

CAPITULUM I.

De Peregrinationis.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Alex. III. num vota peregrinationis, occurrente necessitate, eleemosynis redimi, vel in aliud opus bonum commutari possit. Respondetur, id pertinere ad judicium Superioris, sive Prælati, qui consideratâ personæ voventis qualitate, & causâ commutandi, cognoscat videlicet, num ob infirmitatem, vel copiam divitiarum, aliámve causam melior sit futura, Deóque gratior peregrinatio, an commutatio, & ita commutet aut dispenset, vel non dispenset.

SUMMARIUM.

Ad Superiores Ecclesiasticos spectat de jure communi, & ordinario, causâ cognitâ in votis dispensare.

NOtandum. Ad Superiorem Ecclesiasticum, videlicet Episcopum, aliúmque prælatum, simili erga suos potestate præditum, pertinere causâ cognitâ dispensare in votis, aut ea commutare. Hanc rem plenè tradidi *l. 4. t. 4. c. 8.* ubi etiam dixi *n. 19.* si opus, in quod commutatio voti facienda videtur, evidenter melius, Deóque acceptius sit, etiam proprio voventis arbitrio posse commutari, quia promissum non infringit, qui in melius commutat *c. 3. de jurejurando*; sin autem opus melius non sit, in quod commutatio fieri petitur, vel non sit evidenter melius, tunc opus est authoritate Superioris, uti docet *Sanchez l. 1. moral. c. 4. c. 49. n. 7.*

Adde, quòd præter Prælatos, seu ordinarios, potestas commutandi in votis competere quoque possit per viam delegationis, seu privilegij, v. g. Religiosis Ordinum, prout dixi *in cit. c. 8. n. 20. & 24.* item quòd in ejusmodi commissione, seu privilegio, quantumvis generaliter dato, non comprehendantur quinq; vota, quæ speciali ratione Papæ reservata sunt, dixi *n. 7. §. porrò 5.*

CAPITULUM II.

Venientis.

PARAPHRASIS.

Quidam R. nomine proposuit Alex. III. quòd ipse olim in ætate puerili disposuerit, imò (ut ex subsequentibus colligitur) voverit Jerosolymam proficisci, & ideò alicui, qui sepulchrum Domini visitare constituerat, fidem dedit, & vicissim ab eo recepit, quòd in via fideles invicem socij, & comites existere vellent. Pontifex considerans, quòd in ætate tenera, facilitate potiùs, quàm ex discretionis arbitrio promiserit, à voto eum absolvit, injungens, ut votum eleemosynis redimat, & juxta consilium Papæ toto vitæ tempore uni pauperum semper, dummodo facultates ejus sufficiant, debeat providere.

SUMMARIUM.

Si puer impubes voveat aliquid, validè vovet, modò usum rationis habeat, & mortaliter peccare possit.

NOtandum. Votum emissum à puero, seu impubere validum est, & obligationem parit, si rationis usum habeat, ita ut peccatum mortale admittere possit, juxta regulam Glossæ *in c. mulier 14. c. 32. q. 2.* qui potest se obligare diabolo, potest etiam se obligare Deo, & docui *l. 4. t. 4. c. 1. n. 2. in fine.* Facilè tamen per dispensationem relaxari potest: imò hæc sola causa, quòd ab impubere editum sit votum, sufficiens esse videtur ad dispensationem *argum. hujus cap.* & notavit *Abbas n. 2. Sanchez l. 8. de mat. D. 20. n 13.* ubi notat, quòd Papa potuisset per dispensationem penitùs, & absolutè relaxare hoc votum, cùm etiam per irritationem, à parente, vel tutore tolli possit, prout docui *in cit. t. 4. c. 7. n. 10.* tamen commutationem admiscuit, quia id conforme est Ecclesiæ consuetudini, & consultius voventi, uti colligitur ex verbis: juxta consilium nostrum.

Quærunt. Cùm puer fidem alteri dederit, ideóque jus illi acquisitum sit, quomodo Papa absolvere potuerit puerum in præjudicium socij. Varia respondet *Innoc. And. & Abbas hic* Dico cum *And. n. 4.* non fuisse hoc præjudicium pecuniâ æstimabile, sed cujusdam Societatis commodum, quod per se cessat, sublatâ obligatione voti; sicuti, si aliquis ex mutua conventione cum socio votum edat de ingrediendâ Religione, & postea pœnitens impetret à Pontifice dispensationem à voto, non erit injurius erga socium, cùm ipse illum non impediat, quò minùs ingrediatur Religionem, aut peregrinationem instituat, etiam sine socio illo. Deinde in nostro casu non est difficultas, quia, ut ex integra lectione apparet, socius contentus fuit, ut, qui in puerili ætate voverat, absolveretur, cùm rem istam Pontificis judicio commiserit, & ideò si quod jus acquisitum fuisset, sponte ei renuntiâsset.

CAPITVLVM III.

Litteratura.

PARAPHRASIS.

Magister A. cùm in periculo esset constitutus, hæc verba protulit: *nondùm ingrediar*, proponens in animo, quòd Religionem intrare vellet; sed quia potea opere non implevit, conscientiâ angi cœpit, & Alex. III. consuluit; is respondet, si ampliùs in voto non est processum, quid transgressor censeri non possit, finem impleat, quod dixit.

SUMMARIUM.

Simplex Propositum an sit votum?

NOtandum. Simplex propositum, quantumvis firmum de bono opere faciendo, in honorem Dei non est votum; nam votum esse definitur, promissio de operemeliore Deo deliberatè facta, uti docui *l. 4. t. 4. c. 9.* at verò promissio deliberata in hoc distinguitur à simplici voluntatis proposito, quòd illa in se continet voluntatem alterius se obligandi, ideóque requirit alterius acceptationem; at verò simplex propositum non continet voluntatem se obligandi, sicuti explicavi *l. 3. t. 4. c. 2.* & ita docet S. Thomas *2. 2. q. 28. a. 1.* & benè hîc declarat *Abb. n. 2.* & sumitur *ex l. 2. ff. de pollicit.* Num autem dubitans, votúmne Deo ediderit, an tantùm propositum conceperit, pro obligato se habere debeat, docui *l. c. t. 4. §. n. 31.*

CAPITULUM IV.

Scripturæ.

PARAPHRASIS.

Quæsitum est ex Alexand. III. utrùm ij, qui votum ediderunt, sepulchrum Domi-

ni

ni, aut alia Sanctorum limina visitandi, ad Religiosi habitûs assumptionem professionémque, nondum persoluto voto, suscipi possent: affirmat Papa, eò quòd voti emissi transgressor censeri non debet, qui temporale Deo promissum, obsequium, in perpetuam Religionis observantiam commutat.

SUMMARIUM.

Votum Deo factum, qualecunque illud sit, per professionem Religiosam tollitur, commutatione in melius factâ.

NOtandum. Omne votum Deo editum, per professionem in Religione, commutatione quadam in melius, ideóque gratius obsequium, penitus tollitur, idque ipso jure tum Ecclesiastico, tum naturali divino, prout declarat *Sanchez l. 5. mor. c. 5. n. 48. & S. Thomas 2. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1. Paludanus in 4. dist. 38. q. 4. ad 2,* & indicatur *in hoc c.* quòd omnia particularia obsequia Deo promissa, ac debita meliore & eminente quadam ratione contineantur in perpetuâ, ac totali, sive secundùm omnes facultates hominis, Deo promisso obsequio per professionem in Religione; sicuti, si aliquis variis debitis alteri adstrictus, omnia bona sua habita, séque ipsum penitus traderet in servum, is plenissimè satisfaceret, & priore debita ipso facto, & jure ipso extingueret, sicuti explicavi *l. 4. t. 5. c. 10. n. 3.*

CAPITULUM V.

Non est.

PARAPHRASIS.

Voti sui transgressor non est, qui illud Sedis Apostolicæ authoritate distulit adimplere; quare cum perturbato Regno Hungariæ, Rex non modicum detrimentum passurus esset, si Strigoniensis Archiepiscopus, cujus ille consilio, & auxilio indiget, Votum suum Jerosolymam proficiscendi adimpleret, ideò Innoc. III mandat Archiepiscopo, ut non priùs iter illud instituat, quàm regnum pacatum sit, vel ab ipso Pontifice proficiscendi mandatum acceperit.

SUMMARIUM.

1. *Votum, sine temporis definitione factum impleri debet, cùm commodè potest, ita, ut si justa causa sit differendæ executionis, non sit prævaricatio executionis dilatio.*
2. *Ecclesiastici an possint esse Ministri Principum secularium.*

NOtandum primum. Votum absolutè, & sine temporis definitione editum impleri debet, cùm primùm, consideratis omnibus, commodè impleri potest. Sumitur ex *c. 23. Deuter v. 21.* cùm Votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere &c. *Eccles. c. 5. v. 3.* si quid vovisti, ne moreris reddere; & colligitur *ex hoc c.* Quando verò dilatio Voti à transgressione excusetur, Superioris authoritas requiritur, & quasi quædam dispensatio, uti hîc *Abb.* notavit *n. 2. & 3.* Ratio est, quòd hæc sit natura cujusque promissionis, & virtualis intentio promittentis, si nulla determinatio facta est, ut executio, sive solutio fiat, cùm primùm judicio prudentis commodè fieri potest. *argum. L. eum qui 41. §. quoties ff. de verb. oblig. Inst. eodem tit. §. omnis stipulatio,* ubi Glossa *v. confestim,* & docent DD. *in L. si. domus 21. §. in pecunia* ubi *Glossa v. modicum ff de legatis 1.* 1

Scire tamen debemus, Deum non esse rigidum promissorum exactorem, ideóque sufficientem causam fore differendi Votum, ut postea cõmodiùs, quietiùs ac majore cum devotione impleas, uti docet *Sylv. v. votum 2. q. 3. quod super 5. hoc tit. Sanchez c. 4. de Voto c. 14. n. 4.* & sumitur *ex cap. Quod super 8. h. t.* Secùs tamẽ est, si nulla differendi justa causa sit. si tamẽ maneat exequendi certa voluntas, non debet censeri peccatum grave, cùm non sit prævaricatio voti secundùm substantiam, sed tantùm secundùm temporis qualitatem, ut docet idem *Sanchez n. 16. & 21.*

Excipe primò. Nisi Votum, cujus exequendi opportunitas erat, versetur circa obsequi-

sequium successivum, v.g. inserviendi Xenodochio, ingrediendi Religionem &c. tantundem enim obsequij, & cultûs Deo promissi subtrahitur, quantum temporis negligentiâ labitur, ut notârunt *Suarez t. 3. in 3. p. q. 71. disp. 31. l. 2 Sanchez n. 22.* Excipe secundò. Nisi vovens prævideat secuturum impedimentum perpetuum Voti exequendi, ut tradit *Sylv. l. c. Sanchez n. 17.* Quæres, cùm in casu hujus *cap* adfuerit legitima causa Voti differendi, cur opus fuerit Pontificis authoritate, & dispensatione? Respondetur, vel quia Archiepiscopus dubitabat, utrùm legitima adesset causa; in dubio autem ad Superiorem recurrendum *argum. c. sequentis, ubi Glossa* notat *v. noluisti.* Vel quia Pontifex ad consulendum tranquillitati conscientiæ, authoritatem suam interposuit; præsertim, cùm accidere potuerit, ut postea non esset exequendi Voti occasio.

Notandum secundò. Episcopi, Prælati, & aliæ Ecclesiasticæ Personæ possunt esse Regum, Principum &c. Cancellarij, Consiliarij, & Judices, ut reip. seu bono publ. patriæ consultum sit, cùm per id etiam in Ecclesiam utilitas promanet. Ita *Sanchez ex hoc c. & not. Abbas n. 4. & ex c. 4. de rapt.* & docui *l. 1. t. 1. p. 5. c. 8. n. 5.*

CAPITULUM VI.

Licet.

Paraphrasis.

Pro intellectu hujus c. adverte primò. Cùm filius Regis Hungariæ Andreas secundò genitus Votum paternum, de subsidio terræ sanctæ per manum militarem afferendo, exequi debuerit, causam non esse, quia hæreditatem paternam accepit; nam Votum illud, saltem quatenus personale fuit, non potuit transire ad personam filij, aut hæredis, juxta ea, quæ docui *in cit. t. 4.* neque fuisset ulla ratio, cur secundò genitus potiùs, quàm alij filij onus hoc sustineret: sed causa obligationis clarè in textu exprimitur, quia pater moriturus secundò genito hanc obligationem imposuit, ejúsque fidei commisit, qui etiam non tantùm acceptavit, sed etiam Voto se ipsemet obligavit, mox signo Crucis sibi assumpto. Solebant enim ij, qui Votum peregrinationis ad terram sanctam conceperant, mox Crucem in pectore (sicuti jam crucigeri solent) gestare in signum editi Voti, uti videre est apud *Sanchez l. 13. c. 48. §. 4.* & docui eodem *t. 4. c. 4. n. 14.* ea propter patri ex fide data, & jurata patri, partum Voto Deo edito filius obligatus fuit. Valde etiam credibile est, Regem ante mortem præparâsse exercitum, & sumptus necessarios ad expeditionem, easque copias filio tradidisse, quibus tamen ipse dolosè contra fratrem primò genitum, Hungariæ Regem, usus, eadem eidem intulit, & ita pluribus modis deliquit, & paternæ maledictioni se subjecit. Adverte secundò. Justas fuisse causas, cur Innoc. III. judicis officio assumpto, sub excommunicatione, & alijs pœnis, præceperit executionem Voti. Prima est, quia ad Ecclesiasticam jurisdictionem pertinet, compellere ad executionem Voti, aut juramenti editi ad piam causam juxta *c. quod super 7. de fide instrum. in fine c. 8. de censibus*: item executores compellere ad ea, quæ ipsi à defuncto jussi sunt, præstare, præsertim ad pias causas, ad Episcopum spectat *c. si hæred. 6. e. tit. de testamentis.* Altera erat, quia, si inter Reges, ac Principes Christianos, ortæ contentiones oriantur, maximè si pacis fœdera, & juramenta, cum Christianæ Reipublicæ perniciè, violari dicantur, cognoscere, & prohibere, ad Romanum Pontificem spectat *c. novit 13. de judicijs.*

Summarium.

1. *Hæredis fideicommissa, & acceptata, executioni mandari debent ab hærede.*

a. Non a

2. *Bona Coronæ, sive Regni, Votis realibus onerari, & abstrahi non possunt.*
3. *Successio in Regno non defertur semper jure hæreditario, sed jure genituræ, sive jure sanguinis.*
4. *Et hinc filius primogeniti in successione Regni præferri debet patruis, postea genitis.*

1 NOtandum primum. Si hæres, quæ fidei suæ commissa sunt, seu jussa defuncti ab ipso hærede acceptata, exequi intermittat, omni commodo, quod à defuncto consequi posset, privandus est, *authent. hoc amplius cod. de fidei commiss.* ubi tamen excipitur debitum naturale, seu legitima portio. Quæ res ut plenè intelligatur, adverte, quòd Reges, & Principes duplicia bona habent: aliqua sunt Coronæ Regni, aut Provinciæ, quæ ut alijs liberalibus donationibus, sic etiam votis realibus gravari, & abstrahi non possunt; alia verò sunt bona patrimonialia, aut propria Regis, vel Principis, de quibus arbitratu suo disponere potest, etiam Vota realia edendo & hæredem suum per fideicommissum gravando. Verumtamen hæc ipsa Vota & fideicommissa fieri aliter non possunt, nisi, ut portio legitima filijs salva sit, prout bene docuit *Sanchez 6. de mat. disp. 36. n. 6. Mol. tr. 2. disp. 626. n. 9.* ratio dari debet, quia Vota realia inter gratuitas donationes numerari debent,, quibus legitima filiorũ portio iminui nõ potest, prout docui *l 3. t. 4. c. 12. n. 18.* & videri potest *Mol. tra. 2. disp. 283.* Itaque hîc suppoendum est, Ducem Andream præter legitimam bonorum patrimonialium portionem, talia bona, & commoda ex paternæ hæreditatis successione accepisse, quibus ipso jure, tanquam ingenuus privandus fuisset, si patris fideicommissum exsecutus non esset, sicuti benè exponit *Mol. cit. n. 9.*

2 Notandum secundò. Successio in Regno non defertur jure hæreditario, sed jure genituræ, sive sanguinis; sensus est, quòd Regnum non proveniat alicui tantùm tanquam hæredi, à persona defuncti, cui in Regno succeditur, sed potiùs jure genituræ, secundùm primam institutionem Regni, quæ ita facta est, ut ad primogenitum, eóque, & ejus descendentibus deficientibus, ad secundogenitum, ejúsque descendentes perveniat: quare fieri potest, ut qui immediato possessori Regni defuncto succedit, hæres ipsius non sit, aut hæreditatem repudiet, & ideò in Regno, aut Provincia succedat jure propinquitatis, seu genituræ, juxta pacta, institutionémve primitus factam, uti dixi, & explicat *Mol. D. 26. Baldus in lege, cùm in antiq. de v. 11. jure deliberandi.* Quod ipsum contingit in feudis, quæ sunt ex pacto, & providentia, sicuti explicavi *l. 3. t. 4. c. 24. &c.* Item in fideicommissis, & majoritatibus, prout declarat *Mol. tra. 2. D. 6. 17.* Idque sumitur *ex hoc cap.* quando dicitur, Andream jure genituræ, quod ipsi in Regno Hungariæ (si primogenitus sine prole masculà moriatur) competit, privandum fore, si Voti executionem intermiserit: hoc autem jus non potuit esse hæreditatis, vel enim esset hæreditatis devolutæ, & hoc non, cùm Regnum Hungariæ ad primogenitum pertinuerit; vel hæreditatis, seu Regni per hæreditatem devolvendi, si primogenitus sine liberis moriatur, & hoc jus non potuisset Pontifex æstimare, & asserere, vivente fratre, cùm viventis non sit hæreditas, ideóque eo jure, 3 vivo adhuc fratre, privari non potuisset.

Notandum tertiò. Filius primogeniti, seu nepos Regis in successione Regni præferri debet patruis suis, sive secundò, & postea genitis ex Rege. Ita sumitur ex *hoc c. & c. 2. de supplenda negligentia prælat. in 6.* & tradit hîc *Abb. n. 8. Baldus & Molin. cit. locis.* Idque verum est, tametsi filius primogenitus, patre vivente mortuus sit: attamen non propriè locutus est *Bald. l. c.* quòd in hoc casu primogenitus per mortem suam transmittat jus suum ad nepotem, cùm propriè & per se loquendo nepos iste jus suum non habeat ab avo Rege, sed à primo Regni instituto re consecutus sit, in ipsa nativitate, ut jure propinquitatis in Regno succedat, si pater suus mortuus sit, uti bene

Molin. notavit *n.* 15. hæc enim omnia proveniunt ex conditionibus & pactis primæ institutionis, quæ quidem ordinariè ita fieri solent, sed possunt etiam aliter fieri. Leges itaque fundamentales, tanquam formæ institutionis cujuslibet Regni attendi debent.

CAPITULUM VII.

Magnæ.

Paraphrasis.

Cùm Trecensis Episcopus Votum peregrinationis Jerosolymitanæ emisisset, ut in bonum suæ Ecclesiæ posset convenire Comitem Campaniæ, in Oriente tunc constitutum, ac interim Comes mortuus esset, dubitavit, an Voto adhuc teneretur: respondit Pontifex, cùm cessante causâ faciliùs cessare possit & effectus, idcircò se illi Votum commutare.

Summarium.

1. *Dispensare non potest prælatus in Votis fidelium suo arbitratu.*
2. *Quod agitur à Prælatis, facilè trahitur in exemplum.*
3. *Episcopus ratione residentiæ, ad quam obligatur, non potest longam peregrinationem vovere.*
4. *Si necessaria, & utilis videatur Voti dispensatio, non debet illa intermitti ob aliorum scandalum.*
5. *Votum mixtum, quomodo commutandum?*
6. *Cessante causa, extrinseca Voti, & impulsiva tantùm, non ideo cessat Votum.*

1 TExtus hujus Capituli clarus & elegans est. Notandum primò Prælatus Ecclesiasticus, & Papa non potest suo arbitratu Vota fidelium commutare, aut in ijs dispensare: imò non tantùm illicitam, sed etiam irritam esse dispensationem in Votis, si absque justa causa fiat, ex communi docui *lib. 4. t. 4. c. 8. n. 4.* Quare Pontifex hic ait, quòd in hoc commutationis, aut dispensationis negotio, considerandum sit, quid liceat secundùm æquitatem, quid decens secundùm honestatem, quid expediat secundùm utilitatem; vult dicere, id eligendum ac præferendum esse, quòd omnibus spectatis æquius & honestius, & utilius (tum publicâ, tum privatâ voventis maximè spirituali utilitate spectata) Prælato videbitur, quia Prælatus hîc non remittit jus proprium, aut à se conditam legem, sed jus Deo appositum, & ideò agere debet prout vicarius, aut dispensator fidelis, cui potestas à Deo concessa est, non ad destructionem, sed ædificationem, uti explicavi *cit. n. 4.*

Notandum secundum. Quod agitur à Prælatis, facilè trahitur in exemplum, juxta illud *Levitic. 4. v. 3.* si Sacerdos peccaverit, delinquere faciens populum &c. *Ecclesiast. c. 10. n. 2.* qualis Rector ejus civitatis, tales & inhabitantes in ea; Rex insipiens perdet populum suum &c. Hinc est quòd alios nihil magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dicârunt.

Notandum tertium. Episcopus ratione residentiæ, ad quam obligatur, non potest longam peregrinationem vovere, nisi cum relatione ad licentiam, ad quam proinde petendam vi Voti sui obligatus est, sicut in simili dixi eodem *t. 4. c. 7.* Colligitur ex hoc *c.* & docet *hic Abbas n. 10. Suarez. de Voto c. 4. n. 4.* Idémque secundùm propositionem etiam de alijs Clericis habentibus beneficium, residentiam postulans, intelligi debet, valida esse scilicet eorum Vota de peregrinatione, longiorem absentiam requirente, sed tacitam inesse conditionem, Superior rogatus licentiam dederit. Adde si Episcopus voverit, quòd interdum etiam Capituli sit requirendi licentia, si ejus sæpe interfit, vel in ipsius detrimentum absentia contra statuta Ecclesiæ cessura sit, quod etiam locum habet, si aliquis Capitularis peregrinationem voverit.

Notandum quartum. Si necessarium aut utile videatur, ut Voti dispensatio, aut commutatio fiat, non ideò, quia aliqua scan-

scandalum accipiens, quasi Votum temerè violetur, commutatio, aut dispensatio intermitti debet, dummodo causa dispensandi, aut commutandi explicetur, tunc enim scandalum ex malitia proficiscitur, & pharisaicum dicitur, quod curari non debet, juxta illud *Mat. 15. v. 12. scis, quia Pharisæi hoc verbo audito, scandalizati sunt.* Respondet Christus *v. 14. sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*, de hoc dixi *l. 2. t. 3. c. ult. n. 8.*

4 Notandum quintum. Votum mixtum ex personali, & reali (cujusmodi est peregrinationis, quæ tum laborem, tum molestiam corporis, atque devotionem, tum sumptus, & eleemosynam in se continet) convenienter commutatur in alia pietatis opera, partim personalia, videlicet orationem, jejunia, sacram confessionem, & communionem; partim realia, videlicet eleemosynas, largitiones ad Ecclesias &c. in id enim consentaneum est commutari, ut fiat in aliquid simile aut æquivalens, quatenus moraliter fieri potest, prout plenè explicavi *cit. t. 4. c. 8 n. 25.*

5 Notandum sextum. Cessante causâ Voti extrinseca, & impulsiva tantùm, licèt ea præcipuè impulerit, ita ut absque ea aliquis non voviſſet, non ideò cessat Votum, quando ejus propriè finalis causa, quæ est cultus Dei, sive divini honoris augmentum consistit, quamvis interdum ob id faciliùs dispensari possit. Ita sumitur *ex hoc c.* quando Trecensis Episcopus Jerosolymitanam peregrinationem vovit, eâ excitus ratione potissimùm, ut Comitem Campaniæ invisere, & auxilium Ecclesiæ ab ipso rogare posset; postea eo mortuo Votum non censebatur extinctum, sed ob hanc causæ impulsivæ cessationem præcipuè Pontifex motus est ad commutandum. Explicavi hanc rem *cit. 4. n. 2.*

CAPITULUM VIII.

Quod super.

Paraphrasis.

Consultus Pontifex de ijs, qui signo Crucis in subsidium Terræ sanctæ assumpto Votum suum ob justum impedimentum implere non possunt, respondit 1. Quòd debiles & pauperes illic magis obsint, quàm prosint. 2. Quòd illis, quorum impedimentum non est perpetuum, dilatio sit concedenda; redemptio verò injungenda ijs, qui perpetuò sunt impediti. 3. Quòd circa illos, qui Votum pro defensione Terræ sanctæ fecerunt, magis attendi debet succursus Terræ sanctæ; circa illos verò, quibus peregrinatio illa pro pœnitentia injungitur, potiùs labor itineris. Unde si is, qui vovit, inutilis est ad pugnandum, quamvis sit habilis ad eundum, melius est, ut Votum redimat. 4. De mulieribus statuit, ut quæ remanere nolunt, sequantur viros; cæteræ Votum redimant, nisi sint divites, quæ suis expensis secum possint ducere bellatores.

Summarium.

1. *Temporalis dilatio Voti ob difficultatem executionis permittitur; perpetua verò, commutationem, aut dispensationem admittit, si non omninò liberet.*
2. *Uxor, maritum peregrinantem si sequi velit, recusari non potest, modò sumptus suppetant pro utroque, & diuturna sit futura absentia.*
3. *Facilius dispensatur cum mulieribus longam peregrinationem voventibus.*

1 NOtandum primum. Si difficultas occurrat Voti exequendi, eáque temporalis sit dilatio, permittitur *c. non est 5. hoc tit.* sin autem perpetua sit, redemptio, seu com-

commutatio aut dispensatio facienda est: itaque impedimentum in hoc c. non debet intelligi impossibilitas, quia hæc si perpetua sit, omninò liberat à Voto, sicut à qualibet promissione, cùm ad impossibile nemo obligari possit, uti ex communi docui t. 4. c. 2. n. 1. quamvis aliter docuerit *Navarrus in man. c. 12. 55.* specialiter in casu Voti Hierosolymitani decretum fuisse, ut superveniente quocunque impedimento proficiscendi realibus subsidijs subvenire necesse sit: id tamen peculiariter decretum fuisse videtur, ut si Votum istud mixtum peregrinationis Jerosolymitanæ ob aliquam justam causam commutandum esse videatur, tunc non aliter, quàm subministratis sumptibus, sive realibus subsidijs, redimi debeat, ut ex hoc & sequente c. apparet, & hoc propter necessitatem, terram sanctam defendendi, contra fidei hostes. Id quoque in tali Voto mixto attendi debet, num id, quod est reale, promissum fuerit cum dependentia ab opere personali, non secundùm se, & intentione principali: v. g. vir nobilis Votum ediderat contra fidei hostes se profecturum, tribus militibus comitatus, considerari debet, an promiserit tres milites principali intentione propter suum comitatum, adeóque cum dependentia à sua profectione, consequenter si proficisci omninò impeditus sit, liberatur Voto; secùs autem est, si principalis intentio fuit, milites adducere in subsidium belli, ita, ut duo, sensu diviso, promittere voluerit, quòd ipsemet ire velit, & 3. alios in subsidium ferre. Ita intelligit *Suarez l. 4. de Voto c. 11. n. 18.* convenienter ad ea quæ docui *c. 12.*

2 Notandum secundum Si uxor virum peregrinantem sequi velit, non potest ea recusari, quando absentia mariti diuturna futura est, & suppetunt sumptus ad eam ducendam, aliáque incommoda gravia inde non oriuntur. Ita sumitur *ex hoc c. & c. sequente §. quòd autem & c. 1. de conjug. lepros.* ubi dicitur, quòd non debeat unus conjux sine altero diutiùs esse. Ex quo sequitur, quòd vir uxorem cogere possit ad sequendum, si ex causa necessaria peregre profecturus sit, & alibi propter negotia habitaturus, prout docui *lib. 5. t. 10. §. 3. n. 3.* & videri potest *Sanchez l. 9. de mat. 12.* Sin autem vir nullo in loco diu commoraturus, sed semper iter facturus sit, ob tumque difficile est uxorem comitari, maritum militem, nisi quando ipsi mulier scivit esse militem, adeóque se obligavit citè ad sequendum.

Notandum tertium. Cum mulieribus longam peregrinationem voventibus facilè dispensatur, quòd plerumque utilius, & decentius sit domi eas manere, & alia bona opera præstare, præterquam sit profectione propter earum potentiam v. g. ut divinæ augmentum, aliúdve spirituale commodum secuturum videatur.

CAPITULUM IX.

Ex Multa.

PARAPHRASIS.

Votum peregrinationis Jerosolymitanæ Sedi Apostolicæ reservatur, ita ut nemo alius absque speciali commissione in eo dispensare possit. Quæ porrò hoc c. dicuntur de Voto profectionis Jerosolymitanæ, cùm fermè in usu non sint, prætermitto: videri possunt, quæ docui *t. 4. c. 8. n. 7. & 20. & c. 7. n. 12.*

CAPITULUM X.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Quidam Clericus sive Canonicus voverit Gratianopolitana Ecclesia habitum regularem susceptorum, & postea in manibus Prælati, sive Præpositi ejusdem Ecclesiæ, promisit, se intra 2. annos postquam Româ redierit, Votum executurum; cùm autem triennio jam exacto, Votum non implevisset, & transgressor factus esset, vocatus est ad regimen Ec-

clæ

cleſiæ Gebelenſis. Super hoc caſu interrogatus Innoc. III. ſuaſit, ſi ipſe conſcientiam ſuam ſanare velit, ut Eccleſiæ ejus regimen reſignet, & Deo Votum ſolvat, poſtea ſi Capitulum ipſum canonicè elegerit, poterit electionem acceptare.

Summarium.

2. *Transgreſſor Voti eſt, qui cùm Votum intra certum tempus exequi deberet, ſine juſta cauſa illud differt.*
2. *Voti transgreſſor eſt, qui, cùm vovit Religionem, Epiſcopatum tamen poſtea accipit.*
3. *Suſcepto tamen Epiſcopatu, & in eo confirmatus, Votum illius ſubinde ſuſpenſum manet.*

1 NOtandum primò. Qui Votum, intra certum tempus exequendum, ulteriùs differt ſine juſto impedimento, tranſgreſſor Voti eſt, & debet poſt tranſactum tempus nihilominus exequi, ita ut, quò diutiùs differt, eò graviùs peccet. Ratio eſt, quia is, qui ad certum diem, vel intra certum tempus rem dare, aut facere promittit, is duo ſpondet, & ſe daturum v. g. idque eſt principale; & ſe ad eam diem, ſeu intra hoc tempus, daturum, ulteriúſque non dilaturum, quod eſt ſecundarium: hinc ſequitur, etſi poſterius hoc omiſſum ſit juſtâ, aut injuſtâ de cauſa, nihilominus tamen impleri debeat alterum principale *L. Celſus. 23. §. idem ait ff. de arb.* & docui *l. 4. t. 4. c. 3. q. 4.* ſed alia ratio eſt, ſi quis voverit v. g. jejunaturum ſe cum dependentia à certa die, v. g. die ſeptima Septembris, ob honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ; is tranſacto die, ſi votum non exolvit, aut tranſgreſſor eſt, liber manet, uti docui *eodem tr. 4 c. 2. n. 3.*

2 Notandum ſecundò. Qui vovit, ſe Religionem ingreſſurum, & poſtea non impleto voto Epiſcopatum accipit, voti tranſgreſſor eſt, & ideò reſignato Epiſcopatu, votum exequi tenetur; hic eſt verus intellectus hujus cap. quem tenuit *Innoc. hìc* & tradidi *in c. niſi 10. §. objicitur, de renuntiatione*, tametſi *Hoſtienſis & Abbas hìc* aliter ſentiant, quorum doctrinam refutat *Suarez. t. 3. de relig. l. 1. c. 19. & 20.* Ratio doctrinæ eſt, quia acceptando Epiſcopatum, Clericus, qui Religionem voverat, conſentit in ſtatum, quo impotens redditur ad executionem voti ſui, cùm Epiſcopus ad Religionem tranſire non poſſit ſine licentia Papæ, quam is etiam ordinariè concedere nequit, juxta ea, quæ docui *in cit. c. niſi.*

Tametſi verò Pontifex utatur verbo *conſuluimus*, quia non ut judex procedebat, ſed paternè monebat, clarè tamen indicat, voventem in conſcientia obligatum eſſe, ut reſignato Epiſcopatu Religionem ingrediatur. Et hæc dico ſecundùm probabiliorem ſenſum, qui ex *Capituli* contextu colligitur, Canonicum illum electum fuiſſe duntaxat, & ideò liberè potuiſſe reſignare, juxta *c. 2. de translatione Epiſcopi.* Quòd ſi autem fuiſſet confirmatus, tunc quæſtio eſſet, quid agere deberet Epiſcopus, quandoquidem ad Religionem, quam olim vovit, tranſire non poteſt ſine licentia, & diſpenſatione Papæ *cit. c. 2. & cit. c. 10.* teneatúrne eam petere, aut etiam votum Pontifici explicare? Utrumque affirmat *Suarez cap. 20. n. 4.* at verò *Azor t. 1. l. 11. c. 22. q. ult.* exiſtimat, licentiam petendam eſſe, ſed opus non eſſe, ut votum explicetur, uti etiam docuit *Sanchez 1. mor. l. 4. c. 17. n. ult.* Ego puto, eſſe diſtinguendum: ſi enim Epiſcopus confirmatus Eccleſiæ ſuæ utilis ſit, votum ejus eſt ſuſpenſum, ſeu obligatio voti interim ceſſat, perinde, ac ſi matrimonium carnale conſummâſſet. *argum. cit. c. 2.* ubi dicitur fortiùs eſſe ſpirituale hoc vinculum, quàm carnale. Ideò durante ſtatu Epiſcopali impeditus cenſetur ad executionem voti, paratus tamen eſſe debet, ſi ab Epiſcopatu eum deponi, aut inutilem fore contingat, ut Religionis votum exolvat, ſi habilis adhuc ſit; ſicuti hoc ipſum dici ſolet de eo, qui poſt votum Religionis aſſumendæ, matrimonium contraxit, & conſummavit. Et confirmatur hæc pars diſtinctionis ex eo, quia dum Epiſco-

piſcopus utilis eſt, Papa non poteſt de jure ceſſionem admittere, vel ad Religionem tranſeundi licentiam dare, ſicuti conſtat *ex cit. c. niſi de renuntiat.* ergo licentia fruſtra peteretur: ſin autem Epiſcopus Eccleſiæ utilis non eſt, ideóque Pontifex ceſſionem admittere poteſt, tunc tenetur licentiam petere, & plerumque votum ſuum explicare; cùm enim Epiſcopus ſuſcipiendo Epiſcopatum tranſgreſſor voti fuerit, quando impedimentum exequendi ſibi ſponte injecit, ideò quatenus de jure poteſt, impedimentum tollere tenetur, ſi ſperet, ſe efficaciter poſſe; id autem fiet, ſi licentiam ad Religionem tranſeundi petat, ſuúmque votum explicet, quando ob id faciliùs ceſſionem admittendam eſſe arbitratur.

CAPITULUM XI.

Poſtulâſtis.

Paraphrasis.

Cùm quidam Præpoſitus Regularis Cruce ſignatus eſſet, alter inſigniri deſideraret, & Pontificem conſuluiſſent, utrùm illis liceret vigeſimam partem proventuum ſuarum Eccleſiarum ad auxilium Terræ ſanctæ deputatam eò ſecum ferre: reſpondit Pontifex, ſi Eccleſiæ per ipſorum abſentiam enormiter non lædantur, & ipſi Terræ ſanctæ utiles futuri ſint, vel exemplo vel verbo, poſſe illos, conſtitutis idoneis Procuratoribus, ac teneri votum ſuum implere, ac dictam proventuum partem in hunc uſum impendere.

Summarium.

1. *Vnde olim ſumptus ſuppeditati fuerint ſuccurrentibus Terræ ſanctæ?*
2. *An abſente Epiſcopo adminiſtratio Diœceſis ſit penes Capitulum?*

NOtandum primum. Olim ad liberandam Terram ſanctam Româ pars redituum tam ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis imperata fuit. Verùm, qui perſonaliter proficiſcebantur, expenſas profectionis inde deducere poterant, ſicuti Gloſſa hîc notat.

Notandum ſecundum. Si Epiſcopus ab; Eccleſia ſua diſcedat, idoneum procuratorem, loco ſuo, relinquere debet, qui res Eccleſiæ adminiſtret. Ita textus & Gloſſa hîc *V. procuratoribus*; quare adminiſtratio Epiſcopatûs, & rerum Epiſcopalium in hoc casu non devolvitur ad Capitulum, Hæc eſt ſpecialis licentia facta Prælatis, etiam Regularibus, ut ſi ſine enormi Eccleſiarum detrimento abeſſe poſſent, & auxilium afferre Terræ ſanctæ, cruce ſe inſigniri paterentur, prout *Abb. hîc* notat *n. 2.* alioquin verò negativa regula eſt, quòd Prælati tum Regulares, tum Sæculares, aliíque Beneficiarij, aut Religioſi, longam peregrinationem ſine licentia Superioris inſtituere non poſſint, prout habetur *in c. magnæ 7. hoc tit. c. non oportet 36. diſt. 5. de conſecr.* & conſentit *lex ſiqua 22. cod. de SS. Eccleſiſs*, ubi habetur, nec Clericis, nec Monachis peregrinantibus fidem habendam eſſe, niſi litteris Superioris ſui muniti advenerint.

TITU-

TITULUS XXXV.

DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORUM REGULARIUM.

PRæcedentibus Titulis actum est de Regularibus, quoad eorum ingressum in Religionem, quæ & Conversio dicitur; consequenter de votis eorum, & professione; nunc verò de eorundem statu, & conversatione subijcitur

CAPITULUM I.

Theodosius.

PARAPHRASIS.

Episcopus, cui Monachi subditi sunt, Presbyterum ipsis providere debet, à quo Sacrificia, & Sacramenta percipiant; sed nec Episcopus, nec Presbyter ille oneribus, vel exactionibus monasteria aggravare debet: ut etiam habetur in *c. nimis 16. de excessibus Prælat. c. quàm sit 5. causa 18. q. 2.*

CAPITVLVM II.

Monachi.

PARAPHRASIS.

Non recipiantur Monachi in monasterium pro pretio, nec permittantur habere peculium; neque in oppidis, aut villis per parochiales quascunque Ecclesias finguli habitare permittantur, sed in majore Conventu, vel cum fratribus aliquibus maneant; neque soli inter sæculares homines versentur. Qui peculium habuerit, nisi Abbas ejus administrationem ipsi permiserit, ab altaris communione removeatur: qui in extremis cum peculio fuerit inventus, & dignam pœnitentiam non egerit, oblatio pro ipso non fiat, neque Ecclesiasticam inter fratres habeat sepulturam; idque in omnibus Religiosis observandum. Abbas verò, qui in talibus cavendis negligens fuerit, ab officio amoveatur. Prioratus & obedientiæ pro pretio non tradantur; alioqui tam dantes, quàm accipientes ab officio, vel ministerio deponantur. Priores autem, cùm in Ecclesijs Conventualibus per Capitulorum electionem constituti fuerint, mutari non debent, nisi ob manifestam, & rationabilem causam, videlicet, si fuerint bonorum dilapidatores, aut incontinenter vixerint, vel simile quid egerint, vel denique, si ob necessitatem majoris administrandi officij, cum Fratrum consilio transferendi sint. Ita Alexander III. in Con. Gen.

SUMMARIUM.

1. *Pro professione non potest aliquid recipi, ut pretium.*
2. *Quomodo peculium Religiosus habere possit?*
3. *Priores Conventuales, qui per electionem Capituli constituuntur, sunt veri Prælati.*

NOtandum primò. Pro professione, aut receptione in Religionem non potest aliquid accipi ut pretium; at verò pro sustentatione personæ aliquid accipere, non est per se illicitum. Hanc rem fusè tradidi *l. 4. t. ult. c. ult. n. 39.* ubi dixi, permissum id esse, si monasterium inopiâ prematur, aut 1

aut consuetudo obtineat, ut quidpiam nomine dotis, aut sustentationis accipiatur, sicuti in monasterijs Monialium fit.

2 Notandum secundò. Religiosus peculium habere non potest, nisi quoad administrationem, & usum à Superioris libera voluntate dependentem, qui eidem auferre, & concessum usum arbitratu suo revocare possit. Ita *hic & in c. 8. hoc tit.* explicavi *l. 4. t. 5. c. 7. n. 12.*

3 Notandum tertiò. Priores Conventuales, qui per electionem Capituli constituuntur, sunt veri Prælati, & dignitatem habent, sicuti Abbates *c. 1. de præb.* quamobrem amoveri non possunt *c. nullam 9 causa 18. q. 2.* nisi ob dilapidationem bonorum, incontinentiam, vel aliam causam Canonicam, uti docui in *c. 4. §. de adulterijs, de judicijs*, & habetur infrà *in c 6. §. quòd si hoc tit.* Alij autem sunt Priores claustrales, de quibus in *c cit. 8.* qui obedientiarij sunt, ad nutum Abbatis amovibiles, cùm impossibile sit, ut aliquis in monasterio Monachus sit, cui Abbas, & Conventus commiserit officium, aut administrationem, & non sit obedientiarius, atque amovibilis à Prælato *cit. c. 8. §. nec alicui & cit. c. nullam*, & notat *Gloss. hic verbo perpetuò.*

Notandum quartò. Monachi soli habitare non debent in parochijs, ut *hic & in c. ult. de capellis Mon.*

CAPITULUM III.

Recolentes.

Paraphrasis.

Monet Alexander III. Cistercienses 1. ut regulam servent secundùm primævam institutionem. 2. Præcipit, ut domus Religiosa Cisterciensibus aggregata eorum mores servet.

Summarium.

1. *De Cisterciensium instituto.*
2. *Paupertas plurimùm confert ad perfectionem consequendam.*
3. *Abusus privilegiorum tollit ea.*

NOtandum primum. Ordo Cistercienſis, licèt regulam S. Benedicti teneat, majorem tamen paupertatem, & austeritatem adjecit anno Christi 1098. sub Roberto primo Abbate monasterij in Sylva Cistercium constructi: postea S. Bernardus circa annum Christi 1113. Claravallense monasterium, & alia plurima ejus Ordinis fundavit, ut tum ob hanc causam, tum ob eximiam ejus sanctitatem Cistercienſium communis parens habitus sit. Legi potest *Suarez t. 4. de Relig. l. 2. de variet. relig. c. 3. n. 3.*

Notandum secundum. Cistercienses Monachi olim non poterant possidere beneficia altarium, aut parochias, nec decimas molendina, villas, neque habere rusticos, aut jurisdictiones in subditos, neque sepulturas externorum in Ecclesias accipere; quare ob hanc paupertatis professionem, aliasque regulæ austeritates, Ordo Cistercienſis inter omnes alios, qui S. Benedicti regulam profitentur, arctissimus censetur, secundùm *Gloss. in c. non est 7. de reg.* At verò progrediente tempore Romani Pontifices permiserant, ut Cistercienses ea, quæ suprà dixi, videlicet molendina, villas, Vasallos, Ecclesias &c. possidere possent, uti videre est apud *Rodriquez t. 3. reg. q. 75. a. 1.*

Notandum tertium. Paupertas est mater, & auctrix Religiosi instituti, & plurimùm confert ad perfectionem consequendam; hæc enim in charitate consistit, paupertas autem charitatem conservat, ac verò cupiditas rerum terrenarum extinguit; quamobrem *Greg. XIII. in extrav. Ascendente.* ait, paupertatem esse Religionis murum, & propugnaculum, & *S. Thomas 2. 2. q. 186. a. 3.* primum Religionis fundamentum ait esse paupertatem voluntariam, consequenter inter causas, ob quas Religio à primo fervore deficere solet, principem locum tenet paupertatis relaxatio; sicut *S. Bonav.* & alij testantur apud *Antonium Perez in Lex.*

Reg. S. Benedicti c. 58. n. 39. Sanchez tom. 2. l. 6. mor. c. 18. n. 7. & videri potest *Trithemius de Viris illust. c. 8.* per paupertatis enim studium Religiosi à rebus terrenis abstracti, Deo se committunt specialiùs, atque ejus providentiâ reguntur, atque augentur.

Notandum quartum. Si quibus ob specialem rationem, in ipsis perspectam, specialia privilegia concessa sint, ij verò ab ea ratione, aut vitæ instituto recedant, privilegia data amittere debent, atque communi cum alijs jure censeri; nam tunc cessat finis, & causa concessionis: atque iste est quidam abusus privilegiorum, prout docui *l. 1. tr. 4. c. 22. n. 24.* ex quo fundamento jureconsulti dicunt, quòd studiosi in Academia, si non studeant, nec conventus frequentent, studiorum privilegijs non gaudeant.

Notandum quintum. Non tantùm singuli Religiosi, sed etiam tota Religiosorum communitas transferre se potest ad Ordinem strictiorem, ejus habitum, & regulam assumendo, & ita ampliatur *c. licet 18. de reg.* & docet *Abbas hic num. 2. Sanchez 2. Mor. l. 6. c. 7. n. 7.*

CAPITULUM IV.

Super.

PARAPHRASIS.

Aliquis Canonicus regularis, qui in morte proprium contra regulam retinuisse inventus fuit, tametsi à Priore monitus fuerit, ut resignaret, inter alios fratres sepulturam accepit: de hac re interrogatus Clemens III. respondit, quòd Canonicus iste non tantùm Christianâ sepulturâ privari debuisset, sed etiam modo, si sine magno scandalo fieri potest, ab ipsa Ecclesia projici; id verò si inposterum contingat, in similibus casibus agendum.

SUMMARIUM.

1. *Regularis proprium habens in morte, non debet in loco sacro sepeliri.*
2. *Quando exhumandi non sint malè sepulti in loco sacro?*
3. *Rescripta Principum an ad similes casus se extendant?*

NOtandum primum. Si regularis proprium habere in morte repertus sit, non debet in loco sacro sepeliri, imò si sepultus est, exhumandus & abijciendus est. Adverte, quod dixi, *si repertus sit*; necessarium enim est, ut de facto, seu crimine cognoscatur, ideóque non tantùm materialiter pecuniam illum habuisse penes se, sed quòd ut propriam tenuerit, atque ita, ut factum hoc nulla probabilitate à Religiosæ paupertatis violatione excusari queat. Ita *Barbos. hic.* 1

Notandum secundum. Si corpus contra sacros Canones scienter, aut ignoranter loco sacro sepultum sit v. g. hæretici notorij, usurarij, Religiosi proprietarij, & sine gravi scandalo exhumari, sive ossa ejus extrahi, & abijci non possint, relinqui debent. Ita notârunt *Innoc. And. & Abbas hic.* 2

Notandum tertium. Si Princeps super aliquo casu consultus rescribat, ad eundem modum in similibus postea casibus procedi potest, & debet, ut hic dicitur, & *in Lege ff. de const. princip.* dummodo talis princeps sit, qui solus absque proceribus, seu paribus regni, legem communem condere possit. 3

CAPITULUM V.

Quod Deo

PARAPHRASIS.

Plebanus S. Gabinij officium suum resignans, coram Canonicis Regularibus promissionem fecit, de suscipienda Religione; sed Parochiani ejus, considerantes eum laudabiliter præfuisse, ab Episcopo Florent. impetrârunt, ut ibidem curam parochiæ retineret; sed & Apostolicæ Sedis legatus petitioni eorum annuit, atque ipsemet quoque monasterij ejus Prælatus manendi licentiam dedit; quam-

obrem parochiani ab *Innoc. III.* petiverunt, ut quod à Cardinale, Legato, & Episcopo, concessum fuit, ratum haberet. Respondet Papa, licèt in *Conc. Latera. sub. Alexan. III. supra in c. 2. hoc tit.* cautum sit, ne Monachi per villas, & oppida, in quibuscunque parochialibus Ecclesijs ponantur singuli, quia tamen id specialiter non cavetur de Regul. Canonicis, qui, licèt à sanctorum Monachorum consortio alieni non reputentur, tamen regulam laxiorem habent; sed & ipsi Monachi secundùm antiquiores Canones ad Ecclesiarum parochialium regimen, atque presbyterium ordinari possint, eò quòd prædicationis officium, quod privilegiatum est, exercere oporteat: ideò huic postulationi se annuere hac conditione, ut dum plebani officium exercet, unum Regularem Canonicum secum habeat ad cautelam, si commodè fieri possit, ut illius in his, quæ Dei sunt, & regularis observationis consortio, & solatio perfrui possit.

Summarium.

1. *Possunt supplicare Parochiani Episcopo pro retinendo suo Parocho, qui utiliter officium suum præstat.*
2. *Resignatio beneficij, quæ non fit in manibus Superioris legitimi Ecclesiastici, suspensa est ad arbitrium Superioris.*
3. *Quæ de Monachis, sub statûs Religiosi ratione, in jure statuuntur, de Religiosis omnibus in commune viventibus intelligenda sunt, nî specialia obstent.*
4. *De antiquo jure poterant Monachi curæ animarum, extra sua monasteria, in secularibus Ecclesijs præfici, si utilitas, aut necessitas exigebat, quod de jure hodierno non licet.*
5. *Canonicus Regularis sæculari parochiæ cum debita licentia præficitur, socium tamen, qui ejusdem Ordinis sit, secum habere debet.*

PRo intellectu cap. adverte, quòd plebanus iste promissionem, sive votum Prælato accepratum, ediderit de professione facienda, postea verò petiverint Parochiani, ut post voti executionem, sive susceptum habitum, editámque professionem solennem, officium parochiale retinere possit:

Notandum primò. Parochianis permittendum, ut per modum supplicationis instent apud Episcopum, ut curatus, qui officium utiliter præstitit, ab ipsis non removeatur; cujusmodi petitioni etiam annuendum erit, nisi major utilitas, vel necessitas amotionem postulet, vel aperiatur curatus, eâ ex causâ petat, ut Religionem ingrediatur, tunc enim impediri non debet. *c. 2. causa 9. q. 2.*

Notandum secundò. Si Beneficiarius beneficium resignet propriâ auctoritate non in manibus Superioris, jus, & efficacia resignationis, est suspensa; pendet enim ex eo, num Superior resignationem acceptare, an verò ad manendum compellere velit. Ita *hic Innoc. & Abbas n. 4.* & dixi *in c. quod in dubijs 8. de renuntiatione.*

Notandum tertiò. Licèt, quæ de Monachis sub ratione statûs Religiosi in jure statuta sunt, etiam ad Canonicos Regulares, & omnes Religiosos in commune viventes transferri debeant, *argum. c. 2. hoc tit.* & notavit *hic Host.* secus tamen est decendum de ijs, quæ de Monachis decreta sunt, ob speciale eorum Institutum, quod a Regularibus Canonicis distinguuntur, videlicet, ut magis vitæ contemplativæ, & strictiori disciplinæ addicti sint: quare Pontifex hic ait, quod de Monachis est decretum, ne ad Parochiales Ecclesias promoveantur, id ad Canonicos Regulares non est transferendum.

Notandum quartò. Secundùm antiquos Canones concessum erat, ut Monachi e monasterijs evocarentur, & Ecclesiarum curæ præficerentur, si Ecclesiæ necessitas vel utilitas postularet *c. in parochia 31. cum pro 34. c. ne pro cujuslibet 37 causa 16. q. 1.* Ratio

Ratio erat, quòd officium prædicandi, seu cura animarum esset privilegiata, ut ob eam Monachum à contemplatione, & solitudine sua revocare liceret; postea verò id immutatum fuit quoad Monachos, ut absque dispensatione, Parochijs præfici non possent, si eæ à Conventu, aut Societate Fratrum sejunctæ essent, manente pristino jure quoad Regulares Canonicos, uti constat *ex hoc c.* At verò spectato isto tempore, neque Regulares Canonicos ad Ecclesias Parochiales, aliásve sæculares curas (multò minùs ad beneficia simplicia) absque Papæ dispensatione promoveri posse, docent DD. nominatim *Barb. hìc n. 3. Sanchez l. 7. mor. c. 29. n. 71.* & dixi de hoc *l. 4. tra 3. c. 4. n. 2. & in disp. de Prælat. q. 204. in fine.*

Notandum quintum. Si Canonicus Regularis Sæculari Parochiæ cum legitima auctoritate (videlicet Pontificia secundùm hoc tempus) præfectus sit, socium Ordinis secum habere debet, si id commodè fieri possit: idémque eadem ratione dicendum de Monachis, aliisque Religiosis, prout docet *Gloss. in Clement. 1. §. ad hæc verb. clauſ. hoc tit. And. hìc n. 17.* ubi ajunt, id non esse simpliciter necessarium, eò quòd talis Religiosus ab observationibus Ordinis magna ex parte liber sit, licèt habitum deferre debeat. Qua de re dixi *l. 4. t. 2. 5. c. 1. prope finem.*

Sin autem Ecclesia parochialis unita sit monastèrio, & in ea collocetur Religiosus à Prælato suo, ut sit tanquam Vicarius obedientiarius, tunc major ratio est, cur socium Ordinis secum habere debeat, cùm ab obedientia, & observationibus Regularibus minùs liber sit, quàm si in Ecclesia sæculari Parochus esset, prout *Gloss. & Ioan. And. citatis locis* notant. Vide etiam *cap. ult. & penult. de Capell. Monach.*

* * *

CAPITULUM VI.

Cùm ad Monasterium.

Paraphrasis.

Innocentius III. quinque hìc puncta de Monachis decernit, quæ etiam confirmata reperies in *Clement. ne in agro §. ult. hoc tit.* Primò circa vestes, ne lineis utantur: qua de re videri potest *Rodriquez tom. 2. regul. q. 27. a. 1.* & plura *in citata Clementina, & in regula S. Benedicti.* Secundò. De pauperrate, ne proprium aliquis habeat &c. Videri potest *S. Gregor. M. L. 4. Dialog. c. 55.* Adijcit verò Papa hîc, si alicui Monacho (eadémque est ratio aliorum Regularium) specialiter aliquid datum fuerit, ut Abbati, Priori, vel Cellario resignet: videri potest *regula S. Benedicti 33. & 54.* & quæ dixi *l. 4. tr. 5. c. 7. q. ult.* Tertiò. De silentio servando, maximè in oratorio, refectorio, & dormitorio, prout videre licet in declaratione circa regulam S. Benedicti 52. ubi additur, pars quædam Clausti, circa Capitulum, id est, in ambitu, uti ait Trithemius in decretis rubricæ hujus Capituli. Quartò. De cibis, carnium abstinentia, & de infirmis; videri potest *Reg. S. Bened. 34. 36. & sequentes.* Quintò. De administrationibus, & officijs committendis, & ut ij, quibus committuntur, sint fideles ac discreti, atque ita commissio fiat, ut cùm oportet, sine contradictione revocari possit, videri potest *Sanchez cit. c. 29.* ubi rectè monet *n. 112.* licèt ejusmodi obedientiarij ad nutum Abbatis revocari possint, non tamen morte ejus revocari, prout etiam docui *in c. ult. de precario, & n. 115.* licèt contra Abbatem amoventem agere non possit obedientiarius, posse tamen agere contra alium, si quis eum amoveat, aut expellat, cùm verè possideat, ideóque de spolio, si pellatur, agere possit; idémque dicendum, si Religiosus vestibus, aut libris spolietur,

non à Prælato, qui auferendi jus habet, sed ab alio, idq; cõstat ex dictis *in cit. c. ult.* Quintò. Prior clauſtralis præ cæteris poſt Abbatem potens ſit in opere, & ſermone, ut exemplo vitæ, verbóque doctrinæ Fratres ſuos inſtruere poſſit in bono, & à malo amovere, zelúmque Religionis habeat, ſecundùm conſcientiam delinquentes corripiat, & caſtiget, obedientes foveat, & confortet. Abbas verò, cui omnes in omnibus reverenter obediant, frequenter ſit cum Fratribus in conventu, & vigilem curam, ac ſolicitudinem de omnibus gerat; ſi prævaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, vel negligens, aut remiſſus, à Prælatura deponendus, & aliter ſecundùm regulam caſtigandus eſt. Nec poteſt Abbas ſuper habenda proprietate cum Monacho diſpenſare, eò quòd abdicatio proprietatis (ſicuti & cuſtodia caſtitatis) intrinſeca ſit ſtatui Monachali, ſive Religioſo, ut in ea nec Papa poſſit diſpenſare: intellige, fieri non poſſe, ut manens Religioſus proprium habeat, vel continentiam non ſervet, aut Prælato obedire non debeat, nam hæc ſunt de eſſentia ſtatûs Religioſi, ideóque impoſſibile eſt, removeri in ſenſu compoſito, videlicet, ut verus Religioſus exiſtens proprietatem habere poſſit, vel uxorem ducere; interim poteſt Pontifex ex juſta, & neceſſaria cauſa diſpenſare in voto Religioſæ profeſſionis, eôque relaxato poteſtatem concedere, uxorem ducendi, proprium habendi &c. imò hæc relaxato voto per ſe licent. Qua de re videri poteſt *Barb. hìc, Sanchez l. 4 Mor. c. 1. n. 16.* & quæ dixi *l. 4. tr. 5. c. 1. n. 8.*

CAPITULUM VII.

In ſingulis.

Paraphrasis.

Innoc. III. in *Concil. Later. c. 12.* decernit de Capitulis Provincialibus, quolibet triennio celebrandis, ad quæ Abbates omnes, Priores item, atque Præpoſiti, qui proprios non habent Abbates, tum exempti, tum non exempti, venire tenentur. De his Capitulis agit etiam *Honorius III. in c. ſequente*, & plura videri poſſunt apud *Trit. in L. de conſt. Capituli provin. in præfatione.*

Summarium.

Forma Capitulorum Provincialium Regularium.

Capitulorum horum Provincialium ſingulis triennijs congregandorum lex, & conſuetudo, etiam in Germania viget, poſt Concil. Conſtantienſe, videlicet ab anno Chriſti 1417. fermè uſque ad annum Chriſti 1500. præſertim in Moguntina Provincia, uti videre licet apud Trithemium *in Chron. & in lib. de viris illuſt. c. 1107 in cit. lib. de conſtit. Capituli Provincialis.* Et quidem 127. Abbatias ſub uno Capitulo Moguntinæ Provinciæ fuiſſe teſtatur Trit. *de ruina ordinis c. 9. & c. 8.* ubi ait, conſervationem Ordinis S. Benedicti, & Regularis diſciplinæ incrementum, ex Provinciali Capitulo pendere.

Forma Provincialis Capituli celebrandi in his fermè conſiſtit. Primò. Quatuor Abbates conſtitui debent, qui Capitulo præſint, Prælationis tamen auctoritatem non habent, ſed mutari poſſunt, aliique conſtitui à ſequente Capitulo, ut docet Ioan. *And. hìc n. 5.* Alterum. Hi 4. præſidentes, auctoritate Sedis Apoſtolicæ fungentes, convocant omnes totius Provinciæ Abbates, aliósque Prælatos Ordinis ad unum, intra Provinciam, monaſterium, uti videre eſt apud *Trith. de forma, & modo celebrandi Capituli.* Tertium. Quod in Capitulo ſtatutum fuerit, quatuor præſidentibus approbantibus, inviolabiliter obſervetur, omni excuſatione, contradictione, & appellatione remotis, uti etiam teſtatur *Trith. cit. c. 8. §. ſumma.* Quartum. Præſidentibus in Capitulo competit quoque, ut cura

circa prætoritas visitationes indagent, visitatores negligentes, ad officium fideliter exequendum compellant; qua de re *Trith. de const. cap. Rubr. 3.* Item ut culpas contra Prælatos & alios delatas audiant, inquirant, & discutiant, infligant pœnas &c. ut idem *Trith.* loquitur *citata Rubrica, 3.* Item monasterium nominent, in quo post triennium Capitulum celebrandum sit. Denique durante adhuc Capitulo, novos officiales, videlicet præsidentes, & visitatores eligant (nam qui electi & constituti præsidentes sunt in cap. antecedente, in proximo præsidere, & dirigere non possunt) & postea alios officiales constituere debent. Uti *Trith.* explicat *Rubrica 4.* Quintum. Visitatores post finitum Capitulum ad monasteria, & prioratus totius Provinciæ, exempta, & non exempta, virorum, & mulierum, visitatione reformando, se conferant, Apostolica auctoritate, apud *Trith. de visitatione Monach. c. 32.* Sextum. Hæ visitationes fieri debent salvo per omnia jure Episcopi Diœcesani, uti habetur hîc, & notat *And. n. 8. Abbas n. 7.* & alij. Quare nullum Abbatem aut Præpositum, præsidentes ab officio, & administratione deponere possunt, sed ad Episcopum referre debent, si Monasterium exemptum non est, aut ad Sedem Apostolicam, si sit exemptum. Ita statuitur *hic §. ordinentur & c. sequente §. quòd si Abbas*, & videri potest *Trith de visit. Monach. c. 10.* Et ideò per visitationem dictorum Visitatorum non impeditur Episcopus, quin etiam ipse visitare possit, ut tradit *Trith. eodem tract. c. 9. & 10.* & habetur hîc, nisi Episcopus malit jus suum eisdem Religiosis Visitatoribus delegare, ut ij utrâque tum Apostolicæ Sedis, tum Episcopali auctoritate utantur, teste *Trith. in eodem tr. c. 7.* Ultimum. Quæ de Capitulis in Ordine S. Benedicti constituendis dicuntur, eadem quoque ad Regulares Canonicos S. Aug. transferri possunt, ut *in hoc cap.* expressum est §. *hoc ipsum.* At verò Ordines, qui caput generale, seu Generalem habent, ejus jussu, & auctoritate visitari possunt, & solent.

CAPITVLVM VIII.

Ea quæ.

Eadem fermè statuuntur, & confirmantur, quæ in præcedente Capitulo posita & explicata fuerunt.

§.

Quod si.

Paraphrasis.

Si Abbas non exemptus à Visitatoribus nimis negligens fuerit repertus, statim id Diœcesano significetur, ut ab ipso assignetur fidelis, & providus coadjutor, usque ad proximum provinciale cap. Sin autem dilapidator sit, aut ob aliam causam amovendus, postquam Diœcesano à Visitatoribus fuerit significatum, amoveatur (supple per Episcopum) absque judiciorum strepitu, & interim monasterio provideatur administrator in temporalibus, donec fuerit de alio Abbate provisum.

Summarium.

1. *Prælatus regularis non est amovendus ob quamlibet negligentiam.*
2. *Sufficit tamen processus summarius pro illius depositione.*
3. *Administrator tamen in temporalibus constituendus est, si ob dilapidationem bonorum amoveatur.*

NOtandum primum. Non ob quamlibet 1
negligentiam, & disciplinæ regularis neglectum Prælatus regularis amovendus est; sed si fuerit magna, & supina, uti *Glossa* monet *in c. 6. verbo in omnibus hoc tit.* & sequitur *And. n. 7. argum. ejus textûs & c. si quis 15. causâ 18. q. 2.* Cognoscetur autem

ſupina negligentia, ſi poſt admonitionem non emendaverit ſe.

2 Notandum ſecundum. Si agatur contra Prælatum regularem ad depoſitionem, proceſſus planus, & ſummarius, inſpectâ rei veritate ſufficit, ſicuti hîc habetur. Ratio eſt, quia Prælati regulares, & omnes Religioſi ab adminiſtratione faciliùs, & liberiùs deponuntur, quàm ſæculares. *c. qualiter 24. in fine de accuſat. c. per tuas 32. in fine de Simonia*, & notavit Gloſſ. hîc *verbo absque judiciorum ſtrepitu.*

3 Notandum tertium. Si Prælatus ob dilapidationem bonorum vel magnam negligentiam amoveatur, interim dum alius conſtituitur, adminiſtrator in temporalibus ab Epiſcopo eſt ponendus; cùm enim hoc in caſu plerumque etiam Conventus ſuſpectus ſit, ne Prælato conſenſerit, non eſt tutũ conventui adminiſtrationem relinquere, uti hîc notavit *Ioann. And. n. 10. Innoc. in c. dilectus de accuſ.* ubi ait, quòd caput ægrotum malam facit præſumptionem de membris.

Videri etiam poteſt *Con. Trid. Seſſ. 25. c. 8. de regularibus*, ubi conſtitutio Innoc. III. præcedente *c.* poſita renovatur, quoad monaſteria, quæ immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubdita, Viſitatores regulares nõ habent, atque mandatur ibi, ut ea monaſteria in Capitula redigantur.

CAPITULUM VLTIMVM eodem in Sexto.

Periculoſo.

Paraphrasis.

Bonifacius VIII. Monialibus omnibus expreſsè vel tacitè profeſſis præcipit clauſuram perpetuam, ita, ut nulla ratione vel cauſa è monaſterio egredi ipſis liceat, niſi conſtet, quòd aliqua ob morbum contagioſum cum alijs ſine gravi periculo aut ſcandalo habitare non poſſit. Præterea ut nulli perſonæ ad Moniales ingreſſus, aut acceſſus pateat, niſi rationabilis cauſa poſtulet, & ejus, ad quem pertinet, ſpecialis licentia accedat.

Summarium.

1. *Quæ hodie circa clauſuram Monialium obſervanda?*
2. *Ad quas perſonas pertineat decreti de clauſura obligatio?*
3. *Quænam ſint juſtæ cauſæ concedendi licentiam Monialibus egrediendi ex clauſura?*
4. *Aut mutandi monaſterium?*
5. *Quis ſit Superior adcognoſcendam egrediendi rationem & dandi licentiam?*
6. *Quid prohibeatur, cùm clauſura Monialibus præcipitur?*

HAnc conſtitutionem pluribus in locis, aut non receptam, aut deſuetudine abolitam, renovavit *Trident. Seſſ. 25. c. 5. de regul.*

Circa priorem partem dubitatur primò, Ad quas perſonas pertineat hujus decreti obligatio? Reſpondetur, ad omnes & ſolas profeſſas, uti explicat *Suarez. 4. de relig. l. 4. de obligat. Religioſorum c. 1. n. 13.* Unde infertur primò cum *Navar. l. 5. Conſil. 6. hoc. tit. edit. 2.* virgines, quæ votum continentiæ habent, etſi collegialiter vivant, imò etiam obedientiam voverint, ſi tamen rerum proprietatem teneant, non eſſe Sanctimoniales, ideóque ad clauſuram non obligari. Secundò infertur, eas Converſas, quæ trium ſubſtantialium votorum profeſſionem non edunt, non obligari ad clauſuram. De his videri poteſt *Bulla Pij V.* quæ incipit, *cura paſtoralis.* Tertiò infertur, novitios non obligari hac conſtitutione, ideóque cum Superiorum licentia egredi poſſe, v. g. propter valitudinis recuperationem, ita, ut annus probationis non interrumpatur, ſi habitum retineant. Quæ dicit *Suarez n. 16.*

Dubitatur ſecundò. Quænam ſint juſtæ cauſæ concedendi licentiam Monialibus egrediendi ex clauſtro. Reſpondetur, quòd Boni-

Bonifacius hîc unicam causam expressit, morbi contagiosi, aut ita comparati, ut cum alijs absque horrore, aut scandalo, quæ tali morbo tenetur, cohabitare non possit: quare cum adjecta sit clausula exclusiva, *nulla de causa, nisi &c.* exclusæ censentur omnes aliæ infirmitates, & morbi eisdem dissimiles, videlicet non contagiosi, seu communitati non intolerabiles, prout satis indicavit Pius V. *in Bulla, cujus initium Decori, apud Sanchez lib. 6. Mor. c. 15. n. 31.*

Secundùm moralem vitæ cursum, rarissimum est, & valde extraordinariũ, ut certò constet Monialẽ, si maneat in monasterio ex morbo, Morituram, egrediendo autem, vel aërem mutando non morituram. Sin autem ponamus talem casum contingere, tum fateor probabilem esse sententiam Gutier. *t. 1. Canonicarum c. 14. n. 7. Sanchez loc. c.* quòd Episcopus egrediendi licentiam dare possit, cùm leges humanæ de ijs ferantur, quæ communiter eveniunt, non de ijs, quæ in rarissimo casu, atque per Epyckiam propter naturalem necessitatem excepta censeri debent *argum. legis 5. & lege 10. ff. de legibus.* Quibuscum consentit Pius V. in citata Bulla *Decori*, ubi excipit, causam magni incendij, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ, id est, morbi pestilentis, alitérque contagiosi: ubi adverte causam magni, seu periculosi incendij adjectam fuisse à Pontifice, non causâ innovandi, seu declarandi Tridentinam, ipsámque Bonifacianam constitutionem, eò quòd hæc sit manifesta, ex ipsa naturalis juris necessitate, concessa causa, cui æquiparari debent aliæ similes, v.g. si ob hæreticorum incursionem Moniales discedere debeant, propter doctrinam receptam apud Sanchez *cit. c. 15. n. 38.* quòd dictio taxativa non excludit casus similes, in quibus eadem, vel similis ratio militat; idque non tantùm, si tale periculum omnibus communiter immineat, sed etiam si ponamus, periculum evidens imminere uni soli, nisi discedat, ut si conclave, in quo Monialis concluſa est, igne corripiatur, aut si à furiosa invadatur, nec possit saluti suæ aliter consulere, nisi per fenestram se demittendo.

Præterea adverte, Pontifices Pium V. & 4 Bonifacium VIII. exprimere tantùm causas exeundi eo fine, ut revertendum sit in monasterium; quod verò attinet ad causas mutandi locum, aut transferendi se ad aliud monasterium, nihil hîc declarat, sed communi juris dispositioni relictum est, ut videlicet Monialibus liceat vitæ melioris zelo Superioris petitâ licentiâ transire ad Ordinem vel monasterium strictioris observationis; item ut Monialis in alio monasterio fiat Abbatissa, vel magistra novitiarum; vel si monasterij mutatio à pluribus necessaria videatur, propter gravem discordiam; vel si Abbatissa egrediatur ad alterius monasterij fundationem, vel reformationem; aut si egressus necessarius sit ad homagium præstandum Domino feudi, si per procuratorem præstari non potest *§. verùm hoc in Capitulo.* Denique si totum monasterium transferendum sit in locum commodiorem, v.g. ex rure in urbem, aut oppidum, ubi populi frequentia est, juxta præceptum *Trid. cit. c. 5.* & videri potest *Sanchez n. 45.*

Dubitatur tertiò, Quis sit Superior, qui 5 egrediendi causam cognoscere & licentiam dare potest. Respondetur, clarè id esse significatum à Pio V. in Bulla *Decori*, præter Prælatum Ordinis, cui cura monasterij incumbit, etiam Episcopi, alteriúsve ordinarij quasi Episcopalem jurisdictionem habentis in loco, licentiam esse necessariam, tametsi Monialium monasteria alioquin exempta sint, ut videre est apud *Sanchez n. 28. & Suarez in cit. l. 1. c. 9. n. 12.* Est autem ab eodem Pio V. *in cit. Bulla* decreta excommunicatio ipso facto incurrenda, & Papæ reservata, adversus Moniales aliter, quàm concessum, ex claustro egredientes, & adversus licentiam concedentes, comitantes, ac recipientes; insuper privatio administrationum, & officiorum, & inhabilitas ad obtinenda, tum Monialibus, tum licen-

licentiam concedentibus videri potest *Sanchez cit. c. 15. n. 63.*

Quod attinet ad alteram partem hujus Capituli, eam tractavi *l. 4. tr. 5. c. 12. n. 2.* & videri potest Sanchez *cit. l. 6. c. 16. Suarez cit. l. 1. c. 10.* qui benè monuit *n. 7.* omnem locum, seu hortum, seu conclave, quod Monialibus ingredi licet, esse intra claustrum, quandoquidem è claustro eis egredi nunquam est concessum, consequenter in omnem hujusmodi locum, alijs personis prohibitum est ingredi; ista enim est unica causa prohibitionis, ne Moniales cum alijs personis colloqui, aut conversari possint: quam ob rem etiam prohibitum est, ne janua ex Monialium monasterio pateat ad eam Ecclesiæ partem, in qua sæculares sunt, prout etiam ex hoc *c.* colligitur & ex *Trid. cit. c. 5.* quòd ingredi intra septa monasterij nemini liceat. Verùm non ita ubique per consuetudinem receptum esse dixi *cit. c. 12.*

Id quoque addendum, non esse prohibitum Monialibus, si Ordinis regula, & consuetudo permittat, ut famulas sæculares alant pro communibus monasterij servitijs, ita tamen, ut nunquam è monasterio egrediantur, donec omninò dimittantur: qua de re *Rodriquez tom. 1. q. 44. n. 4.* Concessum quoque, ut cum Episcopi, vel Superioris licentiâ puellæ in monasterijs recipiantur, & instruantur, etiam non habentes propo-
6 situm Religiosi statûs: qua de re *Rodriquez q. 46. a. 10. Suarez cit. c. 10. n. 21.*

§. *Sanè.* Dicitur hîc, quòd in monasterijs non mendicantium non plures recipi possint Moniales, quàm ex proventibus sine penuria sustentari possint. At verò in Trid. *Sess. 25. c. 3. de regul.* omnibus tam virorum, quàm mulierum monasterijs, exceptis domibus Capucinorum, & fratrum de observantia (in qua tamen exceptione non comprehenduntur Moniales S. Claræ) conceditur, ut deinceps bona immobilia possidere possint, & additur decretum, ut in dictis monasterijs, & domibus virorum, mulierum, &, seu bona immobilia possideant, seu non, is tantùm numerus constituatur, qui ex proprijs redditibus, & consuetis eleemosynis, non malè sustentari possunt. Denique ut similia loca non erigantur absque diœcesani Episcopi licentia, quia, ut statutum est *in c. quidam 10. & sequentibus causa 15. q. 2.* ad Episcopum pertinet, cognoscere, num monasterium, noviter erigendum, sustentationem in loco habere possit, saltem pro personis non minùs 12. Idque si ex eleemosynis vivere debeant, non fieri vult cum populi, & aliorum in eodem loco existentium mendicantium Religiosorum justa querela, cùm alioquin fiat, ut Religiosi, qui ante utcunque se sustentârunt, novis accedentibus, omnes perjuriam patiantur, quod est contra *Concil. Trid.* intentionem. Id verò rectè monet *Navar. de redditibus Ecclesiasticis q. 1. monito 62 Azor tom. 1. l. 13. c. 9. q. 1.* nihil obstare, quo minus præter numerum Monialium, qui ex redditibus alli possit, recipiantur aliæ sufficienter dotatæ.

§. *Porrò.* Qui præsunt, Abbatissis, vel Monialibus permittere debent, ut per procuratores in judicijs litigent.

§. *Ultimus.* Episcopi & Prælati Sanctimoniales, si contumaces sint, ad clausuram per censuras compellere debent, invocato si opus sit, auxilio brachij sæcularis: renovatum est in *Trident. cit. c. 5.* ubi dicitur, hanc potestatem clausuræ indicendæ Episcopis competere, in monasteria sibi subdita auctoritate ordinaria, in exempta verò ex Sedis Apostolicæ delegatione.

TITU-

TITULUS XXXVI.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS, UT EPISCOPO SINT SUBIECTÆ.

POstquam de ſtatu Religioſorum, & perſonis Religioſis dictum eſt, nunc de eorundem Domibus, & Eccleſijs ſubijcitur. Ex hac autem Rubrica, ſeu titulo notandum, quòd ſpectato communi jure, & ſecluſis privilegijs, & exemptionibus, Religioſorum monaſteria, & Eccleſiæ Epiſcopis ſubditæ ſint *c. omnes Baſilicæ 10. cauſa 16. q. 7.* & docent *Innoc. Ioann. And. & alij in c. cùm venerabilis hoc tit.*

CAPITULUM I.

Nunc.

PARAPHRASIS.

Si dubitetur, quis Epiſcopus Baſilicam nuper ædificatam dedicare debeat, inſpici debet, quis Epiſcoporum, antequam fundaretur Eccleſia, ejus loci incolas baptizârit, & ad quem annuatim concurrerint ob Confirmationis Sacramentum; nam is etiam ad conſecrationem templi vocandus eſt, non autem ex locorum terminis hæc lis definiri debet.

SUMMARIUM.

1. *In dubio juris pro poſſeſſore eſt præſumptio.*
2. *Qui unum actum jurisdictionis, ſub generali nomine exercet, eo ipſo acquirit poſſeſſionem ſimilium jurium, ad idem officium pertinentium.*
3. *Olim ſingulis annis pro Confirmationis Sacramento adminiſtrando, ad parochiam venit Epiſcopus.*
4. *Ex terminis loci non ſemper definiri poteſt, ad cujus Epiſcopi jurisdictionem ſpiritualem parochia pertineat.*

NOtandum primum. Si quis ſit in pacifica poſſeſſione alicujus rei, præſumptio eſt, ipſi jus rei competere, ſive, ut aliter dicam, in dubio juris pro poſſeſſore præſumptio eſt. Ita *Abbas hic n. 2. argum. c. cùm ad 15. de reſt. ſpol.* Quare, qui poſſidet, onus probandi proprietatem in adverſarium transfert, *§. retinendæ Inſt. de interdictis c. ſæpe 18. de reſt. ſpol.* & videri poteſt *Maſcard. con. 1194.* quòd poſſeſſor in dubio verè cenſetur poſſidere. 1

Notandum ſecundum. Si quis unum actum jurisdictionis, ſub generali ratione, v. g. ordinarij officij exercet, eo ipſo acquirit poſſeſſionem conſimilium ad idem officium pertinentium, uti *Innoc. hic & in c. 2. n. 3. de Capellis Monach. Ioann. And. n. 4. hic & in cit. c. 2. n. 8. Abbas hic n. 3.* ubi ait, quòd poſſeſſio unius articuli jurisdictionis affert poſſeſſionem univerſalem totius jurisdictionis, ſeu omnium articulorum; præterquam ſi ſit alius in poſſeſſione jurisdictionis quoad alios articulos, juxta *c. auditis 15. de præſcript.* ubi de hoc actum. 2

Exemplum dat *Abbas n. 4.* ſi aliquis per temporis diuturnitatem exercuit actum præſentationis in Eccleſia, cenſeri debet verus, & abſolutus Patronus, quando nemo alius oſtendi poteſt, qui pro Patrono habitus ſit: ſed alia ratio eſt, ſi Epiſcopus unum actum jurisdictionis exercuerit in hoſpitali, non poteſt inde inferri, etiam in reliquis, & abſolutè loquendo, eſſe locum Religioſum, & Epiſcopo ſubditum, quando in alijs articulis hoſpitale immune fuit ab

Episcopo, & Laicæ jurisdictioni subditum, cùm id non rarum sit, & hospitalia sæpe loca sacra non sint, seu Episcopo non subjecta.

3 Notandum tertium. Olim singulis annis Episcopus veniebat ad parochias, causâ ministrandi Crucis consignationem, quod est Confirmationis Sacramentum: nam quolibet anno Episcopus parochias omnes diœcesis personaliter visitare debebat, ut exquirat, num reparatione indigeant *c. Episcopus* 11. *causa 10. q. 2.* tunc autem etiam confirmare poterat. Permittitur tamen etiam *incit. c.* ut, si impeditus sit Episcopus, per presbyteros, vel diaconos visitationem Ecclesiarum, & ministrorum peragat; quare quod attinet ad Sacramentum Confirmationis, regula hæc traditur, peccare Episcopum, si illud longo tempore administrare intermittat, ut docui *l. 5. t. 3. a. 6. in fine.*

4 Notandum quartum. Ex terminis seu finibus loci determinari non potest, ad cujus Episcopi spiritualem jurisdictionem parochia pertineat. Hòc dictum clarum est, si sermo sit de terminis, seu limitibus territoriorum; nam jurisdictio temporalis nihil commune habet cum diœcesi, & jurisdictione spirituali, prout docet *Felinus in c. cum causa n.* 12. *de probationibus, Barbosa hic n. 2.* Adde, quòd neque territorium semper secum ferat jurisdictionem temporalem, cùm in territorio unius alius jurisdictionem certi loci habere possit, ut proinde sit in territorio, non autem de territorio, teste *Menochio l. 3 præsumptione 97. n. 6. & 14.* Sin autem intelligatur de terminis, seu finitus diœcesis, tunc sensus est, quòd ex ipsis non possit certò definiri, quòd parochia posita inter fines, pertineat ad diœcesanum, cùm alius Episcopus per immemorialem possessionem, præscriptionémque potuerit jus parochiale in aliena diœcesi acquirere, prout dixi *in c. 4. de parochijs.*

CAPITULUM II.

Quia.

Paraphrasis.

Gregorius I. scribit ad Agapitum Abbatem, cùm monasterium, in fundo Martiano Campaniæ, ob hostium incursiones penitus destitutum sit congregatione, ut nè unus quidem remanserit monachus, quòd ipse decrevit monasterium illud cum omnibus rebus, & actionibus competentibus, ipsius monasterio unire, ita ut res dicti Martiani monasterij vendicandi à detinentibus, ac retinendi liberam habeat facultatem; insuper monachos in b. deputare possit, qui cessante hostilitate, opus Dei celebrare, & decenter deservire possint: veruntamen monasterium istud ordinationi Abbatis ita committit, ut non Episcopus Asurentinus, in cujus civitate monasterium Abbatis Agapiti existit, sed Episcopus Nucerinus, tanquam diœcesanus, jurisdictionem in eo habeat, nam Papa ita ejus loci ordinationem disposuit, ut interim jura singulis Episcopis inviolata serventur. Habetur *c. 9 registri epist. 67.*

Summarium.

1. *Romani Pontificis authoritate potest unum monasterium desertum alteri uniri.*
2. *Ita, ut omnia jura transeant in monasterium, cui fit unio.*
3. *Quid, si fiat unio monasterio alterius diœcesis aut monasterio exempto?*

NOtandum primum. Si monasterium penitus sit desertum, aut desolatum, omnibus Religiosis recedentibus, aut emortuis, tunc justa causa adest alteri monasterio illa Ecclesiæ uniendi; verùm per Romanum Pontificis auctoritatem. Est hæc species quædam donationis, uti ex hoc *c.* colligitur, ut clariùs habetur *in c. pastoralis 7. in fine de donationibus.* Addit *Abbas hic n. 2.* ut etiam Episco-

Episcopus hanc unionem facere potuisset, *argum. c. sicut 8. de excess. prælat.* requiritur causa justa necessitatis, vel utilitatis, tractatus quoque, & consensus Capituli Cathedralis, & aliæ juris solennitates; sic ut in casu Capituli, monasterium alteri monasterio extra diœcesin sito uniatur, cùm sit species quædam alienationis.

2 Notandum secundum. Etsi omnes professi monasteriũ aliquod etiam sine proposito redeundi, aut per mortem deserant, si tamen monasterium adhuc exster, vel ejus restaurandi spes sit, hoc in casu res omnes, jura, & actiones benigna jurisfictione censentur pertinere ad monasterium, seu Ecclesiam, tanquam accessoria ad suum principale, ita, ut si monasterium, vel Ecclesia per legitimam auctoritatem Ecclesiasticam alijs uniatur, ij per consequentiam jus ad bona, census, & actiones monasterio competentes, ac veluti adhærentes acquirant. Ita colligitur ex hoc *c.* & significat *Ioann. And.* quando monet, *verbo desolatur* debere monasteriũ à monachis esse derelictum, sed non penitùs destructum: eandémque doctrinam habet Baldus *proœm. ff. colum. 2.*

3 Sed quæstio est, si monasterium juxtà casum Capituli uniatur successivè monasterio sito in altera diœcesi, ita, ut Abbas monasterij principalis sit etiam prælatus monasterij uniti, quod veluti extinctum censetur: in hoc inquam casu, ad quem Episcopum pertinere debeat confirmatio Abbatis, non consentiunt DD. *apud And. hic n. 4. Petrum de Perusio in tra. de unione c. 10. n. 4.* Respondeo: vel sermo est de monasterio majore, vel de minore? si de unito, opus non est Episcopi confirmatione, quia uti notavit *Ioann. Zignæus hic, & Garzias de beneficio p. 12. c. 2. v. 50.* Confirmatio, & institutio cessat in monasterio, vel Ecclesia unita; quare Prior, seu Vicarius, actualem curam Conventûs ibi habens, constituitur per Abbatem, & Conventum monasterij principalis, cui subditus sit; vel si Conventui monasterij inferioris huic uniti, ex consuetudine electio Prioris aut Vicarij permittitur, ejus confirmatio ad Abbatem majoris monasterij pertinet. Vel sermo est de monasterio majore, seu principali? tunc dubitari non debet, Abbatis ejus confirmationem pertinere ad Episcopum, eúmque solum, in cujus diœcesi est monasterium principale.

Notandum tertium. Si monasterium, aliáve Ecclesia uniatur monasterio, aut Ecclesiæ alterius Diœcesis, vel monasterio, aut Ecclesiæ exemptæ, unio hæc fieri censetur salvo jure Episcopi, in cujus diœcesi monasterium unitum situm est. Ita hìc habetur, & *in c. ult. de confirmatione utili*, & notavit *Gloss. hic*, quòd per unionem hanc non fit præjudicium Episcopo, in cujus diœcesi monasterium est; item quòd Papa cuilibet jura sua conservare intendit. Excipe cum *Garzia l. 1.* quòd ea jura per unionem auferantur Episcopo, quorum ablationem unio per se, ac necessariò secum fert; nam qui vult unum, censetur etiam velle alia, quæ intrinseca sunt, aut necessariò consequentia: sic suprà dictum, quòd per unionem institutio, & confirmatio Prælati Episcopo auferatur, quia per unionem prælatura, aliúdve beneficium veluti extinguitur, prout annotavit *Glossa in c. & temporis v. unire, causâ 16. q. 5.*

Coroll. Episcopus jus retinet visitandi Ecclesiam unitam, ipsósque regulares inibi ministrantes, & habitantes, sicuti ante unionem factam visitare solebat; excipe, nisi unio facta sit regularibus Ordinis exempti, atque in Ecclesia unita regulares collegialiter vivant, sub aliquo Priore, aut Præposito, juxta ea, quæ dixi *in disp. de Prælat.*

CAPITULUM III.

De Xenodochijs.

Paraphrasis.

Xenodochia & similia loca sacra subsunt Episcoporum, in quorum diœcesi sunt, dispositioni, & ordinationi, quam ipsi facere debent juxta fines, & utilitates, ad quas ea loca constituta sunt.

SUMMARIUM.

1. *Hæc talia pia loca subsunt Episcopo, in cujus diœcesi existunt, nisi exempta ostendantur, ita ut fundatam habeat super his jurisdictionem Episcopus.*
2. *Et hinc curare etiam debet Episcopus, ut bona talis loci pij ad usum fundationi convenientem applicentur.*

1 NOtandum primum. Xenodochia & omnia loca pia, atque Ecclesiæ subsunt Episcopo, si in diœcesi existant, nisi ostendantur exempta: sive, ut aliter dicam, super omnibus monasterijs, Ecclesijs, & pijs locis in diœcesi positis, fundata est jurisdictio Episcopi, donec exemptio ostendatur. Ita sumitur ex hoc *c. & c. 6. & 7. hoc tit. c. Abbates 16. causâ 18. q. 2.* & allegato hoc textu docet *Azor t. 1. l. 12. c. 19. q. ult.* Sermo autem est de Xenodochijs, quæ inter loca pia numerantur, si videlicet cum Episcopi auctoritate erecta, aut ejus curæ commissa fuerunt, juxta *c. sequens*, & videri potest *Clem. quia hoc tit.* Interim nihil obstat, quominus Dominus sæcularis hospitale ædificare possit, idque suæ & hæredum, vel successorum curæ, & dispositioni subijcere. Addit *Innoc. & And. c.* sequente, quòd etiam oratorium hospitali adjungere possint, sed non ita, ut sacrificium Missæ in eo celebrare liceat absque auctoritate Episcopi. Quòd si hospitali Ecclesia, seu Capella adjuncta sit, cum Altari, & presbytero, & habeat campanam ad vocandum populum, signum hoc est, esse locum sacrum, secundùm Gloss. *in cit. Clement. §. finali verb. Altare, Barb. in c. sequente in fine.*

2 Notandum secundum. Episcopus curare debet, ut res & bona Xenodochij, alteriúsque pij loci, ad eum usum pium perveniant, ad quem à fidelibus fundata, & destinata sunt, neque ipsemet aliquid sibi ex sacris locis mendicare debet, vel appropriare, nisi quod jure concessum est *c. conquerente 16. de off. Ord. c. cognovimus causâ 12. q. 2.* quibus in locis statuitur, de Ecclesijs Diœcesalibus, quod Episcopus ultrà jura antiquitus consueta nihil ab illis, earúmque Rectoribus exigere possit.

Attendi etiam debet ad litteras fundationis & consuetudinem diuturnam, ut intelligatur, quisnam res, & bona Xenodochi temporalia administrare debeat; cùm enim in tit. spirituali non sint fundata, sed præbendæ Clericales, ideò eorum bonorum administratio in Laicos cadere potest.

CAPITULUM IV.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Urb. IV. num Domus hospitalis in sæcularem domum mutari possit? Respondet, si domus ad usum hospitalitatis, pauperúmque provisionem, prout moris est, cum Episcopi auctoritate destinata fuit, & idcircò locus religiosus, non debet amplius mundanis usibus deputari, quemadmodum hoc ipsum de vestibus, & vasis, ligneis, aliisque utensilibus, ad cultum Divinum ab Episcopo deputatis, antiqua Ecclesiæ consuetudo indubiè observat, & SS. Patrum Canones edocent.

SUMMARIUM.

1. *Hospitale non efficitur locus Religiosus, nisi publica auctoritate Episcopi constructum sit.*
2. *Et hinc, si sine auctoritate Episcopi erectum sit, liberè potest destrui, & in alium usum converti.*
3. *Ita tamen, ut templi utensilia, tametsi benedictionem non habeant, ad usum profanum adhiberi non debeant.*

NOtandum primò. Hospitale non efficitur locus religiosus, seu sacer, nisi publica Episcopi auctoritate constructum fi. Rationem dat *Gloss. v. auctoritate, in noc. & alij*, quia persona privata locum sacrum facere non potest, *lege in tantum 9. §. sacra res L. sacra 9. ff. de rerum divis.* quam ob rem benè monet *Gloss. in c. in Ecclesiastico v. si terram, causâ 13. q. 2. Abbas*

hìc n. 2. in Canonico foro non servari, cùm neque verum sit, quod docuit *I.C. in l. 2. cod. de relig. &c.* locum religiosum & sacrum fieri, ita ut vendi non possit, eo solùm, quia corpus hominis mortui illatum est, vel in eo sepultum manet.

2 Notandum secundò. Hospitale, quod sine Episcopi auctoritate erectum est, destrui, vel in alium usum liberè converti potest. Ita sumitur ex hoc *c.* per sensum contrarium, & docuit *Abbas hic n. 3. Gloss. in Clement. quia §. ult. verb. altare hoc tit.* Id verò sic intelligi debet, si aliquis domum ad suscipiendos pauperes, & peregrinos destinârit, absque fundationis obligatione, quòd revocare, & immutare possit; secùs autem, si hospitale fundavit, séque donatione inter vivos facta ei obligavit: si verò fundatio per modum dispositionis mortis causâ facta fuit, & ante mortem revocata non fuit, hæres implere cogitur, & ad id Episcopus compellere potest, cùm sit causa pia, tametsi hospitale sine Episcopi auctoritate constitutum sit, & ideò locus sacer non censeatur.

3 Notandum tertiò. Templi utensilia, tamersi benedictionem non habeant, ad usum profanum adhiberi nunquam debent *c. ligna 38. & c. sequente dist. 1. de consecratione.* est enim regula generalis 51. *in 6. semel Deo dicatum non est ad humanos usus transferendum ulteriùs* : quare nec monasteria, cùm inter sacra loca numerentur, in Laicorum habitacula, seu domos privatas, seu non religiosas converti possunt. *c. quæ semel 4. & c. sequente causa 19. q. 3.* Idem igitur in hoc *c.* decidituir de hospitali, si Episcopi auctoritate erectum, ideóque sacer locus sit, non posse amplius in domum profanam mutari, aut usibus profanis applicari. Id verò non rectè docuit *hic Abbas n. 5.* eos malè agere, qui vestes pretiosas, v. g. nuptiales, Ecclesiæ donant, ut exinde casulæ, & vestes sacræ conficiantur, cùm id nullo jure prohibitum sit, & per se sit opus pium, & nullâ circumstantiâ dehonestetur, quandoquidem dedicatio ad pium usum, superveniens benedictio, ex profano sacrum, & religiosum efficit.

CAPITULUM V.

Inter quatuor.

PARAPHRASIS.

ExInnoc. III. quæsivit Patriarcha Constantinop. num monasteria mutari possint in Collegia Canonicorum sæcularium. Respondet Papa, quamdiu monasteria per Religiosos ordinata possunt manere, non sunt transferenda ad Clericos sæculares; sed si regulares defuerint, quòd in eorum defectum monasteria per Clericos sæculares ordinari possint.

SUMMARIUM.

Episcopo non est concessum monasteria transferre ad sæculares Clericos, quamdiu per regulares ordinata manere possunt.

1 NOtandum. Episcopo non est concessum, monasteria, in quibus Religiosi sunt, transferre ad Clericos sæculares, quamdiu ea per regulares ordinata manere possunt. Ita intellexit *Gloss. & Abbas hìc*, nam uti ex integra lectione apparet in monasterijs, erant Religiosi aliqui, sed non sufficiente numero, aut qualitate, ita, ut ea reformatione indigerent, quam Patriarcha facere volebat per Canonicos sæculares: hoc itaque in casu reformationem, & ordinationem Episcopus facere debet per Religiosos ejusdem monasterij, si fieri possit; in defectum eorum advocandi sunt Religiosi ex alijs ejusdem Ordinis monasterijs, prout habetur *in c. relatum 7. ne Clerici vel Monachi* propterea quòd Episcopus, seclusâ necessitate, statum Ecclesiæ mutare non possit. Sin autem per ejusdem Ordinis Religiosos reformatio institui non possit, tunc ijs, qui in monasterio sunt, alibi collocatis, ordinatio fieri debet per alios Religiosos. Sin denique necessitas postulet, quia per regulares, sive ejusdem, sive alterius Ordinis

Monasterium ordinari non potest, tunc collocandi sunt Clerici Sæculares, uti colligitur ex *hoc c.* & tradunt *hic And. & Abbas.* Sermo autem est de Episcopo: at verò Pontifex ex justa causa potest licitè monasterium, si v. g. ejus professi malè vivant, ijs amotis, assignare Clericis Sæcularibus, uti *Abbas hic* monet *c. 6.*

CAPITULUM VI.

Constitutus.

Paraphrasis.

Ortâ lite inter Episcopum Albanensem & Monasterium Cryptæ Ferratæ de Jure Episcopali, contendentibus Monachis, Ecclesias ad suum Monasterium pertinentes, eidem concessas fuisse à prædecessore Episcopo cum omni jure Episcopali in emphyteusin sub annua pensione; & replicante Episcopi Oeconomo, id fieri absque Simonia non potuisse: rescripsit Pontifex, non esse insolitum, ut cùm Episcopi concedunt Ecclesias pijs locis, aliquid sibi reservent nomine pensionis; unde Monasterium ab omni impetitione Episcopi absolvit.

Summarium.

1. *Super juribus sibi competentibus Episcopus habet fundatam intentionem in Ecclesijs suæ Diœcesis, quamvis vi incorporationis, aut patronatûs à Religiosis possideantur.*
2. *Exemptionis privilegium ab Episcopo concedi potest cum Papæ confirmatione.*
3. *Concedens Exemptionem, censum sibi reservare potest in Ecclesia taliter exempta.*
4. *Verba disponentia accipiunt interpretationem ex subjecta materia.*

NOtandum primum. Episcopus habet intentionem fundatam super juribus sibi competentibus in Ecclesia sita in Diœcesi, tametsi ea jure incorporationis, aut patronatûs possideatur à Religiosis quibuscunque, ut hîc apparet, & *in c. sequente, & in c. conquerente 16. de off. ordinarij* & notat *Gloss. & Abb. hic n. 1.* qui addit *n. 2.* cum *Innoc. in cit. c. conquerente n. 4.* esse hanc petitionem, seu actionem universalem, in qua absolutè necessarium non est res & jura specificare: peto jura Episcopalia, debita mihi in Ecclesia ista; vel: peto Ecclesiam cum juribus spiritualibus suis, quæ sita est intra Diœcesin meam: sicuti is qui tamquam hæres petat hæreditatem, & ea omnia jura, & res ejus. *L. 1. & sequentibus ff. de petitione hared.*

Notandum secundum. Episcopus potest plenè, sive quoad omnes articulos Ecclesiam suæ Diœcesis à juribus Episcopalibus eximere per modum beneficij. Ita sumi videtur ex hoc *Capitulo*, sed arbitror necessarium fuisse, ut Papa ex certa scientia hoc exemptionis privilegium confirmaret, cùm Episcopus per se talem exemptionem concedere non possit, teste *Innoc. hic n. 2. Gloss. verbo à quocunque & V. confirmavit. Abbas n. 10. Doctores in c. 1. de privilegijs in 6.* contra quosdam, quos citat, & sequitur *Barbosa de off. Episcopi. p. 3. allegatione 19.* Quòd verò *Innoc. & Ioan. And.* hic ajunt, ab Episcopo institui posse v. g. Abbatem, tanquam Vicarium suum, ut in Ecclesia omnia agat, vice & jure Episcopi, id verum est, si agat, ut delegatus, & cum dependentia ab Episcopo; at verò ordinarium, atque perpetuum officium vicariatûs annexum alicui dignitati, vel Prælaturæ, præter ea officia, quæ Canones in Ecclesijs requirunt, Episcopum creare non posse, videtur juxta ea, quæ docui in *disp. de jurisdict. can. 50. & 51.*

Notandum tertium. Prælatus Ecclesiasticus concedens beneficium exemptionis, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ, potest censum à se in alterum transferens, potest censum aliquem modicum retinere, non ut pretium, aut in compensationem concessi beneficij, quippe quod spirituale est, atque pro eo aliquid

liquid temporale, ut pretium, sine vitio Simoniæ accipi non potest, sed duntaxat in signum recognitionis accepti beneficij. Ita sumitur ex *hoc c.* & tradit *Gloss. in notandis de recompensatione, Abb. n. 18. Suarez t. 1. de relig. l. 4. de Simonia c. 24. n. 37.* Dixi autem, modicum quid exigi posse; sin verò notabile sit, censetur per modum compensationis, sive commutationis, & reciproci contractûs simoniacè accipi, uti hîc *Abbas* notavit *argum. c. etsi 18. de Simonia.* Id verò extra controversiam est, si v. g. Romani Pontificis auctoritate parochia monasterio alicui uniatur, per transactionem, sive pactum aliquid certi statui posse, quod Episcopo ratione mortuariorum, cathedratici, aliarúmque similium obventionum, dari de jure debet.

Notandum quartum. Verba loquentium, aut disponentium accipiunt interpretationem ex materia subjecta, ita ut juxta eam sint etiam improprianda, sive ad impropriam significationem trahenda, prout pluribus relatis tradit *Barbosa hic n. 3.* & docui *cit. l. 1. tra. c. 18. n. 6.* Consentit *Abbas hic n. 22.* si in contractu, inquit, verba ponantur, quæ possint trahi ad varias species contractuum, non debemus contractum interpretari secundùm verba apposita, sed potiùs secundùm naturam contractûs: idque apparet ex hoc *c.* tametsi enim Oeconomus monasterij excipiendo proposuerit Ecclesiam concessam esse monasterio in emphyteusin, & in emphyteusi dominium rei maneat apud concedentem; at verò in censuali contractu dominium rei, & jus totum transfertur, adeò quidem ut tametsi biennio, aut triennio pensio, sive census non solvatur, non sit locus pœnæ commissi, sed agi debeat ad solutionem pensionum præteritarum, prout docui *l. 3. t. 4. c. 23. n. 2. & 3.* & tradunt hîc Canonistæ communiter; quamobrem etiam in casu hujus c. non fit ulla mentio commissi, sed tantùm præteritorum annorum non solutos census esse restituendos. Dices: cùm hujus pensionis sive censûs in litteris palibus nulla mentio facta fuerit, videntur subreptitiæ fuisse, sicuti objectum fuit. Respondetur, litteras confirmationis non fuisse subreptitias, quia designatio censûs intrinsecè non pertinebat ad libertatis concessionem, atque etiam, si expressus fuisset census, non minùs Papa annuisset, uti *hic Abbas n. 5.* notavit. Census itaque, liberâ partium voluntate, veluti seorsum constitutus fuit, ita ut gratis daretur exemptio, & gratis promitteretur census annuus, quia ita decens, & magis securum videbatur, ut videlicet sciretur, cujus beneficio Ecclesia ista ad monasterium pervenisset, & exemptio data esset.

CAPITULUM VII.

Cùm venerabilis.

Paraphrasis.

Episcopus Salinensis ab Abbate & Conventu Farbensi petebat Ecclesiam S. Angeli cum omnibus pertinentijs, & possessionibus, asserens ad se, tam in spiritualibus, quàm temporalibus pertinere; inprimis se fundans in jure communi, cùm sita sit in Diœcesi sua, ideò ad ipsius jurisdictionem spiritualem spectare; quod verò attinet ad temporalia, exhibuit instrumentum publicum, in quo continebatur, Sabinensem Episcopum, Abbati H. & duobus ejus successoribus, Ecclesiam cum suis pertinentijs locâsse pro annua quatuor solidorum Papiensium pensione. Ex parte monasterij propositum fuit, huic instrumento fidem non esse habendam, propter superlinearem scripturam, & rasuram in loco suspecto, videlicet, ubi temporis annotatio erat; quod verò ad locationem attinet, & qua ex parte Episcopi jus proprietatis inferebatur, responsum, tametsi testes deposuerint, vidisse se, quòd Ecclesia S. Angeli 4. solidos Episcopo persolverit, tamen per id monasterio præjudicium non generari, cùm non appareat, solidos illos

los à monasterio solutos fuisse; præterquam quòd non ostenderint testes, pensionem tanto tempore solutam fuisse, quantum ad præscriptionem perficiendam sufficere posset. His intellectis, cùm Innoc. III. cognoverit, Ecclesiam S. Angeli in Diœcesi Sabinensi sitam esse, Episcopo jus Episcopale in omnibus adjudicat, exceptis ijs, quæ per authenticas scripturas subtracta, ostendi possent; cæterùm quia instrumentum, per quod Episcopus Ecclesiam vindicare voluit, de jure suspectum est, ideò Abbatem in temporalibus ab impetitione Episcopi absolvit.

Summarium.

1. *Ex sola locatione facta non probat locans dominium.*
2. *Exceptiones.*
3. *Rasura in loco suspecto vitiat instrumentum, ut fides illi non habeatur.*

1 NOtandum primum. Ex sola locatione facta, locans rei locatæ dominium non probat. *l. ad probationem 23. L. si quis 25. eodem de locato.* Ratio dari debet, quia etiam alienam rem aliquis locare potest, non tantùm de facto, sed etiam quandoque de jure, quandoquidem is, qui conduxit, non prohibetur rem tertiæ personæ, æquè idoneæ, locare *L. nemo 6. C. eodem.* Ex quo sequitur, quòd neque per locationem fundi v. g. prohibetur possessio ejus, cùm conductor rem conductam non possideat, sed is, videlicet locator, cujus nomine possidet conductor *L. si 25. §. & per colonos. ff. de acquirenda possessione.* & adeò quidem ego, qui locavi, possessionem retineo, ut etiamsi tu, qui à me conduxisti, alteri locaveris, existimanti fundum tuum esse, possessio nihilominus per te penes me maneat. *L. qui universas 30. §. finali ff. eodem.*

2 Excipe primò. Si tu, tanquam colonus meus mihi pensionem solvas, vel alio modo, te colonum meum, aut conductorem profitearis, hinc possessionem probare possum contra te, (videlicet, quòd tu rem non possideas) non autem contra extraneos, ut notavit *Mascardus conc.* 1181. *n.* 17. & sumitur ex hoc *c.* quando in eo perpenditur, pro Episcopo contra monasterium per testes ostendi aliquid non posse ex pensione, nisi testes deponant, se vidisse, pensionem à monasterio solutam fuisse.

Excipe secundò. Si nemo alius in possessione sit, tum ex eo, quòd tu colonus te meum profiteris, v. g. per pensionis solutionem, probari potest, me possessorem esse, uti docet *Matt. de afflictis decis. 30. n. 2.* & videri potest *Bart. in cit. L. ad probationem.* ubi ait, quòd ex tali continuata possessione longo tempore cum titulo colorato præscriptio contra verum dominum perficiatur.

Notandum secundum. Rasura apparens in loco instrumenti suspecto, ipsum vitiat, ut fides ei habenda non sit; suspectus autem locus censetur ea pars instrumenti, ex qua maximè rei veritas deprehendi possit: hujusmodi judicatur esse annus datæ, vel indictio, juxtà *cit. c. inter* v. t. Minus tamen periculum, seu fraudis suspicio est, si ipse notarius, vel conditi testamenti scriptor, in eo loco raserit, vel quidpiam superscripserit, nam sicuti in totius instrumenti confectione, ipsi fides haberi debet, ita etiam in loco rasuræ, aut factæ correctionis, secundùm *Gloss. in L. ult. verbo prima figura ff. de edicto S. Adriani*, dumtaxat scriptura satis cognoscatur: sed quia inquens est, ut alienam manum aliqui imitari perfectè possint, ideò tutius, atque ita consultum est, ut notarius, vel testator v. g. qui testamentum scripsit, & aliquid in eo correxit, de rasura, aut correctione mentionem faciat, ante finem instrumenti, prout *Bart.* docet L. *in fraudem §. si quis v. 4. ff. de testamento militis.* Deinde si ex antecedentibus, & consequentibus idem appareat, quod in rasura, vel additione expressum est, non potest esse falsitatis suspicio, & ideò non censebitur rasura, vel literarum adjectio esse in loco suspecto, prout *hic Gloss.* notat *v. propter prædicta.*

CAPU

CAPITULUM VIII.

Cùm dilectus.

Paraphrasis.

Controversia erat inter Episcopum Aurien-sem, & Abbatem, atque Conventum monasterij, quia isti negabant Episcopo subjectionem, & ideò Episcopus in eos censuras tulit, Abbate, & Conventu ad Papam appellantibus; sed quia monasterij procurator Romam venit sine mandato procuratorio, & litteris de rato, ideò Innoc. III. causam hanc quibusdam in partibus delegavit, hac forma, ut si cognoverint Abbatem legitimè appellâsse, priusquam Episcopus in eum sententiam suspensionis, vel excommunicationis, interdicti verò in Monasterium tulit, vel hoc monasterium ab Episcopi jurisdictione exemptum esse, sententias illas pronuntient esse irritas, non obstante, quòd Abbas ab Episcopo circumventus, sine Fratrum consensu obedientiam ipsi promiserit; cùm fraus & dolus Episcopo patrocinari non debeat; sin autem Abbas in exemptionis probatione defecerit, neque legitima se præscriptione tueri possit, esto, quòd ostendat, se ante latam sententiam censuræ appellâsse, monasterium pronuntient Episcopo subjacere, in cujus Diœcesi situm est; quòd si verò in probatione appellationis priùs interpositæ defecerit, sed nihilominus ostenderit exemptionem, aut legitimam præscriptionem, tunc monasterium ab impetitione Episcopi absolvant.

Summarium.

1. *Appellatio interposita impedit, ne censura postea ferri possit.*
2. *Quando sufficiat ad validum actum jurisdictionis, quòd sit aliquis in possessione superioritatis?*

1 Notandum primum. Appellatio interposita impedit, ne censura postea ferri possit contra appellantem; idque est intelligendum, sive sit appellatio judicialis, sive extrajudicialis. Ita ex communi *Abbas hic n. 2. Barb. & alij.* Ratio est, quia excommunicatio non fertur, nisi in contumacem; non censetur autem contumax, qui post interpositam Appellationem, in ea causa, in qua provocavit ad Superiorem, ejus judicio, præcepto, ac sententiâ stare paratus est.

2 Notandum secundum. Ut sententia excommunicationis, aliúsve jurisdictionis actus valeat, satis non est, aliquem esse in possessione superioritatis. Ita sumitur ex hoc *c.* quando dicitur, non obstante, quòd Abbas circumventus, se Episcopo sine Fratrum consensu subjecerit, censuram latam ab Episcopo irritam esse: qua de re generaliùs hìc disputant *Innoc. And. &c.* cùm existens in possessione officij, aut potestatis, licèt titulo, & jure destitutus sit, tamen validè exerceat jurisdictionis actus. Respondeo tamen, & dico primò. Si in possessione officij existens habeat titulum coloratum à Superiore, licèt vitium, seu inhabilitas ex jure positivo proveniens subsit, sed publicè ignoretur, omnia ejus acta valent. Hæc est receptissima sententia ex *L. Barbarius ff. de officio prætoris*, quam explicavi *l. 1. t. 4. c. 22. n. 9.* & benè declarat *Abbas in c. nisi. n. 11. de electione* duo requirens, ut gesta valeant, publicum errorem, & auctoritatem Superioris; unum autem sine altero non sufficere ad supplendum defectum. Dico secundò. Si titulus coloratus desit, & possessio officij, vel potestatis injusta sit, seu malæ fidei, actus jurisdictionis exercitos, non obstante publico errore, irritos esse: breviùs dico, actus jurisdictionis, v. g. sententiam excommunicationis, dispensationis, absolutionis &c. ab Episcopo, aut Parocho intruso exercitos, nullius esse roboris, tametsi vitium intrusionis ignoretur, uti colligitur ex hoc *cap.* & notavit *Abbas hic n. 4. L supra cit.* Exemplum affert *Sanchez l. 3. de mat. disp. 22. n. 63.* in quodam oppido, cùm Parochus abesset, Senatus ci-

vicus ſubſtituit ſimplicem Sacerdotem, qui biennio omnia Parochi miniſteria obivit, communi incolarum opinione pro vero Parocho habitus: dicendum, inquit *Sanchez* Sacramenta Confeſſionis, & Matrimonij, quæ ad ſui valorem jurisdictionem Parochi deſiderant, invalida fuiſſe; licèt contrarium, ſed non rectè auſus fuerit docere *Baſilius Pontius de matrimonij Sacramento l. 5. c. 20. n. 6. & 9.* Neque obſtat his, quòd DD. aliqui docuerint apud Felinum, quos ipſe dubius tamen, & cunctabundus ſequitur, *in c. 1. n. 18. de fide inſtrumentorum*, ſi Notarius falſus, & intruſus ſit publicè habitus pro vero Notario, inſtrumenta ab ipſo confecta valere, ut colligi videtur ex *Authent. de tabell. ante §. ult. V. tunc ſubjacet pœnæ.* Nam reſpondetur primò, ſententiam hanc communiter reprobari, ut videre eſt apud *Commendatorem, Felinum, & Iaſonem in cit. L. Barbarius n. 48.* contraria, inquit, opinio procul dubio eſt veta, & communis, quam intrepidè teneas, quòd talia inſtrumenta nihil valent, & communis error nihil operatur, quando non proceſſit creatio Notarij ab habente poteſtatem: quæ poſtrema verba ideò addit, ut reſpondeat ad *Legem Barbarius*: ſi enim præter errorem communem adeſſet titulus coloratus, quia Notarius à Principe conſtitutus eſſet, qui occulto defectu v. g. ſervitutis laboraret, actus ejus, & inſtrumenta valerent, juxta primam noſtram aſſertionem.

Reſpondetur ſecundò. Tametſi vera eſſet doctrina ea, quæ Notarij putatitij hîc aſſerit valere inſtrumenta, non tamen poſſet transferri ad actus jurisdictionis, præſertim contentioſæ: quare licèt aliqui DD. docuerint eam doctrinam, videlicet inſtrumenta Notarij intruſi valere propter publicam opinionem, nemo tamen, quòd ſciam, præter Pontium docere auſus eſt, Sacerdotem v. g. intruſum in parochiam validè abſolvere.

Dico tertiò. Valdè probabile eſt, ſi quiſpiam ſine Superioris collatione, vel auctoritate, ſit bonæ fidei poſſeſſor alicujus Prælaturæ, aut officij, quòd acta ejus, dum publicè defectus ignoratur, valida ſint. Ita ſentit *hìc Innoc. n. 2. And. n. 4.* alii ajunt, ita ſentire aliquos, & uti ipſis videtur, meliùs, *Iaſon in cit. L. Barbarius n. 51.* Ponamus v. g. Titium in Parochia tanquam Parochum ſuſcipi, bonâ ejus fide, quia putat Epiſcopum mandâſſe, & in ea Parochia poſtea aliquamdiu tolerari, cum ſcientia Epiſcopi; actus jurisdictionis à eo Parocho exerciti, v. g. abſolutionis, validi erunt *argum. c. conſultationibus 19. de jure pat.* ubi dicitur, quòd valeat actus præſentationis ab eo factus, qui in poſſeſſione juris patronatûs fuit, licèt poſtea appareat, non fuiſſe verum patronum. Rationem omnes afferunt, quia præſentare eſt veluti fructus quidam juris patronatûs, qui poſſeſſori jura facultatem tribuunt, fructus percipiendi, quamdiu in bona fide eſt, exiſtimans ſibi jus competere *L. bona fidei 48. ff. de acquirendo dominio*, & videri poteſt *Abb. in cit. c. conſultationibus n. 3. Baldus in L. 7. n. 79. Cod. de ſervit. & aqua*: ubi ajunt, duo in hoc caſu requiri errorem publicum defectûs, & bonæ fidei poſſeſſionem. Confirmatur ergo, quòd per hujuſmodi actus jurisdictionis exercita temporis diuturnitate, cum ſcientia & patientia Superioris, præſcriptio perfici poſſit, uti docent *Innoc. And. & alij in c. Olim c. de reſtit. ſpol.* ergò actus ij validi ſunt probo conſequentiam; partim quia non eſt conveniens, ut exercitio actuum invalidorum præſcriptio perficiatur, & jurisdictio re ipſa acquiratur; partim quia, ſi tanta bona bonæ fidei poſſeſſori officij aut Prælaturæ unum poſſeſſionis commodum, videlicet præſcriptionem, tribuunt, ita nequeunt eorum negare debent, ut validè operanti veluti fructum officij capere poſſit *arg. c. conſultationibus. & c. querelam 24. de elect.* ubi hoc ipſum dicitur de electione, eam à bonæ fidei poſſeſſore factam, ratam eſſe habendam, tametſi jus eligendi revera non habeat. Quare non placet doctrina

Alii

Abb. in cit. c. nihil n. 11. quem sequitur *Sanch. d. 22. n. 54.* discrimen esse inter actus electionis & præsentationis à bonæ fidei possessore exercitos, & inter actus jurisdictionis; quòd his actibus jura resistant, ne validè fiant, nisi adsit concessio Superioris: nam hanc resistentiam ipsi probare, non supponere debent, præsertim cùm jura potiùs in hoc casu assistere videantur possessori, dum præscriptionis beneficium tribuunt, juxta illud vulgatum, quòd consuetudo præcripta jurisdictionem dat, & aufert. Dixi autem suprà, ad jurisdictionem præscribendam & possidendam opus esse scientiâ & patientiâ Superioris, cujus est conferre, quia id generale est, quòd possessio & præscriptio jurium non procedat sine scientia, & patientia domini, uti docent Legistæ, item *Bart. in L. 4. n. 6. Bald. in L. 2. n. 18. cod. de servit. Iason. l. c. n. 52.* ubi hi resolvunt, si aliquis ingressus sit in parochiæ possessionem, tabellionatûs vel alterius officij, sciente & patiente Superiore habente potestatem, actus ejus valere.

CAPITULUM IX.

Ne nimia.

Paraphrasis.

Mandat Pontifex Innoc. III. cum Concilio Generali, ne quis inposterum novam Religionem inveniat, sed quicunque ad Religionem voluerint converti, unam ex approbatis eligant. Vetat insuper, ne quis in diversis Monasterijs locum Monachi assumat, nec unus Monachus pluribus Monasterijs præsit.

Summarium.

1. *Novum institutum Religionis nemo introducere potest sine Romani Pontificis authoritate.*
2. *Qui in aliud Monasterium legitimè transfertur, amittit jura prioris Monasterij.*

NOtandum primò. Nemo jam potest novum Religionis institutum introducere, aut novam Ordinis regulam condere sine expressa Romani Pontificis approbatione. Idem habetur *in c. unico hoc tit. in 6. Et in Extravag. un. Ioann. 22. eodem tit.* ubi secta appellatur, quæ sine Sedis Apostolicæ approbatione introducta est Religio. Vide *Suarez. tom. 3. de Relig. l. 2. de relig. status essentia c.* 15. & 16. & quæ dixi *l. 4. tr. 5. c. 1. n. 3.* 1

Notandum secundò. Si professus unius monasterij in aliud monasterium legitimè transferatur, aut in Abbatem, vel Præpositum Regularem alterius monasterij assumatur, statim amittit jus, ac titulum prioris monasterij, consequenter etiam amittit jus suffragij dandi in priore monasterio, hoc ipso, quòd non sit unus ex corpore, sive collegio illo, sed ad aliud translatus. Consentit *c. constitutis 47. de electione.* ubi id docui *not. 2. & in disp. de Prælat. q. 202.* 2

CAPITULUM VNICVM
eodem Titulo in sexto.

Religionum.

Paraphrasis.

Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunensi repetit Innoc. III. decretum in Lateranensi Concilio latum suprà *c. ult. hoc tit.* ne quisquam de cætero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, vel novæ Religionis habitum assumat, ideóque omnes Religiones, & Ordines Mendicantium, qui post dictum Concilium inventi sunt, & Sedis Apostolicæ approbationem non acceperunt, prohibet, ac revocat.

Summarium.

1. *An hæc prohibitio & irritatio extendatur ad omnes Congregationes Virorum ac Mulierum?*

2. *Qui sub certa vivendi forma, sine Romanæ Sedis licentia, congregati sunt, liberè discedere possunt.*
3. *Potest quis in certo habitu solitariam vitam agere, edito etiam voto Castitatis, & obedientiâ Episcopo promissâ.*

1 DUbitatur, num hæc prohibitio, & irritatio extendatur ad omnes congregationes virorum, ac mulierum, quæ sub certa regula, ritu, aut habitu, absque Sedis Apostolicæ licentia in communi vivunt pietatis ac Religionis zelo; licèt propriè Religiosi non sint, si substantialia tria vota non edant. Negat *Felinus in c. Ecclesia S. Mariæ n. 1. de constit.* ubi ait, hac constitutione non comprehendi eos, qui inducunt novum modum vivendi religiosè, non factâ professione, quia hæc non est propriè Religio. Sed contrarium est asserendum cum *Abbate parte 2. cons. 55. Suarez tom. 3. de relig. l. 2. de essentia status Religiosi c. 16.* nam Pontifex hîc declaravit, universim prohiberi, ne quis novum Ordinem aut Religionem inveniat; talis autem congregatio sub certo vivendi modo, regula, aut habitu Ordo propriè dici potest, idque magis apparet ex *Extrav. S. Mariæ Ioann. 22. & Clement. 1. hoc tit. & Clement. 2. §. illas de statu Monach. & c. indemnitatibus 43. §. supra dicta de elect. in 6.* in quibus locis mentio fit Canonicarum Regularium in communi viventium, quarum institutum, regulam & ordinem Pontifices ajunt, suæ intentionis non esse, tum approbare, satis significantes ad statum, & firmitatem talium Congregationum opus fore Pontificiâ approbatione, quam & quædam Virgines in communi ita viventes sub certa regula, licèt proprium possideant, & verè religiosæ non sint, quibusdam in locis ab eadem Sede acceperunt.

His addendum primò. Quòd viri & mulieres, quæ in Ordinem aliquem seu Congregationem sub certa vivendi forma, seu regula Religionis, sine Romanæ Sedis licentia, consociatæ sunt, liberè discedere possint, prout docet *Suarez n. 24.* quòd promissiones harum personarum in ordine ad talem congregationem sint nullæ, & ideò votum obedientiæ, si editum fuerit, irrito habendum; imò etiam votum castitatis, si fiat cum intentione ad talem congregationem: suadendum quidem in hoc casu, ut absolutè castitatem in sæculo servent, vel ad Religionem approbatam se transferant; si tamen nolint, matrimonium contrahere non prohibentur.

Addendum secundò. Non esse prohibitum, quominùs viri in certo habitu solitariam vitam separatim agant, edito etiam voto castitatis, & obedientiâ promissâ, v. g. Episcopo, & Successoribus ejus: item ut mulieres promissâ continentiâ, aut etiam eâ non promissâ, in privatis ædibus, certum vivendi, Deóque serviendi ritum, ac regulam servent, cùm solùm Ordo in communi viventium absque Sedis Apostolicæ impetrata licentia prohibitus sit, uti monuit *Gloss. verbo habitum, Abbas & Suarez n. 25. Navarr. c. 27.* & quæ hîc dicta sunt, anno præcedente S. D. N. Urbanus VIII. per quandam bullam ostendit in abrogatione mulierum in communi viventium, & Societatis JESU institutum sine Sedis Apostolicæ licentia perperam æmulantium.

TITU-

TITULUS XXXVII.

DE CAPELLIS MONACHORUM.

PRæter monasteria, & alia loca Religiosi quandoque Capellas, seu parochias plebanas obtinent, ideò conveniente ordine de his subjungitur

CAPITULUM I.

In Ecclesijs.

PARAPHRASIS.

In ijs Ecclesijs, in quibus Monachi habitant, populus non per Monachum regatur, sed Capellanus ab Episcopo instituatur ex consilio Monachorum, ita ut ejus Capellani ordinatio & depositio, totiúsque vitæ conversatio ab Episcopo dependeat.

SUMMARIUM.

1. *De jure antiquo non poterant Monachi in suis Ecclesijs habere curam animarum.*
2. *Vicarius sæcularis ab Episcopo institutus, in parochia monasterio unita, in jurisdictione Episcopo subjectus est.*
3. *Quid de Vicario Religioso in Ecclesia unita?*

NOtandum primum. Si in Ecclesia, ubi Monachi collegialiter habitant, exercenda sit cura animarum, erga populum, ea non per Monachum administrari debet, sed per Capellanum Sæcularem, ab Episcopo institutum, ad præsentationem Monachorum. Ita hunc textum intelligit *Innoc. & And. Abbas n. 1. Sylvester V. relig. 7. q. 7. Angelus v. Monachum n. 5. Armilla n. 6.* quam rem optimè declarat *hic Abbas n. 5.* istud procedere secundùm jura antiqua, & considerato mero statu Monachorum. At verò spectato hodierno jure Monachi prohiberi non possunt, si curam Parochialis Ecclesiæ monasterio suo unitæ, ex ipso monasterio administrare velint, per aliquem suorum, ab Episcopo examinandum, & approbandum; præterquam si ex primæ fundationis tenore, vel receptâ consuetudine, sæcularis Vicarius in unita Ecclesia instruendus & intitulandus sit, ut latiùs docui *in disp. de Prælatis q. 206. & 207.*

2 Notandum secundò, Vicarius, qui in parochia monasterio unita positus est, jurisdictioni Episcopi subditus esse debet, idque absolutè loquendo, & in omnibus, si sit Vicarius sæcularis ab Episcopo investitus; ut proinde etiam depositio ejusdem, sive destitutio ad Episcopum spectet, uti *And. hic nota. n. 1. & Barb. n. 6.* Sin autē sit Religiosus obedientiarius, tunc amotio ejus, seu revocatio ad Abbatem pertinet, quamvis etiam Episcopus ex causa justa, si videlicet idoneus non videatur, ad eum per Prælatum amovendum agere possit: quod autem attinet ad visitationem, & correctionem, distinguere oportet, num obedientiarius sit è monasterio exempto, an non exempto; si posterius, constat, eum absolutè subesse Episcopo; si prius, non subest absolutè, sed in ijs tantùm, quæ ad curam Ecclesiæ, & Parochianorum, Sacramentorum confectionem, & administrationem spectant, in quibus proinde ab Episcopo visitari, & delinquens corrigi potest, uti etiam videre est in *Bulla Leonis X. & in Conc. Lateran. anno* 1518. *apud Quarantā v. privilegia regularium fol. 509.* & plura dixi *in citata disp. q. 208.* ubi limitationē posui, quam hìc *Innoc.*

Ioann. And. & alij habent: nisi parochia unita monasterio, quoad omnia, seu jure plenissimo exempta sit, si videlicet etiam populus ab Episcopo exemptus, & monachorum curæ subditus sit, ita ut Abbas quasi Episcopalem in eo loco jurisdictionem obtineat; tunc enim patet, quòd Episcopus se intromittere non debeat, secùs autem est, si parochia unita sit jure pleno, id est, tam quoad spiritualia, quàm tempotalia juxta *c. 3. de privilegijs*, populus autem, & ipsamet parochialis Ecclesia in spiritualibus ab Episcopo non exempta.

CAPITVLVM II.

Dilectus.

Paraphrasis.

Cùm Ecclesia S. Cæciliæ in petitorio & possessorio ab Ecclesia S. Laurentij sitæ in Parochia S. Cæciliæ subjectionem postularet in scrutinijs, Baptismo, Capitulis, & similibus; ac Presbyter S. Laurentij sponte confessus esset, quòd Ecclesia S. Laurentij scrutinium & Baptisma debeat Ecclesiæ S. Cæciliæ, ac ad Capitulum vocatus venisset; ex adverso autem Procurator Ecclesiæ S. Laurentij proponeret, eam immediatè ad Sedem Apostolicam pertinere, ac ab eadem institutionem & destitutionem liberè exercere: Pontifex Ecclesiam S. Laurentij ratione Baptismi & Scrutinij Ecclesiæ S. Cæciliæ obligatam pronuntiavit; in institutione verò, & destitutione, & Capitulo ab impetitione Clericorum S. Cæciliæ absolvit.

Summarium.

1. *Potest aliquis simul possessorio recuperandæ, & petitorio judicio agere.*
2. *Confessio Rectoris Ecclesiæ non collegiatæ in judicio facta nocet Ecclesiæ.*
3. *Ex eo, quòd citatus ad Capitulum in eo compareat, ostendi potest possessio subjectionis.*
4. *Per sententiam contra Ecclesiam rationе exemptionis, nihil præjudicatur Romanæ Sedi.*

NOtandum primum. Potest aliquis possessorio judicio recuperandæ, & petitorio experiri: qua de re dixi *in c. 2. de causâ possessionis*. Dicebat autem hîc procurator parochiam possessione subjectionis, & obedientiæ spoliatam fuisse, eo ipso, quòd Ecclesia S. Laurentij eam denegârit; cùm antea præstare solita fuerit. Qua de re Doctores *in c. querelam 24. de elect.* & dixi in *auditis not. 4. de præscript. & in c. suborta 2. not. 3. de re judicata.*

Notandum secundum. Non ideò, quia Ecclesia aliqua præsertim collegiata aut Conventualis sita est intra fines parochiæ, eidem parochiæ subdita est: quare Pontifex rejecit hanc præsumptionem fundatam in jure communi, & non plus pro Syndico actore pronuntiavit, quàm ab isto probatum fuit, maximè propter confessionem Rectoris Ecclesiæ, quæ dicebatur subdita, quoad scrutinium, Capitulum &c.

Notandum tertium. Confessio Rectoris Ecclesiæ non collegiatæ, facta in judicio, nocet Ecclesiæ, cùm illi jus agendi, & defendendi pro juribus Ecclesiæ suæ competat: paulò alia est ratio de Ecclesia Collegiata, seu habente conventum; cùm enim Prælatus saltem in causis arduis, seu majoris momenti, sine Conventu agere non possit in judicio, consequens est, ut nec confessio solius Prælati noceat Ecclesiæ, uti docui in *c. 2. de test. in 6. ex cap. suborta.*

Notandum quartum. Si Clericus, vel Religiosus citatus ad Capitulum comparuerit, ostendi hinc potest possessio subjectionis, uti *Gloss. hic* monet: requiritur tamen, ut aliquis accesserit tanquam obligatus sic & non ultrò, ac sponte; quare ait Abbas hîc necessarium esse, ut sæpius vocatus venerit, quod verum est ordinariè loquendo; poterit tamen etiam ex prima citatione, ex paritione apparere quòd aliquis venerit tanquam obligatus, & ita possessio acquiri; ea propter consultum est, ut v.g. Religiosus exemptus ad parochorum Capitulum vocatus, si

si veniat, ut de rebus Ecclesiasticis consultet, qui se obligatum non esse arbitratur, de eo in Capitulo protestetur.

Notandum quintò. Si in controversia subjectionis judicetur contra Ecclesiam, quæ dicebat se exemptam, non ideò in jure exemptionis præjudicatur Romanæ Sedi, quò minùs ipsa jus subjectionis immediatè ostendere possit, ut sumitur etiam ex *c. ad audientiam 13. de præscript.* & expressiùs habetur *in cit. c. suborta*, quibus locis id docui.

CAPITVLVM III.

Ex parte.

Paraphrasis.

Abbas & Conventus Rivensis questi sunt Honorio III. quòd Episcopus Venetensis compellere ipsos velit, ut in Prioratibus suis plures monachos instituerent, cùm tamen facultates Prioratuum non sufficerent: tunc litteræ, & mandatum quasi à Sede Apostolica emanans, afferebatur ad Abb. S. Albani, in hac forma, ut ipse inquireret de facultatibus Prioratuum, & si sufficere videat, plures monachos in singulis Prioratibus instituì curet; sin minùs, inhibeat Episcopo, ne monachos molestaret super plurium institutione. Hinc itaque Abbas & Conventus dixerant, sibi per literas Apostolicas concessum esse, ut in singulis Prioratibus eorum, singuli monachi habitarent (sicuti antea solebant) dummodo facultates pro pluribus non sufficiant; veruntamen, cùm id Concilio Lateranensi sub Alexandro III. suprà *in c. 2. de statu monach.* repugnaret, ait Honorius Papa, non credere se, tales litteras à Sede Rom. emanâsse; si autem propter occupationes fortasse emanârunt, nolle se Concilio Generali esse derogatum.

Summarium.

1. *Littera Apostolica, contra stylum, & praxin Curiæ scriptæ de falsitate sunt suspectæ.*
2. *Fieri potest, ut contra Principis voluntatem, & hoc nihil sciente, mandata nomine ipsius spargantur.*
3. *Contra decreta Concilij Generalis non facilè concedit gratiam Papa.*
4. *Leges etiam prohibitoriæ, quando sint extendendæ?*

NOtandum primum. Si litteræ à Sede Apostolica v. g. emanent, quæ contra stylum, & praxin Curiæ scriptæ sunt, de falsitate debent esse suspectæ. Ita etiam habetur *in c. ad te 10. de rescript.* 1

Notandum secundum. Accidere potest, & interdù solet, ut literæ & mandata à Principe emànent, præter ipsius scientiam & voluntatem: quare si talis obreptionis suspicio sit, exspectari potest, & interdum debet, donec Princeps certior factus, & plenè informatus alterum responsum det. Ita etiam *in c. si quando 5. de rescript.* 2 3

Notandum tertiò. Papa non facilè privilegia, aut gratias concedit contra decreta Concilij Generalis; & ideò subreptitia censeri debet impetratio gratiæ, nisi in litteris exprimatur clausula derogatoria Concilij Generalis. Ita sumitur ex hoc *c.* & notavit *Gloss. hic in notandis And. in principio Barbosan. 3.*

Notandum quartum. Leges etiam prohibitoriæ extendendæ sunt ad casum nõ expressum, si ex identitate rationis colligi possit, talem fuisse mentem legislatoris, idémque sentiendum de alijs, v. g. pœnalibus, alioqui non extendendis. Ita sumitur ex hoc *c.* & notavit *Abbas. n. 1.* nam in Conc. Lateran. *c. 2. de statu Monach.* prohibitum erat, ne monachi &c. soli manerent inter sæculares, sed cum quibusdam fratribus. Hoc ipsum autem Honorius III. *hic & in c. sequente* ait, de Prioritatibus monachorum in eodem Concilio definitum esse, non quidem verbis formalibus, sed implicitè comprehensivis, ex perspecta mente legislatoris ob rationis in Lege expressæ identitatem. 4

CAPI-

CAPITULUM IV.

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

Intellexerat Honorius III. quosdam monachos lege Diœcesana Episcopi subditos, in Prioratibus habitare solitarios, contra decretum Generalis Concilij sub Alex. III. Ea propter mandat Archiepiscopo Burdegalensi, ut eorum Abbates vel Priores, prævia monitione per Ecclesiasticam censuram compellat, ut vel monachis ad claustrum revocatis, ijs Ecclesijs per sæculares ministros deserviri curent; vel si inibi manere velint, monachos eisdem associent, cum quibus vitam regularem ducere possint.

SUMMARIUM.

Episcopus cogere potest Prælatum Regularem, ut per sæcularem Clericum regatur Prioratus, si non sufficiant redditus Prioratûs talis pro socio regulari.

NOtandum unicum. Episcopus cogere potest Prælatum regularem, ut Prioratum, cujus facultates non sufficiunt pro plurium monachorum ibi habitantium sustentatione, patiatur regi per sæcularem Clericum; eò quòd monachi juxta Lateran. Conc. habitare non debeant in parochijs, vel Prioratibus, nisi sociati cum alijs fratribus, ita, ut vitam simul regularem ducant; & ita non unus tantùm, sed plures socij requiruntur, juxta *c. 2. de statu monach & c. præcedens secundùm integram lectionem*, eodémque modo DD. aliquos intellexisse testatur *Hostiensis hic*, quibus contradicit *And.* fateor tamen proximè præcedentibus sæculis non fuisse observatum, atque hodierno jure, si Ordo permittat, ut monachus extra monasterium degens Prioratum, vel parochiam monasterio unitam administret, satis esse ipsi unum socium adjungere, prout non obstante Pij V. constitutione Greg. XIII. vivâ voce declarâsse dicitur, apud *Quarant. in Bullarij summa v. Vicarius fol. 631.*

CAPITULVM VLTIMVM, eodem titulo in Sexto.

Presbytero.

PARAPHRASIS.

Cùm presbyteri, qui à monachis in eorundem Ecclesijs Episcopo ad curam animarum præsentantur, & ab eo instituuntur, debeant esse perpetui, non possint per alium, nisi per Episcopum, & quidem ex causa rationabili amoveri, non obstante quovis statuto, aut consuetudine.

SUMMARIUM.

1. *Curati in Ecclesijs parochialibus posse debent esse perpetui.*
2. *In parochijs monasterio unitis, præsentatio spectat ad monasterium; approbatio, & institutio ad Episcopum.*
3. *Uti & destitutio talium institutorum.*

NOtandum primum. Qui in Ecclesijs parochialibus ponuntur curati, debent esse perpetui, & intitulati, spectato communi jure. Ita notavit *Gloss. hic v. perpetui*, & colligitur ex *c. 2. disp. 7.* Dicitur autem hic perpetuum, quod durat ad hominis vitam, juxta *L. 1. ff. pro socio.*

Notandum secundum. Si in parochijs, quæ monasterio pleno jure, id est, quoad temporalia, & spiritualia unitæ sunt, instituendus sit Vicarius sæcularis, præsentatio spectat ad monasterium; examinatio autem personæ, approbatio, & institutio, consequenter & depositio ad Episcopum. Ratio est, quia parochia ratione curæ plebis manet sæcularis, & Episcopo subdita; neque enim potest Episcopus curam & jurisdictionem spiritualem erga Ecclesias & plebes deponere, *argum. L. penult. ff. de officio præsidis. c.*

cum

cum Venerabilis 21. de cens. & notat *hic Anchoranus colum. 1. Franc. n. 3.*

Notandum tertium. Nulla consuetudine aut statuto introduci potest, ut in Ecclesijs curatis, quæ Episcopo subjectæ sunt etiam quoad institutionem ministrorum, instituti, & intitulati per alium removeantur, quàm per Episcopum. Ita colligit *hic Franc. n. 2.* esset enim directè contrarium jurisdictioni Episcopali, atque Ecclesijs noxium, si ministros ab Episcopo institutos, eidémque subditos, alius, v. g. monasterij Abbas, amovere, sive destituere posset; interim nihil obstat, quò minùs per privilegium, ac præscriptionem, jus non tantùm instituendi, sed etiam destituendi ministros, à Clericis in dignitate constitutis, & Prælatis acquiri possit, juxta ea, quæ dixi *in disp. de jurisdictione sonc. 77.*

TITULUS XXXVIII.

DE JURE PATRONATUS.

QUia ad Capellas monachorum unitas monasterio frequenter competit jus præsentandi presbyteros; ad multa etiam beneficia, de quibus superioribus Titulis dictum fuit, Clericorum institutio fiat ad præsentationem patroni, ideò de Jure Patronatûs hoc in loco tractatur.

CAPITULUM I.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Ad Synodum Cabilonensem sub Carolo Magno perlatum erat, cùm inter hæredes fundatoris, ac Patroni discordiæ ortæ essent, quòd Ecclesia in plures partes fuerit divisa, quarum singulæ suos habeant presbyteros: decernit itaque Synodus, Ecclesiam inter hæredes Patroni dividi non debere, sed si controversia inter illos orta sit, propter quam presbyter officio suo canonicè fungi non possit, & res componi nequeat, prohibendum esse ab Episcopo, ne in ea Ecclesia missarum solemnia celebrentur, donec ad concordiam redeant hæredes, & Ecclesia Sacerdotem canonicè institutum habeat, qui suum ministerium liberè exerceat.

SUMMARIUM.

1. *Si plures sint Patroni hæredes, quid faciendum circa præsentationem?*
2. *In discordia patronorum, qui ad concordiam adigi non possunt, quid Episcopo faciendum?*

NOtandum primum. Si plures sint Patroni hæredes, Jus Patronatûs, & præsentationis inter se dividere non possunt, ut unus in una parte Ecclesiæ, alius in alia, presbyterum collocet. Rationem dat *Gloss. hic*, quia Jus Patronatûs est quid simplex, & indivisibile, atque ideò pluribus ita competit, ut singuli habeant in solidum. Veruntamen ad evitandas discordias, quæ facilè oriri possunt inter patronos, dum alius hunc, alius illum Clericum judicat esse præferendum, remedium indicatur, & permittitur *in Clement. 2. hoc tit.* ut patroni jus præsentandi inter se dividant, ratione temporis, & alternis vicibus præsentent, sive in una Ecclesia, sive in pluribus; idémque dicendum, si duo patroni annos, aut menses inter se partiantur, v. g. si mensis, vel annus sit in numero pari, pertineat præsentatio 1

ad Titium ; si in impari, ad Cajum. Aliud remedium affert *Gloss. recepta in cit. Clement. v. liberè.* ut patroni divisionem instituant ratione locorum, seu Ecclesiarum, si videlicet in pluribus Ecclesijs patroni Jus Patronatûs habeant simul, conveniant inter se, ut unus in hac, alius in alia Ecclesia præsentet. Quòd si verò ejusmodi divisio inter patronos per pactionem voluntariam facta non sit, tunc considerato communi jure, distinguere oportet, num Jus præsentandi pertineat ad plures ut singulos, an verò ad plures ut conjunctos; si ad plures, ut singulos, quod accidit, si plures sint patroni ex diversis causis, videlicet unus ex fundatione Ecclesiæ, alius ex ædificatione, alius ex dotatione : vel si unius patroni plures filij aut hæredes sint, quamvis ex partibus inæqualibus, tunc quilibet per se, ac seorsim præsentationem facere potest; recipietur autem eorum præsentatio, quæ magis concors fuerit, seu quæ à pluribus facta, uti explicabo *in c. 3. hoc tit.* quòd si autem plures præsentati æqualia habeant suffragia, instituendus est, qui magis idoneus videtur Episcopo; si æquè sint idonei, locus est gratificationi, uti ex communi tradit *Barb. in c. quod autem hoc tit.* In altero casu, si ad plures ut conjunctos præsentatio spectat, unam præsentationem facient ex majoritate suffragiorum, ita ut minoris partis suffragia nihil valeant, v. g. si ad 10. conjunctim pertineat jus præsentationis, necesse est, ut 6. consentiant in unum; sin autem 4. unum, tres alium, & alij tres alium præsentent, nullus ex vi præsentationis jus aliquod acquirit; secùs verò est, si ad plures pertineat præsentatio, ut ad singulos, tunc enim qui à pluribus comparatione non totius numeri, sed aliarum partium præsentatus fuerit, instituendus est : quam differentiam ponunt *And. Abbas in cit. c. 3. n. 13. Zabarella in Clement 2. col. 2. hoc tit. Garz. de benef. 5. c. 9. n. 222.* ubi notat, in dubio esse præsumendum jus præsentandi ad plures pertinere, ut singulos. Porrò duobus modis præsentatio pertinere potest ad plures ut conjunctos. Primò jure universitatis : in casu certum est non valituram præsentationem, nisi collegialiter, seu à congregatis decreta fuerit, quia collegium, seu universitas non est sine congregatione, ut docet *Innoc. c. cum nobis, de electione,* & dixi *in disp. de Prælatis q.* 41. Alter modus est; si ad plures pertineat, tanquam hæredes unius patroni, juxta *cit. Clement.* ubi definitum est, si plurium originalium Patronorum hæredes existent, v. g. unius ex fundatione duo filij, alterius ex constructione Ecclesiæ 4. filij, quòd jus præsentandi habeant, non per capita, sed per stirpem, adeóque illi 4. unam tantùm vocem habent, alteram illi alij duo; quare quilibus ex quatuor, adeóque à majore parte stirpis, seu familiæ præsentatus fuerit, unum habebit suffragium : quòd si alij duo, vel unus ex illis alium præsentare velit, celebitur præsentatio fieri in discordia, nec prævalent suffragia plurium, prout docent DD. *in cit. Clement.* & videri potest *Abbas in c. pastoralis n. 6. de rescriptis.* ubi ait cum *Gloss. v. plures*, quòd deputati ad unum officium omnes sunt loco unius, & idem *Abbas in c. scriptum n. 6. de elect.* ubi explicat, si ad aliquem actum decernendum conveniant duæ tribus, necesse est, ut utrumque tribus major pars consentiat; sin minùs discordia reputabitur; quòd si ad decernendum conveniat tertia tribus, tanquam ad corpora, necesse est ad valorem actus, ut utrumque duæ tribus secundùm majorem partem singularum consenserint, tunc valebit actus seu decretum, etiamsi tertia tribus dissentiat. Dubitant verò DD. si ad plures pertineat præsentatio in stirpes, utrum necesse sit, eos congregari, an verò seorsim ibi possint suffragia. Placet responsio *And. cit. c. 3 n. 4.* licèt decentius sit eos congregari, tamen non esse necessarium, cùm prius non faciant collegium; quamvis alij sentiant oppositum apud *Garz. n. 225.* apud *Prosper Farinacius in praxi l. 1. q. 11. n. 9. Abbas in eodem c. 3. in fine* existimat; cùm plures præsentêt, uti singuli, tamè congregan-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dos esse; quod verum est, si ita statuto, vel consuetudine receptum sit, ut videl. singulorum rationes audiantur.

2 Notandum secundum. Si Episcopus Patronos ad concordiam adigere non possit, neque alio modo Ecclesiæ sine scandalo providere, tunc ad id, tanquam extremum remedium, fugere debet, ut cessationem à divinis imperet in Ecclesia, donec minister constitutus sit. Idem habetur *in c. consequente*. Admonet verò *Glossa finalis hic*, ad hoc medium veniendum non esse, si aliter consuli possit; quare *Abbas* hic ita distinguit: aut est contentio inter Patronum, & Episcopum, tunc Episcopus Administratorem, seu Vicarium amovibilem ponet, donec controversia componatur *argum. c. 4 de officio ordinarij*, & tradit *Innoc. hic*; aut est contentio inter Patronos, tunc Episcopus expectare debet lapsum temporis Canonicum, videlicet quatuor vel sex mensium, præsentatori concessum; quo tempore elapso, Episcopus ministrum liberè instituet, *cit. c. 3* dummodo sine scandalo possit, sicuti *Gloss. finalis* noatvit: quòd si verò post elapsum hoc tempus ministrum institutum ab Episcopo Patronus repellat, locus erit remedio hujus Capituli, teste *Innoc. in fine Capituli*.

CAPITULUM II.

Quæcunque.

Paraphrasis.

Si Patroni in præsentatione ministri dissideant, Episcopus, si aliter consulere Ecclesiæ non possit, tollat inde reliquias, & ostia Ecclesiæ claudat, ut nemo in ea celebret, donec Patroni presbyterum idoneum statuant. Sumptum est ex *Conc. Tiburien. c. 32.* & refertur *in c. si plures 36. causâ 16. q. 7.*

NOtandum unicum. Si cessatio in divinis ponenda sit ab Episcopo, & Ecclesia claudenda, priùs sacræ Reliquiæ exportari debent; quod tamen intelligi non debet de ijs Reliquijs, quæ altari inclusæ sunt, quia per talem extractionem sigillum violaretur, & altare execraretur, ut postea dicetur, idque annotavit *And. Abbas & alij hic.*

CAPITULUM III.

Quoniam.

Paraphrasis.

Cùm in quibusdam locis Ecclesiarum fundatores, eorúmve hæredes potestate ea, in qua Ecclesia eos hactenus sustinuit, abuti soleant, quando non considerantes, quòd una Ecclesia unius esse debet Rectoris, ob dissensionem plures præsentant, idcò Alexan. III. in Conc. Lateranensi *c. 17.* decernit, ut si patronorum suffragia in diversas partes, & personas divisa sint, is præficiatur, qui majoribus juvatur meritis, & plurium suffragiis; sin autem id sine scandalo fieri nequeat, Episcopus Ecclesiam ordiner, sicuti ipsi consultius videbitur, idémque faciat, si inter aliquos de Jure Patronatûs quæstio orta sit, & intra 4. menses non definita.

Summarium.

1. *Jus Patronatûs competit Patronis Ecclesiarum ex Ecclesiæ concessione, & gratia.*
2. *Unus beneficij unus debet esse Beneficiarius.*
3. *Præsentatus à pluribus Patronis, si idoneus sit, instituí debet, modò sine scandalo fieri hoc possit.*
4. *Duo casus sunt, in quibus Episcopus liberam in beneficio patronato instituendi licentiam habet.*

NOtandum primum. Jus Patronatûs competit Patronis Ecclesiarum, ex Ecclesiæ concessione, & quidem ex gratia, non debito. Ita sumitur ex hoc *c. verbo su-*

ſtinuit, nam jus Patronatûs ſpirituale eſt, jurium autem ſpiritualium Laicus non eſt capax, niſi ex conceſſione, & donatione Eccleſiæ *c. tua 25. de decimis.* Hinc colligit *Gloſſ. recepta in Clem. 2. verbo amplius, de præbendis*, quòd Papa poſſit Patronatui Laicorum in conferendis beneficijs derogare, licèt non facilè ſoleat, nec cenſeatur derogare, niſi exprimat. Vide *c. cùm dilectus 27. hoc tit.*

2 Notandum ſecundum. Unius beneficij unus debet eſſe beneficiarius, cùm jus, ac titulus beneficij dividi non poſſit *c. majoribus 8. c. videlicet 25. de præben.*

3 Notandum tertium. Licèt à pluribus Patronis præſentatus (prout explicatum eſt *in c. 1. hoc tit*) ſi idoneus ſit, jus acquirat ad beneficium, & ideò inſtituendus ſit; excipitur tamen, ſi ſine ſcandalo inſtitui non poſſit. Ita hîc, & ſimile quid habetur *in c. cùm teneamur. 6. de præben.* ubi dicitur, ſi ſine ſcandalo non poſſit provideri beneficium ei, cui Papa mandavit, mandatum non eſſe tradendum executioni; exemplum eſt, ſi Parochianis exoſus ſit is, qui præſentatur, & ideò inſtitutioni ejus ſe opponant, *argum. c. ult. diſtin. 63.*

4 Notandum quartum. Duo caſus ſunt, in quibus Epiſcopus in beneficio patronato liberam inſtitutionem habet. Unus eſt, de quo dixi *in 3. not.* Verùm ſi in hoc ipſo caſu Patroni alium idoneum præſentare velint, concedendum ipſis eſt, uti conſtat ex ijs, quæ docui *l. 4. tra. 2. c. 13. n. 6. & 7.* Alter, ſi inter Patronos quæſtio de jure præſentandi orta, inter 4. menſes à die vacationis beneficij numerandos, non ſit finita, ſi Patronatus Laicus eſt; & intra 6. menſes, ſi Patronatus Eccleſiaſticus *c. cum te 22. c. cùm propter hoc tit.* Imò univerſim dicendum ex *c. unico §. verum hoc tit. in 6.* quòd Patronus Laicus 4. tantùm menſes habet ad præſentandum, Eccleſiaſticus autem 6. menſes, quibus elapſis, ſi nemo præſentatus ſit, Epiſcopus liberè inſtituere poteſt, ut dixi in *cit. c. 13. n. 4. & de Prælat. Eccleſiaſt. q. 32.*

Quæſtio eſt, ſi electio Prælati ob motam controverſiam de jure eligendi, ultra 3. vel 6. menſes protrahatur, num Epiſcopus, ad quem pertinet electum confirmare, liberè providere Eccleſiæ poſſit. Negandum eſt *cum And. hîc n. 7. Hoſt. & Abbaten. 6.* quia de electione in jure expreſſum non eſt, ſed potiùs oppoſitum ſignificatum *in c. 7. de in integ. reſtit.* neque licet extenſionem facere ob rationis ſimilitudinem, cùm diſparatio ſit de præſentatione, & electione, partim quia jus præſentandi ex gratia datum eſt, & ideò faciliùs ei derogatur poſtulatâ causâ; at verò jus electionis magis debitum *c. 1. de elect. c. quanto 10. diſt. 63.* firmius quoque & potentius eſt, uti explicavi in eadem diſputatione *de Prælat. q. 11.* partim quia ex derogatione electionis major præjudicium infertur, ſi collegio, aut univerſitati contra ejus voluntatem obtruditur Prælatus, quem non optarunt omnes, aut oderit *c. ult. diſt. 63.* quod periculum non ita cernitur in derogatione juris præſentandi, prout *hic Abbas* notavit *n. 6.* Quamobrem alia notari poteſt differentia, quòd in caſu motæ litis inter Patronos tempus quadrimeſtre, aut ſemeſtre currat etiam impedito, quamvis omnis negligentia ceſſet; ſed ſecùs eſt de tempore electoribus conſtituto, quod non currit legitimè impeditis, ſicut explicavi *in cit. diſp. 32.* & docent *Andr. & Abbas l. c.*

CAPITVLVM IV.

Præterea.

Paraphrasis.

Laici quandoque in eam audaciam deveniunt, ut neglectâ Epiſcoporum auctoritate Clericos in Eccleſijs inſtituant, & removeant, poſſeſſiones quoque, & alia bona Eccleſiaſtica ſuo arbitrio diſtribuant; eos *Alex. III. in Conc. Lateran. c. 14.* decernit, eſſe excommunicandos, at verò Clericum, qui Eccleſiam à Laico ſine proprij Epiſcopi authoritate acceperit, privat-

privandum ; si in delicto persisterit, ab Ordine & Ministerio Ecclesiastico deponendum.

Summarium.

1. *Patroni Laici institutionem, & destitutionem beneficiorum sibi vendicare non debent.*
2. *Ita, ut etiam Clericus talem institutionem admittens sit excommunicandus.*

1 NOtandum primum. Patroni Laici institutionem, & destitutionem beneficiorum vendicare sibi non debent, alioquin post monitionem Canonicam excommunicari debent: at verò jure *Conc. Trid. sess. 25. c. 9. de ref.* videtur esse excommunicatio sententiæ latæ, nam Laici jurium spiritualium capaces non sunt, neque de rebus, aut personis Ecclesiasticis ulla ipsis disponendi facultas competit *c. 2. de jud. c. tua 25. de decimis*, nisi quatenus à Sacris Canonibus, vel Sede Romanâ ipsis commissum, aut concessum requiritur: & ita concessum est Laicis Patronis jus præsentationis, non autem jus institutionis, aut amotionis, quia hoc longè majus, & potentius est, quàm illud, siquidem præsentatio beneficiarij ad Superiorem Ecclesiasticum dirigitur, à quo immediatè & propriè jus ad beneficium per institutionem acquirit præsentatus, uti colligitur *ex c. sequente*. Ejusdem porrò Episcopi, seu ordinarij est destituere, cujus est instituere, uti ex recepta doctrina tradit *Parisius Flam. de resig. l. 7. q. 24. n. 21.* Hinc sequitur, quòd Papa per potestatem absolutam dare possit Laico facultatem instituendi, ac destituendi beneficiarios, ut hìc notavit *And. n. 2. Barb. n. 2.* nam per talem concessionem, seu immissionem Laicus jurium spiritualium capax esse potest, cùm non agat auctoritate propria & sæculari, sed potiùs Ecclesiastica, prout docui *in eadem disp. de Prælat. q. 20. & q. 234.* ubi de Sanctimonialibus, quòd possint beneficia conferre.

2 Notandum secundum. Si Clericus in Ecclesia se investiri, aut intitulari à Laico permiserit sine Episcopi authoritate, excommunicandus; si non destiterit, pœnâ depositionis afficiendus est. Simile quid habetur *in c. relatum 21. hoc tit. & c. si quis 16. q. 7.* & pariter intrusus per laicam potestatem, si Canonicam postea institutionem impetrare velit, intrusionis vitium explicare tenetur, cùm per id ad beneficium, in quod intrusus est, inhabilis factus sit, uti *Abbas hic* notavit *num. 2.* Sed neque ad aliud beneficium, aut dignitatem sine dispensatione talem promoveri posse, habetur *in Concilio Later.* sub Leone X. in decreto contra violatores Ecclesiasticæ libertatis, quod incipit *Regimini*. Simile quiddam habetur *in c. quisquis 43. de elect.* ut is, qui ad Prælaturam per abusum sæcularis principis eligi se passus est, ineligibilis fiat.

CAPITULUM V.

Quod autem.

Paraphrasis.

Quæsitum est ex Alexan. III. si Clericus idoneus à patrono præsentatus est ad Ecclesiam vacantem, sed à Diœcesano non institutus, postea verò alius Clericus etiam idoneus præsentatus, & institutus, qui & possessionem teneat corporalem, num priore Clerico beneficium petente posterior removendus sit, an verò iste priori præferendus. Respondit Papa, quòd in casu isto melior sit conditio possidentis, propterea, quòd priusquam à Diœcesano præsentatio approbata est, ratum non est, quòd à Patrono fuit inchoatum. Ulteriùs respondet Papa, si Laici Clericis, aut collegijs sacris donationes, aut concessiones per instrumenta faciunt talibus verbis: *concessi*, vel *dedi vobis Ecclesiam, & præsente charta firmavi*, nisi Episcopi consensus accesserit, nihil agi, quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare.

SUMMARIUM.

1. *Patronus Laicus variare potest.*
2. *Ecclesiam, qui donat monasterio v. g. quid donare censeatur.*

1 NOtandum primum. Patronus Laicus variare potest, id est, postquam unũ Clericum præsentavit, Episcopo alterum præsentare, quamdiu prior ad beneficium ab Episcopo institutus non est *c. cum autem 24. de jure patronatûs.* Ratio hìc insinuatur, quia Clericus præsentatus ante Episcopi receptionem & institutionem non habet jus in re: agere tamen potest, ut instituatur, si idoneus est *c. cùm Bertoldus 18. de re judicata junctâ Glossâ*, præterquam, si etiam alter idoneus à Laico præsentatus sit, quo in casu conceditur optio Episcopo. Porrò, quod hìc consideratur institutio realis, seu possessionis traditio, id est ad pleniorem effectum; alioquin verò constat per verbalem institutionem, seu collationem jus in re acquiri in rebus istis spiritualibus, uti docui *in c. si tibi 17. de præben. in 6.* & ideò taliter. institutum præferendum esse priùs præsentato & non instituto.

2 Notandum secundum. Si Laicus v. g regia potestate præditus, Clerico vel alicui monasterio, aut collegio sacro Ecclesiã concedat, aut donet (intellige donationẽ impropriè talem, seu per modum incorporationis) & instrumentum super ea re conficiatur, non interveniente Episcopi consensu, irritum est, quod agitur. Ita sumitur ex verbis *cap. §. de cætero.* & idem traditur *in c. illud 8. hoc tit.* & videri potest *hìc Innoc.*

Quando verò *cum Glossa hìc V. si consensus* quæri solet, si Patronus Laicus loco Religioso talibus verbis Ecclesiam donet, an saltem jus, quod habet, videlicet jus Patronatûs, donare censendus sit. Respondetur, id pendere ex intentione donantis, quæ in dubio præsumenda videtur, quòd donare voluerit jus sibi competens *argum. c. pastoralis 7. de donationibus.* & L. *si domus 73. § si fundus ff. de Legatis.* Sin autem in tentio fuerit, Ecclesiam conferendi in titulum vel proprietatem, nihil efficitur, & ne quidem jus Patronatûs transfertur. Hujus rei ratio non est, quam *Glossa hìc* dat verbo *si consensus, & in cit. c. illud V. licet Religioso*, quòd Episcopi consensus necessarius sit; hoc enim non esse verum constat ex *unico hoc tit. in 6. & cit. c. illud* ubi dicitur, quòd Laicus liberam juris Patronatûs loco religioso concedendi facultatem habet, tunc autem liberè quidpiam agere dicitur, si nullius ad agendum consensu, aut licentiâ indigeat, uti Abbas ibidem monet *n. 4.* sed ratio dari debet, quia Patronus jus Patronatûs, quod potuit donare, non voluit; Ecclesiam autem, quam donare voluit, non valuit, & ideò nihil validè agit, juxta *cap. cum super 23. de officio delegati L. si qui 15. ff. de acquirenda hæred. L. nec ignorat 10. cod. de donationibus.*

CAPITULUM VI.

Quia.

PARAPHRASIS.

Quandoquidem Clerici aliqui Advocatias Ecclesiarum emunt, aut quocunque modo possunt, sibi aquirunt, ut posteà ipsorum filij, aut nepotes ad Ecclesias vacantes præsententur: id severè prohibendum esse Alexand. III. mandat, eósque, qui Advocatias ita quæsierint, appellatione postpositâ, iis privandos.

SUMMARIUM.

1. *Jus Patronatûs interdum appellatur Advocatia.*
2. *Qui pro re temporali jus Patronatûs solitariè sibi comparat, Simoniacus est.*
3. *Potest Patronus Pater filium suum ad Ecclesiam præsentare.*

NOtandum primum. Jus Patronatûs interdum appellatur Advocatia, eo quòd ad Ecclesiæ Patronum pertinet, ut ejusdem defensor,

defensor, seu Advocatus existat, cùm ejusdem sit dare esse, & in esse conservare, ac tueri. Ita *Innoc. hîc* intelligit: communiter tamen jus advocatiæ accipi solet, ut quid distinctum à jure Patronatûs.

2 Notandum secundum. Si quis jus Patronatûs per se, ac solitariè emat, aut data re temporali aliter commutando sibi comparet, Simoniacus est *c. præterea 9. de transact. c. de jure 16. hoc tit.* & ideò in pœnam vendens, & emens jus Patronatûs illud amittere debent, ut hîc dicitur, & quidem ipso jure, sicuti expressum est in *Trident. sess. 25. c. 9. §. nec dictum de reformatione.* quamobrem Ecclesia seu beneficium liberæ collationis efficitur, prout *Innoc. & And. Barb.* & alij hîc tradunt. Additur in *Trident.* eos, qui jus Patronatûs contra Sanctiones Canonicas vendunt, excommunicationis, vel interdicti sententiâ feriendos esse. Vide, quæ docui *l. 4. tra. ult. c. ult. n. 60.*

3 Notandum tertium. Pater Ecclesiæ Patronus filium suum, aut nepotem præsentare non prohibetur, si idoneus sit. Ita *Glossa recepta hic V. filij* & dicam *in c. consulit 5. hoc tit.* ex quo colligit *Abbas hic n. 6.* quòd Episcopus filio suo, aut nepoti legitimè nato, si idoneus sit, beneficium conferre non prohibetur.

CAPITULUM VII.

Ex litteris.

Paraphrasis.

Monasterium Vintonienſe villam, in qua Ecclesia sita erat, militi concessit, *ad firmam*, id est, locavit. Vacante deinde Ecclesia miles Episcopo præsentavit G. Clericum, & postea Abbatissâ monasterij alium præsentavit, quem Episcopus recipere noluit: quare ipsa apud Archiepiscopum Cantuarienſem questa fuit, is ratus præsentationem factam à milite irritam esse, Episcopo in virtute obedientiæ mandavit, ut Clericum præsentatum ab Abbatissa recipiat, & in possessionem mittat. Denique hæc controversia ad Alexandrum III delata est: is eam judicibus delegans, mandat, si ipsis constiterit, villam militi, non excepto jure Patronatûs, concessam fuisse *ad firmam*, vel antequam de jure Patronatûs inter Abbatissam & militem lis mota fuit, G. Clericum ab Episcopo ad militis præsentationem institutum fuisse, ei, si aliàs idoneus fuerit, Ecclesiam adjudicent, ita, ut si accidat Abbatissam in jure proprietatis obtinere adversus militem, eidem Abbatissæ tanquam Patronæ institutus circa temporalia rationem administrationis reddendo respondeat.

Summarium.

1. *Jus Patronatûs cum universitate bonorum pro re temporali, concomitanter, & per accidens in alium potest transire.*
2. *Præsentatus à Patrono, bonâ fide possidente jus Patronatûs, titulum & jus in beneficio acquirit, si in eo instituatur.*
3. *Non est tamen admittenda præsentatio, quæ fit lite pendente de jure præsentandi.*
4. *Patrono Ecclesiastico jus competit exigendi rationes a beneficiato super reditibus Ecclesiæ.*

1 NOtandum primum. Licèt jus Patronatûs per commutationem cum re temporali transferri non possit per se, ut dixi *in c. quia 6. hoc tit.* potest tamen transferri per accidens, concomitanter vendendo, vel alio simili modo transferendo universitatem bonorum v. g. hæreditatem, territorium, civitatem, castrum, villam &c. aut quemlibet fundum, cui jura annexa sunt, quæ attinentia dici solent. Ita *hîc & in c. cùm sæculum 13. hoc tit.* & explicavi *l. 4. tra. 2. c. 13. q. 9.* ubi etiam docui, quòd contractus, per quem jus Patronatûs accessoriè transit, debeat esse alienationis,

tionis, seu translationis dominij saltem utilis, prout fit in concessione *ad firmam*, seu locatione ad tempus longum: sin verò ad breve tempus castrum v. g. alicui locetur, jus Patronatûs, seu facultas præsentandi videtur manere penes locantem, licèt contrarium placuerit Barbosæ *hic n. 4.* & probabile id censet Abbas. Id verò concedi potest, quòd locator ultrò committere possit colono, ut præsentet suo, id est locantis, nomine, sicuti & de creditore in oppignorato castro, cui jus Patronatûs annexum est, dicendum est. Porrò si bonorum universitas, cui jus Patronatûs annexum est, confiscetur ob delictum Patroni, etiam jus Patronatûs transit in fiscum, prout docent DD. apud *Barbos. de potestate Episcopi alleg. 71. n. 45.* Sin autem jus Patronatûs per se & singulariter consistat, confiscatione omnium bonorum (videlicet temporalium) Patroni, non venit jus Patronatûs, quare manebit penes delinquentem, donec per sententiam judicis Ecclesiastici tanquam indignus privetur, ita ut Ecclesia tunc libera fiat, sicuti hîc idem tradit *Barbos. & in c. vergentis n. 21. de Hæreticis, Abbas in c. cùm Laici hoc tit.*

2 Notandum secundum. Institutus ad præsentationem ejus, qui est in possessione juris Patronatûs, aut bonâ fide (quæ in dubio præsumitur) verum jus ac titulum acquirit, neque removeri debet, etsi postea intelligatur, præsentantem reverà non habuisse jus præsentandi. Ita etiam habetur in *c. consultationibus 19. hoc tit.* ubi explicabo.

3 Notandum tertium. Interim dum lis instituta super jure Patronatûs pendet, non est admittenda præsentatio: quod intellige, si lis sit super possessione; sin autem pro proprietate, præsentatio quidem à possessore admitti potest, sed præsentatus post litis contestationem instituendus non est. Ita per sensum contrarium sumitur ex hoc c. & explicabo latiùs *c. 19* Vide *Gloss. hic V. vel antequam, Abbas n. 8. & 9.*

Notandum quartum. Patrono Ecclesiastico id jus competit, ut à beneficiario rationes exigere possit de reditibus beneficij, aut Ecclesiæ sibi commissæ. Ita significatur in fine Capituli & docent *DD. in c. 3. §. in Ecclesijs de privilegijs*, & dixi in *cit. c. 13. n. 12. c. 8.*

CAPITVLVM VIII.

Illud.

PARAPHRASIS.

Quidam Laicus, v. g. Patronus, & Dominus territorij, inconsulto Episcopo, Ecclesiam non vacantem concessit, & donavit monasterio, postea cùm vacaret Ecclesia, idem Laicus præsentavit Clericum, qui ab Episcopo institutus est. Hoc in casu respondet Alexander III. quòd prior illa concessio Ecclesiæ facta monasterio, cùm de jure non subsistat, impedire non possit, quò minùs posterior Clerici præsentati institutio rata & firma sit; interim Laicus ille liberam potestatem habet, jus Patronatûs loco religioso, seu monasterio donandi, tunc autem, si aliquis absque præsentatione Religiosorum ab Episcopo in Ecclesia vacante instituatur, institutio secundùm juris apices præsumenda est.

SUMMARIUM.

1. *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.*
2. *Patronus liberè donare potest jus Patronatûs loco Religioso.*
3. *Præsentatus à legitimo Patrono, si idoneus sit, jus & actionem habet ad sui institutionem.*

NOtandum primum. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, uti habetur in *regula 32. in 6.* Idque adeò verum est, ut quispiam contra proprium factum agere possit, dicendo,

cendo, illud irritum esse, prout *Glossa* notavit *in c. cùm Laici, & in c. ult. hoc tit.* Sic v. g. Capitulares, si indigno suffragium ad Prælaturam dederunt, possunt, & debent etiam post publicatum scrutinium alium eligere dignum, præterquam, si post communi nomine promulgatam electionem, privationem juris eligendi pro ea vice incurrerint *c. perpetua 7. de elect. in 6.* Et sumitur hæc doctrina ex isto Capitulo, ubi non obstante, quòd Laicus Patronus sine Episcopo Ecclesiam monasterio donavit, postea eâ vacante, quando retractans suam donationem (quippe quæ ipso jure irrita fuit, cùm Laicus Ecclesias nec in titulum, nec in proprietatem conferre possit *c. quid autem 5. hoc tit.*) Clericum præsentavit, ejus præsentatio admitti, & præsentatus institui debuit. Adde, tametsi Patronus Laicus Episcopo consulto, sive cum consensu & approbatione ejus, Ecclesiam monasterio v. g. det in proprietatem, eam tamen concessionem & incorporationem non fieri authoritate Laici, sed potiùs auctoritate Episcopi, prout etiam colligitur ex *c. cura 11. hoc tit.* nam Laicus Ecclesiastica jura conferre non potest, quia nemo dat, quod non habet *cit. c. quia autem*, & videri potest *c. si quis deinceps 12. & sequentia causâ 16. q. 7.* Quare quod hîc dicitur, Ecclesiam nondum vacantem loco religioso concedi, seu donari non posse, id verum est, si ita concedatur, ut incorporatio fiat, eáque effectum habere debeat vivente Rectore, ideóque is amovendus sit; at verò nihil prohibet, ita incorporationem fieri Ecclesiæ non vacantis, ut Rectori nihil præjudicij inferatur, prout habetur *in Clem. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, & explicavi *l. 4 tr. 2. c. 9. n. 9.*

2 Notandum secundum. Patronus liberè, adeóque non requisito consensu Episcopi jus Patronatûs donare potest loco religioso. Ita etiam habetur *in c. unico eodem in 6.* sed in Laicum, aut etiam Clericum, ut personam privatam, concessum non est, jus Patronatûs sine Episcopi consensu per se, & singulariter transferre, uti dixi *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 20.* quia gravius periculum Ecclesiæ per hanc mutationem Patroni inferri potest, uti *Abbas hic* declarat *n. 5.*

Notandum tertium. Præsentatus à legitimo Patrono jus & actionem habet erga Episcopum, ut si idoneus est, ab illo instituatur. Ita *hìc in fine c.* & dixi *in c. quid autem 5. hoc tit.* 3

CAPITULUM IX.

Querimoniam.

Paraphrasis.

Absurdum videri debet, si Patronis pro humana conditione mutatis, etiam Ecclesiarum ordinationes mutentur, vel si Advocati, seu Patroni Ecclesiarum vicissitudines facere videantur.

Summarium.

1. *Non potest Patronus statum Ecclesiæ, vel Rectorem mutare, si jus Patronatûs ad ipsum devolvatur.*
2. *Nec possunt Patroni diversarum Ecclesiarum jus Patronatûs inter se permutare, sine authoritate Episcopi.*

NOtandum primum. Si jus Patronatûs ad alium Patronum devolvatur, non 1 potest is statum Ecclesiæ, vel Rectorem ejus mutare; tametsi enim Patrono jus præsentationis, & defensionis rerum Ecclesiæ Patronatæ competat, non tamen jus ordinis, aut dispositionis circa personas, aut res Ecclesiæ *c. 2. c. noverint 6. causa 19. q. 1.* & videri potest *Gloss. hic, verbo mutationes.*

Notandum secundum. Patroni non pos- 2 sunt inter se vicissitudines facere; quod Hostiensis hîc intelligit, si plures diversarum Ecclesiarum, aut beneficiorum Patroni sint, quòd non possint sine authoritate Episcopi Patronatus permutare, juxtà ea, quæ dixi *in c. præced. n. 2.* & ita docet *Barb. hic, Azor t. 2. l. 6. c. 20. q. 7.* Ratio dari debet, quia Patrono non licet sine Episcopi auctoritate

ritate disponere de juribus spiritualibus (cujusmodi etiam est Patronatus) nisi quatenus ipsi à sacris Canonibus concessum est: at verò nullibi expressum reperitur, quòd Patronatum permutatione transferre liceat, intellige in personam Laicam, aut privatam, ergo asserere non debemus. Dixi autem: diversarum Ecclesiarum. At verò plures Patroni unius Ecclesiæ, aut Beneficij non videntur prohiberi, quò minùs unus alteri Patronatum remittat, seu donet, ut si duobus existentibus hæredibus, inter se conveniant, ut unus tantùm ipsorum sit Patronus, vel ut unus in hac Ecclesia, & alter in alia solus Patronus sit, cùm alioquin successionis jure uterque in solidum esset. Et ita docet *Glossa in c. ex insinuatione 14. hoc tit. Azor l. c. q. 6. Barb. in c præced. n. 4. contra Abb. hic n. 3. Ioann. And. in cit. c. ex insinuatione.* Ratio dari debet, tum quia per hanc remissionem, aut pactionem non fit novus Patronus; tum quia minùs gravatur Ecclesia, sive optatius est Ecclesiæ, ut unum Patronum habeat, quàm ut duos.

CAPITULUM X.

Cùm Laici.

PARAPHRASIS.

Patronus Laicus Episcopo nesciente, aut non consentiente, Ecclesiam concessit Clerico: postea pœnitentiâ ductus, alium Clericum ad eandem Ecclesiam Episcopo præsentavit, qui & institutus est. Hujus institutio consistere debet priore concessione, quæ nulla est, penitus rescisâ, cùm Laicus præsumptione propriâ Clericum in Ecclesia ordinare non possit. Textus hujus Capituli consentit cum *c. illud 8. hoc tit.* neque aliud discrimen est, nisi quòd in casu *c. illud* Patronus Laicus Ecclesiam loco religioso in proprietatem, hîc autem Clerico in titulum sine Episcopo, & propria authoritate concessit, quorum utrumque à Laico fieri impossibile est, cùm ejusmodi spiritualia jura sint extra limites potestatis Laicæ, sectus commissione potestatis Ecclesiasticæ *quia 5. c. illud 8. & cap. sequente h. t.*

CAPITULUM XI.

Cura.

PARAPHRASIS.

Alexander III. scribit ad Abbates, Priores & Clericos, Archiepiscopatûs Eboracensis, & mandat, ut nemo Ecclesias ex Laicorum donatione sine Diœcesani Episcopi authoritate & consensu sibi præsumat vindicare, aut ita acceptas retinere, nisi legitima præscriptione munitus sit, vel Diœcesani consensus postea accesserit; cùm enim Laici non nisi jus ipsis competens in alios transferre possint, apparet, ejusmodi concessiones Ecclesiarum factas à Laicis penitus inanes esse.

SUMMARIUM.

1. *Quomodo Religiosi Ecclesiarum sibi illegitimè donatarum, jus & proprietatem acquirere possint, via præscriptionis?*
2. *Concessio Ecclesiæ à Laico facta, si postea ab Episcopo approbetur, ab eo tempore valet.*

NOtandum primum Religiosi, & Clerici non possunt Ecclesias à Laico in proprietatem donatas accipere, aut acceptas tinere sine Ecclesiastica authoritate. *Ioan. & in c. 5 c. 8. h. t.*

Notandum secundum. Fieri potest, ut Religiosi, aut Clerici Ecclesias è manibus Laici sine authoritate Ecclesiastica, adeoque non canonicè acceptas, & incorporatas temporis diuturnitate per viam præscriptionis acquirant.

Objiciunt *Glossa hic & Innoc.* quòd Religiosi, aut Clerici in isto casu sint in mala fide, malæ verò fidei possessor nullo unquam tempore præscribit; nec juvat, si putamus Religiosos, aut Clericos jure ignorasse

rantiâ laborare, cùm notum sit, quòd error juris, præsertim adeò manifesti, in usucapionibus prodesse non possit, licèt facti ignorantia prosit *L. juris 4. ff. de juris & facti ignorantia*, & docui *in c. dudum 31. de decimis.* Respondetur cum *Glossa Innocentio, And. Abbate*, & alijs hic: duobus modis fieri posse, ut in casu isto usucapio perficiatur, & Ecclesiæ secundùm proprietatem acquirantur: primò si error non in jure, sed in facto consistat, quia Religiosi vel Clerici probabiliter existimârunt, Prælatum Ecclesiasticum consensisse, seu ex auctoritate & commissione ejus (si v.g. in instrumento donationis à Laico Domino confecto, & dato mentio hujusce fiat) concessionem, & donationem fuisse factam, etenim justus, & probabilis error, sive existimatio titulum interveniisse, ubi nullus intervenit, causam usucapiendi præbet, uti constat ex *L. 2. & L. quod vulgo 11. ff. pro emptore, junctâ Gloss.* & tradunt *Bart. & DD. in L. Celsus n. 1. & 4. ff. de usucapionibus.* Secundò. Quia licèt primi, qui à Laico Domino sine authoritate Episcopi acceperunt Ecclesiam, cùm in mala fide fuerint, usucapionem inchoare nequiverint, tamen successores eorum probabili ignorantiâ laborantes, rati videlicet, consensum Episcopi interveniisse, usucapere possunt, cùm non in jure, sed in facto errent. Similia leges in *Gloss. c. 4. verbo se posse, de præscript.* & docui *l. c. tr. 4. c. 3. n. 4. & in c. ult. prope finem de præscript.*

3 Notandum tertium. Concessionem Ecclesiæ factam à Laico Episcopus postea suo consensu, & auctoritate approbare potest, ita ut ex eo tempore de jure consistat *c. suggestum 20. hoc tit.* Dixi *ex eo tempore*, cùm enim ad præteritum non sit potentia, impossibile est, Episcopum concessionem illam, quæ penitus irrita fuit, ita ratam habere, ut ab initio valuerit juxta juris regulam 18. *in 6. & reg. ff. 29.* quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, & notavit *hic Abbas n. 7.*

CAPITVLVM XII.

Si verò.

Paraphrasis.

Contendentibus duobus de jure Patronatûs, nihilominus Episcopus post tempus legitimum finitum, Ecclesiam ordinare, seu Clericum instituere potest, ita ut is postea eum, qui jus Patronatûs in judicio evicerit, tanquam Patronum agnoscat.

Summarium.

1. *Potest Episcopus post tempus à jure definitum vacanti Ecclesiæ providere, si lis mota super jure Patronatûs finita nondum sit.*
2. *Debet tamen Clericus sine præsentatione institutus postea eum recognoscere Patronum, qui judicialiter talis declaratus est.*

NOtandum primum. Si lis mota sit super jure Patronatûs, Episcopus interim ordinationem Ecclesiæ, seu ministri institutionem differre debet, sed non ultra tempus definitum à jure, videlicet 4. menses in Patronatu Laico, 6. in Ecclesiastico, sicut suprà dictum fuit. Ratio est, quia Ecclesiæ & beneficia Ecclesiastica diu vacare non debent. 1

Notandum secundum. Clericus sine præsentatione institutus, Patronum postea judicialiter pronuntiatum agnoscere & profiteri debet, ita ut tali agnitione constituatur in quasi possessione juris Patronatûs. Sic videtur notâsse *Glossa finalis hic*, & ideò notat *Covarruv. in pract. quæst. c. 14. n. 2. v. 3.* & alij, quos refert *Barb. in c quarelam n. 10. de electione*, quòd in juribus spiritualibus unicus actus sufficit, ad acquirendam possessionem, v. g. una præsentatio, vel una agnitio Clerici instituti. 2

(o)

CAPITULUM XIII.

Cùm sæculum.

PARAPHRASIS.

Scribit Alexander III. Hospitalarijs, & interdicit, si ratione emptorum, vel aliter acquisitorum feudorum Jus Patronatûs in Ecclesijs parochialibus acquirant, ne ideo jus parochiale Episcopi minuere præsumant.

SUMMARIUM.

1. *Qui fundum feudalem titulo civili acquirit, etiam Ius Patronatûs fundo illi annexum per accidens acquirit.*
2. *Patronus contentus esse debet juribus à SS. Canonibus sibi concessis.*

1 NOtandum primum. Si quis fundum feudalem emptione, vel alio titulo acquirat etiam, annexum fundo jus Patronatûs per accidens, & concomitanter acquirit. Ita hîc & in *c. ex litteris 15. hoc tit.* & docui *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 20.*

2 Notandum secundum. Patronus juribus, sibi à sacris Canonibus ex gratia concessis, videlicet Clericum præsentandi, Ecclesiam defendendi &c. contentus esse debet, & alia jura parochialia vel Episcopalia non imminuere, aut se immiscere: quod etiam locum habet, si Patronus Clericus sit, *c. consuluit 15. hoc tit.* Vide *Gloss. super hoc c.*

CAPITULUM XIV.

Ex Insinuatione.

PARAPHRASIS.

O. Clericus questus est Alexandro III. tametsi Jus Patronatûs in quibusdam Ecclesijs ad ipsum pertineret, quia à fratre suo liberaliter collatum fuerat, nihilominus aliquos eas Ecclesias ausos fuisse occupare, & detinere; ideò mandat Papa, ut detentores isti cogantur Ecclesias Clerico illi restituere, quò liberè & pacificè ordinare possit.

SUMMARIUM.

Utrùm ex hoc Capitulo probetur, quòd quis propriâ auctoritate possit suo compatrono Ius Patronatûs remittere?

EX hoc c. multi colligunt apud *Abbatem hîc*, quòd Patronus Compatrono suo etiam privato, absque Episcopi consensu, Jus Patronatûs remittere, seu donare possit, quæ doctrina licèt secundùm se vera videtur, uti docui *in c querimoniam 9. hoc tit.* propterea quòd hæc non sit propriè alienatio, seu Juris Patronatûs translatio, cùm novus Patronus Ecclesiæ non constituatur, sed Compatronus auferatur. Attamen ex hoc textu non satis ostenditur, quia, ut Hostiens. *And. & alij* hîc notârunt, fortè O. Clericus fuit Rector alicujus Ecclesiæ, cujus nomine ipsi Jus Patronatûs à fratre suo, qui in quibusdam Ecclesijs habebat, donatum erat. Id colligi videtur ex eo, quod subjungitur, dicto Clerico Ecclesias ordinandi liberam potestatem competere, quod dici non potest de Patrono ratione Patronatûs, uti constat ex *c. præcedente, & c. ult. hoc tit.* sed de aliquo Ecclesiæ Rectore, licèt Episcopus non sit, ordinationem tamen, sive Institutionem ministrorum ex jure speciali, v. g. præscriptionis habente. Accedit, quòd hîc non negatur, consensum Episcopi intervenisse. Quare cùm casus hujus c. non satis expressus, nihil ex eo certi inferri, aut annotari potest.

CAPITULUM XV.

Perlatum,

PARAPHRASIS.

Cùm Sanctuariũ Dei jure hæreditario teneri non possit, sustinendum non est, si Clerici Ecclesias à parentibus suis fundatas propria authoritate retineant, vel si patroni Laici eas filijs, aut Laicis aliquibus concedant.

SUMMARIUM.

1. *In Ecclesiasticis beneficijs jus hereditarium locum non habet.*

2. *Patronus Clericus se ipsum præsentare non potest.*
3. *Potest tamen filium suum præsentare, si dignus ille sit.*
4. *Casu, quo plures sunt Patroni, quorum unus sit Clericus, potest hic præsentari.*

1 NOtandum primum. Ecclesiæ beneficia, jura, & bona Ecclesiastica jure hæreditariæ successionis transire non possunt *c. 1. de præben. c. 2 concess. præb. c. Apostolica 7. causa 8. q. 1.* Quare filius, aut successor Patroni, tametsi Clericus sit, non potest fructus Ecclesiæ, aut beneficij Patronati colligere, uti *And. hic* admonet.

2 Notandum secundum. Patronus Clericus alium Clericum præsentare debet, cùm non possit ipsemet beneficium retinere, neque se ipsum præsentare *c. per vestras 26. hoc tit.* quemadmodum nec is, ad quem collatio, aut institutio spectat, se ipsum instituere potest *c. ult. de instit.* & consentit *lex 4. ff. de tutoribus datis.* Veruntamen, si Patronus Clericus pro ea vice renunciaret juri suo absolutè, liberè, & sine omni pactione, dubitandum non videtur, quin liceat Episcopo eundem idoneum, maximè si præ alijs dignus videatur, instituere, dummodo scandalum cesset.

3 Quæritur primò. An Patronus filium suum, si dignus sit, præsentare possit? Aliqui negant in Gloss. marg. hîc; tum quia Pater & Filius una persona censentur *L. ult. cod. de impub. & alijs substit. Gratianus in c. contradictmus 21. causa 35. q. 3.* tum quia filius patri aquirit. *Institutis. per quas personas &c. L. cùm oportet 6. & L. ult. cod. de bonis quæ liberis*, ergo pater videtur se ipsum tunc præsentare, quod concessum non est. Sed contrarium rectè tradit Gloss. *hic v. perpetua, Innoc. And. Abbas & alij hic, Azor t. 2. l. 6. c. 21. q. 2.* quia nullibi id prohibitum reperitur, ergo concessum censeri debet. *argum. c. cùm apud de spons.* & sumitur *ex L. illud 5. ff. quod cujusque universitatis.* ubi dicitur, quòd pater filio suffragium sive electionis votem dare possit, & filius patri. Item ex *c. quia 6. hoc tit.* Neque obstant argumenta contraria, cùm pater & filius non sint una persona in veritate, sed juris fictione, quæ non attenditur, nisi in ijs, in quibus introducta est. Neque filius patri acquirit in spiritualibus, sed tantùm in bonis profectitijs, sive ex patris substantia quæsitis, & in bonis adventitijs, quoad usumfructum *cit. L. cùm oportet.*

Quæritur secundò. Si plures sint Patroni, quorum unus Clericus, num unum ex ipsis præsentare possint, si alioquin idoneus sit? Affirmandum est, cum *Gloss. fin. hic ibidem And. Abbas & alij Azor q. 3.* Sumitur ex *c. cùm in jure 31. de electione.* ubi Commissarij unum ex se ipsis eligunt, & ita quidem, ut ipse consentiens coëligat, & numerum eligentium augeat: quia licèt electio (& ita etiam dicendum de præsentatione) non habere possit liberè originem ab ipso eligente, attamen electionem aut præsentationem ab alio, vel alijs de se inchoatã ipse coëligens sive compatronus consummare non prohibetur, uti latiùs explicavi *in disp. de præb. q. 88.* quare regulam hîc tradit *Abbas ex L. ubi absunt 19. ff. de tutoribus datis*, quòd deputati ad eligendum officialem unum ex numero suo eligere possint. 4

CAPITULUM XVI.

De Jure.

Paraphrasis.

Mandat Alexan. III. si R. Jus Patronatûs emptione comparavit, ut contractus irritus pronuntietur, cùm enim Jus Patronatûs sit spirituali annexum, vendi non potest.

Summarium.

1. *Jus Patronatûs per se emi pro temporali re non potest.*
2. *Ratio, quare per se emi non possit, possit tamen comparari accessorie.*

1 NOtandum unicum. Jus Patronatûs per se emi, sive aliter pro re temporali comparari non potest, adeò ut talis contractus ipso jure irritus sit, uti etiam docui *in c. qui 6. hoc tit.* Ratio est, quia Jus Patronatûs est quid annexum spirituali beneficio, imò secundùm se, & intrinsecè est jus quoddam spirituale, quippe tendens ad spiritualem præsentationis effectum non minùs, quàm jus eligendi, uti docui *l. 4. tr. ult. c. ult. n. 61* ergò pretio temporali æstimari non potest.

2 Cur autem Jus Patronatûs accessoriè unà cum fundo, cui annexum est, vendi possit, uti docui in *c. cùm sæculum 13. hoc tit.* non autem per se, & seorsim, rationem dat *Abbas*, quia si Patronatus accessoriè vendatur, non venit in æstimationem, seu emptionem. Ex quo colligis, si ratione connexi Juris Patronatûs fundus pluris vendatur, adeóque pars pretij detur pro Jure Patronatûs, contractum irritum, & simoniacum esse quoad illam pretij partem. Veruntamen cùm Jus Patronatûs temporales aliquas commoditates per se pretio æstimabiles annexas habeat, quemadmodum & Ecclesiastica beneficia, & officia, ideò probabile est, horum venditionem, & emptionem irritam quidem esse spectato jure Ecclesiastico, atque per sententiam ita declarandum, prout hîc dicitur; attamen spectato jure naturali, & in foro conscientiæ, si per judicis sententiam contractus non rescindatur, eum, qui pro dato Jure Patronatûs, vel resignato alteri beneficio pretium accipit, ad restitutionem non obligari, uti docui *in cit. cap. ult. n. 82. & 83.*

CAPITULUM XVII.

Nullus.

Paraphrasis.

Decimas Ecclesiasticas, & quæcunque juris Ecclesiastici spiritualia sunt, Laicus sine Episcopi concessione non potest conferre monasterijs, Sin autem Episcopus ob improbitatem, vel avaritiâ consentire nolit, Romano Pontifici nuntietur, utrum ejus licentiâ donatio fiat. Prior pars c. habetur etiam *c. cum Laicis 10. c. cura. hoc tit.*

Summarium.

Prælato negante licentiam irrationabiliter, adeundus est ejus Superior immediatus.

NOtandum unicum. Si Prælatus à se petitam licentiam, cùm ratio utilitatis, aut necessitatis urget, irrationabiliter neget, adeundus est ejus immediatus Superior. Ita *Innoc. hic, & And. n. 3, Barbosa n. 1.* Nec obstat, quòd hic adeundus fuerit non Archiepiscopus, sed Papa, quia Episcopus iste erat exemptus, uti testatur *Quarana in Bullar. v. Archiepiscopi auctoritate 13. n. 21.* Sin autem Episcopus exemptus non sit, adiri posset Archiepiscopus, non ut Episcopi negligentiam supplendo, licentiam, & auctoritatem præstet (quia Metropolitanus non supplet negligentiam Coepiscoporum, nec jurisdictionibus se immiscet, nisi in casibus in jure expressis, uti docui *in disp. de jurisdict. con. 80.*) sed ut Episcopum, quippe sibi subditum ad officium exequendum compellat, uti ibidem dixi, & tradit hic *Abbas n. 2.* Sin autem negotium subditum it Superiori, & inferior, seu subordinata Prælatus, vel officialis licentiam irrationabiliter neget, tunc adiri potest Superior, ut vel ipsemet licentiam det, vel inferiorem adigat ad dandum.

CAPITULUM XVIII.

Significâsti.

Paraphrasis.

Si Episcopo hujus Diœcesis post prometionem suam Ecclesiarum Patroni, sitarum in altera Diœcesi, jus præsentationis in eisdem committant, nomine Cathedralis Ecclesiæ suæ, tunc præsentati ab Episcopo in

in Ecclesijs illis vacantibus, si idonei sint, admitti debent, & institui ab Episcopo alterius diœcesis.

SUMMARIUM.

Episcopo alterius Diœcesis Ius Patronatus ad Ecclesias in illius diœcesi sitas, liberè quis donare potest.

NOtandum unicum. Episcopo, nomine Ecclesiæ suæ, Patronus Jus Patronatûs erga Ecclesias in aliena diœcesi sitas, liberè donare potest, sin autem Episcopo, vel alteri Clerico non ratione Ecclesiæ suæ, sed ratione personæ talis Jus Patronatûs donaretur, Diœcesani consensu opus foret. Ita *And. hic n. 2.* & dixi *in c. insinuatione 14. hoc tit.* Quærunt hîc *Host. And. & Abb.* quid dicendum, si patronus Jus Patronatûs Episcopo donet ratione Ecclesiarum suæ Diœcesis? Respondetur, quòd in hoc casu confunditur præsentatio cum institutione, & ideò collatio, seu provisio Ecclesiæ libera efficitur: præterquam si alius sit Compatronus, tunc Episcopus cum ipso præsentabit ut Patronus; instituet autem, ut ordinaris Diœcesanus. *Argum. Leg. 3. ff. de Adopt.* ubi docent DD. quòd in jurisdictione voluntaria aliquis duarum personarum vicem subire possit.

CAPITVLVM XIX.
Consultationibus.

PARAPHRASIS.

Clericus in Ecclesia ab ordinario institutus fuit ad præsentationem Titij, quòd crederetur esse patronus, postea verò Laicus ab eodem evicit Jus Patronatûs: in judicio quæsitum est, an institutus ab Ecclesia removeri debeat. Respondet Alexan. III. distinguendo, si Titius tempore factæ præsentationis fuit in possessione Juris Patronatûs, Clericum institutum removendum non esse, cùm illi, ad quem Jus Patronatûs de jure pertinet, nullum in posterum præjudicium fiat; sin autem Titius præsentans non fuit in possessione Juris Patronatûs, institutum removeri posse.

SUMMARIUM.

1. *Valet præsentatio facta ab eo, qui in possessione Iuris Patronatûs est.*
2. *Si tamen ab eo fiat, qui verus quidem patronus est, non est autem in possessione Patronatûs, valida quidem est, si nemo alius est in possessione.*
3. *Præsentatio facta a malæ fidei possessore, si hujus mala fides constet, an rescindenda?*
4. *Institutio, sine legitima præsentatione facta, petente Patrono rescindi debet.*

NOtandum primum. Valet institutio Clerici, quæ facta est ad præsentationem ejus, qui erat in possessione Juris Patronatûs, & credebatur esse Patronus, licèt verè patronus non fuerit. Idem de electione habetur *inc. querelam 24. de elect.* ubi *Glossa* v. *super jure* ait, si oppugnetur electio, eò quòd jus eligendi non spectârit ad electores, quòd sufficiat probari ab electo, illos fuisse in possessione juris eligendi: ratio est, quia actus præsentationis, sicuti & electio, est veluti fructus quidam Juris Patronatûs aut juris Capitularis, cùm itaque possessor bonæ fidei in ordine ad fructus absumendos veluti dominus reputetur, adeò, ut si postea verus dominus resciatur, fructus non exstantes restituere non teneatur, uti explicavi *lib. 3. tr. 2. c. 3. n. 4.* Necesse autem est, ut is, qui Clericum præsentatum instituit, aut electum confirmat, bona id fide agat, ratus, jus comperere præsentantibus aut eligentibus *argum. hujus c. v. credebatur.* Hinc infert *Abb. n. 9.* si ordinarius post præsentationem bona fide factam & receptam Jus Patronatûs ad alium de jure spectare resciat, quòd institutionem facere non possit, quia proprietas cognita absorbet causam possessionis *c. cùm dilectus 6. de causâ poss.* Deinde necessarium est, ut, qui præ-

præsentat, aut eligit, sit in possessione cum bona fide, sicuti hîc *Innoc. n. 1. And. n. 2. Abbas n. 3.* docent, & ratione dant, quia possessor bonæ fidei fructus bonâ fide absumptos restituere non tenetur, nisi quatenus locupletior factus est; at verò malæ fidei possessor restituere obligatus est, uti docui *in cit. tract. 2. c. 3. & 4.* & videri potest *§. si quis autem non domino Institutis de rerum divis.* Cùm itaque præsentare sit quasi fructus Juris Patronatûs, ideò si possessor bonâ fide præsentavit, præsentatio & institutio, cùm sit actus transiens, ex quo patronus locupletior factus non est, retractari non debet; secùs, si mala fide facta est præsentatio, aut institutio.

2 Notandum secundum. Institutio Clerici facta ad præsentationem veri patroni, qui non est in possessione Iuris Patronatûs, valida censetur, si nemo alius in possessione est. Ita *Innoc. in c. 2. n. 2. de restit. in integrum. Abb. hìc n. 3.* & sumitur ex hoc *c.* per sensum contrarium. Sed, quid si alius in possessione sit, sed mala fide, debet ne admitti, & institui præsentatus à vero patrono. Respondetur cum Gutierez *in pract. quæstio: q. 42. n. 48.* si notorium sit, quòd alter malè & iniquè possideat, admitti potest: ita videtur sensisse *Innoc. in c. Cumana n. 6. de electione.* Sin autem non notorium, non debet admitti, aut institui, nisi præmissâ cognitione, & latâ sententiâ pro vero patrono, quia alioquin possessor propria authoritate, aut non servato juris ordine spoliaretur: quod etiam sensisse videtur idem *Innoc. in c. in litteris, n. 2. de rest. spol.*

3 Alia quæstio. Si aliquis per judicis sententiam obtinuit Ius Patronatûs, sed mala fide, sciens id sibi non competere, num institutio facta ad ejus præsentationem, cognito postea errore, & retractatâ sententiâ, rescindenda sit? In utramque partem disputant *Innoc. hìc n. 2. And. n. 6.* magis tamen inclinant in partem affirmantem, quam etiam *Abbas* sequitur *n. 6.* afferentes discrimen inter eum, qui à Superiore publicum officium, aut potestatem consecutus est, cum vitio latente, v.g. prælaturam, judicis aut tabellionis officium; ejus enim gesta valent, etsi intrusus sit, & mala fide officium gerat juxta *Legem Barbarius ff. de off. prat.* De alijs autem non publicum officium gerentibus nullum jus extat, quo significetur, acta eorum cum vitio latente mala fide exercentium valida esse ob judicis sententiam, vel authoritatem, *argum. Legis Iulianus 60. ff. de conditione &c.* ubi docent DD. si verus & naturalis debitor in judicio absolutus per errorem debitum solverit, repetere illud non posse, quia natura inest debet, & in *L. exceptio 68. de exceptione rei judicatæ*, docet *Glossa & DD.* quòd sententia judicis reipsa non facit dominum, qui non est dominus, nec aufert dominium à vero domino.

Notandum tertium. Si Clericus sine legitima præsentatione in beneficio patronato ab Episcopo institutus sit, institutio petente Patrono rescindi debet. Ita sumitur ex hoc *c.* & docent *DD. in c. illud. & c. ex insinuatione 14. hoc tit.* Dixi autem, petente patrono, nam potest is etiam institutionem assensu suo expresso vel tacito comprobare, & ratam habere *argum. c. sequentis & c. 2. de his, quæ fiunt à Prælatis.*

CAPITULUM XX.

Suggestum.

PARAPHRASIS.

Cùm auctoritate Archiepiscopi Eboracensis quædam Ecclesiæ cum consensu decani fundi concessæ essent; Canonici vero quidam reclamarent, dicentes, donationem sibi priùs factam esse: rescribit Pontifex, si prior concessio cum assensu Patroni & auctoritate Episcopi facta sit, ac eorum assensus fuerit postea subsecutus, posteriori concessioni præferendam esse; alioquin posteriorem præferri debere.

***

SUM-

SUMMARIUM.

1. *Non potest Episcopus alteri Ecclesiæ unire beneficium patronatum sine consensu Patroni.*
2. *Posterior unio, quando valeat contra priorem?*
3. *Concessio Ecclesiæ ratificatur per subsequentem consensum ejus, cujus consensus requiritur.*

1 NOtandum primum. Ecclesiam, aut quodlibet beneficium juris patronatûs Episcopus alteri Ecclesiæ unire non potest sine consensu Patroni. Ita hîc, & docui *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 12.* nam per talem unionem Patronus perdit jus præsentandi, si v. g. una Ecclesia parochialis alteri parochiali, vel ad augendas præbendas Canonicorum canonicatibus, juxta *c. exposuisti 33. de præ.* vel una Capellania alteri Capellaniæ uniatur. Et ita desumitur ex *c. monasterium 33. causâ 16. q. 7. ubi Gloss.* ait, quòd Episcopus invito Patrono non possit ex parochia facere monasterium, quia derogaretur juri præsentationis, si Prælatus monasterij per electionem constituendus esset. Adde, tametsi Ius Patronatûs Patrono integrum maneat, idem dicendum fore, si v. g. ex reditibus Ecclesiæ patronatæ in altera Ecclesia præbendæ, seu beneficia erigantur; hoc in casu cùm Patroni interfit, opponere se poterit, ne jura & redditus Ecclesiæ patronatæ minuantur, aut supprimantur *argum. c. filijs 29. eadem q. 7.* & docui *in l. c.* & tradit *hic Abbas n. 3.* Excipe, si necessitas talem unionem aut translationem postulet redituum, tunc Patronus repugnare non potest, sicuti ibidem dixi; potissimùm verò Episcopus etiam contradicente Patrono redditus Ecclesiæ patronatæ ad ejusdem Ecclesiæ utilitatem disponendo applicare potest, v. g. novum beneficium, aut præbendam erigendo, quia tota dispositio circa Ecclesiam, jura, & bona ejus, ad Episcopum pertinet, & Patronus immiscere se non debet, nisi ea perdi, aut imminui videat, uti constat ex citato *c. filijs §. ipsis tamen 6., noverint 6. causâ 10. q. 1.* & videri potest *Innoc. in c. 3. v. 3. de privilegijs.*

Notandum secundum. Posterior con- 2
cessio, seu unio Ecclesiæ, aut beneficij, quæ eâ vacante facta est, consistere debet, non obstante, quòd priùs alia concessio, aut unio facta sit, sed minùs canonicè, eò quòd Patroni consensus requisitus non sit, multóque magìs, si à Patrono concessio facta sine authoritate Episcopi *c. illud 8. hoc tit.* Ratio est, quia unio non canonicè facta pro vacua & inani reputatur, & ideò non potest impedimentum præstare unioni factæ legitimè; idémque similiter dicendum de collatione beneficij, secundùm *Gloss. in c. cùm nostris 6. §. non vacaret de facto, de concess. præb.* quòd beneficium non vacans de facto, sed de jure, validè conferatur alteri. Idem quoque dicendum de Legato, quod utile legatum valet, non obstante legato contrario, sed inutili *L. si servus 108. §. si servus alienus ff. de legatis.* quia, ut Glossa ibi ait, utile per inutile vitiari non debet. *reg. 37. in 6.*

Notandum tertium. Concessio Eccle- 3
siæ à Patrono facta per subsequentem Episcopi consensum ratificari potest, uti docui in *c. cura 11. hoc tit.* Multò magìs valet concessio, sive unio, aut collatio beneficij ab Episcopo facta, si consensus Patroni accedat; & est discrimen inter concessionem, aut collationem factam à Patrono sine Episcopo & inter concessionem, aut collationem factam ab Episcopo sine Patrono, quòd illa nullo modo subsistit, cùm substantiale requisitum desit, at verò Episcopi concessio, sive unio, aut institutio subsistere videtur jure mero naturali, quandoquidem Patroni consensus, ut extrinseca conditio requiritur, & postea accedere & suppleri potest, ita ut actus ab initio subsistitisse censeatur juxta ea, quæ dixi in *c. 2. de ijs, quæ fiunt à Prælatis, & in disp. de alienatione rerum Ecclesiasticarum thes. 24. & 25.*

***

CAPITULUM XXI.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Significatum est Alexandro III. quòd Ecclesiasticæ personæ occasione laicæ recognitionis (quia v. g. Dominus loci jus patronatûs habet) sine Episcopi authoritate beneficia in parochijs vendicate sibi audent, quia ergo isti non intrant per ostium, sed aliunde ascendunt, & ideò digni non sunt pastoris nomine, ut prærogativâ gaudeant, ideo Papa mandavit Archiepiscopis & Episcopis Angliæ, ut, si illæ personæ beneficia non resignârint, quæ sine Episcopali concessione habent, ab officio & beneficio suspendantur; si neque tunc destiterint, excommunicentur, neque ante satisfactionem condignam absolvantur.

SUMMARIUM.

1. *Intrusus per Laicam potestatem sine Episcopi authoritate in beneficium, titulum, & jus Pastoris veri non habet.*
2. *Et Censuris constringi potest, ac debet ad resignandum.*
3. *Et qui taliter possessiones Ecclesiarum invadunt, sunt excommunicandi.*
4. *Et taliter spolians Ecclesiam tam coram sæculari, quàm Ecclesiastico judice conveniri potest.*

1 NOtandum primum. Qui in Ecclesiam per Laicam quamcunque potestatem sine Episcopi authoritate intrusus est, non tantùm titulum, ac jus pastoris, prælati, aut beneficiarij non assequitur, sed neque nomine gaudere debet, ita ut non Prælatus, aut Rector dicendus sit, sed cum addito intrusus, aut prætensus, nam nomina rebus convenientia esse debent. *Instit. de donationibus §. est & aliud.*

2 Notandum secundum. Qui beneficia, aut prælaturas à Laica potestate accipiunt, censuris constringi debent ad resignandum, etiam excommunicari, ac denique depon. Videri potest *Conc. Trid. Sess. 22. c. ult. de reform.*

Notandum tertium. Qui Ecclesias spoliant, aut possessiones earum invadunt, sunt excommunicandi, sive sententia in eos ferenda, cum comminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ, nisi abstinerint, & satisfecerint *c. conquestus 16. junctâ Glossa finali de foro competent.* Et postquam contumaces facti excommunicationem contraxerunt, ea declaranda & promulganda est, uti hîc significatur. Potrò *in Trident. cit. c. ult.* continetur excommunicatio sententiæ latæ, & reservata Papæ contra eos, qui bona jura, vel jurisdictionis Ecclesiarum usurpare, aut in proprios usus convertere præsumpserint, vel impedire, ne ad eos perveniant, ad quos de jure spectant; iisque per si Patronus Ecclesiæ ita delinquat, ut jure Patronatûs privetur.

Notandum quartum. Laicus Ecclesiam spolians, coram sæculari judice conveniri potest, quia actor forum rei sequitur *c. cum sit. 8. de foro compet.* Potest tamen etiam coram Ecclesiastico conveniri, ideoque hoc sacrilegij crimen, censetur esse mixti fori *cit. c. cùm sit, junctâ Gloss. & Glossa finali in cit. c. conquestus.* Verùm in quibusdam locis Laici judices sæculares non permittunt tales causas contra Laicum sibi subditum in foro Ecclesiastico agitari, quamvis male agant, & contra canonem.

CAPITULUM XXII.

Eam te.

PARAPHRASIS.

Si circa jus patronatûs in aliqua Ecclesia vacante lis orta sit, & intra 6. menses post Ecclesiæ vacationem numerandos non finita, Episcopus personam idoneam instituere potest.

* * * SUM-

SUMMARIUM.

1. *Lite pendente circa Ius Patronatûs, præsentatio admitti non debet.*
2. *Quid in tali casu Episcopo faciendum, quo Clericus cum Laico circa Ius Patronatûs litigat?*

1 NOtandum primum. Lite pendente circa Ius Patronatûs præsentatio admitti non debet. Ita sumitur ex hoc *c. & c. 3. c. sivero 12. hoc tit.* & est indubitatum, si lis sit de possessione, id est, si non appareat, quis in possessione sit juris patronatûs, uti docet *Gloss. in c 2. V. electionem de in integ. restit.* Sin autem lis sit de proprietate, refert, num præsentatio à bonæ fidei possessore facta sit ante litem motam, an verò post; in priore casu institutio procedere potest, non item in posteriore, uti docui *lib. 4. tr. 2. c. 13. n. 19.* & tradit *Gutierez in quæst. pract. q. 2. n. 41.* Adde, quæ dixi *in c. consultationibus 19. hoc tit.*

2 Notandum secundum. In casu, quo Episcopus pendente lite instituere non potest, expectare debet 6. mensibus post beneficij vacationem: quod verum est, si Patronatus sit Ecclesiasticus, uti docui *in cit c. 3. & cit. c. sivero* Adde hic *Ioann. And. n. 1.* si inter Patronum Ecclesiasticum, & Patronum Laicum sive privatum controversia sit, expectandum esse 6. mensibus, quia socius propter communionem gaudet privilegio, seu jure socij, si socius privilegiatus absque socio jure suo uti non posset, prout docui *in cit. c. 13. n. 4. & 5.*

CAPITULUM XXIII.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Quoniam advocati Ecclesiarum jus advocationis titulo donationis, exemptionis, aliisque suo arbitrio mstitutis contractibus in alios transferre præsumunt, fodrum item, sive collectas, albergarias, sive militum in ædibus sustentationem, regiũ seu tributũ, & similia ab Ecclesijs tanquam à proprijs rusticis extorquent, ideò statuit Lucius III. ut Advocati, seu Patroni, seu vice domini & custodes, seu quaridam habentes, aut quocunque alio nomine censeãtur, à gravaminibus Ecclesiarum cessent, nihilque ab ipsis præter antiquos, & moderatos redditus à locorum Episcopis instituros, exigant, aut si aliquid exegerint, excommunicationi subdantur. Contractus quoque illi, quos fecerunt, aut facient, nullius momenti esse pronuntient.

SUMMARIUM.

1. *Ius Patronatûs, & Advocatia in jure subinde æquiparantur.*
2. *Patrono in fundatione reservari potest cum authoritate Episcopi pensio aliqua.*
3. *Non possunt Patroni, & Advocati Ecclesiarum onerare eas extraordinarijs oneribus, extra casum communis necessitatis.*
4. *Advocatus Ecclesiæ, quando jura, & commoda temporalia jure Advocatiæ competentia, in alium transferre possit.*

NOtandum primum. Licèt jus patronatûs, & jus advocatiæ, si propriè loquendum, distincta sint, teste *Gloss. hic v. jus advocationis*, tamen in jure æquiparantur; quia utrumque est beneficium ab Ecclesia concessum, iterúmque per se, ac seorsim vendi prohibetur, transire autem potest cum translatione bonorum, quibus tale jus annexum est. Ita *Host. & And. hic n. 5.* Discrimen verò est, sicuti hîc *Innoc.* notavit, quòd jus patronatûs loco religioso aut Prælato nomine Ecclesiæ liberè donari potest, non item jus Advocationis, cùm valdè interfit Ecclesiæ, qualem Advocatum habeat. 1

Notandum secundum. Patrono in fundatione reservari potest cum authoritate Episcopi pensio aliqua, sed debet esse moderata, habitâ ratione facultatum Ecclesiæ, 2

uti docui *L. 4. tr. 2. c. 13. n. 9.* Similiter Advocato, propter onus, quod sustinet. Ecclesiam tuendi, constituti potest ab Ecclesia pensio fructuum, aliúdve temporale commodum, uti hîc apparet *in c. generali 13. de electione in 6* His autem, quæ ipsi de jure, aut recepta consuetudine Patrono debentur, vel Advocato, contentus esse debet, & plus non exigere *cit. c. generali §. illos verò.* Simile est, quod habetur in Trident. *Sess. 24. c. 3 de reformatione*, ut Patroni visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus se non immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competit. Videri etiam debet *Sess. 25. c. 9. de refor.* ubi sub excommunicatione latæ sententiæ prohibetur, ne Patroni perceptioni fructuum vel proventuum beneficiorum se ingerant.

3 Notandum tertium. Patroni, & Advocati Ecclesiarum eas non possunt tributis, collectis militum, multò minùs jumentorum imperatis sustentationibus, aliisve oneribus, vel exactionibus gravare, cùm id Ecclesiasticæ libertati repugnet, quandoquidem Ecclesias ab ejusmodi oneribus exemptas & liberas esse oportet, uti etiam habetur *in c. 1. tit. sequente.* & docui *lib 4. trā. 9. c. 6. n. 9.* Ratio indicatur hîc, quia talia à subditis exigi solent; Ecclesia autem & ministri Ecclesiarum sæculari potestati non subjciuntur, sicut apud Catholicos notum est.

Veruntamen si necessitas aliqua, seu periculum imminens, quòd per communem contributionem averti debeat, per se, ac directè impendeat Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis non minùs ac Laicis, tum naturali jure subsidium conferre tenentur; quare in hoc casu immunitas, seu libertas Ecclesiastica prætendi non potest, cùm contributio ab Ecclesijs, aut Ecclesiasticis personis non fiat in signum subjectionis, & ideò nec ad imperium, & exactionem sæcularis potestatis facienda est, sed ob consensum, & decretum Episcoporum, qui proinde in tali casu post cognitam necessitatem consentire obligati sunt: qua de re dixi *in cit. c. 6. n. 7.*

Notandum quartum. Commoda & jura temporalia juri Advocatiæ annexa in alium per donationem, venditionem, aliúmve contractum arbitrio Advocati transferri nó possunt. Ita videtur colligi ex hoc *c.* & indicat *hic Innoc. & And. n. 5.* Sed plures hoc loco casus considerari possunt. Primò. Si jus Advocatiæ sit annexum universitati bonorum, tunc transferri potest accessoriè, sicuti & jus Patronatûs, eóque in casu commoda & jura Advocatiæ æstimari possunt, & rerum universitas tanto pluris vendi, ut *And.* notavit. Secundò. Si loquamur de jure Advocatiæ per se, tunc suprà dictum, non posse illud in aliam personam transferri, aut in alium Ecclesiam sine authoritate Prælati Ecclesiastici & Conventûs, si Ecclesia sit Collegiata, cùm in Advocatia electa sit industria, & potentia personæ. Tertiò. Si loquamur de ipsis temporalibus commodis, quæ Advocatus (ut supponimus) justè percipere possit, vel ea certa, & definita sunt, v. g. tanta pars fructuum aut tanta pensio, tunc ea commoditates vendi, vel locari possunt, ut percipiantur ab altera persona nomine, & auctoritate Advocati titulo Advocatiæ manente penes ipsum *argum. c. nil. ne prælati vices suas, &* eorũ, quæ dixi in *disp. de alienatione th. 8.* Vel incerta sunt, tunc refert, num sint obsequiales operæ, v. g. ut accedente, aut transeunte Advocato, Ecclesia, vel subditi ejus vecturas sive angarias præstent; talia vendi non posse videntur, partim quia inhærent personæ Advocati, cui talis honor, vel obsequia debentur, prout indicat *Abbas hic in fine c.* partim, quia cedit in magnum præjudicium Ecclesiæ, si tales exactiones vendantur alijs majoribus, qui lucri, aut comodi sui causâ plus vexare solent Ecclesias; vel sunt operæ, aut præstationes adscriptitiæ reales, quamvis incertæ, tunc vendi posse videntur, quemadmodum & fructus venduntur nascituri, seu dum sunt in spe, & retis jactus *L. si jactus 12. ff. de actionibus emptis*, & contra *Innoc. hic* docet *And. n. 5. Abbas n. 9.* Cotell.

Corollarium. Dux aliquis provinciæ operas obsequiales, & incertas, quas à rusticis exigere potest, si iter faciat, vel ad venationem prodeat, non potest vendere nobilibus v. g. vicinis, à quibus ipsi rustici plus, & frequentius vexabuntur, præsertim, cùm hæc inter regalia numerentur, quæ vendi prohibita sunt.

CAPITULUM XXIV.

Cùm autem.

Paraphrasis.

SI Ecclesiæ Advocatus, sive Patronus (hic enim Advocatus pro Patrono accipitur, sicuti & *in c. quia 6. hoc tit.*) Clericum idoneum præsentavit, eúmque institui postulavit, postea verò, eo non refutato, alium æquè idoneum præsentet, distingui debet, num sit Patronus Laicus, an Ecclesiasticus; in Laico Patronatu Episcopi judicio relinquitur, quem ex duobus præferre velit, at verò in Ecclesiastico, si videlicet collegium, vel Ecclesiastica persona Ecclesiæ jus præsentandi habeat, qui prior est tempore, potior est jure.

Summarium.

1. *Jus Patronatûs aliud Ecclesiasticum est, aliud Laicale.*
2. *Patronus Laicalis variare potest, si res sit integra, alium & alium præsentando.*
3. *Debet tamen idoneum præsentare, neque alium recipere potest Episcopus.*

1 NOtandum primum. Jus Patronatûs aliud est Ecclesiasticum, & aliud Laicale. Ecclesiasticum est, quod sacro collegio, aut personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, aut dignitatis suæ Ecclesiasticæ competit; Laicale verò, quod universitati, aut collegio non sacro, vel personæ privatæ, Clerico, vel Laico competit.

2 Notandum secundum. Patronus Laicalis variare potest, & postquam idoneum unum præsentavit, si res adhuc integra sit, seu nondum institutio facta, alterum idoneum præsentare; quo in casu utrique jus, & actio acquiritur indeterminatè, ita, ut unus eorum ab Episcopo instituatur: quare non rectè sensit *Gloss. hic verbo alium*, quòd Patronus præsentans alterum, censetur recedere à primo; non enim recedit, sed alterum cumulat cum primo. ut *Ioann. And.* notat *n. 6.* Sive ut alijs verbis dicam, variatio fieri potest non privativè, sed cumulativè, & ideò in Episcopi electione est, utrum ex duobus idoneis præsentatis eigratificando, instituere velit. At verò Ecclesiasticus Patronus variare non potest, sicuti neque eligentes possunt, uti *hic Innoc.* notavit, quia tales actus nomine & jure Ecclesiæ quasi ex officio exercent, ideóque cùm officio suo semel functi sint, acquiescere debent *argum. c. si tibi 17. de præb. in 6.* ubi hoc ipsum traditur de collatione; hæc autem ratio locum non habet in Patrono Laico, quippe qui suo proprio jure præsentat, & ideò Laicus Patronus fortius jus habere censetur.

Notandum tertium. Patronus Clericum idoneum præsentare debet, & Episcopus alium, seu qui idoneus non est, recipere & instituere nec debet, nec potest. Ita sumitur ex *hoc c. & c. ex litteris 7. hoc tit. Trident. sess. 25. c. 9. de reform.* ubi agitur, si ad inferiores institutio pertineat (speciali jure) quòd ab Episcopo instituendi examinari debent, alioquin institutio inanis sit. Adde, quòd ex duobus cumulativè præsentatis Episcopus præferre debet, qui magis est idoneus, & ideò locus gratificationi non est, nisi, si duo æquè idonei præsententur, quâ de re dicam in *c. Pastoralis 29. hoc tit.*

Vide etiam, quæ docui *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 4.*

CAPITVLVM XXV.

Nobis.

PARAPHRASIS.

Quæsitum est ex Clem. III. si aliquis Ecclesiam construxit, eâque ratione Patronus factus est, num is ad electionem Rectoris unà cum Clericis admittendus sit, an repellendus, quando Patronus longam consuetudinem allegat, secundùm quam interfuerit electioni? Respondet Papa, si quis cum consensu Diœcesani Ecclesiam construxerit, ex eo jus Patronatûs ipsi acquiri; verùm si Ecclesia Conventualis sit, non electioni faciendæ, sed jam factæ assensum ejus honestiùs peti: præterquam, si jurisdictionem obtineat, secundùm quam partes suas interponere debeat electioni tractandæ. Secùs autem est in Capella, seu Parochia, ad quam à Patrono unus presbyter electus præsentatur instituendus. Ob fundationem quoque Ecclesiæ honor processionis Patrono servatur; & si ad inopiam tendat, ab Ecclesia ipsi moderatum subsidium præbetur, prout sacris Canonibus institutum est.

SUMMARIUM.

1. *Jus Patronatûs acquiritur ex sola ædificatione Ecclesiæ, si cum Diœcesani consensu ædificata sit.*
2. *Quid sentiendum de eo, qui Ecclesiam reparavit?*
3. *Quid sub nomine* si quis *intelligatur?*
4. *Discrimina inter electionem, & præsentationem.*
5. *Quis sit Patronus Ecclesiæ Collegiatæ, & quæ ejus circa electionem Prælati talis Ecclesiæ licentia, & potestas?*
6. *Quis honor in processionibus debeatur Patrono?*

1 NOtandum primum. Ex sola constructione, seu ædificatione Ecclesiæ acquiritur jus Patronatûs *c. piæ mentis 26. caus. 16. q. 7.* necesse tamen est, ut Ecclesia cum Diœcesani Episcopi consensu ædificata sit *c. nemo. 9. dist. 1. de consec.* & videri potest *Azor t. 2. l. 6. c. 19. q. 7.* Veruntamen si domum sine Episcopi consensu ædificatam, is postea acceptet, & consecraverit, acquiritur jus Patronatûs, uti *hic Bohos.* notavit *v. 2.* ubi rectè etiam ait, cujusque ordinarij Episcopalem jurisdictionem in loco, ubi Ecclesia ædificatur, habentis consensum sufficere ad jus Patronatûs acquirendum. Dixi autem: ex sola constructione, id est, tametsi fundum non dederit, qui construxit, nec dotaverit; quare plures ejusdem Ecclesiæ Patroni ex diversis titulis esse possunt, qui fundavit, qui ædificavit, qui dotavit, prout fusiùs docui *in cit. c. 13. n. 1. & 2.* Sed quid, si quispiam Ecclesiam reparavit, acquiritne jus Patronatûs? Respondeo, & dico primò. Si aliquis Ecclesiam non collapsam reparavit, non debet censeri Patronus, sed Benefactor. Ita *Gloss. & DD. in c. 3. verbo fundatores hoc tit. Azor cit. c. 19. q. 10.* Dico secundò. Si Ecclesia penitus collapsa, aut destructa sit, is, qui eam ædificavit, amittit jus Patronatûs, & alius, qui cum Episcopi consensu reædificat, sibi acquirit *arg. legis qui tamen decima ff. quibus modis usufructus amittitur*, quod verum esse ait Glossa cit. tametsi ex eadem collapsa materia alter ædificet: verùm si per partes ædificata sit Ecclesia, licèt denique tota nova facta sit, non desinit esse primus Patronus, quia eadem Ecclesia esse censetur *arg. citatæ legis* 10. *§. planè.*

Corollarium. Si Ecclesia collapsa, vel penitùs destructa sit, non moneri debet Patronus, qui eam ædificavit, an reparare velit, & jus Patronatûs conservare, cùm ad ipsum, qui Ecclesiam ad esse produxit, id primo loco pertineat. Adde hìc, quòd ob Ecclesiæ destructionem, si spes ejus reparandæ sit, fundator, imò & dotator non amittunt jus Patronatûs: cùm & fundus, & jura Ecclesiæ, quamvis secundùm materialia

rialia collapsa sit, permaneant, quâ de re videri potest *Baldus.*

3 Quæritur etiam, quàm latè hoc in loco pateat vocula *si quis?* num videlicet etiam Mulier, Judæus, aut Infidelis Hæreticus, Excommunicatus Patroni fiant, si Ecclesiam fundent, construant, aut dotent. Respondeo & dico primò. De Muliere non est dubium, quin capax sit juris Patronatûs, uti docuit *Gloss. recepta in c. quoniam 13. verbo vel famina argum. ejus textûs, & c. ex litteris 7. hoc tit.* & videri potest *Glossa in c. Generali 13. de electione in 6. verbo universos*, ubi ait, quòd vocabulo *siquis* etiam *siqua* comprehenditur: qui masculinum, concipit & femininum, ait *hic Abbas n. 3. Ioan. And. n. 3. Glossa in Clement. 1. verbo homines de electione.* Dico secundò. Judæus aut Pagãus, seu Infidelis nõ est capax juris Patronatûs. Ita *Gloss. recepta in c. Frigentius 27. causâ 16. q. 7, argum. ejus textûs, & c. piæ mentis 26. eadem quæstione.* Dico tertiò. Hæreticus non est capax juris Patronatûs, uti hîc docet *And. & Abbas n. 3. Glossa in c. maximum 10. Verbo dignitate, causâ primâ q. 7.* cùm enim Hæreticus extra Ecclesiam sit, non competit ei jus Ecclesiasticum, eique annexus honor in Ecclesia *c. didicimus 31. causâ 24. q. 1.* Quare præsentatio Patroni in hæresin lapsi repelli deberet. Verùm si postea ad Cathol. fidem reversus sit, recuperari ab ipso jus Patronatûs, si per sententiam privatus non sit, ait *Gloss. citata.* Qua de re alibi dixi. Dico quartò. De Excommunicato videtur esse eadem ratio, quæ Hæretici, cùm & ille extra Ecclesiam sit, & ideò cura, & honores Ecclesiastici in eum non cadant: quia tamen fideles post *extravagantem ad evitanda* non tenentur vitare excommunicatos non denuntiatos, aut non notorios percussores Clericorum, probabile est, quòd Episcopus consentire possit, ut excommunicatus toleratus, Ecclesiam ædificet, & jus Patronatûs acquirat, juxta ea, quæ hîc docet *And. n. 3.* Deinde si Prælatus excommunicatus ex reditibus Ecclesiasticis Ecclesiam construat, aut dotet, jus Patronatûs indubiè acquiritur Ecclesiæ, v g. monasterio. Dico quintò. Num Patronus in excommunicatione positus præsentare possit, dissentiunt DD. alij absolutè negant, alij affirmant, alij distinguunt inter Patronum Ecclesiasticum & Laicalem; illi negant competere præsentationem, huic autem affirmant, uti videre est apud *Sairum l. 2. tit. thesaurum c. 6. n. 7. Suarez de censibus disp. 14. n. 21.* Mihi placet sententia universim negans, quæ est *Abbatis hic n. 3. Covarru. in c. alma. 1. §. 7. n. 9. a. 12. Henriquez. l. 13. c. 7. n. 2. in coment. litt. B.* nam excommunicato prohibitum est exercitium, & usus juris Ecclesiastici, uti docui *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 13.* præsentatio autem est actus seu exercitium juris Ecclesiastici, cùm per præsentationem jus, & actio acquiratur ad petendum beneficium, ergo &c. Confirmatur ex eo, quòd certum sit, electionem irritam esse, quæ fit ab excommunicatis (intelligo de non toleratis) ut videre est *in c. unico ne sede vacante in 6. & apud Sairum n. 4. & 5* & docui *in disp. de Prælatis q. 26.* atqui præsentatio, cùm & ipsa jus aliquod spirituale tribuat, licèt minus, quàm electio, eidem in jure æquiparatur, ut quæ statuta sunt de electione, plerumque etiam locum habeant in præsentatione, juxta *Gloss. in c. ult. verbo elect. in 6.* ergo &c.

Notandum secundum. Inter electionem 4
& præsentationem discrimina sunt in hoc *c.* significata: nam electio est Collegij, seu Ecclesiæ habentis Conventum de Prælato, qui à Superiore confirmari debet, si idoneus & canonicè electus sit à Conventu, siquidem per electionem jus acquisivit, quod magis firmari debet per Superioris approbationem, uti *hic Abbas* notat *n. 4.* At verò præsentatio locum habet in beneficijs non electivis, seu quæ Prælaturæ non sunt, sive ea simplicia sint, ut Capellaniæ, sive curata ut Plebaniæ, seu Parochiæ, quæ Patronata beneficia vocantur, & tribuuntur per institutionem Ordinarij dependenter à præsentatione Patroni. Sumitur autem hîc Ecclesia Conventua-

ventualis, seu Conventum habens latè pro qualibet Collegiata; propriè enim, & stricto nomine Ecclesiæ Conventualis comprehenditur tantùm Regularis, seu quæ Regularem Conventum habet, uti hîc monet *Abb. n. 3.*

5 Notandum tertium. Qui Ecclesiam Collegiatam fundavit, construxit, aut dotavit, Patronus ejus est, sed jus eligendi Prælatum non habet, nec electioni interesse debet, nisi ex diuturna consuetudine, aut fundationis tenore ipsi potestas competat: qua de re dixi *in disp. de Prælat. q. 20. & sequentibus. & l. 4. tr. 2. c. 13. n. 12.* Unde hinc intuli cum *Gloss. hic*, quòd Episcopus Ecclesiam Parochialem Patronatam ordinariè loquendo non possit, invito Patrono, convertere in Collegiatam. Sin autem ob aliquam necessitatem id fiat, ita ut Patronus contradicere non possit, cùm Patronus majus Ecclesiæ commodum non impedire, sed magis promovere debeat, saltem in hoc casu retinere deberet jus nominandi Prælatum, ut eadem *Gloss.* notavit *v. ex capella.* Multò magis ad beneficia simplicia, si ea ex Parochiali Ecclesia constituantur, Patronus præsentare debet, quia subrogatum imitari debet naturam ejus, cui subrogatur. Adde, quòd etiam in Collegiata Ecclesia jus præsentandi seu nominandi Prælatum sibi in fundatione Patronus reservare potuerit cum Ecclesiæ acceptatione, & consensu.

6 Notandum quartum. Patrono in processionibus & Ecclesia specialis honor & prærogativa debetur, uti explicatum leges in *Glossa c. uni. hoc tit. in 6.* Alimenta etiam secundùm facultates Ecclesiæ ministrari debent, si ad inopiam tendat, uti hîc habetur, & in *c. quicunque 30. causa 16. q. 7.* & docui in eodem *c. 13. n. 8.* Dummodo Ecclesiæ aliquid suppetat ultra ea, quæ necessaria sunt ad fabricæ, & ministrorum sustentationem, quippe quibus ante alios ex bonis Ecclesiæ succurri debet, uti hîc notavit *Abb. n. 6.* & tradit *Glossa in cit. c. quicunque V. ad inopiam. argum. L. si quis à liberis 5. §. ac alimentis. ff. de liberis adnascendis*, ubi declaratur, quando liberus Patronum, & liberos ejus, si ad inopiam deveniant, ob gratitudinem alere teneatur.

CAPITVLVM XXVI.

Per nostras.

Paraphrasis.

Rescribit Pontifex, quòd nullus, quantumcunque idoneus, seipsum præsentare possit ad personatum alicujus Ecclesiæ, neque quòd nullus semet ingerere debeat Ecclesiasticæ Prælationis officijs.

Summarium.

1. *Patronus nec per alium se præsentare potest, nisi omni suo jure pro ea vice se exuerit.*
2. *Episcopus motu proprio Patronum, si idoneus sit, instituere in Beneficio potest.*

NOtandum. Nemo se ipsum ad Ecclesiam vacantis personatum præsentare potest. Rationem dat *Gloss. hic V. præsentare*, quia nemo oritur à se ipso *c. didicimus 33. causa 24. q. 1.* sed debet esse distinctio inter dantem, & accipientem *c. ult. de inst. l. 1. ff. de authoritate tutorum.* Adde, quòd Patronus neque per alium à se delegatum, neve cui pro ea vice præsentandi potestatem demandavit, præsentari possit, uti docet *And. in c. ex insinuatione 14. n. 3. sect. 11. Flamin. de resign. l. 9. q. 17. n. 113.* Idemque dicendum de procuratore, qui à Collegio constitutus est ad eligendum, quem non possit eligere principalem, sed nequit ipsum procurator, sive mandatarius, præsentare potest, teste eodem *Flam. v. 104.* Cæterùm si Patronus præsentandi potestatem in alium penitùs, & legitimè transtulit, ut alter suo jure saltem pro hac vice præsentet, tunc præsentari posse eum, qui ita transtulit, ait *And. cit. n. 3.* Hinc sequitur, & expressiùs tradit *And. n. 2. Abb. n. 3.* quod

quòd Episcopus sponte, & motu proprio Patronum, si idoneus est, ad beneficium instituere possit; idque duabus maximè rationibus. Prima. Si Patronus pro ea vice liberè renuntiet juri præsentationis, & Episcopus liberè, nullóque pacto antecedente beneficium conferat Patrono. Secunda. Si Episcopus prior conferre cupiat Patrono, ipséque postea consentiat, & contentus sit; tunc enim Patronus non oritur à seipso, sed ab Ordinario vocatur, cui vocationi ipse consentire potest, sicuti & electus electioni consentire, & interdum coëligere, sicuti docui *in c. consuluit 15. hoc tit.* Nisi ita dicamus, Patrono obesse debebit, quòd Ecclesiam fundavit.

CAPITULUM XXVII.

Cùm propter.

Paraphrasis.

Mandat Pontifex, ut si de Jure Patronatûs lis sit, & intra quatuor menses non fuerit definita, Episcopus Ecclesiam de persona idonea ordinet, ita tamen, ut inposterum non generetur præjudicium illi, qui Jus Patronatûs evicerit.

Summarium.

Lite super Iure Patronatûs intra quatuor vel sex menses non finitâ, Episcopus liberè instituere potest.

NOtandum. Si ob litem judiciariam præsentatio efficaciter fieri non possit, quia nescitur, cujus ex litigantibus præsentatio admittenda sit, Episcopus post lapsos 6. menses, si Patronus sit Ecclesiasticus; intra quatuor verò, si sit Laicus, liberè pro ea vice instituere potest. Idem docui in *c. 3. c. eam. 22. hoc tit.* Ratio datur in textu, ne Ecclesia, seu beneficium diu vacare debeat. Est autem id speciale in casu isto, quòd tempus in jure definitum, videlicet quadrimestre, aut semestre currat, sine culpa, aut negligentia Patroni, propterea quòd Patronus, seu is, cujus præsentatio admittenda sit, ignoretur; alioquin verò statuenda est regula contraria, videlicet, quòd tempus jure definitum ad eligendum, præsentandum, vel conferendum non currat legitimè impedito *c. quia 5. de concess. præb. juncta Gloss. V. suspensionis L. 1. §. ult. cod. de annali exceptione L. in rebus 30. cod. de jure dotium*, ubi dicitur, quòd tempus non currit, agere impedito.

CAPITULUM XXVIII.

Cùm dilectus.

Paraphrasis.

In hoc cap. agitur de reservationibus, quarum in Germania nullus usus est propter Concordata, & ideò non est immorandum.

Summarium.

1. *Facilius derogatur Ecclesiastico Patronatui, quam Laicali.*
2. *Clerici quoad bona patrimonialia in ordine ad suos Prælatos Ecclesiasticos se habent, sicuti seculares respectu suorum principum secularium.*

NOtandum primum. Discrimen est inter Patronatum Ecclesiasticum, & Patronatum Laicum, quòd illi faciliùs derogari, & beneficia ejus reservati possunt collationi Papæ aut Legati à latere; sed id non fit in Patronatu Laico exceptâ plenitudine potestatis Papalis, quare Pontifex nunquam censetur derogare Patronatui Laico, nisi id in litteris specificè expressum sit. Ita *Gloss. recepta hic V. quempiam. Abb. n. 10. Gloss. in Clement. 2. V. Apostolicis de præb. Covarru. in pract. c. 36. n. 1. Sanchez t. 2. Mor. lib. 7. c. 27. n. 169.* & plenius docui in sæpe *cit. c. 13. n. 5.* Rationem discriminis dare debemus partim, ne domini sæculares à fundationibus pijs retrahantur, si passim eorum juribus detrahatur, partim quia, sicuti plus juris Prælati Ecclesiarum habent in bona Ecclesiastica, quàm in bona sæcularia,

laria, sive Laicorum & privata, ita etiam æquum est plus juris eos habere in Patronatum, qui ex Ecclesiasticis bonis, quàm in Patronatum, qui ex sæcularibus patrimonialibus, seu privatis bonis originem trahit. Veruntamen si Laico ex speciali privilegio, aut consuetudine competat præsentare ad beneficia, quæ secundùm originem Ecclesiastici Patronatûs sunt, ei derogari posse, ex communi docet *Covar. in pract. quæst. c. 36 n. 5.*

2 Notandum secundum. Clerici quoad bona patrimonialia & propria reputantur, ut Laici, uti *Abb. hìc n. 5.* quod intelligi debet in ordine ad Prælatos Ecclesiasticos, ipsúmque Romanum Pontificem, ut non plus juris in ea habere censeatur, quàm sæcularis in bona subditorum Laicorum, prout *Innoc.* & alij docent *in c. quæ in Ecclesiarum de constit.* quamobrem etiam jus Patronatûs, quod ortum habet ex bonis Clerici patrimonialibus, ut Laicum reputatur. Ecclesiasticum verò dicitur jus Patronatûs, quod ex bonis Ecclesiæ originem sumpsit, uti etiam colligitur ex *hoc c.*

CAPITULUM XXIX.

Pastoralis.

Paraphrasis.

Rescribit Pontifex, si Episcopus Clericum præsentatum non acceptavit, & Patronus alium præsentavit, institutionem secundi valdidam esse: provideri tamen debere primo, si malitiosè fuit rejectus.

Summarium.

Quandonam præsentatus censeatur malitiosè rejectus?

1 NOtandum. Si Laicus Patronus successivè duos Clericos præsentet, melior est conditio ejus, qui ab Episcopo institutus est, etsi posteriore loco præsentatus fuerit: quare in hoc casu alteri, qui priùs est præsentatus, jus appellandi, aut quærelandi non datur. Habetur etiam in *Quòd autem 5. hoc tit.*

Limitari debet, si institutio posterioris ab Episcopo ex malitia fiat, petere posse, qui prior præsentatus fuit, ut sibi aliud beneficium competens provideatur. Censetur autem malitiosè egisse Episcopus primus. Si priùs præsentatum ante præsentationem secundi sine justa causa repulit, videlicet sine examine, aut cùm in examine idoneus repertus esset. Secundò. Si post præsentationem secundi priùs præsentato, tamen magis idoneus esset, prætulit, & instituit secundum. *arg. cault. dist. 63. c. cùm autem 24. hoc tit.* unde requiritur, posteriorem æquè esse idoneum, ut institui possit; itaque si prior magis sit idoneus, queretur instituere poterit, & petere, ut aliud sibi beneficium detur ex Canonis hujus provisione.

CAPITULUM XXX.

Postulâsti.

Paraphrasis.

Ad dubitationem Episcopi Autiensis respondet Pontifex, siquis præsentante Rectore Ecclesiæ ordinatus sit ad titulum illius Ecclesiæ, nullum per ejusmodi intitulationem præjudicium generari Patrono, quin possit vacante Ecclesia alium præsentare, nisi in intitulationem consenserit.

Summarium.

1. *Parochus potest ad titulum suæ Ecclesiæ Parochialis ordinandum suo Episcopo offerre, etiamsi Ecclesia illa patronata sit.*
2. *Nullum tamen exinde præjudicium Patrono generatur, si consensum non præstiterit.*

NOtandum primum. Rector Ecclesiæ Parochialis sive Parochus potest ad titulum parochialis sui beneficij, etiamsi Pa-

tronus

tronatum sit, Clericum in sacris ordinandum præsentare Episcopo. Ita *hic & in c. per tuas 37. de Simonia* & docui *l. 5. tr. 9. c. 10. n. 5.* Tunc autem ex reditibus parochiæ provideri debet Clerico, donec beneficium Ecclesiasticum consequatur *cit. c. per tuas*, & ob id Clericus cogi potest à Parocho, ut in Ecclesia, à qua sustentationem habet, servitium præstet, uti *Abbas* docet *in c. conquerente 6. n. 5. de Clericis non residentibus argum. ejus textûs.* Quare cautus esse debet Episcopus, & tales præsentationes non admittere, nisi Ecclesia sufficientes reditus habeat, uti notavit *And. in cit. c. per tuas n. 2.* ubi ait, quòd in hoc casu, si Rector præsentans, nec ex titulo beneficij parochialis, nec ex proprijs bonis ordinatum alere possit, onus alendi in Episcopum cadat *argum. c. 2. c. 4. cùm secundum 16. de præb.*

2 Notandum secundum. Si Parochus Clericum Episcopo præsentet ad titulum beneficij sui, & Patronus consensum non det, valida quidem, imò & licita est præsentatio, ut satis ex *hoc c.* colligitur; nullum tamen Patrono præjudicium generatur. Hinc sequitur primò, quòd Patronus ad Ecclesiam postea vacantem, quemcunque velit, Clericum idoneum præsentare possit, posthabito illo, qui ad titulum parochiæ ordinatus fuit, & hactenus servitium præstitit, sustentationémque sive pensionem aliquam ex reditibus accepit. Dubium verò est, si Patronus consensum det præsentationi, num sibi præjudicet, quò minùs alterum ad vacantem postea parochiam Episcopo præsentare possit. *Gloss. hic* videtur affirmare *argum. hujus c. in fine, nisi de Patronorum processisset consensu.* Sed contrarium rectè docet *Abbas n. 6.* alioquin enim sequeretur jus exspectativæ, ut videlicet præsentatus ad titulum beneficij promissionem haberet de succedendo post mortem Rectoris præsentantis contra *Capitulum secundum & c. ult. de concessione præbendæ.* Neque obstat exceptiva, *nisi &c.* etsi enim ordinariè loquendo hujusmodi clausula exceptiva ad proximè præcedens referri debeat, fallit tamen ista regula, si absurdum inde aliquid sequatur, uti hîc: itaque clausula referri debet ad remotius, ut sensus sit, Patrono nullum præjudicium generari, nisi consensum dederit præsentationi. Sequitur secundò. Si Patronus consensum non dedit, jus sustentationis accipiendæ ex tit. beneficij durare tantùm ad vitam præsentantis, eò quòd Patroni interesse censeatur, ideóque aliquod ipsi præjudicium generetur, si beneficium ipsum, sicuti & reditus, quatenus non ad Rectorem, sed v. g. ad fabricam Ecclesiæ destinati sunt, pensione aut simili obligatione, seclusâ necessitate, graventur, uti hîc tradit *Host. & And. n. 9. Abb. n. 5. Covarruv. in pract. quæst. c. 36. n. 10.* ubi testatur esse communiorem.

CAPITULUM XXXI.

Transmissæ.

Paraphrasis.

Postquam Ecclesia vacans, in qua Jus Patronatus obtinebat Capitulum Eboracense, cuidam ab eodem Capitulo fuisset collata, alius ab eodem fuit Episcopo præsentatus. Respondit Pontifex, instituti ab Episcopo posse, qui fuit præsentatus.

Summarium.

1. *Patronus, quamvis Ecclesiasticus sit, præsentandi quidem, non tamen instituendi jus habet.*
2. *Quando quis audiendus sit proprium factum retractans?*

1 NOtandum primum. Ad Patronum, quamvis Ecclesiasticus sit, non pertinet beneficium conferre, seu concedere, sed præsentare tantùm, ut præsentatus ab Episcopo institutionem etiam in beneficio consequatur. Ex quo colligitur, quòd Episcopus possit, imò quandoque debeat rejicere litteras præsentationis, in quibus Patronus,

seu Ecclesiasticus, seu Laicalis, se vocat beneficij collatorem, aut beneficij concessionem, seu collationem ad se pertinere; nam ex abusu vocabulorum facilè consequitur abusus potestatis, maximè si Patronis Laicis, qui præsentationes suas magna reputant beneficia, eâque occasione non rarò Simoniæ, & Ecclesiasticæ immunitatis violationes committuntur. Videri hîc potest *Abbas n. 5.*

2 Notandum secundum. Aliquis audiendus est, si velit retractare proprium factum, propterea, quia id tendit in præjudicium Ecclesiæ, aut præjudicium personæ tertiæ, aut in damnum animæ suæ. Ita sumitur ex hoc *c.* Videri possunt, quæ docui in *c. ex tenore 13. de conces. præb. & in disp. de alien. thes. 7.*

CAPITULUM VNICVM eodem titulo in Sexto.

Si Laicus.

Paraphrasis.

Si Jus Patronatûs à Laico conferatur eidem, vel alteri Ecclesiæ, seu loco religioso, collatio, etiamsi sine consensu Episcopi facta sit, efficax censenda est: per hoc tamen juri Episcopi, qui assensum non præbuit, Pontifex non vult derogari.

Summarium.

1. *Quomodo in Ecclesiam, locum pium, aut alium compatronum transferre possit Patronus Laicus jus Patronatûs?*
2. *Si ad Ecclesiam transferatur, induit naturam Patronatûs Ecclesiastici.*
3. *Si Clericus & Laicus sint compatroni respectu ejusdem beneficij, sex menses ad præsentandum conceduntur.*

1 NOtandum primum. Patronus Laicus jus Patronatûs liberè concedere potest Ecclesiæ, aut loco religioso. Ita etiam docui *in c. 5. & c. illud 8. extrav. hoc tit.* Est autem sermo tantùm de jure Patronatûs Laici, id est, quod alicui, seu Clerico, seu Laico competit jure proprio; secùs si jure Ecclesiæ, quandoquidem talia jura alienationis possunt sine Superioris authoritate, & aliis Canonicis solennitatibus juxta *tit. Decret. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Utitur autem textus nomine generali concessionis, ut intelligatur non tantùm donari posse jus Patronatûs, sed etiam testamento relinqui &c.

Notandum secundum, Patronus Laicus jus Patronatûs, quod habet in Ecclesia, eidem Ecclesiæ donare potest: quo in casu ait *Gloss. V. eidem Ecclesiæ* est Patronus ipsius, dummodo plures ministros habeat; sin autem unicus sit Presbyter, sive Parochus, & jus Patronatûs donatum, seu remissum sit parochiæ, tum Episcopus libere providebit. Hanc Glossam sequitur hic *Archidiaconus* sed impugnat *Francus n. 4.* itaque in casu isto extingui jus Patronatûs, & Ecclesiam liberæ collationis fieri; nam jus Patronatûs est veluti servitus *Ecclesiæ*, aut beneficij, non potest autem eadem res habere servitutem erga seipsam, sive servire sibi ipsi *L. si quis ædes 30. ff. de servitut. urbanorum prædiorum*, ubi dicitur, si enim ædes, quæ erga tuas ædes servitutem gerebant, confusam, extinctamque servitute censeri. In hac controversia respondeo, verba Glossæ, quòd Ecclesia esse possit patrona sui ipsius, eo sensu vera esse, quòd Ecclesia habeat jus Patronatûs in ordine ad beneficia sibi incorporata; quod sanè evidens est, si Ecclesia collegiata sit, imò, etsi non sit collegiata, habeat tamen plura beneficia, tum in isto casu jus Patronatûs est servitus beneficiorum; at verò respectu Ecclesiæ, & Rectoris ejus jus præsentandi ad beneficia habentis non est servitus, sed potestas, aut veluti privilegium quoddam. Sin autem Patronus ipsi beneficio, v.g. Capellaniæ, remittat jus Patronatûs tanquam aliquam servitutem ejus, tunc beneficium consolidatur, & extinctâ servitute liberæ collationis efficitur, ut dictum est. Idémque est, si Ecclesiæ non Collegiatæ remittatur jus Patronatûs, quod

quod Patrono competebat ad instituendum Rectorem, uti eadem Glossa indicavit, & sumitur ex *c. significavi 41. ubi And. n. 5. de test.* Sed & idem dicendum, si Episcopo ratione dignitatis suæ donetur jus Patronatûs, tunc si ad eundem pertinebat institutio, post factam donationem, seu remissionē collatio libera fiet: nisi donans habuerit compatronū, hoc enim in casu Episcopus tanquam Patronus unà cum Compatrono præsentabit, & tanquam Diœcesanus instituet, uti hîc *Lapus* notat *n. 3.*

Notandum tertium. Si Patronus Laicus jus Patronatûs loco religioso donet sine Episcopi consensu, nullum ipsi præjudicium generatur: sed etsi Episcopi consensus accesserit, nequaquam tamen jus Episcopale læditur, si de sola juris Patronatûs translatione actum sit, uti *And. hîc* monet. Secùs si etiam Episcopus cum consensu Capituli, aliisque adhibitis solennitatibus concessionem Ecclesiæ fecerit juxta *c. pastoralis 7.* ubi docui *de donationibus.*

§.

Verum.

Paraphrasis.

Licèt Patronus Laicus ad præsentandum 4. tantùm menses habeat, si tamen jus Patronatûs ad Ecclesiam seu monasterium transtulerit, 6 postea menses conceduntur, & universim, quod attinet ad præsentationem, non ut Laicus sed ut Ecclesiasticus Patronus judicari debet Ecclesia, ex quo translatio facta.

2 NOtandum unicum. Si Patronatus Laicus ad Ecclesiam transferatur, efficitur Ecclesiasticus. Ita *hîc.* Sed contrà objici potest, quòd sicuti res transit cum onere suo *c. ex litteris 5. de pignoribus*, ita etiam transit cum privilegijs, juribus, & affectionibus suis. Accedit, quod in regula *46. in 6.* habetur: *is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, ut debebit.* Respondet recè *Pius super citatâ regulâ n. 9. Francus hîc. colum. 2. & 3.* distinguendum esse, num onus, aut privilegium adhæreat rei secundùm se tanquam affectio ejus, tunc transit ad quemvis possessorem, aut successorem; an verò onus, jus, aut privilegium adhæreat rei non per se, sed per accidens, seu in ordine ad personam, quod in jure dici solet onus, aut privilegium personale, id non transit ad successorem, aliúmve possessorem juxta *regulam 7. in 6. & regulam 68. in fine.* Exempla multa sunt. Primum. Privilegia mulieris, quæ habet in rebus dotalibus (ut habeat tacitam hypothecam in bonis mariti, & præferatur alijs creditoribus tacitam hypothecam habentibus) quia personæ contemplatione data sunt, non transeunt ad hæredem ejus *L. unica. cod. de privilegijs dotis*, præterquam si filius hæres sit *L. ult. cod. qui potiores in pignore.* Secundum. Privilegium, quod habet pupillus, ut præferatur alijs creditoribus in bonis tutoris, aut qui pro tutore se gessit, non transit ad hæredem pupilli. Tertium. Immunitas à decimis in religiosis, aut leprosis in communi viventibus concessa in agris, & hortis suis non transit ad alios successores, etiam conductitios, colonos. *cap. ex parte 10. c. licèt 11. de decimis.* Quartum. Si ædes, aut ager ad Ecclesiam pertinens à vectigali, aut tributo immunis Laico vendatur, fit tributis obnoxius: sed & vice versa, si ager, aut ædes exactionibus obnoxiæ propter possessores Laicos, qui Domino loci subijciuntur, venditione, alióve titulo transferantur ad Ecclesiam seu personam Ecclesiasticam, tollitur ab ijs onus tributi, quare in hujusmodi oneribus, quæ contemplatione personæ imposita sunt, regula traditur à DD. in L. *cùm quis 38. ff. de solutionibus, Anchorano hîc not. 6.* quòd mutatâ personâ mutatur res, prout latiùs explicavi *l. 4. tr. 9. c. 6. n. 4.* Quintum. Si beneficij collatio devoluta sit ad Ordinarium, quia Patronus Laicus intermisit intra 4. menses præsentare, vel quia Papa intra mensem beneficia vacantia in curia non contulit juxta *c. 3. de præbendis in 6.*

Ordinarius ad conferendum habet 6. menses juxta *c. 2. de conceſſ. præb.* & docet *hic Franc. n. 3. And. in cit. c. 3. n. 1.* His addenda eſt doctrina *Gloſſ. hic v. Eccleſiaſticus.* Si Laicus & Clericus Compatroni ſunt, Laicus ob communionem cum Clerico eodem quoad tempus ſemeſtre, præſentandi jure fruitur, nam univerſim dicendo ſocius per ſe non privilegiatus propter communionem cum ſocio privilegiato jure, aut jure indiviſibili commodum, & privilegium participat, juxta *L. ſi communem 10. ff. quemadmodum ſervitus amittitur, ubi Gloſſa & DD.* aiunt, quòd privilegium unius conſortis videlicet pupilli prodeſt alteri conſorti non pupillo in re indiviſibili.

3

Aliud exemplum affert hîc *Lap. n. 7. Franc. n. 1. Abbas in c. ult. extra hoc tit.* Si duo ſint Patroni Clericus & Laicus, quo Legatus à latere derogare non poſſit juri patronatûs, contradicente Laico, ſeu Patrono Laico repugnante. Item ſi duo ſint Patroni Eccleſiaſticus & Laicus, fruetur Laicus privilegio Eccleſiaſtici, ut jus Patronatûs, ni præſcriptionis ipſe etiam non amittat, niſi 40. annis *argum. cit. L. ſi cõmunẽ* & ex communi docet hîc *Anchor. in fine c* Ratio regulæ dari debet. ſecundùm *Covarru. in prælect. quæſt. n. 4.* quia ſi aliter fieri non poteſt propter rei individuitatem, æquius eſt ut ſocius commodum conſequatur ex ſocio privilegiato, quàm ut ſocius privilegiatus damnum ferat ex ſocio non privilegiato.

* * *

TITULUS XXXIX.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS ET PROCURATIONIBUS.

QUia prior Rubrica onus, quod Eccleſijs nonnunquam impoſitum eſt, jus Patronatûs ſcilicet, examinat, ideò in hoc loco de alio onere ſeu ſervitute Eccleſiarum, & beneficiorum adjungitur, videlicet de Cenſibus.

CAPITULUM I.

Sancitum.

PARAPHRASIS.

Statutum fuit in Concilio apud Wormatiam, ut unicuique Eccleſiæ manſus unus integer tribuatur, absque ulla ſervitij cujusdam temporalis præſtandi obligatione, ita, ut presbyteri in illis conſtituti, neque decimas debeant, de domibus, areis, vel de hortis, juxta Eccleſiam poſitis; neque de oblationibus fidelium conveniri poſſint; neque ad ullum ſervitium, præter Eccleſiaſticum, de manſo tali obligari poſſint, ita tamen, ut de alijs quæ præter manſum talem obtinent, ſuum ſervitium debeant impendere illis, quibus talia bona, reali onere ſunt obligata.

SUMMARIUM.

1. *Quid nomine manſi hic intelligatur, quem jura liberum ab onere temporali volunt?*
2. *Non obligantur Eccleſiæ presbyteri ex hoc manſo ad ſervitia temporalia præſtanda; obligantur tamen ad Eccleſiaſtica.*
3. *Caſu, quo talia bona in neceſſariam Eccleſiæ dotem data alijs ſint realiter obliga-*

ligatam, quàm Patrono, quid præsumendum.

NOtandum. Mansi quidem nomine, ut ait *Glossa* hîc v. *Mansus*, intelligi spatium terræ, quod duobus bobus arari & coli potest; & juxta alios, idem nonnunquam dici terræ spatium, ex quo unus rusticus cum familia sua sustentari possit; vel ut vult *Glossa in cap. secundùm Canonicam 24. v. Mansus causa 23. q. ult.* intelligitur illa terra, ex qua percipitur frumentum, & vinum ad Evchariſtiam conficiendam; hîc tamen accipi pro fundo dotali Ecclesiæ, ad talia necessaria, & in sustentationem ministrorum Ecclesiæ; quem mansum voluit Concilium, ab omni servitio, sive onere temporali exemptum esse; sicut & domus, areas, hortos, ac alia bona juxta Ecclesiam sita, & ejus necessitatibus destinata: & quamvis cum onere suo transeant bona, reali onere onerata, locum tamen non habet communis hæc regula quoad Ecclesiæ mansum, cui constitutio Concilij specialiter voluit cavere, & in reverentiam divinorum mysteriorum rectè censentur suis juribus ad quæcunque onera temporalia exigenda cessisse illi, quibus fundi tales ad præstanda talia onera obligati fuerunt, cùm in Ecclesiæ dotem bona illa transtulerunt, *argum. cap. hujus*: ita ut reservatio etiam talium onerum, quoad dotem Ecclesiæ necessariam, nulla esse censeatur, quia juri Canonico, & Concilari constitutioni adversatur, nisi amplissimam dotem dedisset Ecclesiæ, qui censum talem, sive pensionem, in prima fundatione sibi reservavit; in hoc enim casu posset sibi cum consensu Episcopi aliquam pensionem, sive servitium temporale, ex tali dote reservare fundator, cùm nullum in tali casu præjudicium patiantur aut Ecclesia, aut Ecclesiæ ministri, à necessarijs ad congruam sustentationem sufficienter, etiam posito tali onere, instructi.

2 Notandum secundò. Non obligari quidem ex hoc manso Ecclesiæ presbyteros ad temporalia servitia præstanda, obligari tamen ad Ecclesiastica, scilicet subsidium charitativum, Cathedraticum, & similia servitia, quæ juxta *cap. conquerente 16. de off. Iud. Ord.* Episcopis præstari ab omnibus Ecclesijs debent; & si quid ultra necessariam dotationem ex bonis Ecclesiæ datis supersit, ex his onus merè reale temporale, quod legitimo titulo rei tali, priusquam in Ecclesiam translatum fuit, perpetuò annexum erat, solvendum sæcularibus etiam Superioribus, salvis ad finem *cap. hujus* innuit *Concilium*, & *Glossa* docet *v. senioribus.*

3 Notandum tertiò. Si talia bona in necessariam dotem Ecclesiæ data, reali onere perpetuò ab antiquo sint obligata, alij, quàm Patrono, qui dotem talem dedit, tum vel dos ista collata fuit in Ecclesiam à Patrono, sciente eo, & consentiente, cui bona illa reali onere perpetuò ab antiquo obligata sunt in dotationem; vel sine hujus consensu, aut scientiâ. Hoc postremum si contigit, censeri non potest, jus suum, quod habet ad onera illa realia exigenda, remisisse dominus; vel certè consensisse quidem in translationem Ecclesiæ factam, absque eo tamen, ut juri suo præjudicari vellet, *argum. c. ex litteris 5. de pig. & legis sicut 8. §. non videtur ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solv.* neque Ecclesiæ, quæ cultrix justitiæ est, talem dotationem, cum præjudicio alterius, & hoc quidem invito, accepisse censeri possunt. *arg. cap. ult. de locato* Prius tamen si factum fuit, rectè præsumitur, jus suum in tali casu remisisse in reverentiam Ecclesiæ, saltem quoad dotem necessariam, quibus fundus talis reali onere temporali perpetuò obligatus fuerat, *argu. legis Cajus 39 ff. de pignoratitia act.* Nisi fundator, qui dotem talem dedit, malæ fidei fuerit, sciens bona talia Ecclesijs in dotem danda esse reali onere obligata, & consequenter ad æstimationem solvendam suis dominis sit cogendus, prout putat *Glossa finalis in cap. secundùm Canonicam 24. causa 23. q. ult. Abbas hic n. 7.*

CA-

CAPITULUM II.

Omnis anima.

Paraphrasis.

Ex S. Augustino super Epistola ad Romanos desumptus hic textus fuit, quo jubentur subditi sua præstare tributa, quia, ut ait textus, hæc est probatio subjectionis.

Summarium.

Non semper ex annua præstatione censûs probari potest subjectio.

NOtandum. Probari quidem ex annua præstatione censûs subjectionem respectu illius, cui census talis, vel pensio annua præstatur; benè tamen communiter advertunt Auctores, solam talem annuam præstationem ad subjectionem hanc probandam non sufficere, cùm ex alijs etiam causis & titulis ea fieri possit, prout ex dictis patet, nisi in solutione expressum sit, quòd ea fiat ratione subjectionis; vel nisi hoc ipsum ex circumstantijs loci, temporis, personarum &c. præsumptivè appareat; ut si quis, in eodem loco, tempore, ac modo, quo alij subditi in subjectionis signum, censum solvat, quia solutio indeterminata ex circumstantijs determinari debet, ut ait *Abbas in cap. ult. n. 4. de caus. possess. & propriet.* & sic intelligi debet, quod dicitur in hoc *cap.* tributorum præstationem esse probationem subjectionis, si scilicet in solutione id expressum sit, vel circumstantiæ concurrentes præsumptionem subjectionis denotent.

CAPITULUM III.

Scientes.

Paraphrasis.

Conquestus fuit Abbas quidam Gregorio Pontifici, quòd Episcopus Messæ (hunc enim presbyteri nomine vult *Glossa* venire *hic v. presbyter*) novas cõsuetudines, census scilicet, & pensiones novas, ac alia onera nova, velit imponere monasterio cui querelæ, ut satisfaceret Pontifex, mandat Cantori Ecclesiæ Cathedralis Stephano ut de querelæ hujus veritate inquirat, & si intelligat, quòd ab initio fundatæ talis Ecclesiæ, ex certa causa & authoritate Episcopi (ut advertit *Glossa hic v. ab initio*) pensiones tales, & consuetudines onerosæ impositæ non fuerunt, neque permittat eas de novo imponi.

Summarium.

1. *Novi Census non sunt imponendi monasterijs, præter eos, qui in prima fundatione legitimè facta, imposiri fuerunt.*
2. *Novi scilicet Census reales & perpetui, aut quos in suam utilitatem tantùm Prælati imponunt.*

NOtandum primò. Prohiberi hic, ne novi Census, & pensiones, quæ in prima fundatione monasterij, legitimo modo hucusque impositæ non fuerunt, imponantur, cùm enim talis Census sit onus reale, ad legem Diœcesanam spectans, à qua exempta sunt monasteria, consequenter neque de his præstationibus & pensionibus onerari debent. *cap. inter cæteras 8. caus. 9. q. 3. & Glossa in cap. dilectus 18 verbo deleg. jurisdict. ord. Iud Ord.*

Notandum secundum. Prohiberi tantùm in hoc *cap.* ne Census novi reales Ecclesijs imponantur ab inferioribus Papa Prælatis, ita ut juramentum de novo hoc Censu vel augmento veteris (quod in *cap. 7. prohibetur*) solvendo, non valeat, cùm sit in præjudicium Ecclesiæ factum *cap. gravis 5. h. t.* aut quos in suam utilitatem tantùm Prælati tales imponunt, ut ne scilicet avaritiæ, & libidini Prælatorum, Ecclesiæ tales exponantur: non autem prohiberi pensionum, & temporalium, ad vitam v. g. beneficiati duraturam, vel etiam ad brevem tempus pensionum impositionem, quæ ex justa

justa causa cum consensu Ordinarij imponuntur; in hoc enim casu cùm Ecclesia non fiat censualis, quod solùm prohibetur, sed persona tantùm oneretur, vel certè debitæ solemnitates ad alienandum res Ecclesiæ interveniant, non apparet, quomodo in præjudicium Ecclesiæ aut contra Concilij Lateran. mentem agatur aliquid: de quo casu posteriore loquuntur *cap. cùm venissent 9. de restit. spoliat. & cap. nisi essent 21. de prabend. & cap. de cætero, 6. de transact.*

CAPITULUM IV.

Liceat.

Paraphrasis.

Non vult Pontifex Gregorius, ut ad solvendas collectas, & exactiones extraordinarias, compellatur cum alijs pariter cœcus, nulla habita suæ cœcitatis ratione, eò quòd, ut ait in *h. cap.* Pontif. inhumanum videatur, ut ille, quem cœcitas affligit, magis gravetur ex impositis collectis, cui potius ex collectis, si necessitas esset, subveniri deberet, quàm exigendo collectas tales ab illis affligi magis.

Summarium.

Miserabiles personæ contra onera extraordinaria apud judicem etiam Ecclesiasticum agere possunt, quamvis non sint de illius jurisdictione.

NOtandum. Miserabiles personas, si graventur collectis extraordinarijs, posse auxilium implorare ab Ecclesia, etiamsi non sint de jurisdictione illius temporali, ut advertit etiam *Abbas in cap. significantibus 38. de off. leg. n. 3.* & à muneribus personalibus excusari cœcos, ac simili morbo laborantes, *arg. L. 2. Cod. qui morbose excusent &c.* Hoc tamen immunitatis privilegium non transire ad cœcorum hæredes, qui defectu oculorum non laborant, bene advertit *Glossa hic v. misereri.*

CAPITULUM V.

Pervenit.

Paraphrasis.

Abbas Fraxinomensis Ecclesiæ Carpensi ratione alicujus censûs, quem ab Ecclesia hac petebat, multam molestiam faciebat; cui tamen Archipresbyter Ecclesiæ Carpensis se opponens, eò quòd nullam causam solutionis hujus sciret, à Pontifice Paschali II. quæsivit, ad quid hoc in casu de jure teneretur: ab hoc rescriptum fuit, censum ignorantiæ (id est, cujus causa ignoratur, ut explicat *Glossa hic v. eodem*) nec divinis (Canonicis scilicet, ut iterum explicat *Glossa*) nec humanis legibus inveniri (scilicet quòd solvi debeat, ut ait *Glossa final hic*) causam proinde petendi allegandam, ex qua appareat, quæ & quando solutio censûs facienda.

Summarium.

1. *Qui petit censum tanquam sibi debitum, exprimere debet causam, ob quam ille sibi debeatur.*
2. *Sæpe tamen eum, qui petit censum, immemorialis quasi possessio juris hujus juvat.*

NOtandum primò. Qui petit Censum tanquam sibi debitum, exprimere debet rationem, sive causam, ob quam sibi debeatur: quia qui petit aliquid, causam petendi allegare debet, ut ait *Glossa hic in notatis:* & quia Census, cujus causa ignoratur, solvendus non est ex obligatione, sed constare debet, quare, & quando Census solvi debeat, *arg. h. cap. & rescripti Pontificij.* 1

Notandum secundò. Multùm tamen juvari eum, qui Censum sibi solvi petit, possessione seu quasi possessione juris exigendi Censum, tanquam sibi debitum, ob immemorialem annuam præstationem conti- 2

nuatam, cùm ob præscriptionem ex cursu longissimi temporis, aut longi temporis, cui jus commune Canonicum non resistit, causam habeat. Vide *cap. ult. de caus. possess. &c. & cap. Querelam 24. de elect.*

CAPITULUM VI.

Cùm Apostolus.

Paraphrasis.

Ad sublevanda multa gravamina, quæ ratione procurationum exigendarum, dum Ecclesias sibi subditas visitant Prælati, Ecclesijs talibus inferebantur, ut urgerentur illæ ad has procurationes expediendas, ornamenta Ecclesiastica nonnunquam vendere vel obligare, & brevis hora victum longi temporis consumeret; statuit Concilium Lateranense sub Alexandro III. celebratum, non tantùm, ut Prælati prædicti visitantes parochias, pro diversitate Provinciarum, & secundùm facultates Ecclesiarum procurationes recipiant, sed numerum etiam equorum & personarum ad Visitatoris usum conducentium, pro diversitate Visitatorum diversum determinat; absque eo, ut secum canes venaticos, aut aves ducant, aut sumptuosas epulas instrui faciant, ne videantur magis quærere, quæ sua sunt, quàm quæ JESU Christi. Videatur textus hujus cap.

Summarium.

1. *Quid Procurationis visitantibus debita nomine intelligatur?*
2. *Diversa praxis solvendarum olim procurationum juxta varia Capitula.*
3. *Hodie tamen circa has procurationes servanda Tridentini constitutio, & recepta consuetudo.*

1 NOtandum primò. Procurationis nomine, quæ visitantibus parochos prælatis præstari debent, venire victualia, quæ scilicet ad cibum, & potum honestum, ac sufficientem, pro ipso Visitatore, & [illegible] moderato comitatu, equorúmque necessariorum, eos devehentium pabulo (non autem pro jumentorum sarcinas deferentium pabulo) necessaria sunt, ita tamen, ut [illegible] his suppeditandis patriæ seu Provinciæ consuetudo, facultates eorum, qui visitantur, conditio Visitatoris &c. attendenda sit; de quibus procurationibus, ubi eorum aliqui usus est, in magna redditum Episcopalium sæpius abundantia, ait Concilium Tridentinum Lateranensis Concilij constitutionem quidem innovans, monens tamen omnes, & singulos, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, & Zelo Christiano omnia amplectantur, ac modesto contenti equitatu, famulatúque studeant, quàm maximè, debitâ tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere, & caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, & onerosi sint.

Notandum secundò. Non potuisse olim, ab illis invitis, qui præstare *victualium* procurationes debebant, pecuniam in locum talium procurationum exigi *cap. relata 9. caus. 10. q. 1.* quamvis à volentibus ea accipi Potuerit, & certâ summâ taxari, juxta *cap. relata 9. caus. 10. q. 3. & juxta Glossam in cap. felicis 3. v. concedimus h. t. in fine.* postea tamen Innocentius 4. in *cap. sæpe 1. § procurationes h. t. in 6.* statuit, ut Visitator procurationes quidem accipiat, prout in privilegijs Canonibus constitutum est, juxta *hoc cap. cum Apostolus, & cap. ipsa 14. & cap. cumnuper 26. h. t.* nullam tamen pecuniam, neque ipse neque alius ex eis similia, ratione alicujus officij (scilicet sigillatoris v. g. vel similis, ut advertit Glossa *hic v. officij*) aut sub prætextu consuetudinis alicujus, aut quolibet alio modo recipiat, sub gravi mortalis peccati pœna, qua non liberetur, nisi in duplum restituat illi, à quo accepit: quam constitutionem Concilium etiam Lugdunense *in cap. 2. supra h. t. in 6.* confirmavit. Bonifacius tamen VIII. cùm magnam videret difficultatem in constitutionibus observandis, eò quòd, nec communa-

commodis semper ædibus visitans Episcopus excipi posset, nec suppellectili necessariâ ad excipiendum Visitatorem instructi semper essent, qui visitantur, parochi, concessit in *cap. felicis 3. h.t. in 6.* ut pro sumptibus moderatis, ratione visitationis faciendis, loco victualium, certa pecunia, sponte oblata, licitè abeo, qui officium visitationis exercet, & illis diebus, quibus visitat, accipi possit, ita tamen, ut una die, sive unam tantùm, sive plures Ecclesias visitet, una procuratione tali contentus sit, ut advertit etiam *Glossa hic v. persolvendum.* Alijs tamen, quæ in prædictis constitutionibus continentur, de muneribus scilicet non accipiendis &c. in suo robore permanentibus: quam ipsam *Bonifacij VIII.* constitutionem optimè explicat *Trident. Sess. 24. cap. 3. de refor.* (qui locus utiliter legi poterit) ita ut velit, toto hoc in negotio attendendam, & observandam esse consuetudinem, juxta quam sæpius hæc talia gratis fieri debent, & à Visitatoribus, neque victualium procurationes, nec pecuniæ, nec quicquam aliud accipiendum.

§.

Prohibemus.

Paraphrasis.

Statuit etiam in hoc *cap. §. prohibemus* Concilium Lateran. ne collectis, exactionibus (extraordinarijs scilicet) subditos suos Clericos Episcopi gravare præsumant: multùm enim, ut ait Concilium, à paterna pietate, quâ Episcopi erga suos Clericos subditos excellere debent, recedunt illi, si talibus exactionibus graves illis existant, cùm juxta Apostolum *2. ad Corinth.* 12. non debeant filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs: ita tamen, ut propter multas necessitates, quæ nonnunquam eveniunt, moderatum subsidium, quod Charitativum dicunt Auctores, exigere à suis beneficiatis Clericis, Episcopi non prohibeantur.

Summarium.

1. *Quid nominis sit Subsidium Charitativum?*
2. *Quid requiratur ad hoc subsidium exigendum?*
3. *Episcopus electus, & confirmatus exigere hoc subsidium sapiùs etiam potest.*
4. *A quibus exigi possit & solvi debeat?*
5. *Non possunt Episcopi in totum hoc remittere.*

NOtandum primum. Vocari hoc quidem Subsidium Charitativum, eò quòd secundùm suam institutionem non ex justitia, sed ex charitate solvendum sit; posse tamen Episcopos, existente rationabili causa, detrectantes compellere ad illud solvendum, prout plures docent, urgente scilicet præcepto charitatis, quod jubet in tali necessitate Episcopo subveniri, ita ut Rota decident, posse Episcopum (in casu scilicet justæ necessitatis) edictum proponere, ut beneficiati subsidium charitativum intra certum tempus non solventes, sint excommunicati. 1

Notandum secundum. Requiri ad hoc subsidium exigendum non tantùm causam rationabilem, sed etiam manifestam, ut ait *Abbas*, talem scilicet, quam nemo bonus & rerum intelligens, possit improbare, quas plures & varias enumerat *Azor l. 2. tr. 9. q. 4.* Et hinc si Clericus contra Episcopum contendat, non subesse causam manifestam hujus subsidij exigendi, erunt vel arbitri eligendi, qui litem componant, ut plures judicant, vel admonendus Superior, Papa, aut Archiepiscopus, qui litem decidant. 2

Notandum tertium. Posse hoc charitativum subsidium ab Episcopo electo & confirmato, etiamsi consecratus nondum sit, cum consensu sui Capituli exigi, non tantùm 3

tùm semèl, sed sæpiùs etiam; ait enim in relato §. Pontifex, sustinere se, pro multis necessitatibus, quæ superveniunt, ut si manifesta & rationabilis causa extiterit, moderatum ab eis valeat auxilium postulari. Quod idem jus competit, non quidem Suffraganeis, & Vicarijs, nisi aliud consuetudo habeat, sed omnibus alijs Episcopo Superioribus, in suis Diœcesibus; & ex probabili sententia etiam Capitulo Cathedrali, Sede vacante, ad quos jus Episcopi devolutum est, ac Generalibus suorum Ordinum Regularium, qui omnes rectè intelligi possunt, nomine Episcoporum, & Præpositorum, de quibus hic §. loquitur.

4 Notandum quartum. Charitativum subsidium hoc exigi in primis posse ab omnibus Ecclesijs, & beneficiatis Episcopo subjectis, cùm sit onus mixtum, adhærens personis, in ordine ad Ecclesias, seu beneficia; nisi reditus beneficij sint tam tenues, ut neque commodam & honestam sustentationem ex tali beneficio habeat Clericus, quamvis pingue patrimonium habeat, prout cum pluribus alijs docet *Azor l. cit.* Et quāvis etiam Laici subditorum nomine veniant, non obligantur tamen ad subsidium hoc charitativum, juxta praxin, & receptam consuetudinem; sicuti nec obligantur monasteria, aut Ecclesiæ Diœcesis exemptæ, cùm præsumi non possit, decisionem talem factam esse, cum præjudicio talium Ecclesiarum; aut Clericus, qui beneficium non habet, vel qui ex solis distributionibus quotidianis vivit, cùm subsidium hoc sit annexum beneficiorum reditibus.

5 Notandum denique quintò. Quòd Episcopi non possint in totum remittere hoc subsidium charitativum; quamvis enim possint semel aut bis illud remittere, in totum tamen non possunt remittere, quia debetur vi juris communis, & publici, quod privatorum authoritate tolli non potest; & remissio hæc cederet in grave præjudicium aliorum. Vide *Cap. conquerente de off. Ind ord.* Et *l. 3. Theol. Moral. tr. 3. p. 1. cap. 3.*

CAPITULUM VII.

Prohibemus.

Paraphrasis.

Ut ne Episcopi, Abbates, vel alij Prælati novos census Ecclesijs imponant, aut veteres augeant, vel partem proventuum Ecclesiarum suis usibus appropriet, prohibet Concil. Lateran. sed eam potiùs libertatem inferioribus conservent, quam sibi volunt à suis Superioribus observari, irrita faciens, quæcunque contra hanc prohibitionem acta fuerunt.

Summarium.

Irriti declarantur novi census perpetuo reales, ex quibus Ecclesia fiat censualis.

NOtandum. Prohiberi in hoc cap. & irrita declarari, quæ in imponendis novis censibus realibus perpetuis fiunt, ex quibus redditur Ecclesia censualis. Non autem prohiberi census quosdam personales, & temporales, ex justa causa, ad vitam Rectoris v. g. Ecclesiæ, imponi solitos, prout in 3. *cap. h. t.* jam dictum *Notando secundo.*

CAPITULUM VIII.

Præterea.

Paraphrasis.

Intelligens Alexander III. Pontifex, quòd quidam Rectores Ecclesiarum propriâ suâ authoritate, nihil sciente aut consentiente Episcopo, certam quandam pensionem, seu censum statuerint, qui, post etiam defunctis solvi debeat Monachis, cum quibus colluserant, ab Ecclesijs quas taliter censuales constituerant; prescribit Vigorienſi Episcopo, Monachos talem pensionem exigentes, audiendos non esse, neque illis solvendum aliquid, vi talis factæ dispositionis, cui legitima authoritas Episcopi, aut ejus Officialis non

non intervenerit, & aliæ solemnitates ad alienationem jurium Ecclesiæ requisitæ; neque enim simplices Clerici Ecclesias suas, quibus præsunt, propriâ authoritate constituere possunt censuales, aut servitutem in eis constituere.

SUMMARIUM.

Prohibentur census imponendi Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis, ultra vitam constituentis, duraturi.

NOtandum. Prohiberi potissimùm in hoc cap. census ultra vitam constituentis duraturos, quia manifestè cedunt in præjudicium Ecclesiæ, & Successorum. Et quamvis putent aliqui, à contrario sensu ex hoc *cap.* bene inferri, quòd cum consensu Episcopi, ex causa legitima, & alijs intervenientibus solemnitatibus, ad alienationem jurium Ecclesiasticorum requisitis, possint tales census, etiam post mortem constituentis duraturi, constitui: rectiùs tamen alij asserunt, quòd sine consensu summi Pontificis hoc fieri non possit; præsertim ubi est recepta *Extravag. ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alien.* quâ prohibentur locationes, & obligationes, bonorum Ecclesiasticorum ultra triennium; juxta quam nec personalis, & temporalis obligatio ultra triennium Ecclesiæ imponi poterit.

CAPITULUM IX.

Ecclesijs.

PARAPHRASIS.

Ut Ecclesijs, quas de novo Episcopi de manibus Laicorum eripiunt, nulli novi census imponantur, sed contenti sint juribus Episcopalibus Episcopi, prout in *cap. conquerente 16. de off. ord.* habetur, prohibet, & præcipit Pontifex.

SUMMARIUM.

Non potest Episcopus novum censum imponere Ecclesijs, quas de manibus Laicorum liberat.

NOtandum. Procedere textum hunc, quocunque modo Episcopus Ecclesiam aliquam de manibus Laicorum liberet; sive injustè eam vi detinuerint; sive censum, qui Laicis solvebatur, sustulerit; sive à jure Patronatûs Ecclesiam liberaverit: cùm enim Episcopus ex officio suo, ut advertit *Abbas*, ad taliter liberandam Ecclesiam teneatur, nullum illi propterea ex rigore juris præmium debetur, & nulla recompensatio, sed contentus esse debebit, ob rem bene gestam, juribus Episcopalibus ordinarijs, in *relato cap. conquerente* enumeratis, cùm in tali casu præcisè egerit, ad quod ex officio tenebatur.

CAPITVLVM X.

Innovamus.

PARAPHRASIS.

Statuitur in *hoc cap.* quinam sæculares Principes, vel Magistratus, novas collectas, contributiones, & vectigalia, si justam habeant causam, imponere possint (de quibus consule Juris publici Doctores) ita tamen, ut in illos, qui sine justa causa, & legitima authoritate talia imponunt, pœna Canonica Excommunicationis decernatur.

CAPITULUM XI.

Cùm Clerici.

PARAPHRASIS.

Colludebant quidam Clerici per occultam & dolosam pactionem (ut advertit *Glossa hic V. collusione*) cum Religiosis quibusdam, citra authoritatem Episcopi, ut post mortem illorum, filij eorum, & nepotes ad Ecclesias vacuas præsentarentur, & in vicem talis præsentationis, certæ eis pensiones ex Ecclesiarum proventibus in perpetuum solverentur:

hanc proinde colluſionem improbat Pontifex in *hoc cap.* & eos, qui inventi fuerint talia feciſſe, ab Eccleſijs removendos ſtatuit, officio & beneficio privandos, ob commiſſam Simoniam, appellatione remotâ.

SUMMARIUM.

Qui cenſum paciſcitur, ut vel ipſe, vel ſui ad vacuas Eccleſias præſententur, Simoniam committit.

NOtandum. Neque authoritate Epiſcopi interveniente, pactum hoc ſimoniacum fieri poſſe: quamvis enim tam facilè non præſumatur doloſa hæc & ſimoniaca pactio, ſi Epiſcopi authoritas intervenerit; quòd ſi tamen contrarium aut probetur, aut prudenter conijciatur ex varijs circumſtantijs, non tantùm nulla erunt, quæ facta fuerunt, juxta *cap. 8.* ſed etiam pœna colluſionis non evitabitur.

CAPITULUM XII.

Ea quæ.

PARAPHRASIS.

Quòd illi, qui pecuniam, quam collegerant per Regnum Angliæ, tanquam tributum Romanæ Sedi debitum, cui regnum hoc ex pietate ſuorum Regum tributarium fuiſſe perhibetur, Romam detulerunt ad limina Apoſtolorum, occaſione hujus itineris Eccleſias & Parochias ſibi ſubditas immoderatis procurationibus, & exactionibus vexaverint, reſcivit Alexander Pontifex III. & Cantuarienſi Archiepiſcopo reſcribens, prohibuit has exactiones, ſub pœna amittendæ indulgentiæ talibus Collectoribus conceſſæ; aut, ut volunt aliqui, ſub pœna amittendi beneficij ſui, aut, ut meliùs putant alij, ſub pœna amittendi officij ſeu muneris Collectoris.

SUMMARIUM.

Pœna in illos Collectores ſtatuta, qui novas imponunt exactiones.

NOtandum. Quòd ſub ſpecie tributorum non debeant illicitæ exactiones fieri: *Gloſſa hic. V. gravatis*; & mereatur privilegium amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate *cap. privilegium 63. cauſ.* 11. *q.* 3. ne dum quærunt aliena, ut ait *Gloſſa finalis hic*, amittant ſua. Et quamvis hujus cap. hodie non ſit in Anglia uſus, ſi tamen extenſio fiat generaliter ad omnes Collectores, pœna ſtatuta uſum habere poteſt.

CAPITULUM XIII.

Significavit.

PARAPHRASIS.

Ad Regimen alicujus Eccleſiæ præſentârunt Monachi quidam Clericum quendam, juramento eum obſtringentes de ſolvendo eisdem annuo cenſu, quem anteceſſor ſolverat: prohibuit Epiſcopus Diœceſanus ſolutionem hanc, niſi priùs conſtiterit, Epiſcopali authoritate impoſitum eſſe: Papa tamen Lucius III. ad quem res hæc delata fuit, delegato ſuo mandavit, ut ſi conſtiterit authoritate Epiſcopi, & non de novo cenſum conſtitutum fuiſſe, prohibitionem relaxare, Epiſcopum faceret: ſi verò de novo cenſus hic ſit impoſitus, ſive authoritas Epiſcopi intervenerit, ſive non, ſine juſta tamen cauſa, & alijs requiſitis ad alienationem pertinentibus, Monachos compellat, appellatione remotâ, ut juramentum dicto Clerico remittant. Videatur de hujus Juris longiore explicatione *c. 3. & 7. h. t.* & quæ dicuntur *ad cap. 27. de jurejurando.*

CAPI-

CAPITVLVM XIV.

Sopitæ.

PARAPHRASIS.

Vertebatur inter Archiepiscopum Ravennensem, & inter monasteria Bononiæ, super procurationibus Archiepiscopo visitanti præbendis controversia: exigebat enim eas ab ijs monasterijs, suæ jurisdictioni subjectis Archiepiscopus; negabant eas Monachi: re tamen ad Sedem Apostolicam delatâ, cùm Archiepiscopus probâsset, quòd illæ procurationes à monasterijs alijs suæ Provinciæ sine contradictione præberentur, & eæ prædecessoribus suis ex monasterijs his Bononiensibus exhibitæ fuerint, videns Lucius III. summus Pontifex, quòd intentio Archiepiscopi non tantùm jure communi fundata sit, *cap. devenimus 10. & cap. placuit 12. cauſ. 10. q. 12.* quod solum sufficisset, *Glossa hic V. Jure communi*, sed consuetudine etiam suorum antecessorum firmetur, condemnavit prædicta monasteria ad procurationes, secundùm facultates eorum, dicto Archiepiscopo, & successoribus ejus persolvendas.

SUMMARIUM.

1. *Procurationes Archiepiscopo visitanti debentur à monasterijs non exemptis.*
2. *Juxta juris communis, & consuetudinis ab antecessoribus introductæ, ac receptæ rationem.*

1 NOtandum primò. Procurationes deberi Archiepiscopo à monasterijs non exemptis, si causâ visitationis, aut correctionis ad ea monasteria devenerit; secùs, si ob alia negotia, ex alijs v. g. causis, ad dicta monasteria diverterit. Neque in contrarium aliquid facit *cap. luminoso 6. cauſ. 18. q. 2.* ubi de monasterijs exemptis tantùm est sermo, prout *Glossa* testatur *ibi V. luminoso.*

2 Notandum secundò. Duplici ratione fulciri decisionem pontificiam, quarum quælibet sufficiens foret, ad decisionem hanc faciendam, ut advertit *Glossa hic V. jure communi & V. consuetudine* 1. consuetudine scilicet ab antecessoribus jam introductâ; & jure communi, quòd in alijs monasterijs ejusdem conditionis obtineat, etiam in his, specialiter non exemptis, suam obligationem habere rectè videtur, prout etiam *Innocentius & Joannes Andreas in Glossa Marginali litt. O.* docent.

CAPITVLVM XV.

Graves admodum.

PARAPHRASIS.

Ecclesiastici aliqui, seu Religiosi, cùm jus haberent in certis Ecclesijs præsentandi, noluerunt ad eas vacantes præsentare aliquos, nisi aut novum censum Ecclesijs imponant, aut veterem augeant, contra prohibitionem Concilij Latera. juratoriâ insuper, aut fidejussoriâ cautione presbyteros, quos præsentant, ad solutionem obligantes: mandat proinde Pontifex Clemens III. ut in irritum revocent, quidquid in contrarium, contra constitutionem dicti Concilij, fuerit attentatum; & presbyteri super his illicitè præstitis juramentis, liberi sint, ac declarentur, eò quòd nulla illa fuerint; congruâ tamen super hac temeraria juratione illis satisfactione impositâ, canonicè etiam puniendis, si scientes inposterum contra talem prohibitionem, sine consensu Episcopi, aliquid attentaverint.

SUMMARIUM.

1. *Juramentum de novo censu imponendo Ecclesijs, aut augendo veteri, juxta petitionem Patroni, nullum est.*
2. *Pœna tamen sic temerè jurantium, arbitraria est, nisi Simonia intervenerit.*

Notan-

1 NOtandum primò. Non posse ad petitionem etiam cujuscunque Patroni novum censum imponi Ecclesijs, neque augeri veterem, quicquid in prima tandem fundatione fieri possit; ita ut non tantùm juramentum de tali novo censu, aut augmento solvendo nullum sit, prout jam dictum, & absolutio, de qua in hoc cap. mentio fit, non tam sit de juramento, quàm de peccato temeritatis, sed fidejussoria etiam cautio, si præstita fuit, non teneat, cùm sit accessoria ei, quod non tenet.

2 Notandum secundò. Canonicam pœnam, quæ talibus temerè censum novum, aut veteris augmentum sub juramento in se recipientibus, aut imponentibus statuitur, arbitrariam esse, cùm à jure nulla certa statuta sit; & quamvis in *cap. quia Clerici* 11. *h. t.* pœna privationis statuatur in tales censum novum, aut veteris augmentum imponentes, sermo tamen ibi est, si Simoniaca collusio intervenerit, quæ cùm in hoc *cap.* locum non habeat, consequenter pœna ibi statuta ad hunc casum extendenda non est.

CAPITULUM XVI.

Quanto.

Paraphrasis.

Fundatores monasterij Bellævillæ in ipsa hujus fundatione liberaliter constituerunt, ut singulis annis una procuratio ab hoc monasterio Religiosis Fratribus S. Irenæi solveretur: quæ procuratio, quia non multùm ob paucitatem Monachorum S. Irenæi gravabat monasterium Bellævillæ, dictis Fratribus diligenter solvebatur; successu tamen temporis, cùm augeretur numerus fratrum S. Irenæi, multùm gravis esse cœpit dicta procuratio, cùm ad eam magni sumptus requirerentur. Rogaverunt proinde Pontificem Monachi Bellævillæ, ut circa hanc procurationem, in ipsa fundatione illis impositam, provideret, ne nimiùm gravaretur Villæbellæ monasterium, sed primâ mensurâ, quæ ab initio solvebatur, contenti esse juberentur S. Irenæi Monachi, non obstante majore jam numero Fratrum S. Irenæi: quod ut fieret, à Pontifice concessum est, nisi reditus dicti monasterij Bellævillæ multum auctifuissent, ut in solvenda etiam pinguiore procuratione, cùm nulla determinata esset, monasterium Bellævillæ singulariter non gravaretur.

Summarium.

In fundatione beneficij, aut monasterij, gravari quidem hoc potest pensionis solvendæ onere, augeri tamen tam facilè postmodum hæc pensio non potest.

NOtandum. Posse quidem in fundatione talis monasterij aut beneficij, gravari illud onere pensionis alicujus tertio solvendæ; augeri tamen hanc pensionem, quamvis nulla determinata *quantitas* sit, postmodum multiplicatis illis, in quorum gratiam tale onus impositum est, non debere (neque enim, quod ab initio constitutum est, facilè mutari debet, ut ait *Glossa hic V. indulgemus*) nisi notabiliter aucta essent facultates onerati monasterij, aut beneficij (cùm enim ex mera liberalitate onus hoc in se susceperit beneficium tale, vel monasterium, consequenter ad gravamen nimium non extendendum) judicandi hanc moderationem faciendam officio implorato, nisi sine singulari gravamine inde posset major etiam pensio, aut procuratio.

CAPITULUM XVII.

Cum instantia.

Paraphrasis.

Conquesti sunt apud Innocentium III. Papam Clerus & Primicerius Mediolanenses, quòd, cùm illi Legatos & Nuncios Sedis Apostolicæ reverenter recipiendo procurationes eis præstent, hoc tamen Ordi-

narij

narij aut Canonici majoris Ecclesiæ Mediolanensis facere renuant, & subsidium ad expensas faciendas denegent, ut adeò ipsi in procurationibus faciendis plus æquo onerentur. Respondet proinde huic querelæ Pontifex, nullam se Ecclesiam ab harum procurationum præstatione, Nuntijs, & Legatis Sedis Apostolicæ faciendarum, velle eximiam, nisi speciale privilegium, super hac exemptione habeat, de quo meritò dubitari debet; ita ut nec præscriptione juvari possint, contra visitantes, etiamsi congruo tempore nullam procurationem præstiterint *cap. Accedens 15. & cap. cum officij de præscriptione*, sicuti enim contra jus visitandi præscribi non potest, ita nec contra jus procurationum, occasione visitationis præstandarum, cùm connexorum sit eadem ratio.

Summarium.

Hæc constitutio aliquatenus est correcta.

NOtandum est, hanc constitutionem de jure communi procedere, cujus aliqua correctio in Trid. est facta, ubi *sess. 14. c. 3. de reform.* deciditur, procurationes tales præstandas non esse, ubi nulla eorum dandorum viget consuetudo, sed omnia gratis fiunt, prout *cap. 6. hoc tit.* jam notatum.

Capitvlvm XVIII.

Ex parte.

Paraphrasis.

Voverunt aliqui in Archiepiscopatu Compostellano, solvere Ecclesijs certas frumenti mensuras; cùm autem in illis partibus diversæ mensuræ, majores aliæ, & aliæ minores essent, neque ex voti verbis colligi posset, de qua mensura votum fuerit factum, quærebatur ex Pontifice, ad quamnam mensuram essent obligandi, qui votum tale fecerunt? Respondit ille, ab his, qui vota illa, juxta communem modum Patriæ illius, quam emptores & venditores observare solent, continuo solverunt, modum illum, & mensuram continuandam: qui verò nunc primùm solvere incipiunt, eò quòd longo tempore intermiserint, cùm non constet, ad quam mensuram majores illorum, & antecessores se obligaverint, ad solutionem compellendos, quam communiter observant omnes: si tamen alij communiter etiam juxta varias mensuras sua vota expleant, ita ut hi juxta majorem, alij juxta minorem mensuram solvant, ab his licere juxta minorem mensuram sua hæc vota persolvere.

Summarium.

Voti materia, sinon est voto determinata, ex consuetudine populi desumenda est.

NOtandum. Rectiùs patere hujus juris explicationem ex Theologia Morali de Votis; ubi passim docetur, à communi & recepta praxi, ac totius communitatis, vel majoris partis consuetudine desumendum, quæ quantitas, aut mensura, si voto determinata non sit, ad explendum votum sufficiat. Vide *l. 4. tr. 4. cap. 3.* ubi *num. 3.* dicitur, strictam interpretationem in materia voti faciendam, si dubium circa illam oriatur; & *Glossa in notatis* dicit, cùm vota hujusmodi gratuita fuerint ab initio, benigniùs esse à viris Ecclesiasticis exigenda, & ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare, ac ipsorum avaritiâ munificentia erga Ecclesias retundatur.

Capitvlvm XIX.

Cùm olim.

Paraphrasis.

Episcopus Cæsaraugustanus impetebat Abbatem aliquem, ratione Ecclesiarum duarum possessarum ab Abbate, petendo il-

lorum vigore procurationem, & alia jura Episcopalia: opponebat verò Abbas & Conventus, Ecclesias illas non esse in Diœcesi dicti Episcopi; & producebat insuper instrumentum aliquod, in quo continebatur, quòd Episcopus illas Ecclesias, & jura concesserit Abbati, factâ cum illo certâ conventione: his tamen non obstantibus, definit Pontifex, ab Abbate solvenda jura Episcopalia, & procurationes, vi prædictarum Ecclesiarum &c. Cùm satis probaretur, in Diœcesi illius sitas has Ecclesias, non tantùm per personas, ac testes, sed per instrumentum dictæ compositionis, ex quo expressè pateat, dictas Ecclesias in Diœcesi illius Episcopi esse: & quamvis in instrumento aliquo Compositionis, super aliquibus juribus Episcopalibus remissis contineretur aliquid, nihil tamen putabat prodesse hanc compositionem Abbati Pontifex, cùm eam non approbaverit Abbas, sed semper impugnare contenderit.

Summarium.

1. *Instrumentum compositionis factæ, quod quis statim impugnavit, non prodest illi.*
2. *Neque debet in suum favorem aliquis ea producere instrumenta, per quæ adversarius suam intentionem probare potest.*

NOtandum primum. Instrumentum compositionis factæ, nihil prodesse alicui, si reprobavit illud, & continuò impugnavit, cùm, ut *Glossa* ait *hic V. beneficium* non debeat ex eo beneficio suo commodum quis consequi, quod nitebatur impugnare, & reprobare *arg. cap. qui præposterum Can.* 13. *q.* 2. per talem enim continuam impugnationem tacitè saltem renuntiare videtur; & quamvis super juribus Episcopalibus possit fieri compositio aliqua, si tamen non subsistat propter partis contrariæ reprobationem, & indignationem, manent sua jura in securitate Episcopo.

Notandum secundum. Non debere aliquem in favorem suæ causæ producere ea instrumenta, per quæ suam intentionem adversarius probare possit, & audiendum hunc talem non esse, qui sibi contraria proponit; prout in casu allato factum est ab Episcopo, cùm urgeret Ecclesias illas, à quibus jura Episcopalia petebantur, esse in Diœcesi Episcopi petentis; & tamen de compositione facta super dictis Ecclesijs producebantur instrumenta: ex quibus expressè patebat, ut ait Pontifex, Ecclesias illas esse in dicti Episcopi Diœcesi.

CAPITULUM XX.

Olim.

Paraphrasis.

Controversia fuerat inter Clericos *Rupinæ* plebis & inter Episcopum *Tridentinum* super synodatico, ad quod obligabantur Clerici illi, utrùm scilicet solvendum hoc esset, juxta valorem Papiensis monetæ, quæ ab initio constituti talis synodatici in usu fuerat; vel solvi deberet juxta monetam Lucensem, quæ modò in usu erat, vilioris tamen pretij, quàm moneta Papiensis: & post varias allegationes, cùm nondum præscriptum fuisset contra Papiensem solutionem, re etiam coram delegatis à Pontifice examinatâ, definivit in hoc *cap.* solutionem synodatici esse faciendam, juxta primam illius institutionem, & juxta monetam illam, si adhuc sit in usu, vel juxta illius æstimationem.

Summarium.

1. *Mutatâ monetâ quomodo solvi ergò debeat.*
2. *Synodatici nomine intelligitur Cathedraticum.*
3. *Iudex ad rei petita æstimationem condemnare*

demnare potest, si res petita non possit haberi amplius, etiamsi actor hoc non petiverit.

1 NOtandum primum. Difficultatem huius Cap. provenire ex mutatione monetæ, quæ olim majoris pretij fuerit, quàm modò sit, non tam bonitatis intrinsecæ, quàm extrinsecæ : satis tamen per varias clausulas sibi cavent, qui mutationem talem timent, & contractus varios ineunt. Quia tamen longioris & intricatæ satis disputationis materia est, ex varijs authoribus, si illius usus & necessitas est, peti potest. Videatur *Bartolus in legem Paulus 89. ff. de solut. Abbas in cap. quando 18. n. 12. de jurejurand. Fachinæus lib. 2. controvers. cap. 10. §. restat postrema quæstio, & Theolog. Moral. tr. 3. par. 1. c. 5. n. 19. & alij Doctores.*

2 Notandum secundum. Synodatici nomine venire Cathedraticum, quod, cùm in honorem, & recognitionem Cathedræ Episcopalis solvitur, Cathedraticum dicitur; & quia antiquitùs solvebatur in synodo, singulis annis celebrari solita, Synodaticum dicebatur; neque de jure communi duos aureos excedebat : observari tamen debet etiam quoad hanc solutionem recepta consuetudo.

3 Notandum tertium. Ex hoc etiam cap. colligere Abbatem, quòd judex partem etiam, quæ debet aliquid, condemnare possit ad rei petitæ, si haberi hæc ampliùs non possit, æstimationem, etiamsi actor hujus æstimationis solvendæ, in defectum rei petitæ, nullam mentionem fecerit, prout Pontifex in *hoc cap.* procuratorem Clericorum Papiensium ad monetam Papiensem, vel si hæc non habeatur, ad æstimationem illius condemnavit, quamvis Episcopus ad monetam Papiensem sibi solvendam agens, nullam æstimationis, in defectum solvendæ, mentionem fecerit.

***

CAPITVLVM XXI.

Cùm venerabilis.

Paraphrasis.

Putabat Prior S. Stephani Faventino suo Episcopo visitanti, se non obligari ad procurationem competentem, eò quòd dictus Episcopus dictæ Ecclesiæ S. Stephani omne servitium remiserit, nisi quòd annuatim trium librarum Cereum ab ipso Priore sibi solvendum reservaverit: & hanc remissionem expressè etiam instrumento probare posset. Respondet tamen Pontifex, non obstante hac remissione teneri Priorem ad moderatam procurationem visitanti Episcopo præstandam; tum quòd procuratio talis sit annexa visitationi, sicuti ergo visitationem (in genere scilicet, & universim) ad quam ex officio tenetur Episcopus, remittere non potest, ita nec annexam procurationem; tum quòd non censeatur de novo imponi, quod in fundatione de jure communi impositum est; tum quòd sub generali remissione non veniant, quæ quis verisimiliter in specie non esset remissurus, juxta *reg. 81. in sexto.* & *Glossam hic receptam 11. de jure communi.*

Summarium.

Per hoc, quòd Episcopus remittit servitia Ecclesiæ debita, non est censendus remittere jus visitandi, corrigendi, jus Cathedratici &c.

NOtandum. Posse quidem Episcopum cum consensu Capituli & ex justa causa remittere Ecclesiæ sibi subjectæ debita servitia : semper tamen, quamvis talis generalis remissio facta sit, sibi retinebit jus corrigendi, & coërcendi, jus visitandi, & debitam exinde procurationem; jus Cathedratici, sive Synodatici; jus instituendi in beneficijs; jus subsidij Charitativi; jus approbandi Confessarios pro sæcularibus, &

universim, quæ omnes aliæ Eccl. Episcopalia jura debent, aut juris sunt Episcopalis; cùm ab eo talis facta remissio nihil communibus juribus Episcopalibus præjudicet, sed remissa tantùm censeatur ea servitia, quæ ex speciali obligatione talis Ecclesia debet, aut quæ de novo imponuntur, nisi exemptio major habeatur, cum authoritate Summi Pontificis eximentis, vel exemptionem confirmantis, *cap. constitut. 6. de religiosis domibus*, vel sententiâ pro sua exemptione habeat Ecclesia, quæ eam prætendit, contra quam non appellavit Episcopus *cap cum inter 13 de re judicata*, aut contra Episcopum jura Episcopalia legitimè præscripsisset, *cap. cum olim 18. de præscript.*

CAPITVLVM XXII.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Dubitabat Archiepiscopus Compostellanus, cùm tota Provincia Castellana ad jurisdictionem suæ Ecclesiæ accessisset, quomodo se gerere visitans illam deberet, in exigenda procuratione, & de hoc dubio Pontificem consulebat: qui eidem respondit, attendendam esse ad vicinarum Provinciarum consuetudinem, si certa non sit loci talis consuetudo, quæ omnino observari debeat.

SUMMARIUM.

Si nulla quantitatis procurationum in loco sit consuetudo, ex vicinarum Ecclesiarum consuetudine hoc desumendum.

NOtandum. Statutum quidem esse de jure communi, quòd visitanti Episcopo vel Archiepiscopo &c. debeantur procurationes; nihil autem definitum esse, in qua quantitate præstandæ illæ sint, ut advertit etiam *Gloss. in cap. cum olim 19. v. quartæ omnium h. t.* Et hinc, si consuetudo loci illius certa non sit, circa quantitatem talem vicinarum Ecclesiarum consuetudo observanda erit: quæ regula ex authorum mente semper in talibus materijs, quæ à consuetudine dependent, observari debet; ut si scilicet in tali materia, propria loci, aut civitatis alicujus consuetudo non est, vicinorum locorum consuetudo sit observanda *cap. cum olim 6. de consuetud.* nisi consuetudo sit valde onerosa, ut bene advertit Abbas, neque enim talia onerosa extendenda sint, præsertim, si ex negligentia unius loci proveniant, quæ alteri obesse non debet.

CAPITULUM XXIII.

Procurationes.

PARAPHRASIS.

In Concilio Generali Lateran. sub Alexand. III. Pontifice statutum fuit, non tantùm ut Episcopis & Archiepiscopis, ac alijs inferioribus, ex causa visitationis procurationes (moderatæ scilicet, & juxta receptam consuetudinem, ut sæpius jam dictum) præberentur, sed Legatis etiam Sedis Apostolicæ, aut Nuntijs, si à summa Sede ad diversas Provincias mitterentur, procurationes præstarentur, si per locum aliquem transeant: ita tamen, ut si moram longiorem in loco aliquo trahere cogantur, plures etiam Ecclesiæ concurrere debeant, ad procurationes has expediendas, ne una forsitan aut altera Ecclesia nimiùm graveretur.

SUMMARIUM.

Legatis suis hodie ipse Pontifex de necessarijs ad iter provident.

NOtandum. Prudenter quidem statutum esse in reverentiam Sedis Apostolicæ, ut procurationes ejus Sedis Legatis, per locum aliquem transituris, etiamsi non visitent, præstentur; ob multas tamen difficultates sanctiùs hodie observari, ut Legatis ab ipsa summa Sede, de necessarijs sumptibus ad iter faciendum provideatur,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ne Ecclesiæ, quos in transitu attingunt, procurationibus talibus, cum legationum talium impediendarum damno, graventur, & patiantur.

CAPITULUM XXIV.

Venerabili.

Paraphrasis.

Nolebat Abbas monasterij in civitate Cenomanensi siti, de cultura Episcopo suo Cenomanensi visitanti solvere procurationem, eò quòd ab hac excusari se putaret, quia monasterium ipsum in Civitate Cenomanensi situm erat, & nunquam hactenus procurationem solveret: neutram tamen rationem prodesse Abbati contra Episcopum procurationē exigentem putabat Pontifex, & hinc ad eam præstandam illum condemnat, nisi aliud rationabile argumentum excusans habeat.

Summarium.

1. *Monasterium, quamvis situm in Civitate Episcopali, non excusatur tamen à solvendis procurationibus, si visitatur.*
2. *Neque excusatur ab illis solvendis, eò quòd nunquam ex tali loco persoluti fuerint.*
3. *Intelligenda tamen hæc de procurationibus, quæ ratione visitationis debentur.*
4. *Et nisi alio rationabili argumento à solutione hac liberum se ostendat.*

1 NOtandum primò. Non excusari à procuratione solvenda monasterium, si visitetur, eò quòd sit in Civitate Episcopali; quamvis enim Ecclesia Civitatis Episcopalis, non veniat semper nomine Ecclesiarum diœcesis *argum. cap. Rodulphus 35. de rescript.* in hac tamen materia ad procurationes obligatur omnis Ecclesia visitationi Episcopali subjecta, quo modo subjecta est etiam Civitatis Episcopalis Ecclesia.

2 Notandum secundò. Nec ex altero capite, nunquam persolutæ procurationis liberari à solutione hujus Abbatem, cùm contra procurationes has ratione visitationis debitas præscribi tam parùm possit ab illis, qui visitationi subjecti sunt, quàm parùm præscribi potest contra visitationem, ut dictum.

3 Dicitur tamen primò. Procurationem, quæ ratione visitationis debetur, præscribi non posse: si enim procuratio competat ratione institutionis aut consuetudinis, juvat contra eam præscriptio, ut advertit *Glossa, hic v. hactenus non solverunt*: & probatur etiam arg *cap. Eleutherius 30. caus. 18. q. 2.* & quòd contra præscriptionem nihil probet ratio à non præscribenda visitatione petita.

4 Dicitur secundò. Nisi aliud rationabile argumentum habeat Abbas, quo se à procuratione hac præstanda tueri possit, privilegium scilicet *can. cum instantia 17. h. t.* vel si allegaret præscriptionem nomine alterius, & probaret; sicuti enim alius jus visitandi contra Episcopum præscribere potest, *cap. cum ex officij 16. de præscript.* ita potest etiam præscribere jus debitum ob visitationem, procurationis scilicet: vel denique si allegaret tantam paupertatem, ut ipsum procurate non posset, prout advertit *Glossa hic v. aliud rationabile.* Quo in casu suis sumptibus visitare deberet, cui jus visitandi competit *arg. cap. cavendum caus. 10. q. 3.*

CAPITVLVM XXV.

Cùm nuper.

Paraphrasis.

Nolebant Archiepiscopo Beneventano tam propriâ, quàm Domini Papæ authoritate Provinciam visitanti, procurationem præstare Clerici, qui visitabantur: conquestus est Pontifici de hac negata procuratione Archiepiscopus, & mandatum à Pontifice Clericis his fuit, ut procurationem ratione visitationis debitam

præstarent, sive propria, sive Pontificis authoritate visitaret Archiepiscopus Beneventanus secundùm facultates Ecclesiarum, quæ visitabantur, si vellent à censura, in rebelles lata, absolvi.

SUMMARIUM.

Quando Archiepiscopo competat jus totam Provinciam visitandi.

NOtandum. Archiepiscopo de jure communi jus visitandi Provinciam totam competere *cap. sopitæ 14. h. t.* si Episcopus negligens est, ut advertit *Glossa hic v. authoritate propria.* Aliàs se intromittere non debet, arg. *cap. cum simus 3. & cap. conquestus 8. caus. 9. q. 3.* Vide *cap. Pastoralis de offic. Ordin.*

CAPITULUM XXVI.
Cum Canonicis.

PARAPHRASIS.

Rector cujusdam Ecclesiæ in singulos annos certam pensionem solvebat Canonicis Cathedralis Ecclesiæ ad monetam antiquam, in qua olim pensio constituta fuit; quia tamen postea mutata moneta fuit, & major fabricata, exigebant Canonici de meliore hac, & modò currente moneta, pensionem annuam solvi sibi: Pontifex tamen mandavit, ut contenti sint, solutione prioris monetæ, vel si illius nullus ampliùs usus sit, æstimatione illius. Videatur *cap. olim 20. h. t.*

CAPITULUM XXVII.
Auctoritate.

PARAPHRASIS.

Non vult Pontifex, ut Episcopi ratione visitationis alicujus, procurationes exigant ab Oratorijs privatis, quæ in prædijs suis habent Religiosi, & solent nonnunquam in illis ex licentia legitima celebrare. Neque enim, ut bene advertit *Glossa hic, v. ratione visitationis* in talibus privatis Oratorijs fit aliqua visitatio, quamvis aliquoties Religiosi in talibus Oratorijs celebrent, sed ad ipsam communem, & publicam Ecclesiam visitatio instituitur, à qua etiam procuratio exigenda.

CAPITULUM I.
in Sexto.
Romani.

PARAPHRASIS.

In hoc bene longo Capit. in plures etiam ꝑ divisō multa statuit Innocentius IV. Pontifex, circa modum, quem in suis, ac inferiorum, etiam Religiosorum Ecclesijs visitandis, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Prælati, quibus jus visitandi competit, observare debent, circa procurationes ex jure visitationis visitantibus debitas, circa inquisitionem (generalem scilicet) correctionem, punitionem &c. faciendam. Quia tamen ratus in nostris partibus talium visitationum Archiepiscopalium, & Episcopalium usus est; & per sequentia duo Cap. quæ circa procurationes accipiendas statuta sunt, suam limitationem acceperunt, prout etiam suprà *in cap. cùm Apostolus 6. h. t. Notando 2.* significatum, & hodie tum ea visitationes faciendas, & modum earum instituendarum, quàm circa procurationes visitantibus debitas *Trid. Concil. constitutio Sess. 24. cap. 3. de reform.* observanda est; nisi antiquæ conventiones, cum Monasterijs, Religiosis, piis locis ac Ecclesijs non parochialibus factæ sint, quas salvas vult Tridentinum quæ ad hoc observari, ut omnia à Visitatoribus gratis fiant, ita ut nec victualia, nec pecunias nec quicquã aliud à Visitatoribus accipiatur: nulla videtur necessaria hujus sequentium cap. duorum ac ultimi &c. explicatio. Videatur ab illis, qui visitationes has ex officio instituere debent, & observent sanctè, quæ tam in antiquis *cap. 6. 14. & 26. h. t.* quàm in 6. ubique pu-

primis, & ult. cap. eodem, ac in Trident. modo cit. habentur.

CAPITULUM IV.

in Sexto.

Quamquam.

Paraphrasis.

Prohibet in hoc *cap.* Bonifacius VIII. quæ contra immunitatem Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, à Magistratu, & jurisdictione laica, varia onera exactionum, pedagiorum, guidagiorum, talliarum, & aliarum collectarum civilium imponentibus, attentantur, circa res illorum proprias, de quibus negotiationem non exercent, sub pœna excommunicationis contra transgressores latis, si personæ fuerint singulares, quæ has exactiones imponere, & extorquere nituntur; vel sub pœna interdicti, in civitatem v. g. si tota aliqua communitas, universitas, vel Collegium tale quid attentavetit; asserens, immunitatem hanc non tantùm juris positivi, Ecclesiastici, & civilis esse, juxta plura capit. & leges, de quibus in *Tit. de immunit. Eccle.* videbitur, sed juris etiam divini, & contrariam consuetudinem quorumcunque, sive per se, sive per alios, talia de personis Ecclesiasticis, aut rebus illarum proprijs, ut ait *Glossa hic v. prædiales*, quas non deferunt negotiationis causâ, corruptelam verius dicendam; necesse tales ab excommunicationis vinculo absolvendas, si personæ singulares sint, nec interdictum relaxandum, si communitas deliquit, donec exacta plenariè restituant, & de transgressione competenter satisfaciant.

Summarium.

Excusari non possunt, quæ contra hanc constitutionem attentantur.

NOtandum. Quæ hodierna hujus cap. praxis sit, de qua plura in *tit. de immunit.* dicentur, manifestum est, cùm vix inter Laicum subjectum jurisdictioni laicæ, & inter Clericum circa bona, non tantùm patrimonialia, sed etiam Ecclesiastica, quæ ad propriæ vitæ sustentationem sunt necessaria, & circa quæ nulla negotiatio exercetur, sit aliqua differentia; quomodo autem hæc contra divini juris immunitatem attentata, excusari possint, contra clarissimos etiam Juris Ecclesiastici textus, contra irrogatas pœnas, & contra Juris naturalis obligationem, viderint illi, qui hæc talia, sine legitima auctoritate Magistratûs Ecclesiastici extorquent.

* * *

TITU-

TITULUS XXXX.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, VEL ALTARIS.

Ecclesias cum licentia Ordinarij erectas, & principaliter ad divina sacrificia in illis celebranda destinatas, ut hæc in illis legitimè, & convenienter celebrari possint, uti & Altaria, in quibus divina peragi debent, à loci illius Episcopo consecranda, aut saltem benedicenda esse, de jure ordinario, ex pluribus juribus *distin. 1. de consec.* patet, & ex *Theologia morali L. 5. tr. 5. c. 5. & seqq.* ubi plura legi possunt, scitu sæpè necessaria, & semper utilia: pauca juxta seriem *cap. hujus tit.* hîc etiam dicentur.

CAPITULUM I.

Adhæc.

Paraphrasis.

Rescribit Alexander III. Pontifex, consecrandum denuò Altare esse, si motum fuerit; aut lapis, qui Sigillum continet, confractus sit, aut diminutus (enormiter, ut advertit *Glossa hìc v. confractus, ex cap. quod in dubijs 3. infra eodem*) Ecclesiæ tamen Consecrationem in tali casu non iterari, juxta receptam consuetudinem, quicquid in contrarium antiqui Decretorum Canones aliqui innuant.

Summarium.

1. *Quamvis Ecclesia vel Altare semel legitimè consecrata, consecrari iterum non debeant, possunt tamen casus contingere, in quibus nova Consecratio facienda est.*
2. *Alij tamen sunt casus aliqui, in quibus fixum Altare; & alij, in quibus Altare viaticum, sive mobile de novo consecrandum.*
3. *Alij sunt utrique Altari communes.*
4. *Efficaciter probari non potest, quòd ad substantiam Altaris legitimè consecrati requiratur loculus, sive sacrum sepulchrum, ubi sacra Reliquiæ condita sint.*
5. *Debent tamen Altaria, ad divinum sacrificium destinata, esse lapidea, ut decens esset, ut omnia Altaria non ex lateritio opere, sed ex uno, ac solido lapide constarent.*
6. *Potest tamen Ara fixa in aliqua Ecclesia nova consecratione indigere, absque eo, ut Ecclesia novâ consecratione indigeat.*

NOtandum primò. Non debere quidem Ecclesiam, aut Altaria, de quorum consecratione semel factâ, ex authenticis instrumentis, vel signis alijs, aut legitimis conjecturis constat, consecrari iterum *cap. Ecclesijs 20. dist. 1. de consecr.* posse tamen plures casus contingere, in quibus vel sola Altaria, vel solæ Ecclesiæ, vel simul Ecclesiæ, & Altaria, suam consecrationem amittunt, ut novâ consecratione indigeant, prout in hoc *cap.* de consecrando iterum Altari statuitur, si mensa sive lapis ab inferiore structura, cui committitur, & affixa est, removeatur; aut lapis ille enormiter confractus, aut diminutus sit.

Notandum secundò. Inter Altaria illud esse discrimen, quòd aliqua sint mobilia, & vocentur Altaria portatilia, sive portatica; alia verò sint, & dicantur immobilia, sive fixa, seu stabilia. Illa ab uno loco in alium

alium moventur, & transferuntur; neque per talem motionem, aut translationem de uno loco in alium, vel etiam lapidis à ligno, intra quod custodiæ causâ inclusus lapis ille est, separationem, suam Consecrationem amittunt, cùm lapis ille per se sit consecratus: neque de his intelligi debent SS. Canones, cùm execrari Altaria dicunt, & nova Consecratione indigère, si de loco suo amoveantur: fixa verò seu stabilia Altaria, quæ quatenus certæ basi affixa sunt, consecrantur, sicuti formam suam, & Consecrationem, ut fixa & certæ structuræ conjuncta, ut ait *Glossa in cap. si motum 29. dist. 1. de Consec. v. Altare*, accipiunt, sic per motionem ab hac inferiore structura mensæ taliter consecratæ amittit hæc suam formam & Consecrationem, non quidem per solam aliquorum inferiorum lapidum, quibus per accidens altare tale, in commodiorem v. g. usum deprimitur, amotionem, cùm in tali casu, qui immediatè sunt lapides mensæ consecratæ, & quibus hæc velut basi suæ affixa adhæret, Altaris fixi, formam & altitudinem retinens, maneant: aut si omnes quidem inferiores lapides amoveantur, immoti tamen maneant, quibus affixa est Ara, & alij in locum inferiorem amotorum substituantur; aut si tota hæc mensa consecrata, cum basi sua, cui fixa hæret, de loco in locum transferatur; cùm in utroque hoc casu, sicuti formam eandem fixi Altaris retinet, & conjunctionem cum basi sua, principalibus scilicet lapidibus, immediatiùs mensam contingentibus, & justam formam constituentibus, ita retinet etiam Consecrationem: sed per amotionem principalium lapidum, cui immediatè lapis, seu mensa affixa hæret, ita ut justæ magnitudinis & altitudinis formam amittat, prout etiam in Theologia Morali dictum *L. 5. tra. 5. cap. 6. n. 3. ad finem.*

Notandum tertiò. Tam fixum, quàm portatile Altare suam Consecrationem amittere, ut nova Consecratione indigeat, si lapis ille, cui Reliquiæ inclusæ sunt, enormiter (ut ait *Glossa*) confractus sit, aut diminutus, si ad usus scilicet, ad quos fuit consecratus, ineptus sit, & inutilis; ita ut propter fracturam talem, aut diminutionem, in nulla integra Altaris parte calix cum patena, saltem secundùm majorem partem, consistere possit, vel ob fracturam aut diminutionem talem, nimis deforme sit Altare tale; qui uterque casus Episcopi judicio relinquitur. Et hinc etiamsi cornua Altaris, in quibus unctio facta fuit, sint fracta, aut fractio aliqua sit in lapide quidem sacro, ex qua tamen non impeditur calicem & patenam in lapide integro in medio Altaris consistere posse, saltem secundùm majorem sui partem, non amittit suam Consecrationem, cùm forma quantitatis ad conservandam Consecrationem consistat in integritate lapidis, qua possit calix & patena, secundùm majorem saltem partem, in integro lapide recipi; prout etiam in *Theolog. Morali* dictum *l. c. n. 4.*

Notandum quartò. Ex hoc *cap. 1. & ex 4 cap. placuit 6. dist. 1. de Consecratione* multos Canonistas colligere, quòd de substantia Altaris consecrati, tam fixi quàm portatilis sit sigillum illud, five, ut vocant alij, sepulchrum, aut loculus, ubi sacræ Reliquiæ conditæ sunt; qui consequenter etiam asserunt, violato aut fracto hoc Altaris sepulchro, seu loculo, & ablatis Reliquijs, execrari Altare, ita ut nova Consecratione indigeat, si divina in ea mysteria peragi debeant: rectiùs tamen alij cum Soto, Suarez, Ægidio Coninck, aliisque tam Theologis quàm Canonistis, putant, efficaciter hoc probari non posse, cùm in hoc *cap.* non asseratur, execrari Aram, si sepulchrum, aut sigillum frangatur, sed si lapis ille fractus sit (enormiter scilicet, juxta datam explicationem) qui sigillum continet: & in *cap. placuit* solùm prohibeatur, nullam memoriam, aut sacellum Martyrum acceptandam esse, nisi aut corpus ibi alicujus Martyris, aut certæ Reliquiæ sint, ad cavendas scilicet multas superstitiosas devotiones, pro Martyribus colentium eos, erectis etiam memorijs, qui Martyres non fuerunt: cùm ergo nullo claro sacrorum Ca-

nonum textu sigilli hujus, sive Reliquiarum loculi necessitas quoad substantiam Altaris consecrati probari efficaciter possit, & magna sit difficultas, pro tot Aris viaticis veras semper reliquias habere: quæ cùm pro Ecclesijs consecrandis (cùm tamen eæ sine Reliquijs consecrari non deberent, ut notat *Glossa in cap. placuit v. Reliquiæ*) tam facilè non obtineantur, sit etiam in materia odiosa execrationis restrictio facienda, & nulla ultra claros textus extensio, rectissimè quidem faciunt Ecclesiæ Prælati, magnam curam adhibendo, ut habeant sacras Reliquias, quas consecrando Altari includant, & circa sigilli hujus integritatem conservandam, cùm ex sigillo hoc violato plerumque enormis fractio lapidis, cui sigillum tale inclusum est, colligatur, absolutè tamen ad substantiam Aræ consecratæ sigilli hujus integritas probabiliter non requiritur: quamvis consuetudo Ecclesiarum hac in materia observanda sit, prout *Theolog. Moralis l. c. n. 9.* monet.

5 Notandum quintò. Rectiùs colligi ex hoc *cap.* quòd Altaria ad officium divinum sive sacrificium peragendum destinata lapidea esse debeant, cùm textus hujus cap. expressè dicat, de novo Altare consecrari debere, si lapis ille, qui sigillum continet, confractus sit, aut diminutus, & in *cap. Altaria 31. dist. 1. de consecratione* dicatur, Altaria si non fuerint lapidea, Chrismatis unctione non consecrantur: quamvis enim olim sub prima tempora Ecclesiæ, cùm ob frequentes persecutiones in cryptis & speluncis, Incruentum hoc Sacrificium celebrari deberet, ligneorum Altarium usus fuerit, quò faciliùs de loco in locum portari possent, postea tamen pace Ecclesiæ sub Constantino Imperatore redditâ, ex lapidibus tanquam firmiore, & quæ magis durabilis materia est, Altaria fieri jubebantur; neque ulli hodie concedendum est, in ligneo tali Altari celebrare, nisi Summo Pontifici, cui ob reverentiam S. Petri antiquissimum illius ligneum Altare servatur; & in eo soli illi celebrare conceditur. Et quamvis ultra habeat, ut ex unico & solido lapide mensa talis Altaris conficiatur, sunt tamen in quibusdam Ecclesijs fixa Altaria, non ex uno lapide duro, sicut decens esset, sed opere lateritio constructa, & ex gypso ac cemento ad cavendas faciles fracturas inducta, quæ si Episcopi tolerant, improbari non possunt.

Notandum sextò. Ex hoc solo, quòd Ara etiam fixa in Ecclesia aliqua execretur, & nova consecratione indigeat, non censetur etiam execrata Ecclesia esse, & nova Consecratione indigere, uti habetur *in h. c. 1.* quamvis enim si Ecclesia sanguinis, aut humani seminis effusione polluatur, omnia in ea Ecclesia fixa Altaria polluta censeantur; & vice versa, si unum Altare dicto modo polluatur, Ecclesia censeatur polluta, ut nova reconciliatione tam illa, quàm hæc indigeant: potest tamen fieri, ut per fractionem, aut motionem lapidis consecrati, Altare execretur, & nova consecratione indigeat, absque eo, ut Ecclesia exinde aliquod damnum patiatur, & consequenter suam consecrationem non amittat; cùm enim consecratio Ecclesiæ consistat in parietibus, & distincta sit à consecratione Altaris, potest illa consequenter violari combustis v. g. parietibus, aut collabentibus, absque eo, ut Altare integrum & illatum suam amittat consecrationem.

CAPITULUM II.

Tua Fraternitas.

Paraphrasis.

Quæsivit Episcopus Tornacensis ex Innocentio III. Pontifice, qua die Ecclesias consecrare sibi liceat; cùm enim Clericorum, & Episcoporum ordinationes certos dies habeant, dubitavit, an non eodem modo certi constituti essent, pro consecrandis Ecclesijs? Responsum tamen illius à Pontifice, licere ipsi in diœcesi sua consecrationem Ecclesijs impendere quovis die,

die tam diebus Dominicis, quàm privatis. Circa quem textum, quia clarus est, nihil ulteriùs videtur annotandum; neque enim tanta solemnitas requiritur ad rem inanimatam consecrandam, quàm ad consecrandas & ordinandas res animatas, quæ sicuti dignitate eminent, ita majorem solemnitatem requirunt.

CAPITULUM III.

Quod in dubijs.

Rescribit Innocentius III. Episcopo Nidrosiensi, si motum aut enormiter fractum in Ecclesia Altare fuerit (juxta ea, quæ *in cap.* 1. dicta sunt) quòd nova consecratione indigeat: non negare tamen se, quin oleum non consecratum sacro oleo misceri possit absque eo scilicet, ut nova benedictione indigeat.

Summarium.

1. *Per admixtionem olei v. g. non benedicti, in minore tamen quantitate, cum oleo benedicto, totum est benedictum.*
2. *In quibus casibus locum habeat commune axioma, quòd minus dignum trahat ad se magis dignum, vel sanctum, id quod de se sanctum non est &c.*

NOtandum primò. Priorem partem hujus rescripti de moto aut enormiter fracto Altari, & nova consecratione indigente, ex *cap.* 1. jam patere.

1 Notandum secundò. Quòd parti benedictæ olei v. g. alia non benedicta olei pars, in minore tamen quantitate, admixta, per solam hanc admixtionem benedicatur, docent communiter omnes, ob receptam *Glossam in cap.* 1. *h. t. v. Altare*, quòd sacrum scilicet trahat ad se non sacrum (tanquam dignius, minùs dignum) nisi in quantitate id, quod minùs dignum sive non benedictũ admisceatur, excedat dignius sive benedictũ) ita tamen, ut juxta *Panormitanum h. t.* & juxta *Hostiensem in Glossa marginali h. t.* hoc effatum tantùm locum habeat in liquoribus, qui commixtione confunduntur, & juxta alios in illis etiam artefactis, quorum partes seorsim acceptæ, totius appellationem non continent; non autem in illis artefactis, quorum partes eandem cum toto, cujus partes sunt, seorsim etiam acceptæ appellationem retinent. Sic si casu 2
aræ v g. aut Ecclesiæ minor pars aliqua non consecrata, consecratæ accedat, nulla nova illius consecratio est necessaria: dubium autem est, utrùm non indigeat Ara nova consecratione, si lapis non consecratus, lapidi consecrato adjungatur, cùm in hoc casu axioma illud juxta multos auctores & propter multas instantias probabiliter locum non habeat. Et hinc rectè monent auctores, additionem lapidis non consecrati, si facienda hæc sit ad lapidem consecratum, ita fieri debere, ut integer maneat lapis consecratus, in quo calix cum patena consistere possit; sicuti enim per solam adjunctionem lapidis non sacri, non amittit suam consecrationem lapis consecratus, cui alter lapis non consecratus adjungitur, si in illo illæso calix cum patena subsistere adhuc possit (saltem secundùm majorem partem) ita nec per solam hanc adjunctionem fit sacer, cùm in talibus sacrum & non sacrum conjungi & discerni possint.

CAPITULUM IV.

Proposuisti.

Paraphrasis.

Peregrini ex diversis mundi partibus Compostellam, ad Ecclesiam S. Jacobi confluentes, graves adeò rixas & contentiones nonnunquam inter se incipiunt, dum quilibet custodiam Altaris sibi arrogare contendit, ut homicidia etiam intra Ecclesiam committantur, & vulnera inferantur: sollicitus proinde Compostellanus Archiepiscopus ex Innocentio III.

interrogat, an non per talia homicidia & vulnera Ecclesia ita execretur, ut nova reconsecratione indigeat. Respondit autem Pontifex, reconciliari quidem debere taliter violatam Ecclesiam, si integra illa adhuc maneat, per aquam cum vino & cinere benedictam; novâ tamen consecratione opus non esse.

Summarium.

1. *Violatur Ecclesia per homicidium in ea commissum, aut inflicta vulnera, ut reconciliari debeat, prius quam divina in ea peragantur; non tamen execratur, ut nova consecratione indigeat.*
2. *Quale debeat esse homicidium, & qualis vulneratio, ut violetur Ecclesia.*
3. *Violatâ Ecclesiâ, violantur etiam fixa altaria, ita tamen, ut reconciliatâ Ecclesiâ etiam illa accessoriè reconciliata habeantur.*
4. *Ut violetur Ecclesia per homicidia, & vulnerationes, debent hæc fuisse commissa intra spatium, quod pertinet ad interius corpus Ecclesiæ.*
5. *Violatâ tamen Ecclesiâ, censetur etiam violatum cæmeterium tali Ecclesiæ contiguum, ut in hoc sepeliri nemo possit, ante reconciliationem, saltem accessoriè factam.*

1 NOtandum primò. Per homicidium in Ecclesia commissum, aut inflicta in ea vulnera violari quidem & pollui eam, ac in ea fixa Altaria, ut ad divina peragenda adhiberi non possint, antequam reconcilientur, juxta hoc & ultimum *hujus tit. cap.* (ubi dicitur, reconciliari debere violatam seu polluram Ecclesiam, ne divinæ laudis organa suspendantur) non tamen si integra Ecclesia adhuc maneat, ex commisso in ea homicidio, aut ob vulnera inflicta execrari illam, ut nova consecratio illius necessaria sit. Sicuti autem Ecclesia non violatur,
2 per quodvis in ea ex subito casu, aut justæ defensionis causa &c. commissum homicidium, sed per illud tantùm, quod voluntarium, & injuriosum est, vel saltem contra Religionem, aut reverentiam loco sacro debitam, etiamsi nullus sanguis effundatur (per suffocationem v. g. hominis ad mortem, justâ quidem sententiâ condemnati, cujus tamen executio in Ecclesia loco sacro injuriosa est) sic nec violatur per quamliber corporalem injuriam, per alapam v. g. inflictam, cum multo, ex naribus tamen effluente sanguine adhunc effundendum licitibus, sed per voluntariam, & injuriosam, ac graviter peccaminosam, cum sanguinis effusione, etiamsi vulneratio talis non sit ad mortem; cùm ex hoc *cap.* um & pluribus juribus facilè colligi possit, distinctum hunc casum esse, in quo Ecclesia polluatur, & reconciliatione indigeat, ab eo, quo ob homicidium polluitur illa, & reconciliatione indiget.

Notandum secundò. Violatâ seu polluta Ecclesiâ, violari etiam seu pollui fixa in ea Altaria, ita ut in eis celebrari non possit, absque prævia reconciliatione; non autem execrari Altaria, si Ecclesia execretur, ita ut tam illa, quàm hæc novâ reconsecratione indigeant: cùm enim suas peculiares, & distinctas consecrationes habeant, potest consequenter una retineri, & manere, altera pereunte; violatâ verò Ecclesiâ cùm divina officia in ea celebrari non possint, sed suspensa maneant, ut loquuntur jura in *cap. ult. h. t.* donec reconcilietur, consequenter neque in illius Ecclesiæ Altaribus fixis, divina celebrari poterunt, donec reconcilientur. Sicuti autem accessoriè tantùm violata sunt Altaria, violatâ principaliter Ecclesiâ, sic etiam aliâ reconciliatione speciali non indigent, si reconcilietur Ecclesia, sed accessoriè censentur reconciliata, cùm impedimentum omne, quominus in ea celebrari possit, per hoc sufficienter ablatum sit, quòd Ecclesia illa iterum sit reconciliata.

Notandum tertiò. Violari Ecclesiam per homicidia aut vulnerationes taliter commissa in Ecclesia, si scilicet committantur intra spatium illud, quod per-

tinet

net ad interius corpus Ecclesiæ, ab interiore tecto scilicet, usque ad pavimentum illius Ecclesiæ, & à summa ara usque ad parietem oppositum, ita ut etiam sacella intra talem Ecclesiam instituta, si proprio muro à reliquo Ecclesiæ corpore non sint sejuncta, & ad usum divinum deputata, Ecclesiæ taliter violatæ, reconciliatione indigentis, nomine veniant, cùm verba *cap. ult. hoc tit.* quibus divina officia in tali Ecclesia suspensa asseruntur, hanc explicationem exigant: non tamen violari talem Ecclesiam per talia supra tabulatum ejus in tecto; aut infra in cryptis v. g. aut speluncis inferioribus, vel in cameris, ad latus Ecclesiæ adhærentibus, pro rerum Ecclesiæ custodia deputatis; aut pro ministrorum Ecclesiæ habitationibus, muro distincto separatis &c. ne in hac violationis materia nimiùm extendantur verba sacrorum Canonum; & ab eo, quod de cæmeterijs contiguis asserit, uti & in *cap. unico in sexto hoc tit.* ad alia transferantur.

5 Notandum quartò. Violatâ taliter Ecclesiâ, ut in ea celebrari non possit ante reconciliationem, violatum etiam censeri cæmeterium Ecclesiæ contiguum, ut in hoc sepeliri nemo possit ante reconciliationem, prout expresè statuitur in *cap. unico hoc tit. in sexto.* ita tamen, ut si reconcilietur Ecclesia, specialis etiam cæmeterij reconciliatio necessaria non sit, sed accessoriè censeatur cæmeterium reconciliatum, si Ecclesia reconcilietur; cùm enim in tali casu, quo cæmeterium contiguum est Ecclesiæ, accessorium hoc sit Ecclesiæ, consequenter juxta regulam 46. in sexto sicuti censetur pollutum, Ecclesiâ pollutâ, tanquam accessorium induens naturam & conditiones principalis, ita etiam reconciliatum censetur, principali reconciliato; de hoc tamen paulò pòst.

Notandum quintò. Reconciliationem Ecclesiæ taliter violatæ fieri debere per aquam cum vino & cinere benedictam: de hoc tamen reconciliandi modo plura dicentur infrà in *cap. aqua. 9. hoc tit.*

CAPITULUM V.

Cùm sis.

Paraphrasis.

Dubitabat Episcoporum nonnemo, utrùm plura in eadem Ecclesia altaria v. g. & plures Episcopos simul eodem die consecrare posset? Cui dubio respondet de eo quæsitus Pontifex affirmativè, quòd scilicet in eadem Ecclesia plura simul altaria, & plures Episcopi (& quidem hi sub eadem missa) consecrari possit. Textus & resolutio est clara, nulla ulteriore indigens notitiâ, aut explicatione.

CAPITULUM VI.

Ligneis.

Paraphrasis.

Quærebatur ex Pontifice, an nova consecratio Ecclesiæ, vel altarium necessaria esset, in eo casu, quo parietibus Ecclesiæ illæsis, & in sua integritate permanentibus, tectum v. g. Ecclesiæ, aut scamna &c. igne combusta fuerint; altaria verò, quamvis modicam in extremitatibus passa essent fracturam, nec mota tamen, nec enormiter fracta juxta dicta in *1. cap. h. t.* Cui quæsito respondet Pontifex, in neutro hoc casu, novam aut Ecclesiæ, aut altarium reconsecrationem necessariam asserens.

Summarium.

1. *Si parietes alicujus Ecclesiæ integri subsistant, & illæsi (saltem secundùm majorem sui partem) etiamsi tectum, scamna, & alta intra illam Ecclesiam ornamenta exusta fuerint, non indiget novâ aliâ consecratione, nisi crusta omnis parietum interior abrasa sit, vel ex incendio ceciderit, in casu Ecclesiæ priùs consecratæ.*
2. *Quid sentiendum, si antiqui parietes*

toti, vel simul, vel successivè destruantur, & novi semper succedant?

1 NOtandum. De veritate responsi hujus Pontificij, quoad secundam partem, de nihil necessaria reconsecratione altarium, in casu quo nec mota (dicto modo) illa essent, nec enormiter fracta, etiamsi fracturam aliquam in extremitatibus passa essent, ex 1. *hujus tit. capit.* patet. Quòd autem neque Ecclesia, si semel jam legitimè consecrata fuit, nullâ novâ reconciliatione indigeat, si parietes illius Ecclesiæ persistant integri, etiamsi exustum fuerit Ecclesiæ illius tectum, scamna, sedilia, picturæ, aliáque illius ornamenta, intra talem Ecclesiam &c. ipsa etiam parietum dealbatio fumo & igne pessimè decolorata, aut obscurata, aut parietes ipsi pluribus fracturis dissoluti sint, modò subsistant adhuc integri, & illæsi, ita ut nec toti secundùm majorem partem ceciderint, ex *hoc cap.* patet, & ex ea ratione, quòd consecratio Ecclesiæ non in his, sed in interiore superficie parietum, in quibus unctio fit, & per cruces signatio, consistat. Quòd si tamen parietes Ecclesiæ non ceciderint quidem, & corruerint, crusta tamen interior omnis abrasa sit, vel ex incendio ceciderit, perditur illius Ecclesiæ consecratio, si consecrata fuit, cùm pereat materia, in qua facta est consecratio; benedictio tamen non perit, si benedicta fuit talis Ecclesia, & ad cultum divinum destinata, etiamsi crusta omnis abrasa fuerit, & ipsi etiam parietes corruerint, cùm benedictio solo inhærere censeatur, juxta communiorem Doctorum sententiam, legi illi 73. conformem *ff. de contrah. Empt.* quæ dicit, ædem sacram terræ motu dirutam, non esse locum profanum.

2 Quæres tamen adhuc, si successivè pars una post alteram parietis Ecclesiæ consecratæ tollatur, & nova semper substituatur, utrùm Ecclesia nova reconsecratione indigeat, si tandem omnis Ecclesiæ consecratæ paries ablatus sit, & novæ semper partes successivè substitutæ fuerint, quæ in prima consecratione non steterunt.

Respondetur primò. Certum esse, si omnis simul paries Ecclesiæ consecratæ tollatur, & novi parietes substituantur, sive casu fortuito corruant illi, sive consultò destruantur, quòd Ecclesia talis de novo sit consecranda, cùm hæc modò existens Ecclesia nunquam consecrata fuerit.

Respondetur secundò. Si non quidem simul omnis Ecclesiæ consecratæ paries tollatur, major tamen illius pars simul tollatur, aut corruat, quòd nova consecratione indigeat Ecclesia talis, cùm in tali casu ac physicè, nec moraliter eadem sit Ecclesia, quæ antehac fuit, etiamsi ex ijsdem lapidibus sit ædificata.

Respondetur tertiò. Qualiscunque tandem pars Ecclesiæ tollatur, si tollatur authoritate legitima absque intentione eam reædificandi, si tamen postmodum reædificaretur, quòd nova consecratio hujus noviter constructæ Ecclesiæ fieri debeat, prout valde probabiliter docet *Panormitanus*, cùm multùm in *hoc casu motali* valeat intentio operantis, authoritatem legitimam habentis profanandi Ecclesiam, cujus intentio est, novam Ecclesiam ædificare.

Respondetur quartò. Valde tamen etiam probabile esse, si successivè tantùm minor semper Ecclesiæ consecratæ pars destruatur, & nova semper substituatur, quamvis successu temporis omnis antiquus paries ablatus fuerit, & novus substitutus, non tamen ex intentione novam Ecclesiam constituendi, quòd Ecclesia talis nova reconsecratione non indigeat, cùm non minùs eadem moraliter loquendo maneat Ecclesia, quàm eadem moraliter navis maneat, licèt subinde pro destructis tabulatis, nova fiat tabularum novarum accessio *L. quod in rerum §. ult. ff. de leg. 1.* & in hac etiam partis minoris ad majorem partem adjunctione, major pars trahat ad se minorem, ita ut consecratio majoris, ad hanc etiam minorem, juxta probabilem sententiam, & *Glossam inter si motum de consecra. dist.* 1. extendatur; & nunquam omnis consecratio censeatur amissa,

amissa. Videatur *Theol. Mor. l. c. c. 5. n. 16.*

CAPITULUM VII.

Consuluisti.

Paraphrasis.

Sepulta fuerunt in Cæmeterio quodam excommunicatorum defunctorum cadavera, quærebatur proinde ex Pontifice, utrùm per hanc excommunicatorum in cæmeterio sepulturam, violatum illud fuerit, ut reconciliatione indigeret: & respondet Pontifex affirmativè, violatum scilicet illud, per talium sepulturam esse, & aspersione aquæ solemniter benedictæ, reconciliandum priùs, quàm iterum fidelium corpora in eo sepeliantur.

Summarium.

1. *Quid nomine Cæmeterij veniat?*
2. *Violatur, violatâ Ecclesiâ, si Ecclesiæ contiguum sit; si verò non sit contiguum, eodem modo principaliter violatur, quo Ecclesia violatur, & sua reconciliatione indiget.*
3. *Per sepulturam excommunicati devitandi in cæmeterio violatur hoc.*
4. *Probabile est, & praxi hodernæ conforme, non violari in ullo casu cæmeterium, si nec consecratum est, nec benedictum ab Episcopo.*

1 NOtandum primò. Cæmeterium illum locum dici, qui authoritate Episcopi, si non consecratus aut benedictus sit, destinatus saltem est & deputatus, ad sepelienda in eo defunctorum fidelium cadavera: sicuti autem tale cæmeterium, si Ecclesiæ contiguum est, consecratur per Ecclesiæ consecrationem, ita etiam violatur, & execratur Ecclesiâ violatâ, aut execratâ, juxta *cap. un. in 6. hoc tit.* Vel si contiguum Ecclesiæ non sit, suam propriam consecrationem, benedictionem, aut Episcopalem saltem deputationem habens, execratur, aut violatur eodem modo, & in illis casibus, quibus violatur, aut execratur Ecclesia; sicuti enim in illo casu censetur quid esse accessorium ad Ecclesiam contiguam principalem, & consequenter sequitur naturam principalis juxta *regulam 46. in sexto.* ita in hoc casu, cùm Ecclesiæ non sit accessorium, censetur se habere ut principale, & ijsdem modis violari, quibus violatur Ecclesia, uti patet etiam ex *cit. cap. un. hoc tit. in sexto*, & ex *cap. Ecclesiam. 27. ac 28. dist. 1 de consecr.*

Notandum secundò. Quando dicitur hîc 2
per sepulturam excommunicati in cæmeterio, violari cæmeterium, intelligi debere hoc de sepultura excommunicati vitandi, post Concilium Constant. excommunicati scilicet publicè denuntiati, aut notorij percussoris Clerici; sicuti cum pluribus alijs bene etiam notavit Navarrus dicens, per sepulturam Hæretici nominatim non denuntiati (qualiter non denuntiati, nec vitandi sunt Hæretici nostræ Germaniæ) non violari Ecclesiam, *arg. cap. sacris 12. de sepult.*

Notandum tertiò. Reconciliationem 3
talis cæmeterij violati fieri debere, tam in hoc, quàm in alijs casibus violationis, eodem modo, quo Ecclesia notatur reconcilianda, de quo paulò pòst: probabile tamen etiam est, & hodierna praxis obtinet, quòd cæmeterium, si nec consecratum, nec benedictum sit, sed sola authoritate Episcopi ad sepulturam fidelium deputatum, & determinatum, nunquam violetur, ut reconciliatione indigeat. Videatur *Theol. Moral. l. c. c. 5. n. 2.*

CAPITVLVM VIII.

Cùm sicut.

Paraphrasis.

Intellexit Honorius III. Pontifex ex Capitulo Oradiensi, quòd Regina Hungariæ, Ecclesiam suam quidem fundaverit, & consecrari fecerit, nullam tamen ei dotem assignaverit: rescribit proinde, Ecclesiam consecrandam non fuisse, nisi de

dote

dote ei fuerit provisum ; & hinc tantò magìs ad solvendam hanc liberaliorem esse debere Reginam, quantò fortiùs ex debito jam ad eam dotem obligetur.

Summarium.

8. *Ecclesia fundanda, aut ædificanda non est, vel saltem non est consecranda, nisi priùs de dote competente ipsi provideatur, aut velit ad eam obligari consecrans Episcopus ; vel sit Ecclesia Mendicantium ; vel saltem in monasterio ædificata.*
2. *Quando censeatur sufficiens dos Ecclesiæ assignata ?*

1 NOtandum primò. Ecclesiam fundandam aut ædificandam non esse, nisi de dote competente illius priùs provideatur ; & si hujus nulla in fundatione Ecclesiæ mentio habita fuit, consecrandam non esse, nisi dos ei competens assignetur, ad quam ex contractu obligetur, qui eam fundavit, aut hæredes illius ; ita ut ad eam teneatur Episcopus, qui sine dote assignata eam consecravit, ex patrimonio suo, vel etiam ex reditibus suæ Ecclesiæ, si sine gravi illius læsione hoc fieri possit ; sicuti enim filia à patre indotata non collocatur, sic nec à fundatore, aut in defectum hujus consecrante, Ecclesia, quasi filia, sine dote relinqui non debet ; ita ut contra fundatorem in tali casu fundatæ & non dotatæ ab eo Ecclesiæ, competat condictio ex hoc Canone, coram judice Ecclesiastico tractanda ; nisi Ecclesia aut Mendicantium sit, aut in Monasterio Religiosorum ædificata, quæ speciali dote non indiget.

2 Notandum secundò. Competentem dotem assignandam fundatæ Ecclesiæ tum fore, si sufficiens ei pro luminibus, & alijs ad cultum divinum necessarijs, pro competente ac honesta sustentatione beneficiati, ac ministri, si sit Ecclesia parochialis ; vel si sit Ecclesia collegiata, pro numero & qualitate collegij instituendi &c reditus assignentur ; & quamvis hospitalitatis jura, & jura Episcopalia majores reditus requirerent, in fundanda tamen & dotanda Ecclesia ad hæc non attenditur, cùm ab his excusentur beneficiati, nisi pinguior fortuna arrideat, uti docent *Hostiensis, Panormit. cum Azor. & alij.*

CAPITVLVM IX.

Aqua.

Paraphrasis.

Quòd in Provincia Bracharensi ea consuetudo vigeret, ut aquâ quidem per Episcopum benedictâ, per simplices tamen Sacerdotes Ecclesiæ violatæ reconciliarentur, rescivit Pontifex Gregorius IX. Hanc proinde consuetudinem, quam putabat potiùs corruptelam dicendam (cùm Episcopi non sit, ea quæ sunt Ordinis Episcopalis, simplici Sacerdoti committere) improbans Pontifex, rescribit Episcopo Astoricensi, posse quidem eum alij Episcopo reconciliationem talem committere, per aquam ab Episcopo benedictam, non tamen simplici Sacerdoti : toleraturum tamen se misericorditer, quod ex mandato Episcopi per simplices Sacerdotes circa reconciliandas Ecclesias factum hactenus fuerat.

Summarium.

1. *Aqua, per cujus aspersionem reconciliatur violata Ecclesia, à quo benedici debeat ? & a quo reconciliatio fieri debeat Ecclesiæ consecratæ ?*
2. *A quo, & quâ aquâ reconciliatio hæc fieri debeat, si Ecclesia tantùm sit benedicta, aut ad divinum cultum ab Episcopo deputata, nondum tamen consecrata ?*
3. *Posse nonnunquam reddi per Pontificem actum, qui abinitio & de se invalidus fuit, validum, ab eo saltem tempore, quo summus Pontifex consensit.*

Non

1 NOtandum primò. Aquam, qua Ecclesia violata, si consecrata fuit, reconcilietur, cum vino & cinere, ut vult *cap. 4. hoc tit* ac sale, ut vult Rituale Romanum, benedictum esse debere ab Episcopo loci reconciliandi, vel ex ejus commissione ab alio Episcopo, prout ex *hoc cap.* colligunt Authores; ubi etiam habetur, quòd reconciliatio talis Ecclesiæ fieri non possit per simplicem Sacerdotem, quamvis aqua ab Episcopo benedicta esset, sed fieri debeat à proprio Episcopo, vel ex hujus commissione ab alio Episcopo; cùm ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut ait Pontifex, qualis est reconciliatio Ecclesiarum, simplici Sacerdoti committi non possint ab Episcopo. Et quamvis summus Pontifex ex plenitudine suæ potestatis, quam habet circa res tales Ecclesiasticas, concedere possit facultatem simplici Sacerdoti, reconciliandi violatas tales Ecclesias, per aquam ab Episcopo benedictam, quam Gregorianam dicunt; & de facto Ordinum variorum Prælati hanc licentiam, sive hoc privilegium habeant, per aquam etiam à se benedictam, si duabus diætis distet Episcopus, usus tamen hujus privilegij juxta verborum tenorem moderandus est.

2 Notandum secundò. Si Ecclesia tantùm benedicta sit, vel authoritate Episcopi, ad divinum cultum, aut consecrationem deputata, ea tamen ante Consecrationem violetur, potest etiam simplex Sacerdos, aqua lustrali à se benedicta eam reconciliare, prout ex *cap. ult. hoc tit.* colligitur, ubi dicit Pontifex, Ecclesiam talem violatam protinùs lavandam esse aquâ exorcizatâ, ne divinæ laudis organa suspendantur; expressurus sine dubio, quòd per Episcopum hæc reconciliatio facienda sit, aut per aquam ab ipso benedictam, si necessarium hoc putâsset in celeri hac Ecclesiæ nondum consecratæ reconciliatione: conveniens tamen est, ut Episcopo hæc violatio significetur priùs, quàm reconciliatio fiat à simplici Sacerdote. Videatur *Theol. Moral. L. 6. ca. 3. n. 12.*

Notandum tertiò. Dicere Pontificem, 3 quamvis praxis Bracharensis Ecclesiæ circa reconciliationes per simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi factas, corruptela potiùs dicenda sit, quàm consuetudo (& consequenter hæ tales reconciliationes nullæ sint, tanquam à non habente potestatem factæ) toleraturum tamen se misericorditer, quod per simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi (quæ nulla tamen fuit) circa has reconciliationes factum fuerit; non quidem, quòd factis talibus voluerit aliquam authoritatem impendere, ut quod ab initio invalidum fuit, valeat, sed quòd ab eo tempore, quo indulgentiam talem concessit, valere inceperint hæ reconciliationes, ita ut nova per Episcopum facienda non esset reconciliatio, prout etiam *Glossa* notat *hic V. toleramus.*

CAPITULUM X.

Si Ecclesia.

Paraphrasis.

Cùm Capit. hoc loquatur de modo Ecclesiam violatam reconciliandi, de quo superiore Cap. locuti sumus, nulla videtur necessaria ulterior illius expositio: innuit quidem, etiam violari Ecclesiam humani seminis effusione (si notoria sit scilicet & illicita) videri tamen possunt de hac violatione Theologi Morales.

CAPITULUM VNICVM in Sexto.

Si Ecclesiam.

Paraphrasis.

Quòd violatâ Ecclesiâ violetur etiam cæmeterium illi contiguum (tanquam accessorium cum suo principali) ut fidelium nemo in eo sepeliri possit, antequam reconcilietur, in *hoc cap.* asserit Bonifacius Pontifex (de quo in *cap. 7. in antiquis*

hoc tit. jam dictum , ubi etiam eodem modo diximus reconciliatum censeri cæmeterium , taliter cum Ecclesia violatum, per Ecclesiæ reconciliationem) non autem vice versa violatur Ecclesia , si cæmeterium illi contiguum per se violatum fuit , ne minùs dignum censeatur ad se trahere magìs dignum , & accessorium principale. Quòd si tamen duo sint sibi quidem cohærentia cæmeteria, per murum tamen intermedium separata , etiamsi transitus ab uno ad aliud per portam aliquam pateat, non censetur alterum violatum per alterius violationem.

Summarium.

1. *Quando censeatur cæmeterium Ecclesiæ contiguum.*
2. *Per hoc , quòd unum cæmeterium alteri violato , sit contiguum , non censetur hoc conjunctum violatum , etiamsi per unum ad alterum transitus pateat.*

NOtandum primum. Cæmeterium violari eodem modo , quo Ecclesia ; & modum reconciliandi cæmeterium violatum , si non per solam reconciliationem Ecclesiæ reconcilietur , eundem esse , quem suprà de reconcilianda Ecclesia dedimus : contiguum autem Ecclesiæ dici illud cæmeterium , quod Ecclesiæ conjunctum est. Quòdsi tamen cæmeterium Ecclesiæ conjunctum non sit , sicuti se habet ut principale & non ut accessorium tantùm , sic nec violatur violatâ Ecclesiâ, prout jam dictum, sed per se tam violatur , quàm reconciliatur.

Notandum secundum. Non violari cæmeterium , quod alteri violato conjunctum est , cùm in tali casu neutrum respectu alterius se habeat ut accessorium , aut minus dignum , sed utrumque æquè principale sit, etiamsi per unum ad alterum transitus pateat , & consequenter paries intermedius dividat , ut censeantur res diversæ , prout advertit etiam *Glossa hic V. contiguum* , illa rens , per hoc , quòd ex uno in alterum , per portam pateat transitus , non fieri ea contigua.

* * *

TITULUS XXXXI.

DE CELEBRATIONE MISSARUM ET SACRAMENTO EUCHARISTIÆ AC DIVINIS OFFICIIS.

ITulorum aliquorum sequentium materia à Theologis Moralibus accuratè traditur, & eorum Titulorum Capitula utiliter quidem legi possunt , ac utiliùs observari debent ; quia tamen nulla in illis difficultas specialis occurrit , quam non sufficienter explicatam in Theologia Morali suis locis legere potes , hinc brevi tantùm compendio expediendi hi tituli potiùs videntur quàm longiore , & nihil necessaria Capitulorum explicatione.

In primo ergo Capitulo , quod est desumptum ex consilio Agathensi , & refertur etiam in *cap. Presbyter 32. dist. 91.* statuitur , ut horas Canonicas dicat Presbyter aliis competentibus : & quamvis ex justa causa simul omnes usque ad Vesperas manè persolvere possit , & illis expeditis, regu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

culuram etiam, aut alia honesta opera, quibus victum sibi, & vestitum quærat, si necessitas urgeat, exercere possit, ut necessitatibus tamen peregrinorum, subinde seriùs advenientium, ac infirmorum, subinde subita infirmitate oppressorum succurrere possit, jejunus permanere jubetur usque ad statutam horam.

In secundo Capitulo, quod est desumptum ex Concilio Triburiensi, reprehenduntur illi Laici, qui per singulos dies Missas sibi peculiares votivas legi volunt (ex superstitiosa aliqua devotione, quasi meliores essent tales missæ votivæ, quàm sit ea, quæ pro temporis ratione de feria dici deberet) & hoc fieri prohibetur. Quid tamen hac in re circa Missas votivas liceat, docent Sacerdotem quemlibet Rubricæ generales Missalis Romani, quarum observatio etiam cum nausea quorundam sæcularium, ut & Capituli hujus observatio diligens haberi debet.

In tertio Capitulo, mandat quidem Pontifex Innocentius III. ut ne plures Missæ ab eodem Sacerdote eodem die dicantur, diem tamen Nativitatis Domini, & casum necessitatis excipit, modò celebraturus sit jejunus: de priore casu res certa est; de posteriore Episcopus judicat, aut recepta consuetudo.

In quarto Capitulo statuitur, quomodo sit ordinanda Missa, quoad dicendum Hymnum Angelicum Gloria in Excelsis, Symbolum Apostolorum, Credo, & Præfationem propriam, ac Hymnum Te Deum laudamus.

In quinto Capitulo statuitur, quid de vino ablutionis, & purificandis digitis sit sentiendum.

In sexto de verbis Canonis quid sentiendum, Archiepiscopo Lugdunensi ab Innocentio III. rescribitur; & quòd in sacra Evchariſtia hæc tria diligenter distinguenda sint, forma scilicet Evchariſtiæ, sive species Evchariſticæ, quæ Sacramentum tantùm dicuntur; Corpus & Sanguis Christi, quæ sunt res & Sacramentum; ac virtus sive effectus Sacramenti, quæ dicitur res Sacramenti; & quid sentiendum de controversia, utrùm aqua affusa vino in Consecratione Calicis immediatè in Sanguinem, vel priùs in Vinum, & tum in Sanguinem convertatur, vel in Calice immutata circumfusa Sanguini maneat.

In septimo statuitur, quòd Sacerdos graviùs peccet, fictè celebrando, omittendo v. g. verba consecrationis, quàm qui in peccato mortali verè celebrat.

In Capitulo octavo declarat Pontifex Innocentius III. contra Arrianos Christum esse verum Deum; & contra Manichæos, quòd phantastico corpore non constet, sed verus homo sit; & quòd ex latere Christi vera aqua, & non tantùm phlegma profluxerit.

In Capitulo nono, multa utilissima statuuntur, quæ circa divina officia peragenda, & Clericorum mores observanda sunt; quæ districtè sub pœna inferendæ suspensionis præcipiuntur, & prohibentur.

In Capitulo decimo, custodiam accuratam SS. Evchariſtiæ præcipit Sacerdotibus Honorius III. ac decentem ad ægros deportationem; plebi verò omni debitam tanto Sacramento reverentiam sub pœnæ arbitrariæ periculo.

In Capitulo undecimo statuitur in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis, ubi plures sunt Sacerdotes, duas Missas esse dicendas, unam pro Anniversario Defunctorum; alteram de festo, vel de feriâ, secundùm congruentiam temporis: consulenda est tamen consuetudo.

In Capitulo duodecimo asseritur, Episcopo tantùm concessum esse in Cœna Domini, ut Missam in sua Ecclesia Cathedrali celebret, & Chrisma conficiat.

In Capitulo decimo tertio statuitur, quòd in sacrificio Missæ, secundùm generalem consuetudinem Ecclesiæ, aqua quidem affundi debeat vino consecrando (non quidem ex necessitate Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiastico) in minore tamen quantitate, quàm vinum.

In Capitulo decimo quarto denique statuitur in illos Sacerdotes pœna, qui in pane fermentato, si Sacerdos sit Latinus, in calice ligneo, sine lumine, & aqua non admixta vino &c. præsumptuosè celebrat &c.

TITULUS XLII.

DE BAPTISMO ET EIUS EFFECTU.

IN Capitulo primo dicitur non sufficere ad valorem Baptismi, ter immersum fuisse baptizandum, formam tamen legitimam non fuisse pronuntiatam.

In Capitulo secundo agitur de Baptismo sub conditione administrando, si probabile dubium sit de collato olim validè Baptismo.

In Capitulo tertio agitur de effectu Baptismi; etiam in eo casu, quo quis violenter ad Baptismum trahitur; aut in eo casu, quo quis nullo modo consentit, sive deinde in somno, sive amentia Baptismum suscipiat.

In Capitulo quarto dicitur, quòd nemo possit seipsum baptizare, etiam in casu necessitatis.

In Capitulo quinto asserit Innocentius III. parvulos illos non esse baptizatos, quos ob defectum aquæ in capite & pectore ac inter scapulas, salivæ aspersione, lustraverunt simplices aliqui.

In sexto denique Capitulo prohibet Innocentius III. in Concilio Lateranensi sub pœna excommunicationis & suspensionis, ne Græci reputent altaria inquinata, in quibus latini Sacerdotes celebrarunt, &, nisi laventur, ad sacrificandum violata; & ne baptizatos à Latinis, rebaptizare præsumant.

TITVLVS XLIII.

DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

IN primo Capitulo asseritur, Presbyterum, qui post sui ordinationem se baptizatum non esse, deprehendit, baptizandum, & iterum ordinandum esse, vel si ordinari nolit, ut Laicum manere, & matrimonium validè contrahere posse; tum quòd Baptismus prima sit Sacramentorum janua, tum quòd nullo impedimento dirimente matrimonium, in tali casu nulliter factæ ordinationis, teneatur; ob votum tamen simplex castitatis, quod fecisse censetur, suscipiendo Presbyteratum, licitè non contrahet.

In secundo Capitulo dicitur, quòd etiam, qui non est baptizatus (Baptismo Flaminis scilicet) salvari possit, si in fide Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Confessione Nominis Christi in Charitate decesserit, ob Baptismum Flaminis, qui ad salutem in tali casu illis sufficit.

In tertio Capitulo denique habetur, quòd non baptizatus (Baptismo Flaminis) ritè baptizari debeat, & post longiorem disputationem, utrùm ad Ordines, quas-

cunque

ante ſuſceptum Baptiſmum (Fluminis) bona quidem fide ſuſcepit, iterum ordinari debeat, concludit Pontifex juxta *cap. 1. h. t.* ex Concilio apud Compendium celebrato, ad omnes Ordines iterum ordinandum; tum quòd hoc tutius ſit, juxta eam propè omnium ſententiam, qui Baptiſmum Sacramentorum januam aſſerunt, præſertim Characteriſticorum; tum quòd non cenſeatur ita ratum, quod neſcitur, aut ambigitur eſſe factum, ut Pontifex ait.

TITVLVS XLIV.

DE CUSTODIA EVCHARISTIÆ, CHRISMATIS, ET ALIORUM SACRAMENTORUM.

DUobus Capitulis totus hic titulus abſolvitur, in quorum primo, quod deſumptum eſt ex Concilio Generali Lateranenſi, ſtatuit Innocentius III. ſub fideli cuſtodia, clavibus adhibitis, in curatis Eccleſijs (Parochialibus ſcilicet) Chriſma, & SS. Evchariſtiam aſſervanda (idem judicium eſt de oleo ſimplici pro extrema Unctione benedicto) ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per tres menſes, illius, cui cuſtodia talis incumbit, ſi ea incautè reliquerit; ac etiam ſub pœna graviore, ſi ob ejus incuriam gravius aliquid (furtum v. g. talium rerum, aut alia irreverentia gravis) contigerit.

In ſecundo Capitulo graviter invehitur hic ipſe in Concilio Generali Innocentius Pontifex, in eos Clericos, qui uſque adeò decorem ſuæ Eccleſiæ, & vaſorum ac paramentorum ad uſum Eccleſiaſticum deſtinatorum negligunt, ut horrori potiùs eſſe poſſint intuentibus, quàm ædificationi; præcipiens, ut omnia munda, & nitida conſerventur; nimis enim videtur abſurdum, ut ait hic Pontifex, in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis; & firmiter etiam prohibet, ne ſupellectilia (domus ſuæ aut alterius) profana, extra caſum urgentis neceſſitatis, hoſtilis ſcilicet incurſus, incendij &c. ad Eccleſias admittant, ex quibus domus Laicæ potiùs, quàm domus DEI appareant.

TITVLVS XLV.

DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM.

VT tollantur multi abuſus, ex ſuperſtitioſa vulgi nonnunquam devotione provenientes, ſtatuit Alexander III. Pontifex in *cap. 1. hoc tit.* non licere ullum pro Sancto venerari (aut cultum ei publicum, ut Sancto deferre) abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ (per ſolemnem Canonizationem in numerum Sanctorum eum referentis) ut multa ſcilicet ſcandala evitentur. Ad quæ vitanda in ſecundo etiam *Cap. hujus Tit.*

ſtatuit, ut Reliquiæ venales, non exponantur; ut antiquæ extra capſam ſuam non oſtendantur, aut extrahantur; & ne illi, qui devotionis cauſa accedunt, varijs figmentis, & falſis denuntiationibus decipiantur; & ut de novo inventæ (non quidem illorum, qui inter Sanctos jam relati ſunt, ſed eorum, qui à ſancta Sede nondum canonizati ſunt) publico cultui non proponantur, niſi priùs authoritate Summi Pontificis fuerint approbatæ.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Canonizatio?*
2. *Imagines inſolitæ, aut Reliquiæ venerationi exponendæ non ſunt, niſi approbante Epiſcopo.*

NOtandum primò. Canonizationem non aliud eſſe, quàm certum quendam ritum, quo Summus Pontifex declarat ac definit, poſt præmiſſam diligentem inquiſitionem ſuper vitæ morúmque probitate canonizandi, & miraculorum ab eo patratorum veritate, ac cauſa paſſionis (ſi in SS. Martyrum numerum referendus quis ſit) SS. numero adſcriptum talem, & ut ſanctum ab omnibus honorari, & coli poſſe, tacitè ſaltem approbando, ſi ex antiquo ut ſanctus honoratus fuit.

Notandum ſecundò. Trident. *Seſſ. 25 in decreto de invoc. & venerat. SS.* præcepere, ut non liceat alicui inſolitam imaginem in Eccleſia ponere, niſi ab Epiſcopo approbata ſit: nec novæ Reliquiæ ſint recipiendæ, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo. Quod decretum ita intelligi debet, non quidem quaſi poſſent Epiſcopi hominum non Canonizatorum Reliquias aut Imagines publicè colendas exponere aut rediis aliisve ſanctitatis inſignijs expoſitas permittere, ſed quòd antiquorum Sanctorum jam Canonizatorum, aut qui abimmemoriali tempore pro Sanctis ſemper habiti fuerant, de novo repertas Reliquias recognoſcere debeant priùs Epiſcopi, & approbare, antequam publico cultui exponantur.

TITULUS XLVI.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

QUibus diebus Jejunia, & quomodo obſervanda ſint, in hoc tit. ſtatuit Pontifex, de quibus plura in Theolog. Moral. L. 4. Tra. 8.

TITULUS XLVII.

DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

EX hoc tit. tantùm habetur, quòd fœminis in nova lege nullum certum tempus præſcriptum ſit, quo ab ingreſſu templi poſt partum abſtinere debeant, ſicut olim in antiqua lege præſcriptum fuit fœminis Hebræis. Servanda tamen eſt locorum conſuetudo.

* * *

TITU-

TITVLVS XLVIII.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS VEL REPARANDIS.

CAPITULUM I.

Quicunque.

PARAPHRASIS.

Statutum fuit in Concilio Moguntino sub Carolo Magno, ut quicunque beneficium Ecclesiasticum habet, omnino adjuvet ad recta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emundandas.

SUMMARIUM.

1. *Ecclesiæ possunt ædificari à quolibet, legitimo tamen consensu interveniente.*
2. *Ad quem spectet collapsarum, aut ruinosarum Ecclesiarum reparatio de jure antiquo?*
3. *Quid statuat in hoc casu jus novum Trid. Conc. lij?*
4. *Communiter tamen dicitur, tam circa Ecclesias, quam ædes parochiales, quæ eodem cum Ecclesijs censentur jure, attendendam loci consuetudinem.*

1 NOtandum primò. A quolibet quidem posse ædificari Ecclesiam (in proprio fundo scilicet, vel in alieno, fundi tamen domino tacitè saltem, & liberè consentiente) non tamen sine consensu Episcopi; aut si in loco exempto ædificetur, non sine consensu Summi Pontificis, uti patet ex *cap. 4. de Religiosis domibus cap. 14. §. præterea de privileg. & cap. 4. §. prohibens eodem in sexto.* 2 Collapsas autem aut ruinosas Ecclesias reparare, de jure antiquo spectat ad ipsam Ecclesiam, si pro fabrica certam redditu̅ portione̅ habeat *cap. 1. & 2 causs. 10 q 3.* vel si non habeat, aut non habeat sufficientem, ad Rectorem talis Ecclesiæ, & illius Ecclesiæ beneficiatos, si sustentationi suæ congruæ superflua habeant, pertinet, uti patet ex *h. cap. & cap. de his 4. h. t. ac cap. final. de his quæ à major. parte &c.* Cùm illius utique, qui de redditibus Ecclesiæ vivunt, & quibus parŝ ad fabricam spectans, fortasse concessa est, vel maximè incumbat, Ecclesiæ providere de redditibus, quos percipiunt ex Ecclesiæ bonis, necessarij tamen non sunt ad sustentationem congruam. Quin imò rectè putant aliqui, quamvis redditus omnes, quos percipit ab Ecclesia Rector illius, necessarij huic fortassis essent, non quidem ad vitam sustentandam, sed ad statûs sui decentiam, & conditionem, de his tamen sustentationi vitæ superfluis teneri parochum, aut beneficiatum ad reparationem Ecclesiæ, cùm status & decentia Ecclesiæ præferenda utique sint statui & decentiæ parochi, vel beneficiati talis Ecclesiæ. Quòd si tamen nec parochus nec beneficiati habeant, ut Ecclesiam reparare possint, tenentur ad illius reparationem parochiani omnes, qui in illa Ecclesia Sacramenta percipiunt; & quidem non tantùm plebei, sed etiam nobiles, & quicunque alij parochiani, aliàs à tributis exempti, pro ut docent communiter omnes *in cap. de his 4. h. t.*

3 Notandum secundò. Quòd hoc jus antiquum videatur in aliquo correctum *à Trident. Sess. 21. cap. 7. de reform.* dum dicit, Episcopis etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis incumbere, ut Ecclesias parochiales collapsas, etiamsi juris patronatûs sint, refici & innovari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscunque, ad Ecclesiam quo-

quomodocunque, pertinentibus: statuens insuper, ut si non fuerint sufficientes, omnes Patronos (ob ea scilicet, quæ patrono competunt, quamvis nullam ab Ecclesia illa pensionem habeant ut probabiliter *in relatum Trident. cap.* docent aliqui) & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs provenientes, percipiunt; aut in illorum defectum, parochianos, omnibus remedijs opportunis ad prædicta cogant, quâcunque appellatione, exemptione, & contradictione remotâ; concedens tandem licentiam Episcopis, ut si nimia egestate laborarent Ecclesiæ, ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferant, tum dictas parochiales, quàm alias Ecclesias directas; & facultatem dent in profanos usus (non tamen sordidos) erecta ibi cruce convertendi. Ita *Trident. l. c.* Communiter tamen omnes advertunt hac in re, & quæstione, quinam ad Ecclesiam talem reparandam (aut ædes parochiales dirutas, quas eodem jure censeri debere Cardinales Concilij Trident. Interpretes declarârunt) concurrere debeant, & quo ordine, consulendam esse loci consuetudinem.

CAPITULUM II.

Cùm dicat Apostolus.

Paraphrasis.

Graviter conqueritur Alexander III. in Concilio Lateran. quòd aliqui non tam, quæ JESU Christi, quàm quæ sua sunt quærentes, Leprosis, quis cum sanis habitare non possunt, neque cum illis, ad easdem Ecclesias convenire, peculiares Ecclesias, & cæmeteria non permittant, neque proprium Presbyterum, qui divina ipsis administret; præcipit proinde, ut communitati Leprosorum hæc talia non prohibeantur, ita tamen, ut injuriosi hi non sint veteribus Ecclesijs circa jura parochialia; neque enim, ut ait Pontifex, quod pro pietate illis concessum est, ad aliorum injuriam redundare debet; ad decimas tamen ex hortis suis, & nutrimentis animalium dandas cogi non posse.

Summarium.

1. *Leprosis, si plures eorum simul habitent, sua peculiaris Ecclesia, cæmeterium, & Presbyter, etiam intra limites parochialis Ecclesiæ concedi debet, sine damno tamen gravioris juris parochialium.*
2. *Privilegium Leprosis concessum circa decimas extendi non debet.*

NOtandum primò. Eò quòd leprosi cum sanis habitare non debeant, ne una cum morbida inficiat sanas oves, ut ait *Glossa in h. cap* statuit Concil. Lateran, ut suam sibi peculiarem Ecclesiam, & cæmeterium ædificare possint, etiam intra limites alterius Ecclesiæ parochialis, ubi plures in communi simul habitantes leprosi commorantur (fortasse decem, ut ait *Glossa v. tot.* vel enim pauciores, modò Ecclesiam velint dotare) quibus per proprium Presbyterum divina mysteria & Ecclesiastica sepultura ibi celebrentur; ita tamen, ut circa jura parochialia, decimas v. g. mortuaria, oblationes, primitias &c si horum aliquis usus est, grave præjudicium non inferatur veteribus Ecclesijs (quia etsi princeps alicui concedat ædificare in loco publico, hoc intelligitur facere sine damno alterius, *L. secunda §. si quis à principe ff. ne quod jus loco publico &c.* neque alterius inopia relevari debet cum alterius jactura *cap. 18. caus. 22. q. 2.*) quibus sua jura vult Pontifex integra, non in quantum in hoc *cap.* conceditur.

Notandum secundò. Privilegium concedi in hoc *cap.* leprosis, quòd cogi non possint ex hortis suis propriis, qui sunt in circuitu ædium suarum, & ad usum eorum deputati (aliter enim sentiendum esset, ut ait *Abbas in cap. hoc*, si longiùs distarent horti illi, vel fructus ex illis venderentur) & nutrimentis suorum animalium (de fœtibus scilicet suorum animalium, quos jactum

iterum hæc verba Panormit. *L. c.* ex communi aliorum intelligit) decimas solvant: quia tamen hoc privilegium, in quantum contra Ecclesiam, cui de jure communi solvi debeant decimæ, communiter odiosum esse censetur, hinc extendendum non est ad alia, v. g. leprosis propria prædia, neque ad hospitale commune leprosis, & alijs infirmis, cùm verba odiosa talis privilegij strictè sint interpretanda.

CAPITULUM III.

Ad audientiam.

Paraphrasis.

Intellexerat Alexander III. Pontifex, quòd in Archidiœcesi Eboracensi villa quædam, tantùm distaret ab Ecclesia parochiali, ut hyemali tempore, sine magna difficultate parochiani, ad Ecclesiam parochialem accedere non possint, neque congruo tempore divinis officijs interesse: horum proinde subditorum comotus incommodis, villæ illius dominus, & animarum illarum bono consulturus, petijt à Pontifice, liceret sibi in illa villa Ecclesiam ædificare, quam dotaturus esset, & in ea presbyterum constituere, qui villæ illius incolis divina administraret, cùm etiam ob abundantes redditus parochialis Ecclesiæ, ex villæ hujus obventionibus ademptis, magnum præjudicium, aut damnum passura non esset majoris Ecclesiæ illius Rector. Huic proinde piæ petitioni, ut deferat Pontifex, mandat Diœcesano Eboracensi, non tantùm, ut exstruendæ Ecclesiæ facultatem tribuat, si tamen veritate nitantur preces; sed ut in ea Sacerdotem instituat, ad præsentationem Rectoris majoris Ecclesiæ cum consensu patroni, ad suam sustentationem, obventiones illius villæ percepturũ, sublato appellationis obstaculo; ita tamen, ut competens honor Ecclesiæ matrici servetur, & si voluerit, impedire matricis Ecclesiæ Rector, aut presbyterum idoneum præsentare distulerit, Archiepiscopus nihilominus opus illud fieri curet, & presbyterum instituat.

Summarium.

1. *Si justa & legitima causa necessitatis exigat, potest intra limites parochialis antiquæ Ecclesiæ, nova ædificari etiam cum aliquo antiquæ præjudicio.*
2. *Sola tamen parochianorum multitudo non est sufficiens causa novæ parochiæ ædificandæ.*
3. *Sua tamen servari debet reverentia & honor competens matrici Ecclesiæ.*
4. *Rector habet jus præsentandi parochum in nova Ecclesia si ex ejus redditibus dos nova Ecclesiæ constituta fuit.*

NOtandum primò. Non posse quidem ordinariè intra limites alicujus parochiæ, novam parochialem Ecclesiam, cum præjudicio illius ædificari, *cap. 43. & cap. 44. caus. 16. q. 1.* posse tamen nonnunquam id fieri, si justa & legitima necessitatis causa hoc exigat (quòd scilicet magna sit difficultas, ob distantiam aut viarum incommoda ad parochialem Ecclesiam antiquam accedendi, pro percipiendis Sacramentis, & divinis audiendis, ex *h. cap.* & *Sess. 21. Trid. Concilij cap. 4. de reform.* patet, ita ut novæ Ecclesiæ presbytero ex redditibus antiquæ Ecclesiæ, si alia dos non adsit, & redditus antiquæ Ecclesiæ ita abundent, ut pro utriusque presbyteri congrua sustentatione sufficiant, portio sua assignetur, ex arbitrio Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicæ delegati, quidquid contradicat, aut repugnet antiquæ Ecclesiæ Rector. 1

Notandum secundò. Justam & legitimam causam novæ parochiæ intra fines alterius erigendæ, non esse solam magnam parochianorum multitudinem, quibus ad divina præstanda, unus presbyter parochus sufficere non potest (quo in casu *Trident. c. 1.* vult, ut Episcopi cogant eos, ad quos 2

cura animarum pertinet, tot sibi sacerdotes adjungere, quot ad divina ministeria administranda necessarij erunt) sed eam præcipuè, tam in *h. cap.* quàm relato *Trident.* loco assignari, quòd sine magna difficultate, & incommodo, ob locorum v. g. distantiam, vel ob viarum incommoda, ad matricem, sive antiquam parochialem Ecclesiam parochiani accedere non possint, ut congruo tempore divinis officijs intersint: quanta autem ea distantia esse debeat, & quæ incommoda, ut novæ tali Ecclesiæ ædificandæ locus detur, judicis (Episcopi scilicet) arbitrio relinquitur: prout ejus etiam arbitrio relinquitur, quanta multitudo, & necessitas esse debeat illius communitatis, cui nova Ecclesia conceditur: quamvis enim ex *cap. unico caus.* 10. *q.* 3. & ex *Glossa ibidem v. mancipia.* decem parochiani videantur sufficere ad novam parochialem Ecclesiam constituendam, rectiùs tamen de hac re judicabit Episcopus, cujus est suprema animarum suæ diœcesis cura.

3 Notandum tertiò. Velle tamen Pontificem, ut competens honor matrici Ecclesiæ servetur, & jus præsentandi novæ Ecclesiæ presbyterum ad Rectorem antiquæ Ecclesiæ parochialis pertineat, si ex redditibus illius Ecclesiæ, novæ Ecclesiæ presbytero dos, sive sustentatio fuit constituta, ita ut in tali casu dotatæ ab antiqua novæ Ecclesiæ patronus sit non tantùm, qui fundum pro Ecclesia ædificanda concessit, & cujus sumptibus Ecclesia nova ædificata fuit, sed etiam Rector antiquæ Ecclesiæ, ex cujus redditibus dos novæ Ecclesiæ constituta est, ut monet Glossa in *h. cap. v. Rectoris.* Et quamvis eadem Glossa putet v. *honor*, ut competens honor antiquæ Ecclesiæ servetur, prout cap. h. exigit, aliquid annuatim (censum v. g. aliquem moderatum ad arbitrium Episcopi) in signum subjectionis à nova Ecclesia antiquæ solvendum, rectiùs tamen alij judicant, nullo jure hoc probari posse, sed potiùs honorem hunc antiquæ Ecclesiæ servandum in eo consistere, quòd pro baptismo & sepultura major Ecclesia adiri debeat; quòd teneatur novæ Ecclesiæ parochus ad Capitulum Ecclesiæ matricis venire; quòd obligetur ad alia jura parochialia præstanda &c. *cap.* 2. *de Capel. monach. cap.* 10. *de præscript.*

CAPITVLVM IV.

De his.

PARAPHRASIS.

Rescribit Lexovienſi Episcopo Alexander III. Pontifex, quòd ad reparationem Ecclesiarum parochialium cogi debeant illi, qui proventus talis Ecclesiæ habent, ut si opus fuerit, de bonis talis Ecclesiæ ab illis superstint, conferant, ut eorum exempla cæteri imitentur. Vide de materia hujus juris *cap.* 1. *h. t.*

CAPITULUM V.

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

Ecclesiæ cujusdam Collegiatæ sæcularis Canonicus, postquam in Episcopum certæ cujusdam Ecclesiæ alterius assumptus fuit, desideravit, & à Pontifice petivit, ut in locum sæcularium Canonicorum, substituere in ea Ecclesia, ex qua in Episcopum assumptus fuit, Canonicos Regulares posset, ac simul Canonicorum Regularium in Ecclesia ea institutorum privilegia confirmarentur: obtinuit ab Urbano III. Pontifice, quod primo loco petijt, ut Canonicos scilicet regulares in ea Ecclesia, ex qua assumptus erat, in locum sæcularium instituere posset, ea tamen, ut ad hoc haberent licentiam diœcesani, & Clericis illius Ecclesiæ sæcularis, si adhuc superessent aliqui ad eius vitæ, vel in hac vel in alia Ecclesia de sustentatione necessaria provideat. Alterum verò, quod petebatur, circa confirmationem privilegiorum novis Canonicis introducendis concedendorum, sanctus Pontifex, concedere se de jure non posse

posse asserebat, cùm nulli adhuc essent Canonici, quibus privilegium concederet.

Summarium.

1. *Sæcularis Ecclesia Collegiata potest in Regularē mutari, non tamen vicissim, nisi in defectum Regularium & cum auctoritate Papæ.*
2. *Debet tamen etiam sæcularis Ecclesia, in Regularem mutatio fieri cum licentia Ordinarij, & sine præjudicio superstitum Clericorum sæcularium.*
3. *Non possunt quidem Ecclesiæ nondum existenti privilegia concedi, ut statim valeant; possunt tamen concedi, ut valere incipiant, postquam exstructa fuit.*

1 NOtandum primò. Quòd possit sæcularis Ecclesia Conventualis seu Collegiata, in regularem mutari, prout etiam habetur in *cap. si Episcopus 73. caus. 12. q. 2.* ob favorem scilicet Religionis, & quia Regulares strictioris observantiæ sunt, quàm Clerici sæculares: quæ causa etiam probat, quòd non possit Regularis in sæcularem mutari, nisi in defectu Regularium *cap. inter quatuor 5. de religios. dom.* & cum authoritate Papæ, prout docent *Abbas, Sylvester, Azor & alij.*

2 Notandum secundum. Velle Pontificem, hanc mutationem Ecclesiæ sæcularis faciendam esse in Regularem cum licentia Ordinarij; quamvis enim ad mutationem talem faciendam sola Papæ licentia sufficisset, vel etiam sine explicita Papæ licentia solius Ordinarij, sive Episcopi, placuit tamen à Pontifice mutationis hujus faciendæ licentiam petere, quò certior & magis firma esset illa mutatio à majori authoritate impetrata; & voluit etiam Pontifex requiri licentiam Episcopi, ut nihil præjudicare alicui velle videretur: qua etiam de causa, & ad vitandum superstitum Clericorum querelas, mutationem quidem fieri concessit, sub necessaria tamen conditione, ut de congrua sustentatione Clerici illius Ecclesiæ superstitibus provideretur.

3 Notandum tertiò. Non posse quidem rei nondum existenti, sive Ecclesiæ nondum ædificatæ, concedi privilegium, ut ex hoc tempore valeat, cùm ad valorem privilegij non minùs requiratur acceptatio, quàm ad donationem; res autem nondum existens acceptare utique non potest, potest tamen illi conferri privilegium, ut valere incipiat, postquam Ecclesia talis exstructa fuit, *argum. Leg. eum qui 41 ff. de rebus creditis*, & juxta *Glossam finalem hic v. non possumus.* Et quamvis Ecclesiæ vel Monasterio nondum exstructo legari possit, ut à morte legantis valorem suum accipiat legatum tale, postea ab hærede præstandum, ubi fuerit Ecclesia ædificata, cùm ad valorem legati talis non requiratur legatarij acceptatio; donari tamen propria authoritate nihil potest Ecclesiæ tali nondum exstructæ, cùm donatio speciem pacti habeat, ad sui valorem acceptationem requirentis.

CAPITULUM VI.

Tunos.

Paraphrasis.

Dubitabat Episcopus aliquis, an possit ob indigentiam populi, non sine magno incommodo ad divina audienda Ecclesiam antiquam accedentis, novam Ecclesiam intra fines parochiæ antiquæ ædificare, non obstante suo juramento, quod de rebus Ecclesiæ suæ non alienandis fecerat, cùm ex occasione novæ Ecclesiæ ædificatæ, diminutionem obventionum suarum passura esset Ecclesia antiqua, ad novam Ecclesiam confluentibus jam parochianis, qui in vicinia novæ Ecclesiæ habitabant. Interrogavit proinde ex Pontifice, utrùm impediatur à novæ Ecclesiæ ædificatione, juramenti sui, quod fecerat, obligatione, & responsum ab eo accipit, nullo modo intermittendam Ecclesiæ novæ constructionem populo in-

ſerviturum, propter juramenti ad hunc caſum ſe non extendentis religionem, eò quòd periculum ſalutis animarum, propter carentiam divinorum, meritò timeri poſſit.

NOtandum. Quæ circa novæ Eccleſiæ ædificationem, intra limites alterius antiquæ parochiæ ſtatuta ſunt, in *cap.* ſuprà dicta ſunt; & quòd juramentum ad hunc caſum novum & extraordinarium ſe non extendat, ubi animæ ſalus verſatur, & periculum illius meritò timetur, advertit etiam *Gloſſa hic v. juramenti.*

TITULUS XLIX.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, CÆMETERII, ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM.

CAPITULUM I.

Ut in domibus.

PARAPHRASIS.

Statuit in hoc *cap.* Pontifex, quòd judex ſæcularis, ſive legatus ille ſit Principis ſæcularis, ſive Comes, aut alius officialis, vel miniſter, in domibus Eccleſiarum, jus dicere, ſive judicare cauſas forenſes non poſſit; neque in talibus domibus hoſpitium ſibi vendicare, quaſi hoc pro conſuetudine ſibi liceret, ſed in publicis locis domos conſtituant, in quibus jus dicant, domibus habitare, & jus dicere, non potest tamen hæc talia licitè facere, quaſi jus aliquod hoſpitandi & judicandi in talibus ædibus publicâ authoritate, vel ex approbata conſuetudine habeat, niſi fortaſſis patrono, aut alteri de Eccleſia bene merito hoſpitium in talibus ædibus reſervatum cum authoritate Epiſcopi fuiſſet, *argum. cap. Eleutherius* 30. *cauſ. 18. q. 2.* prout etiam docet *Azor part. 2. l. 9. c. 9. q. 8.*

SUMMARIUM.

Judex ſecularis quando poſſit jus dicere in domo ad Eccleſiam pertinente.

NOtandum. Prohiberi in hoc *cap.* ne judex ſæcularis, aut jus dicat, lites forenſes decidendo in domibus, quæ ad Eccleſias pertinent, aut hoſpitium ad habitandum ſibi vendicet, publica auctoritate, quaſi hoc ex conſuetudine recepta ſibi debitum liceret, cùm talis conſuetudo velut onerosa Eccleſijs meritò improbetur: & quamvis ex charitate in his etiam ædibus Laico judici habitatio concedi poſſit, ac poſſit etiam in talibus ab Eccleſia conductis

CAPITULUM II.

Pervenit.

PARAPHRASIS.

Archiepiſcopo Tricenſi reſcribit in hoc *cap.* Pontifex Gregorius IX. nullum excuſari debere in caſu neceſſitatis à murorum contra hoſtem cuſtodia, ſub prætextu, quòd Eccleſiæ Romanæ aut diœceſis Tricenſis ſubditus ſit; ſed omnes ad hoc (niſi ſenes ſint) generaliter compellat, quatenus cunctis vigilibus, ut ait Pontifex (ſucceſſivè ſcilicet vel ſimul) melius valeat Civitatis cuſtodia procurari.

SUM-

SUMMARIUM.

Clerici quando teneantur ad defenſionem civitatis contra hoſtes?

NOtandum. Quòd textus hujus Cap. non quidem clarè & apertè de Clericis loquatur, quos à murorum Civitatis cuſtodia etiam contra pyratas maritimas eximit *cap. reprehenſibile 19. cauſ. 23 q. 8.* quia militum Chriſti eſt, ut dicunt hîc jura, Chriſto ſervire, & militum ſæculi, ſæculo ſervire. Et *in cap. non minus quarto h. t.* generaliter pronuntiantur Clerici ab oneribus publicis immunes, ut ne avocentur à divinis officijs: rectè tamen ex verborum generalitate, ex communi doctrina de privilegij ceſſatione, ubi gravis & non vulgaris neceſſitas urget, inferunt alij, neque Clericos in tali neceſſitate extraordinaria, à muris civitatis contra hoſtes tuendis excuſari; non quidem, quaſi per ſæcularem juſſionem ad hoc compelli poſſint, ſed per Epiſcopum ſuum, & ſine detrimento divini cultûs, cui relata in contrarium jura cavere volunt.

CAPITULUM III.

Indicatum eſt.

PARAPHRASIS.

Reſcivit Pontifex ruſticos quosdam ſive colonos (adſcriptitios Eccleſiæ, terræ hujus colendæ ſive glebæ perpetuò obligatos, de his enim *cap. h.* loquitur) rura Eccleſiæ, quibus colendis obligati ſunt, deſerere, & privatorum aliorum poſſeſſiones colere; tolerandum proinde hoc non eſſe deinceps, nec permittendum in *cap.* ſtatuit. Textus clarus eſt, & ubi tales adſcriptitij Eccleſiæ coloni reperiuntur, obſervandus.

CAPITVLVM IV.

Non minus.

PARAPHRASIS.

Gravibus verbis conqueritur in *h. cap.* Alexander III. Pontifex in Concilio Later. contra inſolentias Laicorum quorundam Magiſtratuum, qui Clericos & Eccleſias tot oneribus & exactionibus vexant, ut deterioris conditionis factum ſit hodie Chriſtianæ legis Sacerdotium, quàm fuerit olim profanum Sacerdotium ſub Pharaone, qui quamvis nullam divinæ Legis notitiam habuerit, ſuos tamē ſacrificulos gentiles, ſuæ libertati, in publica etiam famis neceſſitate reliquit: & rectiſſimè cum Jeremia Propheta lamentari poſſimus, quòd princeps Provinciarum facta ſit ſub tributo, dum univerſa propè onera, ad quamlibet neceſſitatem expediendam Eccleſiarum & Clericorum bonis imponunt, cum ingenti jurisdictionis laicæ, quæ ad bona Eccleſiaſtica ſe non extendit, abuſu, & Eccleſiaſticæ poteſtatis imminutione. Prohibet proinde Pontifex, ne inpoſterum hæc talia fiant, ſub excommunicationis pœnâ, tam ab eis Laicis, qui talia onera imponunt, incurrendæ, quàm ab horum fautoribus; niſi Epiſcopus & Clerus tantam neceſſitatem, vel utilitatem aſpexerint, cui relevandæ Laicorum facultates non ſufficiunt; quo in caſu per Epiſcopum ſubſidia Eccleſiarum etiam conquiri poterunt.

SUMMARIUM.

1. *Clericorum & Eccleſiarum immunitas ab importunis Laicorum Magiſtratuum exactionibus, non tantum in utroque jure poſitivo, ſed in jure etiam naturæ fundatur.*
2. *Quid fieri debeat circa tales exactiones, ſi neceſſitas, vel boni publici uti-*

litas urgeat, satis docet hoc Capitulum.

3. *Probabilius est, quòd neque in eo casu, quo necessaria videntur Clericorum contributiones ad onera, vel impedienda damna, tam Laicis quam Clericis communia, inconsulto Pontifice fieri possint.*
4. *Certum tamen est, quòd, nihil consulto Episcopo aut Pontifice, ad tributa obligentur Clerici eodem modo, quo Laici, si negotiationem exerceant.*
5. *Quando censeantur Clerici negotiationem exercere?*
6. *De pœna excommunicationis tam in h. cap. quam alibi statuta contra Laicos talia onera Clericis vel Ecclesijs imponentes, & horum fautores.*

1 NOtandum primò. Justissimam & sanctissimam fuisse Alexandri III. Pontificis, viri omnium scientiarum litteratura & virtutum splendore conspicui, quem S. Bernardus immensis laudibus exornat, & Concilij Lateran. ab eo convocati querelam, contra Laicorum quorundam Magistratuum importunam, & sine ullo justo titulo temerè assumptam in Clericos & Ecclesias jurisdictionem, vi cujus licentiam sibi arrogant, omni exactionum & onerum genere vexandi eas, cùm tamen non tantùm SS. Canones *hoc cap. 4. & cap. adversus 7. h. t. cap. 1. eodem in sexto cap. quamquam 4. de censibus &c. in sexto, Clement. un. de immunitate &c.* neque jura civilia tantùm *L. 2. cod. de Epis. & Clericis, Constit. Item nulla, quæ est Friderici Imperatoris post relatam legem posita*, non tantùm jura recentiora Trident. Concilij *Sess. 25. cap. 20. de reform.* sed jus naturæ etiam ab hac importuna, & nihil fundata jurisdictione, & exactione, velit esse eos immunes; prout satis innuit Pontifex, dum exemplum refert Pharaonis, suos sacrificulos ab omni onere eximentis, solius scilicet naturæ ductu, in communi totius Ægypti necessitate, alimoniam ex publico illi potiùs assignando, quàm ut eorum bona tributaria faceret, quamvis aliorum subditorum bona suo fisco pro coemendo frumento addixerit. Neque sub prætextu necessitatis, aut utilitatis boni publici ampliùs aliquid Laico Magistratui in Clericos & Ecclesias competit, cùm in hoc *cap.* uti & in pluribus alijs, cautissimi Pontifices, quid circa exactiones publicis necessitatibus relevandis necessarijs agendum sit, prudentissimè præscripserint, ut nec necessitatibus talibus sublevandis deessent ab Ecclesijs etiam Clericis collecta media, neque tamen immunitas etiam pateretur; mandantes (scilicet, ut ubi judicaverit Episcopus cum suo Clero (cum suo scilicet Cap. Cathedrali, cui regulariter à Clero toto commissa potestas centetur, talia negotia ad Clerum omnem spectantia decidendi) non sufficere facultates Laicorum (communes scilicet civitatis v. g. facultates) relevandis publicis necessitatibus, aut utilitatibus, subsidia per Ecclesiam conferantur, non quidem juxta voluntatem, aut exactionem Laicorum, sed ad voluntatem, & imperium Episcoporum, cum Pontificis consensu (si tamen negotium moram patiatur consulendi Pontificis; in casu enim, quo Pontifex consuli non posset, eò quòd in mora sit periculum, sufficeret solius Episcopi consensus & imperium) habita tamen priùs cum Clero consultatione; & si continuanda foret talis exactio, consulendo pollmodum Pontificem, ut ait Suarez.

Notandum secundò. Putare quidem multos, in eo etiam casu contribuendum esse Clericis, nihil interrogato Pontifice, ad Laicorum voluntatem, quando proximè (scilicet imminens, aut præsens necessitas, æquè directè ac immediatè bona Ecclesiarum & Ecclesiasticorum respicit, ac Laicorum, ut cùm contra Fidei aut patriæ hostes, omnia bona sine discrimine devastantes, collectæ sunt necessariæ, aut cùm hæ necessariæ sunt ad commune malum avertendum, eluvionis v. g. vermium &c. quibus tam Ecclesiarum quàm Laicorum prædia destruantur. Rectiùs tamen & communiùs alij putant, etiam in hoc casu contributiones

tiones tales à Laicis exigi non posse, Pontifice non prænonito, & sine hujus licentia, cùm jura universaliter loquantur *cap. adversus 7. h. t.* consulendum priùs Pontifici, quandocunque in casu necessitatis à Clericis contribuendum sit, ex Episcopi, & ipsius Cleri judicio; nisi periculum esset in mora, prout in superiori notando jam animadversum, ubi solius iterum Episcopi consensus & imperium sufficit, habitâ priùs cum Clero consultatione.

4 Notandum tertium. Facilè concedere omnes; à Clericis, etiam nihil consulto Pontifice, aut Episcopo, tributa solvi debere juxta Laicorum exactiones, si scilicet negotiationem, quæ pluries etiam in SS. Canonibus Clericis prohibita est, exerceant: hoc enim in casu certum est, quòd ex rebus per negotiationem acquisitis, aut quas negotiationi exponunt, ad omnia talibus negotiatoribus imposita, & consueta onera, instar Laicorum obligentur; æquum enim est, ut qui negotiationum lucris inhiant, negotiatorum etiam onera ferant, prout expressè etiam decidit in *cap. quamquam, de Cens. in sexto.* & colligitur *ex cap. ex litteris fin. de vita & honest. Clericorum*: Et quamvis in *hoc fin. cap.* trina prærequiratur monitio, puto tamen, hanc non requiri in ordine ad libertatem à tributis amittendam, quàm ipso facto, ut ait Pontifex, abijciunt, sed ut alijs etiam privilegijs fori & Canonis, & exemptionibus à statutis patriæ

5 priventur. Tum autem censeberis negotiationem, Clericis prohibitam, & tributis subjectam, exercere, cùm exemptione, formaliter accepta, lucrum intendis, res v. g. emendo ex hoc fine, ut eas vel immutatas, in loco tamen, & tempore, cùm majore pretio vendi possunt, vendas; vel mutatas quidem, labore tamen & opere ministrorum ad hoc à te conductorum: hinc negotiationem non exercent illi, qui vel omnia bona sua, vel bonorum suorum sive patrimonialium, sive Ecclesiasticorum fructus vendunt; vel vendunt iterum, quod sibi sustentandis coëmptum, superfluum est; aut suâ industriâ, vel prædiorum suorum sumptibus, in hanc formam redacta majoris pretij effecerunt &c. cùm in istis casibus ab his vendentibus, non ex ipsa emptione formaliter accepta lucrum quæratur, sed lucrum illis eveniat, vel ex fructibus suis aut suorum prædiorum, vel quòd talia non emerint, animo revendendi, quem animum tamen negotiatio ista, propriè dicta requirit.

Notandum quartò. Statui quidem in 6
hoc cap. pœnam Excommunicationis, tam in eos Laicos, qui onera talia Ecclesijs aut Ecclesiasticis imponunt, quàm in eorum fautores, qui scilicet auxilium, consilium, aut favorem ad tales iniquas exactiones præstant, & non tantùm in pluribus SS. Canonum textibus, ac in Bulla Cœnæ singulis annis hanc sententiam Excommunicationis ferri, & mandari contra cujuscunque conditionis Laicos talia tributa, & tales exactiones, absque Romani Pontificis speciali ac expressâ licentiâ, Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis, ac eorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, fructibus, proventibus, & reditibus imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, vel sic imposita (ut imposita scilicet à Magistratu Laico) etiam à sponte dantibus accipiunt (de qua Bullæ excommunicatione videri potest *Suarez de censuris sect. 2. n. 99. & sequentibus, Bonacina tom. 3. de censur. disp. 1. q. 19.*) à qua absolvi non debeant, quamvis officium jam deposuerint, donec competentem fecerint satisfactionem, restituendo ea, quæ iniqua tali exactione, officij tempore, in bonum cujuscunque alterius sæcularis, Principis, aut Communitatis extorserunt, prout etiam *Abbas in cap. adversus 7. n. 3. & 8.* docet, ita ut si sæcularem v. g. Principem, ad cujus favorem tales exactiones fecerunt, ad restituendum inducere non possint, ipsi officiales, qui talium exactionum fautores, aut causa fuerunt, ex suo satisfacere debeant, prout iterum advertit *Abbas l. 6. n. 9.* & colligunt

gunt authores ex *cap. adversus.* Hæc inquam, statuunt quidem jura in *hoc cap. non minùs*, praxis tamen utrùm ea observet, viderint illi Prælati Ecclesiastici, quibus in *Extravag. quod olim hoc tit. inter communes.* decreta Conciliorum in *cap. non minus 4. & in cap. adversus 7. hoc tit.* observanda sub interminatione gravissimæ pœnæ præcipiuntur.

CAPITULUM V.

Cum Ecclesia.

Paraphrasis.

Rescivit Lucius III. Pontifex, quòd in Ecclesijs & Cæmeterijs (quæ eodem privilegio gaudent cum Ecclesijs, ut ait *Glossa hic V. Cæmeterijs*) causæ criminales tractentur, in quibus de sanguinis effusione, vel pœna corporali decernitur: cùm autem Ecclesia secundùm Evangelium domus orationis esse debeat, & tutela refugij, ut ait Pontifex, fieri non debet spelunca latronum, & forum sanguinis: & hinc sub interminatione Excommunicationis (inferendæ scilicet per judicem Ecclasiasticum) prohibet, ne hæc talia criminalia judicia in Ecclesijs, vel cæmeterijs tractentur.

Summarium.

1. *Satis quidem certò colligitur ex hoc cap. quòd causæ Sanguinis in Ecclesijs, aut Cæmeterijs agi non possint.*
2. *Nullibi tamen in Iure Canonico reperitur prohibitum, ne judicia Ecclesiastica in Ecclesijs expediantur: quamvis decentius, & convenientius sit, hæc v. g. in palatio Episcopali, aut alibi extra Ecclesiam expediri.*

1 NOtandum primò. Rationem prohibitionis pontificiæ satis exprimi in *relat. cap.* quòd scilicet Ecclesia domus orationis esse debeat, & tutela refugij, & consequenter non sit pro conditione aut reverentia loci sacri, forum illud fieri cruentarum sententiarum & judiciorum criminalium, ubi de sanguinis effusione, aut pœna alia corporali infligenda agitur. Et quamvis nec ex verbis textûs, nec ex ratione satis colligatur, quòd judicia Ecclesiastica, in quibus de puniendis Clericorum criminibus agitur, in Ecclesijs aut Cæmeterijs prohibita sint; imò potiùs his faveat *cap. præceptum 6. can. 7. q. 2. & cap. qua fronte de appellat.* cùm per talia judicia nec forum sanguinis Ecclesia fiat, & omnia minore strepitu expediantur, quàm judicia criminalia sæcularia: fatentur tamen communiter Authores, uti videre est apud *Suarez l. 3. cap. 4. n. 11.* decentiùs hæc, & convenientiùs expediri in palatio Episcopali, vel alio in loco extra Ecclesiam, cùm Ecclesia sit domus orationis, non autem jurgiorum, prout etiam in *cap. qua fronte* jam notatum, & in *cap. 2. hoc tit. in sexto* infrà dicetur.

CAPITULUM VI.

Inter alia.

Paraphrasis.

Ex Papa Innocentio III. Rex Scotiæ quæsivit, utrùm fugientes ad Ecclesiam defendi debeant. Respondet proindè huic quæstioni Pontifex, juxta SS. Canones, & legum civilium traditiones distinguendum esse: vel enim fugiens ad Ecclesiam liber est, vel servus; si liber est, quantumcunque gravia delicta commiserit, ab Ecclesia, ad quam ut asylum confugit, violenter extrahendus non est, nec ad mortem, aut corporalem pœnam damnandus, sed obtenta per Rectores Ecclesiarum vitæ & membrorum incolumitate, ac integritate, aliâ legitimâ pœna (pecuniariâ v. g. ut ait *Glossa hic V. puniendus.*) puniri debet, nisi publicus latro vel nocturnus populator agrorum sit, aut publicas vias obsideat suis insidijs, qui ab Ecclesijs etiam nulla de-

fensione

fensione aut impunitate præstita extrahi ad pœnam debent : si verò servus sit, qui ad Ecclesiæ asylum confugit, & dominus ejus de impunitate personæ illius, juramento caverit, ad servitium suo domino reddi debet, & invitus cogi potest; aliàs à domino propriâ authoritate occupari poterit.

Summarium.

1. *Qui post crimen commissum confugit ad Ecclesiam, tanquam asylum, extrahi inde violenter non potest, nisi in casibus de Iure aut æquivalente consuetudine exceptis.*
2. *Hæc asyli immunitas non est quidem in novo testamento juris Divini, aut juris naturæ, recte tamen ab utroque jure positivo humano statuitur.*
3. *Quænam Ecclesiæ, aut pia loca, hac immunitate asyli gaudeant?*
4. *Non tantùm fideles baptizati, quamvis sint excommunicati, interditi &c. sed infideles etiam, in criminibus non exceptis, ad Ecclesiam confugientes, hac immunitate gaudent, saltem si seriò converti velint.*
5. *Etiam Rei in causa civili hac immunitate gaudent, si ad Ecclesiam confugiant.*
6. *Quinam casus censeantur excepti de jure antiquo, ita ut qui eos incurrerunt, non gaudeant immunitatis hujus asylo?*
7. *Quinam exempti censeantur, post bullam Gregor. XIV. qui totam hanc immunitatis materiam ad certam formam reduxit?*
8. *Ita tamen, ut locum etiam habeant privilegia circa hanc immunitatem post dictam bullam concessa, aut consuetudo introducta.*
9. *Probabile est, quòd etiam Clerici in criminibus non exceptis hoc immunitatis privilegio contra suum Ecclesiasticum Magistratum gaudeant, saltem si ad aliam Ecclesiam, cujus membra non sunt, confugiant; probabilius tamen est contrarium.*
10. *Certius tamen est, quòd extrahi in criminibus non exceptis, Clericus non possit, ut judici sæculari puniendus in corpore, vel vita tradatur.*
11. *Modus, qui extrahendo reo in crimenibus exceptis adhiberi debet.*
12. *Pœnæ civilis juris, contra violantes hanc immunitatem hodie fortassis non amplius sunt in usu, obtinent tamen adhuc pœnæ & censuræ Canonicæ.*
13. *Quæ sint commoda & effectus hujus immunitatis.*

NOtandum primum. Quòd ex *hoc cap.* 1
generalis regula deducatur, quòd nullus reus propter crimen qualecunque, si ad Ecclesiam tanquam ad asylum confugit, inde violenter extrahi possit, nisi in casibus de jure communi, aut æquivalente consuetudine exceptis. Et quamvis hæc sacri hujus asyli immunitas nec Divino Jure (in novo saltem Testamento) nec naturali statuta sit: constituta tamen est tam Jure Civili, quàm Canonico *Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt, & Authen. de mandat. Princip. cap. id constituimus, caus. 17. q. 4. cap. sicut antiquitus, cap. reum cap. si quis contumax, & cap. definivit ibidem.* Nec ta- 2
men propterea dici potest, hoc jus asyli adversari bono publico reipublicæ, cujus interest crimina non manere impunita, cùm per eam non omnis pœna delicto debita tollatur, sed ea tantùm, quæ reverentiæ loci videtur obesse, & minùs liberam ac securam Deo supplicandi, & delictorum veniam petendi orationem reddere. Certè si principum statuæ aut palatia, talis nonnunquam asyli immunitate de Jure Civili gaudeant, cur non etiam hæc concedatur pijs ac religiosis, & Divino cultui destinatis Ecclesijs, aut similibus pijs locis? Videatur *Theolog. Moral. L. 4. t. 9. cap. 3. n. 1.*

Notandum secundum. Gaudere hoc ju- 3
re asyli non tantùm Ecclesias consecratas,

sed etiamsi nondum consecratæ sint, modò sint authoritate Episcopi benedictæ, vel ad usum publicum sacrum (per primi v. g. lapidis, Episcopo approbante, factam positionem, & Crucis erectionem &c.) ad Divina officia ac sacrificia &c. deputatæ *arg. cap. Ecclesiæ 9. hoc t.* quamvis nondum Divina officia in illis celebrata fuerint, neque sacra Eucharistia ibi asservetur; quamvis sint interdictæ Ecclesiæ illæ, aut dirutæ (non tamen authoritate Episcopi in profanum usum redactæ) vel pollutæ, & nondum reconciliatæ &c. cùm Pontifex absolutè dicat, Ecclesias Divinis obsequijs dedicatas (id est destinatas authoritate Episcopi, ut communiter intelligunt Auctores) gaudere immunitate hac. Videatur *Theolog Moral. l. c. n. 2. & 3.* ubi etiam habetur, quòd hac immunitate gaudeant (de jure scilicet, quicquid sit de praxi) Ecclesiæ, non tantùm quoad internum suum ambitum, sed etiam quoad totam fabricam tam exteriorem, quàm interiorem, quoad sacristiam scilicet, quoad porticum, quoad atrium, quoad tectum, quoad turrim &c. aut quolibet modo Ecclesiæ adhærentia, uti dicitur in *cap. siquis contumax cauſ. 17. q. 4.* ubi *Gloſſa. v. adhærentibus* allegat legem *ff. de rei vindicat.* ubi dicitur, quæ Religiosis adhærent, religiosa sunt. Et quamvis Ecclesia non violetur per casus violantes Ecclesiam, si in tecto ipsius vel sacristia &c. committantur: consuetudo tamen optima legum interpres, favorabilem hanc immunitatis extensionem admittit, non autem odiosam [illegible]tionem. Illam tamen extensionem immunitatis hujus, quam jura ad circuitu Ecclesiæ 40. passuum concedunt, fortè hodie non fatebitur consuetudo, ad cæmeterium propè Ecclesiam, authoritate Episcopi pro sepultura fidelium destinatum, asylum hoc restringens. Rectiùs tamen ad monasteria Religiosorum secundùm totum ambitum (non tamen ad villas tantùm eorum, ad usum quidem monasterij, vel Religiosorum recreationem conducentes, separatas tamen à monasterijs) hospitalia authoritate Episcopi erecta, Episcoporum palatia (uti habetur in *cap. ità constituimus cauſ. 17. q. 4.* juncta *Gloſſa v. Domo*) aut Cardinalium (saltem extra urbem & suum Ecclesiasticum, ut advertunt Authores post Bullam Gregorij XIII. & Sixti V.) hanc immunitatem extendunt: quin imò ad Sacerdotem, qui SS. Eucharistiam deportat, aut sub umbellam, sub qua sacer hic Cibus deportatur, confugiens, hac immunitate gaudere videtur, cùm non minor reverentia huic Eucharistico Ferculo debeatur, quàm Ecclesijs, ubi Eucharistia consecratur, & asservatur &c.

Notandum tertium. Gaudere hoc immunitatis asylo omnes ad Ecclesiam confugientes, non tantùm fideles & baptizatos, quamvis interdicti, & excommunicati sint; sed etiam hæreticos (quoad crimina ab Hæresi distincta, & non excepta) & Infideles, Paganos, ac Judæos; modò seriò converti velint, ut requirunt Jura Civilia; qualiacunque crimina commiserunt, modò non commiserint crimina de jure vel consuetudine excepta, cùm jura hanc immunitatem concedentia, universaliter, absolutè, & indeterminatè, sine ulla personarum exceptione loquantur, uti patet ex *hoc cap. & ex cap. Reum. cap. si quis contumax. cap. definivit &c. cauſ. 17. q. 4.* & immunitas hæc non Ecclesijs propter personas, sed personis propter Ecclesias concessa sit.

Dubitari tamen adhuc hîc potest primò, Utrùm hac etiam immunitate gaudeat reus in causa civili, qui reus debendi dicitur, sive debitor, si ad Ecclesiam debitis gravatus v. g. contra suos creditores confugiat. Quòd hic talis, si ob crimen aliquod commissum, quod non est exceptum, ad Ecclesiam confugiat, inde extrahi non possit ad pœnam corporalem violenter, satis certum est, etiamsi per accidens creditores propterea in debiti sui solutione patiantur; neque enim inter crimina excepta habetur quodlibet crimen illius, qui debitis gravatus est. Utrùm autem hac immunitate gaudeat, si præcisè propter debita civilia

v. g.

v. g. ad Ecclesiam confugiat, non conveniunt Auctores: probabiliùs tamen illi loquuntur, qui gaudere hunc talem immunitatis asylo asserunt, prout communiter docent Auctores, & clarè sumitur ex *L. 1. & ult. Cod. de his, qui ad Eccl. confugiunt:* quamvis enim reis hoc immunitatis asylum concedatur, reorum autem nomine in rigore putent aliqui eos venire tantùm, qui criminaliter in judicium vocantur; rectiùs tamen alij in hac materia Ecclesiæ favorabili, tam strictam interpretationem admittendam non putant; præsertim cùm in jure omnes illi reorum nomine veniant, qui coram judice conveniuntur. Videatur *Theol. Moral. l. c. n. 5.*

6 Dubitari potest secundò. Quinam casus excepti habeantur, ita ut hoc immunitatis asylo non gaudeant, qui illorum criminum rei sunt, quamvis ad Ecclesiam confugerint? Respond. de jure quidem antiquo varia crimina recensèri, ob quæ, qui talia commiserunt, quamvis ad Ecclesiam confugerent, hac asyli immunitate non gaudeant. Sic primò certum est ex *cap. ult. hoc tit.* quòd hac immunitate non gaudeant, qui crimina gravia in ipsa Ecclesia commiserunt, cùm in Ecclesia, ut ait *textus*, delinquens, frustra illius auxilium imploret, & in eo puniri quis debeat, in quo deliquit: sive deinde, ut juris interpretes explicant, spe immunitatis in Ecclesia peccaverit, sive nulla haberi debeat talis præsumptio; sive in Ecclesia existens, telo aut globo, extra Ecclesiam existentem occiderit, aut mutilaverit (quod in *cap. ult.* expressum crimen est, immunitate non gaudens) sive ipse extra Ecclesiam existens, globo vel telo intra Ecclesiam existentem occiderit, aut mutilaverit. Et quamvis probabilis sententia putet, ob alia crimina, etiamsi quis in Ecclesia commiserit, modò non commiserit homicidia, vel mutilationes (mutilationem scilicet membrorum, non autem meram vulnerationem, aut partium, quæ non veniunt nomine membri, ut Theologi Morales explicant) quòd hic talis immunitate gaudeat, cùm inter crimina excepta, homicidium quidem in Ecclesia commissum, aut membrorum mutilatio numeretur *cap. ult. hoc tit.* non tamen alia crimina: rectiùs tamen alij dicunt, ob rationem legis, etiam alia gravia crimina in Ecclesia commissa excepta haberi, ut committens ea in Ecclesia, Ecclesiæ asylo non gaudeat, quamvis ad aliam Ecclesiam, in qua non peccavit, confugerit; cùm indignum sit, eum Ecclesiæ favore defendi, qui in Ecclesiam tam graviter deliquit, & quæ posita sunt in *cap. ult. hoc tit.* crimina tantùm posita sint exempli gratia. Illud tamen non negaverim tanquam probabilius, gaudere hac immunitate eos, qui propè Ecclesiam existentes, spe immunitatis statim obtinendæ, homicidia aut alia gravia delicta commiserunt, postmodum ad Ecclesiam confugerint, cùm neque verba legis, neque ratio *Capituli ult. hoc tit.* ea excipiant.

Sic certum est secundò: excipi in *hoc cap.* inter alia, quò minùs asyli gratiâ gaudeant, publicos latrones, qui suis insidijs vias publicas obsident ad occidendos homines, nocturnos agrorum depopulatores, Straßen und Land-Rauber: & ex *cap. 1. de homicidio* qui per industriam sive ex proposito ac per insidias occidit aliquem, & juxta *cap. 1. de homicidio in sexto.* qui per Assasinum (quorum ex Syria oriundorum ea erat professio, ut ad Regis sui mandatum occiderent quemlibet) alium occidi jubebat, etsi effectus secutus non fuisset; ac juxta jura civilia, non proderat immunitatis privilegium hoc, Homicidis, Adulteris, Virginum Raptoribus &c. sicuti nec prodest juxta consuetudinem furibus ad Ecclesiam confugientibus, ob nimiam sæpiùs criminis hujus frequentiam: & juxta aliquos non prodest illis, qui rei jam capti ex custodia carceris, vel manibus ministrorum sese extrahentes ad Ecclesiam confugiunt, quamvis sub juramento promiserint in arresto manere &c. Quia tamen hæc pleraque apud Auctores dubia

sunt, & vi præsumptorum privilegiorum aut consuetudinis introductæ multùm & sæpiùs immunitas asyli à Laico magistratu
7 lædebatur, statuit Gregorius XIV. in *sua Bulla. Cùm aliàs* ob varias inconvenientias circa hanc immunitatis materiam, ut omnibus privilegijs & consuetudine abrogatis ad certam formam inposterum servandam, hæc immunitatis materia reduceretur, ita ut Laicis ad omnia crimina hoc immunitatis privilegium, in locis recensitis, utile esse possit, nisi fuerint publici latrones; viarum grassatores, qui itinera frequentata, aut publicas strratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur; aut depopulatores agrorum; quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, earúmve cæmeterijs committere non verentur; aut qui proditorie proximum suum occiderint; vel assasinij, aut hæresis, aut læsæ majestatis in ipsius principis personam, rei sunt (cùm hæc crimina vel maximè censeantur bono publico reipublicæ alicujus adversari) ita ut hoc sacri asyli privilegio non gaudeant contra suos judices sæculares, servata tamen rigorosa verborum, & criminum admissorum proprietate; neque liceat ex sola identitate extensionem ad casus non expressos, aut qui non veniunt sub verborum proprietate rigorosa, facere, ob odiorum restringenderum regulam, ac certam formam observandam, quam statuit Pontifex, & consequenter multa utilissima corrollaria ex relatis Bullæ verbis deduci à quolibet immunitatis Ecclesiasticæ amante poterunt. Videantur Auctores, qui fusè hanc immunitatis materiam tractant, ubi etiam videri potest, quòd Bulla Gregorij XIV. non ubique ex integro recepta sit,
8 & per privilegia post illam Bullam obtenta, aut introductam postmodum consuetudinem, limitationem multam patiatur.

Dubitari potest tertiò. Utrùm etiam Clerici contra suum magistratum Ecclesiasticum hoc immunitatis asylo gaudeant, si post delictum non exceptum commissum, ad Ecclesiam confugiant, ut ab ea ad pœnam Canonicam extrahi non possint invocati? Asserunt aliqui, saltem si ad Ecclesias, quarum membra non sunt, & casus exceptos non commiserint, fugiant: rectiùs tamen negant alij, asserentes, consuetudinem huic etiam negativæ sententiæ assistere, prout videre est in Theologia Morali *l. c. n.* 11. tum quòd judex Ecclesiasticus majorem auctoritatem habeat in Ecclesiam, ex qua reus extrahitur; tum quia in judicio Ecclesiastico non ita severè agitur ad pœnam corporalem, & publicam vindictam, sicuti in sæculari; tum quòd Bulla etiam Gregorij XIV. ubi ad certam formam hæc immunitatis hujus materia reducitur, tantùm Laicorum ad Ecclesias confugientium meminerit; tum quòd denique ex contraria sententia, multa inconvenientia sequantur. Illud tamen libenter concessero, extrahi a Clericum invitum ex Ecclesia, ad quam ob commissum delictum non exceptum confugerat, à suo Magistratu Ecclesiastico non posse, ut detur judici sæculari puniendus, quamvis crimen commisisset, propter quod judici sæculari puniendus tradi posset, nisi crimen hoc fuerit ex exceptis cùm tali modo non tantùm contra Gregorij XIV. Bullam, sed etiam contra naturam immunitatis delinqueretur.

Notandum quartò. Nullum quidem ut certum modum præscribi à jure antiquo, qui servari debeat in extrahendo reo ab Ecclesia, ad quam confugerat, si crimen aliquod exceptum commiserit: præscribit tamen talem in Bulla relata Gregorius XIV. qui servari debet, ubi Bulla illa etiam quoad posteriorem hanc partem recepta est, de qua utrùm in nostris partibus recepta sit, litigant Auctores. Certum tamen est primò, quòd reus, si volens à loco sacro discedat, & exeat, capi possit postmodum à Laico Magistratu, & pœna (corporali etiã) affici, absque læsione immunitatis Ecclesiasticæ, cùm jura tantùm dicant, violenter non esse extrahendum, ut advertunt Auctores. Secundò certum est, quòd capi non possit à judice sæculari, qui talter ad Eccle-

Ecclesiam confugit, si dolosè & fraudulenter ab Ecclesia, seu loco asyli fuit extractus, cùm fraus illa & dolosa extractio non tantùm violentæ æquiparetur, & dici non possit, quòd volens exiverit, qui dolo extractus fuit. Tertiò tamè certum etiam videtur, quòd possit aliquãdo reus, si causa justa subsit, ab Ecclesiastico Magistratu tradi sæculari judici, aut si servus sit, domino suo, exacto tamen priùs juramento aut simili cautione immunitatis à pœna mortis, & omni corporali, prout colligitur ex hoc *cap. & ex cap. id constituimus & cap. reum caus. 17. q. 4.* ac in *Theolog. Moral. l. c. n. 13.* jam notatum Imò probabile est, quòd in criminibus exceptis, etiam judex sæcularis, sine consensu & licentia Ordinarij, aut rectoris Ecclesiæ requisita, eos, qui ad Ecclesias confugerunt, extrahere de jure antiquo possit absque violatione immunitatis Ecclesiasticæ, cùm hanc licentiam ipsa jura concedant, uti colligit ex *cap. final. h. t. Covarr. & Julius Clarus*, asserentes communem hanc esse sententiam, & in praxi observari; post Bullam tamen Gregorij XIV. ubi certa forma hujus immunitatis observandæ, & reorum in criminibus exceptis extrahendorum præscribitur, non ampliùs hoc licere (saltem in illis partibus, ubi Bulla hæc etiam quoad posteriorem partem recepta est) cùm Pontifex statuat, ut ne delinquens Laicus, in casibus exceptis, à curia sæculari, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & interveniente persona Ecclesiastica, ab eo auctoritatem habente, capiatur, extrahatur, aut incarceretur (nisi in delictis expressis dictæ personæ requisitæ intervenire nolint) ita ut non tantùm ipsa extractio aliter facta juridicè nulla sit, sed omnes actus etiam consequentes, à Laico judice facti; cùm nulla sit hujus in taliter extractum jurisdictio: quæ omnia, uti plura alia, quæ in bonũ hujus asyli requirit ibi Pontifex, utrùm in nostris partibus recepta sint, viderint illi, quorum interest. Illud tamen certum est, quòd in dubio, utrùm ille, qui confugit ad Ecclesiam, crimen exceptum commiserit, dijudicare, & hoc decidere ad Episcopum pertineat.

Notandum quintum, Quamvis pœnæ civiles contra violantes hanc immunitatem, *Lege præsenti cod. de his, qui ad Ecclesias &c.* hodie fortassis non ampliùs in usu sint, & obtineant tantùm positivæ Canonicæ pœnæ, non tantùm quatenus obligatur, qui violentè extraxit, ad taliter extractum restituendum Ecclesiæ (non quidem eidem, ex qua extractus est, sed saltem alij loco pio, aut Ecclesiæ, ubi æquè tutus est) cùm injuria Ecclesiæ facta aliter reparari non possit; sed quòd alias etiam pœnas à sacris Canonibus, in tales sacrilegos, & injustos violatores latas incurrant, conformiter Decreto *Trident. Sess. 25. cap. 20. de reform.* & constitutioni *Gregor. XIV.* ubi omnes pœnæ & censuræ in tales violatores olim per SS. Canones, Concilia, aut Pontifices latæ, renovantur, ita ut ab his incurratur non tantùm pœna excommunicationis ipso facto, prout expressè statuit Gregor. XIV. sed antiquorum etiam Canonum pœnæ *cap. quisquis caus. 17. q. 4.* ubi statuitur, ut tales violatores in pœnam commissi sacrilegij, Ecclesiæ, cui injuriam fecerunt, 30. libras argenti purissimi solvant &c. Et quamvis pœna excomunicationis rectè ab Abb. statuatur etiam in eos, qui talem extractionem alteri suaserunt, mandaverunt, aut physicè ad eam cooperati fuerint, ob verba Bullæ generalia: probabile tamen est, pœnam hanc non incurri ab illis, qui minis tantùm gravibus, & verbis injuriosis reum induxerunt, ut ex Ecclesia egrederetur, & postmodum eum extra Ecclesiam constitutum ceperunt; cùm talis extractio nec violenta fuerit, nec injuriosa Ecclesiæ, prout apud, & cum *Bonacina* sentiunt *Abbas, Sylvester, Peregrinus, & alij.* Notandum denique sextò, effectus immunitatis 15
hujus, sive commoda & privilegia eorum, qui ad asylum hoc sacrum fugerunt, plura esse. Primò, quòd inviti extrahi non possint à Laico Magistratu (saltem si crimina excepta non commiserint, vel non sint servi propriè

dicti, seu mancipia, à domino aufugientes) prout expressè cavetur *in h. cap.* ubi dicitur, tales non esse violenter extrahendos: ita ut injustè extrahens sacrilegium committat *cap. sacrilegium caus. 17. q. 4.* & personæ Ecclesiasticæ ad vim vi reprimendam resistere possint; non quidem armis & gladijs defendendo immunitatem, quod non decet Clericos, sed fores claudendo, invocando brachium, & auxilium sæculare, per censuras ab Ordinario infligendas, ad desistendum à violentia, aut restituendum extractum urgendo &c. vel S. Augustini decisionem sequendo, qui de tali injustè extracto ad Bonifacium scripsit: *illa sum Ecclesiæ revoca, quæ vel irreligiosissimus rapuisti: oblatio verò domûs tuæ à Clericis ne suscipiatur, indicxi communionē tibi interdico, donec &c.* Extrahens verò ad omne damnum, quod ex tali injusta extractione extracto evenit, ex justitia reparandum obligatur. Secundò capi non potest, incarcerari, aut vinculis constringi in loco sacro *cap. definivit caus. 17. q. 4. & L. præsenti cod de his, qui ad Ecclesias &c.* Neque damnari potest, dum intra Ecclesiam existit, ad mortem: aut aliam gravem corporalem pœnam (de jure saltem, quidquid sit de praxi, de qua Farinacius in sua praxi criminali) quamvis pecuniariâ pœnâ affici possit, ut advertit *Abbas & ex h. cap.* colligit, ubi dicitur: *super hoc tamē, quòd iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus.* Tertiò prohiberi non potest, quo minùs ad eũ necessaria naturæ circa victum & vestitum deferantur *citat. lege præsenti*: neque rebus suis, quas secum ad immunitatis locum detulit, privari potest, nisi res illæ sint criminis occasio, aut prohibitæ ipsi, prout iterum colligunt AA. ex *cit. cap. definivit caus. & q cit.* Videatur etiam *Theolog. Moral. l. c. n. 13.*

* * *

CAPITULUM VII.

Adversus.

Paraphrasis.

Quod statutum fuerat in Concilio Lateran. & relatum *cap. non minus 4. h. t.* contra eos sæculares, qui Ecclesias & Ecclesiasticas personas, ac earum bona omni genere exactionum, & collectarum gravant, hic renovat Innocentius III. in Conc. Generali; prohibens hæc iterum sub pœna excommunicationis, annullando tales sæcularium sententias & statuta, immunitati Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum quoad tales collectas præjudicantia: insuper decernens anathematis sententiam durare, non tantùm dum in officio existunt, qui tales collectas extorserunt, sed tam ipsos, etiam postquam officio cesserunt, & restituere nolunt, ac hæredes eorum, illâ Ecclesiasticâ censurâ manere constrictos, donec satisfecerint. In casu tamen, quo Episcopus cum Clero absque ulla coactione, ad relevandas publicas necessitates & utilitates, subsidia Clericorum putaverint necessaria, poterunt quidem Laici humiliter ac devotè ea recipere, ad cavendam tamen multam, quæ sæpius intervenire possit, imprudentiam, voluit priùs consuli Romanum Pontificem.

Summarium.

1. *Confirmantur & extenduntur in h. cap. alia jura immunitatem realem Clericorum concernentia.*
2. *Bona Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum in triplici sunt differentia.*
3. *Sicuti etiam onera, de quorum immunitate Clericis, & Ecclesijs competente contra Laicum magistratum disputatur.*
4. *Quid de oneribus merè realibus, qua-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dominus proprietatis suo fundo imposuit, sentiendum?

5. *Quid de antiquis tributis, & oneribus, quæ stabiliter & perpetuò ex lege ordinaria fundis imposita sunt, in principis sustentationem, priusquam ad Ecclesiam talia bona devenerunt, sentiendum?*

6. *De quibus tributis & oneribus intelligi debeant SS. Canones, qui sæcularibus dominis tributa ab Ecclesijs, aut Ecclesiasticis soluta dicunt?*

7. *De mixtis oneribus quid sentiendum, circa bona, saltem quæ ab Ecclesiasticis titulo Ecclesiastico possidentur?*

8. *Argumenta quædam contraria sententiæ, quæ concedit bonis etiam titulo Ecclesiastico possessis ab Ecclesiasticis, onera hæc extraordinaria a sæculari magistratu imponi posse, nihil attendendo cautelas juris communis; ex titulo supremi dominij; ex plenitudine potestatis; ex eo, quod omnium subditorum bona, antequam ad Ecclesiasticos pervenerunt, tributaria sibi pro occasione necessitatum publicarum fecerit princeps v. g. desumpta refutantur.*

9. *Ostenditur neque juri naturæ contrarium esse hanc immunitatem.*

10. *Neque dici posse, quòd multarum sæcularium curiarum consuetudo contra immunitatem hanc probet aliquid.*

11. *Etiam Ecclesiæ & Ecclesiasticorum prædia nonnunquam obligantur, ad præstationes quasdem vehiculares.*

12. *Et advectigalia, pædagia, guidagia &c. solvenda ab itinerantibus &c.*

13. *Absque eo tamen, ut vis aliqua coactiva in Ecclesiasticos, ad hæc extorquenda Laico Principi competat.*

NOtandum primò. Multa circa hanc juris decisionem colligi posse, non tantùm ex illis, quæ suprà in *cap. non minus 4. h. t.* dicta sunt, cùm hoc *cap.* tantùm illius videatur confirmatio, adversus Consules, Rectores Civitatum, & qui Magistratum Laicum constituunt, ac statuta talia gravantia contra immunes à sua jurisdictione nulliter faciunt, clarè extensa; sed etiam ex *cap. Ecclesia S. Mariæ. cap. quæ in Ecclesiarum de constitution. cap. finali de rebus Eccl. non alienand. cap. bene quidem & multis similibus dist. 96.* (ubi statutis Laicorum Clericos non ligari innuitur) & ex *Lege cunctos populos cod. de Summa Trinitate*: ubi dicitur, si quid motu proprio à Laicis statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat favorem (multò magis si in præjudicium Ecclesiæ cedat) nullius esse firmitatis, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Extenditur autem hoc exemptionis privilegium Clericis competens, & eximios eos à jurisdictione Laicorum faciens, ad omnes Clericos, etiam in Minoribus constitutos, si ea observent, quæ à Trident. requiruntur ad privilegium fori, de quibus conditionibus *L. 2. Decretalium Titul. 2. de foro competente* agitur. Ad quæ tamen bona Ecclesiasticarum personarum hæc realis immunitas, de qua hîc Pontifex loquitur, se extendat, dubitant aliqui, qui Clericorum immunitatem extinctam, aut certè restrictam vellent. Ad clariorem proinde immunitatis hujus notitiam

Notandum secundò. Triplicis generis bona esse, de quibus quæri potest. Primi generis sunt illa, quæ peculiari aliqua consecratione, aut benedictione speciali modo Deo consecrata sunt, qualia sunt ipsæ Ecclesiæ, cæmeteria, vasa & instrumenta sacra ad Divini cultûs ministerium designata, ornamenta & paramenta Ecclesiarum &c. Et hæc ab omni onere civilium exactionum immunia esse facilè conceditur, cùm ad nullum usum profanum adhiberi possint, & res sacræ sint, ac nullo modo frugiferæ &c. Secundi generis sunt ea bona Ecclesiastica, quæ nihil specialis consecrationis v.g habent, à fidelibus tamen Deo & Ecclesiæ oblata sunt, ad ipsius Ecclesiæ necessitatem, consecrationem, ad ministrorum Ecclesiæ sustentationem, aut alios pios usus expendenda, qualia sunt prædia, fundi, horti,

horti, domus &c. ad Ecclesias pertinentia, uti & similia tam mobilia quàm immobilia bona Ecclesiarum. Tertij denique generis bona sunt bona ipsa Clericorum & personarum Ecclesiasticarum : & quidem alia temporali tantùm titulo ; alia spirituali obtenta, ut ex *titulo de peculio Clericorum* jam patet. De his secundi & tertij generis bonis quæritur, an immunia illa sint ab oneribus, quæ Laici præstare solent.

3 Notandum tertiò. Onera hæc etiam in triplici esse differentia. Alia dicuntur merè realia, quæ ipsis rebus, seu bonis independenter à personis, perpetuò & inseparabiliter adhærent, ex pacto v.g. aliquo, vel ex contractu feudali vel emphyteutico &c. vel per modum stabilis pensionis in gratiam alterius solvendæ &c. ab ipso domino proprietatis, aut cum hujus consensu, fundo v.g. alicui suo imposita. Alia sunt onera merè personalia, personis ipsis immediatè imposita, & ab his præstanda, independenter à bonis in territorio sitis ; qualia sunt non tantùm civilia tutorum, curatorum munera, sed etiam capitationes sive illæ exactiones, quæ in quamlibet personam jurisdictioni Principis subjectam, aut in tali patria lucrum ex opificio suo, famulitio, aut alijs civilibus functionibus facientem, imponuntur. Alia denique dicuntur onera mixta, quæ ex titulo jurisdictionis personis subditis imponuntur cum respectu ad bona, quæ possident, sive juxta bonorum, quæ possident, facultates, ita ut immediatè ipsas personas, in quas jurisdictio exerceri potest, mediatè verò bona illorum afficiant; qualia onera sunt tributariæ exactiones, steuræ, vectigalia, contributiones &c. & alia hujuscemodi horrida nomina.

4 Notandum quartò. Facilè concedi, quòd onera merè realia, quæ à domino proprietatis suo fundo, in feudum v.g. vel emphyteusin Ecclesiæ concesso, imposita fuerunt, vel quæ fundo suo imposuit liberaliter Dominus proprietatis, aut cum consensu hujus imposita fuerunt, in gratiam Principis v.g. sæcularis solvenda, & cum onere in Ecclesiam translata fuerunt, ab Ecclesia etiam sæculari Principi solvi debeant, non tantùm, quia res cum onere suo (merè reali) in quemcunque transit *cap. 5. de pign. & cap. 28. 33. de decimis*, sed quia per talem transactionem nec justitiæ ordo, nec liberalitas domini proprietatis everitur, qui sicuti fundo suo pro suo placito imponere potest onus, ita in Ecclesiam rem suam transferre potest, sub quibuscunque conditionibus (modò hæ non sint contra bonos mores, sicuti non est hæc obligatio ad certum aliquid ab Ecclesia præstandum Principi Laico) quæ si ab Ecclesia acceptentur, prout tale onus merè reale ab Ecclesia acceptari posse videtur *argum. cap. 32. de jure Patronat. & cap. 17. de censibus &c.* servari debent, & tales pensiones (sive quocunque modo nomines) Principi deinde solvi, non titulo jurisdictionis, quod subjectionem saperet, sed ex pacto, aut ex contractu &c. Et ex hoc capite videtur communiter dici, quòd antiqua tributa, sive ea onera, quæ antequam talia bona ad Ecclesiam pervenerunt, jam illis affixa fuerunt, stabiliter & perpetuò in necessariam v.g. Principis sustentationem solvenda (sive deinde abijsdo domino proprietatis liberaliter fundo suo in gratiam Principis onera hæc imposita sint; sive imposita sint primò ex lege universali & ordinaria jurisdictionis, quâ omnia subditorum bona in necessariam v.g. Principis sustentationem onerata stabiliter, & perpetuò fuerunt) ab Ecclesia etiam & Ecclesiasticis solvenda sint, si bona taliter onerata ad Ecclesiam pervenerint ; cùm nec præsumi possit de illis, qui hæc talia in Ecclesiam transtulerunt, quòd cum tali bonî communi, præjudicio & tanta mediorum ad bonum commune conservandum, ex prima Principis constitutione necessariorum, diminutione, transferre voluerint bona sua in Ecclesiam ; neque cogitari possit, quòd Ecclesia non tantùm cultrix justitiæ, sed in omnes liberalissima & gratissima talia onera justissimè imposita, detrectare voluerit, quæ Patronis suis Ecclesias fundantibus,

bus, dotantibus, aut ædificantibus ultrò etiam concedit, ut moderatas aliquas pensiones ab Ecclesijs v.g. fundatis solvendas sibi reservare possint *cap. præterea 13. de jure Patron.* & ut conditiones in fundatione talium Ecclesiarum possint apponere, ad quas obligetur Ecclesia (cum consensu Episcopi) *arg. cap. verum 4. de condit. juncta Glossa ac Barbosa in cap. primum de Cens. n. 4.*

Sicuti autem de his oneribus merè realibus, aut ab antiquo stabiliter & perpetuò impositis, intelligendi videntur illi SS. Canones, qui tributum ab Ecclesijs solvi asserunt Imperatoribus, aut alijs Laicis Principibus (ita tamen, ut fateri etiam debeamus aliquos Canones de eo loqui, quod factum est, non autem de eo, quod jure fieri potest, prout plures Canones intelligi possunt, qui tributa soluta asserunt ab Ecclesijs Principibus Gentilibus, vel alijs Ecclesiæ infestis Imperatoribus) ita alia SS. Canonum Capit. quæ videntur universaliter bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum ab omnibus oneribus tributorum, steurarum, & exactionum &c. asserere immunia, ad hæc merè realia, vel ab antiquo stabiliter, & perpetuò imposita, non videntur extendenda, cùm de extraordinarijs tantùm, & novis oneribus loqui videantur, uti clarè patet ex *cap. 4. & 7. h. t.* & ex *cap. 3. eodem in 6.* & quæ solvenda sunt ab Ecclesijs nō ex pacto, quo sub hoc onere licito & concesso delata sibi bona acceperunt, sed ex titulo jurisdictionis alicujus quasi Principi vel Magistratui sæculari in Clericorum bona (saltem quæ titulo Ecclesiastico possidentur) aliqua in aliquo casu jurisdictio competat, quam non tantùm SS. Canones simpliciter negant illis, quos obsequendi manet necessitas, non autem imperandi auctoritas, ut ait Pontifex in *cap. 10. de constitut. & cap. 12. de rebus Eccl. non alien. &c.* sed jus etiam divinum sæcularibus adimit, ut testatur Pontifex *in cap. quamquam 4. de censibus in 6.* & Trid. *Sess. 25. cap. 20. de reform.* ac Canonistarum & Theologorum sententia apud *Bonacinam tom. 3. disp. 1. q. 16. pun. 2. n. 5. & Thomam Del bene de immunitate cap. 1. dub. 2. sect. 1.* & plures pro hac sententia Auctores, Juris & SS. Scripturæ rationes afferentem.

Notandum quintò. Difficilem esse quæstionem ad onera mixta, num obligentur bona Ecclesiarum & Ecclesiasticorum (saltem quæ titulo Ecclesiastico à beneficiatis Clericis, aut Religiosis possidentur) vel quod idem est, an præter antiqua & ordinaria onera (de quibus modò dictum, & quæ à Jure nonnunquam Canonica & Patrimonialia dicuntur) ad omnia nova & extraordinaria onera (quæ à Jure nonnunquam etiam superducta, vel superindicta vocantur) prædijs & fundis sui territorij à Principe titulo jurisdictionis imponi sæpius solita, etiam Ecclesiastici ac bona Ecclesiasticorum obligentur. Qua in re certissima sententia videtur (ut omittatur longior in utramque partem, & fortassis inutilis discussio, cùm nemo facilè contrariæ sententiæ AA. ab opinione sua, sive errore dimoveat) vel nullam esse immunitatem realem Ecclesiasticam, vel certè ab his novis & extraordinarijs exactionibus, quæ Laicis rectè nonnunquam imponi possunt, immunia esse bona Ecclesiastica: si enim Ecclesiæ & Ecclesiastici ex bonis suis Ecclesiasticis ad onera merè realia, & ab antiquo de lege ordinaria imposita, sæcularibus Principibus solvenda, obligantur, ut priore notando concessum, consequenter ab his oneribus non habeant immunitatem, ergo quo ad hæc onera immunitas realis locum non habet: si autem dicas, reali tantùm immunitate gaudere eorum bona, si sine necessitate hæc onera imponuntur, nihil speciale habent præ Laicis (& consequenter nulla iterum erit immunitas realis) cùm neque Laicis imponi possint nova onera, & novæ exactiones extra casum justæ necessitatis, prout communis & certa sententia docet: si verò dicas, reali hac immunitate gaudere Clericorum bona, casu quo justa quidem causa sit exigendi à Laicis collectam, quæ tamen causa

nihil ad Ecclesias specialiter, & directè attinet, ad nati v. g. novi Principis solemnitatem, ad dotem filiæ Principis constituendam, in litrum pro redimendis urbibus, officialibus ab hoste captis &c. aut gaudere, casu quo onera talia imposita sunt ad communem quidem necessitatem sublevandam, cui tamen solæ Laicorum facultates sine magno eorum damno sufficiunt; vera quidem asseris, & sine dubio observanda, cùm non tantùm SS. Canones, & Bulla Cœnæ, ac recentiora Jura etiam Civilia, hanc saltem immunitatem bonis Ecclesiasticis tribuant *Authentica item nulla communitas cod. de Epis. & Clericis* (quidquid antiquiora aliqua Jura contradicant, ex hoc etiam solo capite nulla, quòd de rebus Ecclesiasticis specificè statuant) praxis tamen communissima (saltem in nostris partibus) contraria est, cùm ad omnia hæc etiam extraordinaria onera, si rationabilis causa videatur, ea imponendi, non secùs Clericorum, ac Laicorum bona concurrere debeant; & priùs nonnunquā Clericorum bona, quàm Laicorum excutiantur, ita ut nonnunquam magis Laicis favor & gratia Principis prosit, quàm Clericis à Jure Divino ordinata, utriusque juris sanctionibus stabilita, sub pœnis Canonicis etiam & Civilibus immunitas. Quidquid tamen sit de hac ratione, communissimo argumento, nunquam tamen soluto, probari potest, quòd Ecclesiæ & Ecclesiasticorum bona ab his novis & extraordinarijs exactionibus, quæ à sæcularibus Principibus ex causa justæ rationabilis, publicæ, ac communis, imò etiam gravis necessitatis, cui sublevandæ Laicorum opes non sufficiunt (ut omnia conjungam quæ ex parte causæ finalis, aut motivæ ad onera hæc imponenda concurrere possunt) sint immunia: si nullam habeat jurisdictionem in bona talia Ecclesiasticorum Laicus Princeps, vel Magistratus sæcularis, nulla etiam illis onera imponere potest; atqui nullam habet jurisdictionem in bona talia Laicus Princeps, aut Magistratus, ergo &c. Major certissima videtur, cùm enim hæc onerum extraordinariorum impositio sit actus jurisdictionis, consequenter illis bonis hæc onera à sæculari Magistratu imponi non possunt, quæ illius jurisdictioni non subsunt; sicuti nemo dixerit, quòd bonis & fundis extra suum territorium, & jurisdictionis terminos existentibus, onera talia imponere possit Minorem, quæ etiam certissima est, non tantùm probat immunitas realis, quam nemo negare potest, & probant certissima utriusque juris textus, ac axiomata, quibus dicitur, sacrata Deo nullis profanis usibus applicanda; bona velut accessoria sequi conditionem personæ, saltem quoad exemptionem; mutata qualitate personæ, mutari etiam qualitatem bonorum accessoriè connexorum &c. ac plures etiam rationes ex natura bonorum Laicalium & Ecclesiasticorum, & ex utriusque jurisdictionis differentia, ac plurimis denique absurdis desumptæ, quæ passim apud relatos videri possunt.

Ad hoc tamen argumentum dissolvendum sunt aliqui, qui non tam titulo jurisdictionis, quàm titulo suprem. dominij, quod in omnia sui territorij bona habet Princeps v. g. vel ex plenitudine potestatis hæc onera imponere Principem posse contendant; vel quod Princeps per statutum aliquod, antequam hæc bona ad Ecclesiam perveniant, omnia territorij sui bona sibi tributaria fecerit, & ad tributa quælibet præstanda obligaverit, ut cum hoc onere in Ecclesiam transiverint. Alij verò contendunt hoc Principem v. g. Laicum posse, eò quòd putent, dominos cum hac obligatione sua bona in Ecclesiam transtulisse, ut ad omnia onera à Principe justè imponenda sint obligata. Verùm plerosque hos falsis fundamentis, periculosis, & quæ nequaquam sui semper Authores sequi voluerunt, innitit apud relatos AA. videri potest. Certè titulus supremi dominij nihil juris tribuit Principi in bona illorum, quæ quamvis existant in illius territorio, non sunt tamen de illius territorio, sive non subsunt illius jurisdictioni, eò quòd non pertinent ad

ad personas illius jurisdictioni subjectas, qualia sunt bona Ecclesiæ & Ecclesiasticorum titulo Clericali possessa, cùm potestas illa, quæ Principi in casibus quibusdam in bona sui territorij competit, fundetur in titulo jurisdictionis & non conveniat alij, quàm habenti jurisdictionem, respectu eorum, in quos habet jurisdictionem, quam etiam supponit plenitudo potestatis, quæ utique ad eos extendi non potest, in quas nulla potestas Principi competit. Et quamvis fortassis hoc supremum dominium, quod nunquam Princeps à se abdicare censetur, probaret aliquid respectu eorum, qui ex gratia Principis speciali exempti sunt, & privilegiati, nihil tamen probat respectu eorum, qui à Superiore potestate suam exemptionem & privilegia habent. Dicere verò, quòd bona Ecclesiæ ad omnia onera à Laico Principe imponenda obligentur, eò quòd hæc bona priusquam ad Ecclesiam pervenerunt, tributaria sibi per statutum fecerit Princeps, cautela quidem *Bartoli* est *in Legem Rescripto §. finali ff. de muneribus.* quæ tamen ab omnibus reprobatur, ut ait *Baldus apud Azor* & ut ait *Jason apud Delbene*, quæ ab omnibus pro falsa & damnata habetur, ita ut ex validissimis Juristarum rationibus probari possit, ut ait apud hunc ipsum *Cardinalis Albanus*, grave piaculum committere eum, qui contrarium docet: imò nec ipse etiam Bartolus hanc suam opinionem in Consilio posteriùs dato sequi voluit, ut testatur Azor; & rectè quidem, non tantùm, quòd statutum tale (ut aliunde justitia statuti talis non impugnetur) reddens omnia prædia, & bona taliter tributaria in præjudicium etiam Ecclesiæ fit, indirectè saltem contra libertatem Ecclesiasticam (quæ statuta ab utroque Jure reprobantur, *authent cassa cod. de SS. Eccles. cap. 10 de constit. Eccl. cap 49. & 53. de sent. excom.* & pluribus hujus tituli juribus, ac demum *in cæn. 14. Bullæ Cœnæ*) sed quia talia statuta necessariò annexam clausulam habent, quamdiu manent sub jurisdictione illius, qui jus statuendi taliter hìc & nunc habet: certè si per Superioris authoritatem, qui in hunc ipsum, qui statutum tale fecit, jurisdictionem & potestatem habet, bona talia, quæ tali statuto inferior hìc Princeps tributaria fecit, à jurisdictione hujus eximerentur, nemo diceret, quòd ea adhuc Principi huic tributaria sint, & ad tributa, ac onera extraordinaria obligentur; cur ergo dicatur de Ecclesiæ prædijs Jure Divino, vel saltem Pontificio, cui utique omnes Catholici Principes subesse debent, exemptis? Et quamvis dominus proprietatis fundo suo onus reale, certam v. g. pensionem in Principis gratiam singulis anni solvendã imponere possit, quod onus in ipsã Ecclesiam transeat, ut suprà concessum hinc tamen obligationem, ut ad quæcunque onera & tributa suo tempore titulo jurisdictionis à Principe imponenda, obligatus sit fundus talis, quem in Ecclesiam transtulit, quod imponere possit, probari non potest, cùm talis obligatio videatur repugnare Juri Divino, vel saltẽ Juri Canonico pro bono publico immunitatem statuenti, cui privata persona, quæ immunitati pro bono communi introductæ renuntiare non potest, parere debet.

Neque dicas, Jus naturæ dictare, ut ad communes necessitates subeundas pariter omnes concurrant; cùm enim omnes pariter fruantur communibus bonis, omnes etiam sentire debent communia onera: quod vel maximè dicendum est in casu, quo publicæ & communes necessitates tam Clericos quàm Laicos, æquè principaliter affligunt, uti fit in casu hostis publici avertendi, & patriæ contra eum defendendæ, qui non minùs Ecclesiastica, quàm laica bona exurit, & devastat &c. & in casu, quo publicis necessitatibus sublevandis, Laicorum facultates non sufficiunt: certè ipse Summus Pontifex *in cap. 2. h. t.* nullum (de hominibus Ecclesiæ, ut ait Glossa) vult in casu necessitatis à vigilijs & murorum custodia esse immunem. Respondetur enim, si de communibus necessitatibus sublevandis loquaris, quas nonnunquam alij patiuntur privati, ad aggeres v. g. ducendos ob agros

v. g. aut fundos vicinos flumini, aut viarum ante ædes cujuslibet purgandarum & conservandarum necessitate &c. ad puteum v.g. communem in vicinia conservandum &c. libenter concedo, quòd in casu tali, in quo non minùs Ecclesia & Ecclesiastici ipsi damnum patiuntur, aut commodum sentiunt, contribuere debeant tam Ecclesiastici, quàm Laici, cùm contributio talis non tam publica jurisdictionis auctoritate, quàm ex privato pacto, aut tacita conventione ad communia & privata mala avertenda, fiat, & ad hoc sine dubio jus etiam naturæ obligat, quod solùm etiam probatur ex *cap. 2. relato.* Si verò de communibus quidem, publicis tamen necessitatibus sermo sit, docuerunt quidem aliqui distinguendo, ita ut concedant, jus naturæ dictare, quòd omnes (præsertim illi, quos æquè principaliter eæ tangunt) ad eas sublevandas concurrere debeant, si non sint privilegiati; negant tamen, si sint privilegiati, uti sunt Clerici de Jure Divino & utriusque Juris privilegio circa sua bona: quidquid tamen sit de hac distinctione, quæ optima est, libenter concedo, quòd ex Juris naturalis dictamine vel etiam præcepto contribuere debeant Ecclesiæ, & Ecclesiastici, ad communes publicas necessitates, præsertim si ipsas etiam Ecclesias æqualiter cum Laicis illæ tangant; nego tamen, quòd debeant ex imperio præcise, & voluntate Laici Principis, aut juxta ipsius placitum, titulo jurisdictionis onera talia imponentis. Certè in *cap. non minùs 4. hoc tit.* ne naturali obligationi derogetur, satìs cavetur, dum statuunt Jura, in tali casu, quo publica necessitas ab Ecclesijs etiam & Ecclesiasticis subsidia exigit, fieri ea debere, ita tamen, ut priùs à Clero, & Episcopo examinetur, utrùm tanta necessitas hìc & nunc urgeat, cui sublevandæ Laicorum facultates (sine gravi gravamine scilicet, ut advertit Suarez) non sufficiant: si verò ferat necessitas moram, ipse etiam summus Pontifex de hoc consulatur; subsidia autem talia non à Laicis extorqueantur, sed humiliter & devotè, cum gratiarum actione recipiantur: ita textus *cap. adversus.*

Neque dici potest per contrariam consuetudinem capitula hæc abrogata esse, cùm enim ex *cap finali de consuetud.* patet, quòd consuetudo, quæ est irrationabilis, aut quæ introducitur, nec legaliter consentiente Pontifice, ad abroganda Jura Canonica nihil valeat; consuetudo autem illa, quæ à Jure corruptela appellatur, qualis est hæc consuetudo *cap. quanquam 4. de censibus, & cap. 1. hoc tit. in sexto,* & quæ libertati ac immunitati Ecclesiasticæ obviat, irrationabilis sit, ut advertit Glossa *in cap. relat. finale v. rationabilis*; neque de ea consuetudine consensus legalis Pontificis habeatur, quam singulis annis in Bulla Cœnæ sub excommunicationis pœna prohibet Pontifex; consequenter talis consuetudo, sive potiùs corruptela, & abusus, ad abroganda Jura Canonica nihil valere potest.

Ex his autem apparet primò. Non esse improbabilem eorum sententiam, quam *lib. 4. Theol. Moral. tr. 9. cap. 6.* cum Civilistis quibusdam tenent etiam Canonistæ aliqui, quòd scilicet Ecclesiarum & Ecclesiasticorum prædia teneantur etiam ad præstationes aliquas vehiculares, ad communem necessitatem ab antiquo prædijs talibus, priusquam ad Ecclesiam pervenerint, impositas: quin etiam non improbabile apparet, quòd ad novas etiam præstationes vehiculares, quas in casu occurrentis necessitatis, de novo nonnunquam imponunt Principes, ex prædijs, saltem titulo merè civili possessis, obligentur Ecclesiæ, & Ecclesiastici, ob allatas rationes superiùs, probabiles, aut præsumptivas.

Ex quibus rationibus, præsertim quæ in Concordatis quibusdam, aut Conventionibus Statuûm Provincialium, tam Laicorum quàm Clericorum, in commune bonum consulentium fundantur, apparet etiam secundò, non esse improbabile, quòd etiam vectigalia, quæ ratione rerum exportatarum, vel intra patriam venditarum, aut emptarum,

sum, solvi debent, uti & pædagia, ac guidagia ab itinerantibus solvenda, ad vias, pontes &c. conservandos, ad tuta itinera præstanda &c. etiam ab Ecclesiasticis ex agris suis solvere debeant, non tantùm si propriè dictam negotiationem, Clericis prohibitam, exerceant ad lucrum ex re empta, & non mutata divendita faciendum; sed si ex suis etiam prædijs collecta illa, aut meliorata ad privatas suas necessitates transferant, & distrahant. Et quamvis à plurimis Canonistis, non tantùm rigidioribus, immunitatis tealis Ecclesiasticæ patronis, sed illis etiam, qui Laicis circa Ecclesiasticorum hæc bona concedunt aliquid, hæc non tam facilè admittantur, ob nimis claros terminos, hinc inde relatos tam SS. Canonum, quàm Jurium Civilium, & quòd gravi metu coacti, ad hæc talia contribuenda consentiant Prælati, quale voluntarium non sufficit, ut dici possint sponte contribuere: quia tamen communissi-
14 mæ praxi aliquid concedendum, tolerari hæc possunt, ut non improbabilia; ita tamen, ut nulla appareat probabilitas illius sententiæ, quæ coactivam etiam vim sæculari Principi, ab Ecclesiasticis personis, ad hæc onera extorquenda permittit in illo casu, quo ad onera hæc ex consensu proprio, aut tacito pacto obligantur, & executionem, etiam per pœnæ impositionem, pecorum abactionem, bonorum arrestationem &c. auctoritate publica factam concedit. Quæ praxis, nisi fundetur in privilegio à summo Pontifice obtento, defendi non potest: cùm enim ex omnium confessione coactio talis & executio sit actus jurisdictionis, Laicis autem nulla jurisdictio competat in personas, aut bona Ecclesiastica, ut ex dictis patet; consequenter etiam nulla vis coactiva, aut executio authoritativa illis concedi potest: neque hi, qui taliter jurisdictionem in personas aut bona Ecclesiastica exercent, aut per se vel per alios, directè aut indirectè exequuntur, vel ad hoc auxilium, consilium, aut favorem præstant, ab incurrenda excommunicatione Bullæ Cœnæ *casu* 17. & 18. excusari possunt, nisi privilegio Pontificio innixi hoc faciant, aut frigidum illud, & parùm probabile opponere velint, Bullam Cœnæ, quoad hæc sibi displicentia, non esse receptam.

Dixi tamen: si publicâ authoritate hoc faciant; quòd si enim privatâ tantùm authoritate Laicus aliquis Clerici debitoris bona sibi detineat, dum solutionem ipsi expediat, vel per legitimum suum judicem ad solutionem cogatur, aut occultam sibi compensationem faciat in casibus, quibus ea licet, nihil contra immunitatem aget, cùm nullam in Clericum aut bona illius jurisdictionem exerceat, sed medium jure naturæ concessum arripiat, ad solutionem expediendam, necessarium.

CAPITVLVM VIII.

Quia plerique.

Paraphrasis.

Delatum fuit ad Innocentium III. quòd Prælati aliqui Ecclesiastici sub prætextu Procurationum Legatis Apostolicæ Sedis tribuendarum, à subditis plus extorqueant, quàm necessarium sit: talem proinde iniquam exactionem non tantùm prohibet in Concilio Generali hîc Pontifex, sed vult etiam, ut extorta restituantur, & pauperibus tantundem largiantur iniqui hi exactores, quantum extorserunt, ita ut velit Canonicæ etiam ultioni subjacere Superiores Ecclesiasticos, si querela injustæ hujus exactionis ad eos delata fuit, in executione tamen hujus constitutionis sint negligentes.

Summarium.

Quid in hoc Capit. de Iure Naturæ sit, & quid de Iure positivo pœnali?

NOtandum. Restitutionem injustè aquisitorum faciendam esse injustè læso, Jus naturale, & justitia commutativa docet, ita, ut hæc restitutio, non tam pœna sit

injustæ exactionis, quàm damni illati reparatio, juxta justitiæ, cuilibet æquæ, exigentiam, quæ non patitur cum alterius damno lucrum quærere *Glossa in notatis.* Quòd verò pauperibus tantundem erogandum sit, quantum sub prætextu splendidæ, iniquæ tamen exactionis, ablatum fuit, pœna est à delinquēte exsolvenda. Et quamvis in *Cap. procurationis 23. de censib.* &c. statuatur, ut si quid nomine procurationis indebitè acceptum sit, tantundem detur Ecclesiæ, à qua acceptum est: hîc verò tantundem dari pauperibus jubetur, quia res Ecclesiarum & Clericorum sunt pauperum, & in illo casu, in quo gravatur Ecclesia, huic sine dubio succurrendum; in alio verò casu, ubi læduntur subditi his per pauperum eleemosynam subveniri potest.

CAPITVLVM IX.

Ecclesia.

Agitur in hoc Cap. quæ Ecclesiæ gaudeant privilegio asyli. De quo vide *cap. 6. hoc tit. notand. 2.*

CAPITULUM X.

Immunitatem.

In hoc Capit. inter crimina excepta, quæ non gaudent sacri asyli immunitate, numerantur homicidia, & mutilationes in Ecclesijs aut Cæmeterijs facta. De quibus vide *cap. 6. hoc tit. notand. tertio. n. 6.*

CAPITULUM I.
in Sexto.

Quia nonnulli.

Paraphrasis.

Quæ priùs statuta fuerunt in antiquis *cap. quarto hoc tit.* ab Alexandro III. in Concil. Lateran. & postea etiam in Concilio Lateran. *cap. primo hoc tit.* confirmata fuerunt, ab Innocentio III. circa immunitatem realem bonorum Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum; confirmat etiam denuo in *hoc cap. in sexto* Alexander IV. graviter conquestus contra dominos temporales, & eos, qui jurisdictionem temporalem, seu sæcularem in civitatibus, castris, & villis exercent, ac nituntur, & studeut, ut collectæ & tallia ab Ecclesijs persolvantur, præterea bonorum, quæ acquisiverunt, aut extra manus ponant (in alios, Laicos scilicet, distrahendo) & ut super his omnibus sollicitè provideat, ac temerarijs ausibus congruis remedijs obviet, auctoritate Apostolica, præhabita cum Cardinalibus diligenti deliberatione decernit, non licere illis, qualescunque sint, qui jurisdictionem temporalem, sive sæcularem obtinent, & exercent, tallias, & collectas, seu exactiones quascunque Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab illis ex dominibus, prædijs, vel quibuscunque possessionibus ab ijsdem Ecclesijs, aut Ecclesiasticis personis legitimè hactenus acquisitis, vel inposterum acquirendis, etiamsi ipsæ Ecclesiæ vel personæ, vel res hujusmodi intra illorum districtum, seu territorium sint constitutæ; nec etiam licere illis (dominis temporalibus, & jurisdictionem tantùm sæculatem habentibus) Ecclesias vel personas Ecclesiasticas, ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manus suas ponendum, jam acquisita, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus compellere.

Summarium.

1. *Quomodo intelligenda sit illa Iuris regula, quòd res transeat cum onere suo?*
2. *Hujus cap. verba benè perpensa non tantùm bonorum Ecclesiasticorum immu-*

munitatem, à collectis Laicorum probant, sed bonorum etiam titulo civili ab Ecclesijs & Ecclesiasticos aquirendorum.

2. *Immunitati etiam Ecclesiasticæ circa bona repugnat, impedire, ne ad Ecclesias aut Ecclesiasticos bona immobilia perveniant, aut penes illos permaneant.*

4. *Neque dici potest jus collectandi per talem exemptionem multùm ledi, & grave damnum pati Principem Laicum.*

1 NOtandum primò. Verba hæc adeò clara esse, contra eos sæculares Magistratus, qui Ecclesias, & Ecclesiasticos ad exactiones, & collectas quaslibet, ex bonis suis solvendas adigunt, quamvis etiam ex jurisdictionis lege onerata fuerint, & postmodum ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas translata fuerint, ut major explicatio necessaria non sit, plurimùm tamen necessaria sit sanctior immunitatis Ecclesiasticæ realis observatio; & regula Juris, quòd res cum suo onere transeat, ut capit. huic non contradicat, de onere, quod à proprietatis domino, & non tantùm jurisdictionis, impositum est, intelligi debeat: contra quam regulam, si in omni sensu latissimè intelligatur, pugnant plura axiomata juris; quòd mutetur scilicet bonorum qualitas, quam titulo jurisdictionis patitur, si mutetur persona; quòd bona velut accessoria sequantur conditionem personæ (saltem quoad exemptionem) quòd res semel Deo consecratæ, nullis profanis usibus applicandæ sint; quòd cavenda sit jurisdictionum confusio; quòd Laicis nulla concessa sit contra Ecclesiasticos imperandi potestas, quos manet parendi necessitas. Et quamvis pro praxi Laicorum hodie usitata, in prioribus Capit. præsertim *Cap. adversus 7. hoc tit.* plura tanquam probabilia permissa sint, circa tales exactiones, quas Laici ab Ecclesijs, & Ecclesiasticis extorquent, saltem circa bona, civili titulo acquisita; dura tamen meritò videri potest illarum sententiarum probabilitas, si hujus cap. verba velit aliquis benè perpendere, & examinare, ubi expressè prohibet 2 Pontifex ex illis etiam bonis exigere ab Ecclesijs & Ecclesiasticis personis collectas, quæ legitimè (civili scilicet titulo) acquisiverunt, aut acquirent, etiamsi sint hæc talia bona in territorio Principis constituta; ut adeò, si hujus constitutionis verba propriè observentur, nihil excuset Principem à talibus exactionibus territorij dominium, sub cujus prætextu volunt aliqui tales exactiones Laicorum Principum, ab Ecclesiasticis factas, excusare; quasi verò communissimum illis Juris peritorum principium ignotum esset, quòd possint aliqua in territorio Principis alicujus existere, quæ tamen non sunt de territorio.

Notandum secundò. Sollicitam adeò 3 esse quorundam sæcularium industriam, ut, cùm nolint Ecclesiarum immunitatem & personarum Ecclesiasticarum lædere, cum tam gravi conscientiarum suarum remorsu, & pœnâ; velint tamen etiam Principibus suis sæcularibus cavere, ne patiantur reddituum aliquam diminutionem: conveniens putabant remedium, si impedirent, ne bona (immobilia scilicet, domus, prædia, aut similes possessiones, de quibus loquitur Pontifex) ad Ecclesias aut Ecclesiasticos pervenirent, aut permanerent apud illos, cogendo eos (per statutum v. g. quod nullius tamen est roboris, si à Laica tantùm potestate emanavit) ut extra manus hæc talia ponant, in Laicos v. g. hæc talia distrahendo, vendendo, aut alienando &c. ut ex illis bonis sine scrupulo exactiones, & collectas habere possint sæculares principes: si tamen verba hujus Capit. observentur, etiam hæc industria, auctoritate Apostolica, matura super hoc negotio cum Cardinalibus habita deliberatione, prohibita est, cùm verbis hujus Capit. non tantùm prohibitum sit, tales collectas imponere, sed prohibitum etiam sit eas exigere, qualis exactio tantùm de illis collectis, quæ jam olim impositæ fuerunt, intelligenda est.

Neque

Neque dicas, quòd per talem exemptionem, jus collectandi in aliquo territorio, magnum patiatur detrimentum, & Principi sæculari magnum damnum inferatur. Respondetur enim, negando sequelam hanc, cùm diminutio hæc non fiat in proprijs bonis Principis, vel in jure æquivalente dominio proprietatis, ob cujus læsionem propriè loquendo damnum pateretur Princeps, ex negata sibi pensione jure justitiæ commutativæ debita, sed tantùm ex jure jurisdictionis, ex quo nulla est obligatio curare, ut bona talia maneant sub jurisdictione Principis, vel Magistratûs sæcularis, cùm quilibet dominus proprietatis de bonis suis liberè disponere possit, præsertim illa donando Deo vel Ecclesiæ, per quam donationem, cùm talia bona fiant Ecclesiastica, censentur meritò talium bonorum naturam induere: præsertim cùm in tali casu exemptus à tributis sæcularibus pendendis non tam habeatur ex auctoritate juris positivi humani, quàm ex auctoritate juris divini, vel humani in divino fundati. Videantur plura circa immunitatem Ecclesiarum & Ecclesiasticorum in *Theolog. Moral. l. 4. tr. 9.*

CAPITULUM II.

Decet.

Paraphrasis.

Plurima in hoc Capit. præscribit Gregorius X. Pontifex in Concilio Lugdunensi Generali, ad reverentiam Ecclesiarum observandam, quòd scilicet humilis, & devotus ad Ecclesiam ingressus esse debeat; quòd debeat fieri exhibitio reverentiæ specialis, præcipuè dum pronuntiatur sanctissimum Nomen JESU, dum aguntur Missarum solemnia; quòd orationibus in Ecclesia inserviendum, & nullæ excitandæ seditiones; quòd sæculares civiles Conventus, seu Parlamenta, in Ecclesia facere non debeant; quòd quæcunque profana colloquia, & multò magis fœda & impura, quælibet confabulationes, & quæcunque divinum officium turbare possunt, intermitti debeant: quòd in Ecclesijs earúmque Cæmeterijs, negotiationes, judicia sæcularia, maximè criminalia, ac nundinæ permitti non debeant; quòd processus & sententiæ judicum sæcularium in Ecclesijs, earúmque Cæmeterijs, prohibitæ, nullius sint firmitatis, ita ut Laicorum etiam Ordinarios obliget Pontifex, ad curandam diligentem horum observationem; concludens tandem hanc suam Constitutionem, quòd transgressores harum, qui præmissas inhibitiones pertinenti animo contempserint, & quæ processum Ordinariorũ, & abillis deputandorum Divinæ & Pontificiæ ultionis acrimoniam formidare debeant, donec suum confessi reatum, firmato proposito à similibus deliberaverint abstinere: quæ omnia sanctissimè quidem pro reverentia tam Ecclesiarum, quàm divinorum mysteriorum hoc titulo incita fuerunt, & longiore explicatione non indigent, cùm clara sint omnia; fortassis tamen non tam sanctè, & accuratè, ob negligentiam, & nimiam læpè Parochorum dissimulationem observantur, quos convenientibus etiam pœnis, ut ab illis excitentur, qui in illos jurisdictionem habent, ad sanctiorem divinorum, & suarum sibi commissarum Ecclesiarum curam videtur velle Pontifex extimulare, dum vult eos hujus etiam Canonis auctoritate, & metu pœnarum excitandos.

CAPITULUM III.

Clericis.

Paraphrasis.

Etiam in hoc Capit. in eos Laicos invehitur Pontifex Bonifacius VIII. qui Clericos collectis, tallijs &c. gravant, asserens, suadere antiquitatem, & præsentium experimen-

perimenta temporum ostendere, quòd Laici oppidò infesti sint Clericis, & suis finibus non contenti, nitantur in vetitum, & ad illicita frænum relaxare, nihil attendentes, quàm sit eis in Clericos, & personas Ecclesiasticas interdicta potestas; & ideò collectas illis, tallias, & alia gravia onera imponentes, suorum proventuum decimam, aut quottam aliam ab illis exigunt, & extorquere moliuntur; quorum abusibus ipsi etiam Prælati Ecclesiastici, temporalem potiùs, quàm spiritualem divinam majestatem metuentes, temerariè, & improvidè acquiescunt, Sedis Apostolicæ auctoritate, & libertate non obtentâ: ut proinde talibus iniquis actibus obvietur, cum suorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica se decernere, ut quicunque deinceps Ecclesiastici, Religiosi, vel Sæculares, quorumcunque Ordinum, conditionis, seu statûs, in collectas tales juxta Laicorum exactiones solvendas, consenserint, aut quomodocunque demùm sub prætextu adjutorij, mutui, subventionis, subsidij, vel doni contribuerint, absque auctoritate Sedis Apostolicæ: Imperatores verò, Reges, & Principes, Duces, ac Comites, Barones, Potestates, Capitanei, vel Rectores, quocunque nomine censeantur, qui talia exegerint, imposuerint, vel receperint, aut apud ædes sacras depositâ Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum bona arrestaverint, seu occupare præsumpserint, seu arrestari mandaverint, aut arrestata acceperint; nec non omnes, qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium, aut favorem, publicè vel occultè, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant; Universitatis verò, quæ in his culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponantur interdicto; Prælatis etiam, & personis Ecclesiasticis, in virtute obedientiæ, & sub pœna depositionis districtè mandans, ne talibus, absque petita Sedis Apostolicæ licentiâ, ullatenus consentiant, excommunicationis etiam & interdicti sententiam Sedi Apostolicæ reservatam incursuri, si solverint aliquid; cùm Apostolica Sedes non velit tam horrendum sæcularium potestatum abusum tolerare, & nolit ullatenus dissimulare, non obstantibus quibuscunque privilegijs, sub quacunque verborum forma, ipsis etiam Imperatoribus, Regibus, & quibuscunque alijs, concessis, quæ in quantum contra prædicta sunt, nullatenus suffragantur.

Summarium.

An hæc constitutio Bonifacij VIII. sit revocata?

NOtandum. Justam hanc esse Bonifacij VIII. constitutionem, quæ necessaria videbatur, ad multos abusus sæcularium Magistratuum corrigendos, ita tamen, ut ob multas deinde difficultates, gravia incommoda, & magna pericula, ac scandala à *Clemente V. in Concilio Vienn. per Clementinam unicam* revocata sit, quoad pœnas in eos Ecclesiasticos statutas, qui tales à Laicis impositas exactiones solverunt; quod ipsum etiam habetur in *Extravagante Benedicti XI. Quod olim hoc tit. inter communes*: ubi dicitur, quòd exigentes quidem talia tributa à Clericis, vel mandatum, consilium, aut favorem ad hæc exigenda suggerentes pœnas dictas incurrant: locum tamen pœnæ istæ non habeant, respectu solventium tales collectas: & quamvis *Glossa in relatam Clementinam v. quoniam, & v. interfectis* putet, dictam constitutionem Bonifacianam, per dictam Clement. omnino revocatam esse, quæ assertio sua probabilitate non caret, cùm Clemens dicat, penitùs se eam revocare, & quæ vi illius facta sunt, habere se pro infectis: observanda tamen inviolabiliter, quæ in Concilio Lateran. *cap non minus 4. & cap adversus. 7. hoc tit.* in antiquis statuta fuerunt. Quia tamen hujus constitutionis confirmatio, quoad pœnas in Laicos,

qui tales collectas &c. exigunt, aliunde satis habetur ex relatis juribus; quoad dantes verò tales collectas, ex omnium mente & claro textu Bonifaciana constitutio revocata est, non videtur multùm in ea immorandum.

CAPITVLVM IV.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Cùm eousque Laicorum quorundam, quibus justitiæ administratio, & litium forensium componendarum potestas erat, temeritas præsumptuosa excresceret, ut eos, qui litteras Apostolicas ad delegatos impetrarent, vel ad ordinarios judices Ecclesiasticos recurrerent, ut in negotijs, & quæstionibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus ab impetrantibus impedirent justitiam, & ut ad judicium suum sæculare accederent, vel omnino à lite desisterent, compellerent: statuit Bonifacius VIII. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne talia inposterum à Laicis judicibus, cum impeditione debitæ justitiæ fierent, districtè inhibendo, ne quis tales litterarum Apostolicarum impetratores, vel alios in foro Ecclesiastico litigantes, aut litigare volentes, sive ambæ partes hoc voluerint, sive una tantùm, super causis Ecclesiasticis, per se vel per alium ad desistendum, vel in foro suo sæculari litigandum, per captionem etiam rerum ad hos pertinentium, modisve alijs quibuscunque compellat, vel compelli faciat, aut procuret: non absolvendi ab excommunicatione, nisi de damnis, & expensis tam judici, cujus cognitio fuit impedita, & jurisdictio læsa, quàm parti læsæ in prosecutione litis, & justitia impetranda integrè satisfecerint: ita ut ad hanc absolutionem impetrandam non sufficiat cautio per pignus, aut fidejussores de læsione reparanda, ut advertit *Glossa hic V. satisfactum*. Prohibitio justa & clara est, ad jurisdictiones super diversis causis, quarum aliquæ ad forum præcisè Ecclesiasticum, aliæ ad forum præcisè civile pertinent, aliæ verò mixti fori sunt, ubi præventio locum habet, prout in *titulo de foro competente in secundo lib. Decret.* pluribus dicitur, non confundendas; &, ut ait Pontifex, ad Ecclesiæ justitiam conservandam, ne se & sua negligat, quæ alios in sua justitia confovet.

CAPITULUM V.

Eos qui.

PARAPHRASIS.

Decernit in hoc Cap. Pontifex Bonifacius VIII. ut illi Laici excommunicationis sententiæ ipso jure subjaceant, qui temporale dominium obtinent, & suis subditis prohibent, ne Prælatis, aut pertinis Ecclesiasticis sua obsequia temporalia præstent, vendendo aliquid illis, vel ab illis emendo aliquid, molendo illis frumentum, panes coquendo, aut alia obsequia præstando, ut textus loquitur, qualia sartores v. g. pilarij, carpentarij &c. quos nominat *Glossa*, exhibere solent & possunt, ut ad collectas eos, quibus directè imperare non possunt, indirectè saltem compellant; cùm enim absque horum obsequiorum, quæ Laicis præstari solent, exhibitione vivere non possint Clerici, & consequenter, per talem prohibitionem multùm læditur libertas Ecclesiastica; non quidem semper, ut advertit *Glossa hic V. libertatis*, quoad verba, quæ directè sæcularibus loquuntur, in quos jurisdictionem habet Laicus Princeps; sed quoad mentem, indirectè saltem urgendo Clericos, si noctui suo, & vitæ necessaria habere velint. Neque *hoc cap.* contra eos Laicos tantùm loquitur, qui nihil sive nulla obsequia vendendo, aut emendo præstare prohi-

bent

bent Clerici ; cùm particula, *aut*, quâ utitur in hoc Capit. Pontifex, disjunctiva sit, & consequenter (in hac materia Clericis, & Ecclesijs favorabili) distributivæ virtutis, ita, ut suam significationem prohibitio habeat, si in uno tantùm membro verificetur ; si prohibeatur scilicet Laicis, vel vendere aliquid Clericis, vel ab his emere aliquid, aut aliud illis obsequium temporale, qualia solent mechanici, exhibere, ita ut excommunicationem sint incursuri, qui unum horum prohibent.

TITVLVS L.

NE CLERICI, VEL MONACHI SE NEGOTIIS SÆCULARIBUS IMMISCEANT.

BEne hic Titulus subjungitur priori de immunitate Clericorum agente : sicuti enim Clerici vi prioris Tituli immunes se putant ab oneribus Laicorum, ita nec sæcularibus negotijs se debent immiscere.

CAPITULUM I.

Multa.

PARAPHRASIS.

Negotia multa in hoc Capit. Concilium Moguntinum recenset, à quibus abstinere debent Clerici ; quæ quidem, uti plura alia in Jure Canonico præcepta, aut prohibita, quoad intelligentiam illorum nullius sunt difficultatis, sola accuratâ lectione sufficienter intelligenda ; in praxi tamen, utrùm obtineant, viderint illi, qui cùm intelligant SS. Canonum vim & obligationem, ab eorum tamen observatione plurimùm discedunt.

CAPITULUM II.

Sacerdotibus.

PARAPHRASIS.

Prohibet Eugenius Papa Sacerdotibus & Clericis (in sacris constitutis) ne Laicorum sint in negotijs eorum (laicis) ministri, sive negotiorum eorum gestores, aut procuratores : denuntians insuper illis, si in negotijs talibus laicis dicto modo occupari se sinant, quòd, postquam ab Episcopo moniti fuerint, ut ab his desisterent, ipsi tamen non desiterint, occasione talis administrationis in re pecuniaria deprehendantur fraudem commisisse, ab Ecclesia defendendi non sint, cùm per eos scandalum in Ecclesia generari constet, & sic indignos se reddant auxilio & subventione Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1. *Clerici (in sacris constituti) si in negotijs Laicis administrandis Laicorum sint Ministri, & in tali negotio deliquerint, ac contra monitionem ab Episcopo factam præsumptuosè perrexerint, non defenduntur ab Ecclesia.*
2. *Clerici (in sacris) si coram judice Ecclesiastico in negotijs Ecclesiasticis Laicorum, aut suorum consanguineorum sint procuratores &c. hujus Capit. pœnam timere non debent &c.*

NOtandum primum. Defendere quidem Ecclesiam Clericos suos à Laicorum jurisdictione, fori privilegium eis concedendo ; 1

cedendo ; si tamen statuta SS. Canonum non observando, vitam Clerico dignam non vivendo , negotia Clericis prohibita sub pœna privationis fori privilegij, aut negotiationem propriè dictam &c. exercendo, præsumptuosè deliquerint , privari possunt hoc favore, si legitimè moniti (per publicam denuntiationem ab Episcopo factam, ut ait Pontifex) à tali excessu non destiterint, sed præsumptuosè perrexerint ; non quidem quasi ipso facto (saltem in casu hujus Capituli, quo negotia Laicorum sæcularia agenda , ut horum ministri , negotiorum gestores , vel procuratores, in se susceperunt) fori privilegio exuti sint, ut à judice sæculari capi, & ad forum sæculare, ratione commissæ fraudis, trahi possint ; aut quòd unica tantùm monitio , licèt peremptoria sit , sufficiat , ad hoc fori privilegium amittendum , prout putant non improbabiliter aliqui , intra quos *Farinacius* est , *in praxi criminali par 1. q. 8. n. 98* sed quòd , ut verius putat *Glossa hic* , privari possit , ac debeat Clericus talis , per suum judicem Ecclesiasticum , fori privilegio *argu. cap. in audientia de sent. Excomm.* postquam ter monitus fuit , prout notat *Abbas in cap. ult. de vit. & honest. Cler. n. 7. & Glossa in eodem cap. v. 3.*

2 Notandum secundum. Prohiberi hîc, ne Clerici , in sacris constituti , Laicorum in negotijs sæcularibus , & laicis sint ministri, negotiorum gestores , aut procuratores : facilè tamen colligitur , prohibitum hoc non esse Clericis in minoribus constitutis , qui, si non obtervent à Trident. ad privilegium fori requisitas conditiones , cùm fori privilegio non gaudeant , consequenter ab hoc capit. sibi timere non debent ; prout etiam illi Clerici , in sacris quidem constituti , coram judice tamen Ecclesiastico , in causis saltem Ecclesiasticis , Laicorum negotia agentes , non habent , quod sibi timeant ab hujus Capituli pœnâ , cùm nullo jure prohibitum sit tale à sacris Ministris præstitum Laicis obsequium ; neque contra decorem aut reverentiam Statûs Ecclesiastici sit, tale Laicis in causis spiritualibus, coram judice Ecclesiastico , præbere auxilium ; prout nec hujus Capit. pœnam timere debet Clericus in Sacris constitutus , qui suis consanguineis, vel ob causam pietatis, ad unum aut alterum negotium , coram judice Laico agendum , se impenderet , prout *ex lib. 1. Decret. tit. 38.* jam patet.

CAPITULUM III.

Non magnopere.

Paraphrasis.

Statuit in hoc Cap. Alexander III. Pontifex in Concilio Turonensi, ne occasione scientiæ, spirituales viri, mundanis rerum actionibus involvantur, nulli omnino, post votum Religionis, & factam in aliquo Ordine Religioso professionem, licere ad physicam (medicinam se licet, ut ex prioribus verbis Capituli illius colligitur , ubi dicitur hæc talia præsari prætextu languentium Fratrum cassus consulendi , & exire tales ad ponderandas physicales cõpositiones) vel ad leges mundanas legendas exire: si verò exiverint , & ad claustrum suum intra decem dierum mensium spatium non redierint, ut tanquam excommunicati ab omnibus devitentur ; & in nulla causa , si patrocinium præstare voluerint , audiantur: reversi vero in Choro, Capitulo, mensa, & cæteris &c. ultimi fratrum exilarati & (nisi fortè ex misericordia Sedis Apostolicæ) omnem spem promotionis amittant.

Summarium.

Hujus Capituli explicatio petenda in Cap. finali hoc tit.

NOtandum. Quòd hoc Cap. ab Honorio III. Pontifice in Cap. finali hujus tituli confirmetur, & extendatur ad seculares etiam Clericos, ita tamen ut in *Cap. primo in sexto hoc tit.* à Bonifacio VIII. fuit

fiat prohibitionis hujus, quoad sæculares Clericos, aliqua declaratio, uti suo loco videbimus: quando verò dicitur non licere hoc Religiosis post votum Religionis, & factam in Ordine aliquo Religioso professionem, intelligitur hoc prohiberi, non post votum tantùm simplex de Religionis ingressu, sive post vota simplicia tantùm in Religioso Ordine facta, qualia sunt vota Scholasticorum Societatis JESU, sed intelligitur prohiberi hoc, & statui de illis, qui post factam expressam aut tacitam in Ordine Religioso Professionem contra hanc prohibitionem agunt; quicquid dicat Suarez, prohibitionem hanc ad Scholasticos etiam Societatis extendens. Plures autem requiruntur conditiones, ad pœnas hîc statutas incurrrendas, de quibus tamen rectiùs dicetur in *cap. final. hoc tit.* ubi pœna excommunicationis etiam in transgressores constitutionis constituta, examinabitur; & ostendetur insuper, quamvis nomen *legere*, quo in *hoc cap.* utitur Pontifex, rigidè acceptum, idem dicat ac *docere*, in hac tamen prohibitione sub hoc nomine prohiberi Religiosis, post factam professionem, etiam leges Civiles, aut medicinam *audire*, & in relatas *in cap.* pœnas incurrere, qui animo audiendi hæc talia ex clausträ exiverint, extra clausträ morentur, & intra duorum mensium spatium, ab egressu extra clausträm computandum, animo hæc talia audiendi, ad clausträm non redivetint, prout ex *cap. finali hoc tit.* patet, & ibi declarabitur.

CAPITULUM IV.

Sed nec.

Paraphrasis.

Prohibet iterum in hoc cap. idem Alexander III. Pontifex in Concilio Lateran. ut ne Clerici (in sacris constituti) aut Religiosi, ullam procurationis, aut jurisdictionis sæcularis, sub Principibus vel Dominis Sæcularibus, cutã in se susciptãt, eorum justitiarios (judices) agendo, seu in causis sæcularibus jus dicendo, ita, ut si quis adversus hæc venire tentaverit (cum effectu scilicet, qui ad pœnam incurrendam requiritur) & velut judex sæcularis domini in causis sæcularibus jus dicere præsumpserit, ab Ecclesiastico ministerio fiat alienus, sive ab Ecclesiastico ministerio, seu officio suspendatur, pro eo, ut ait Pontifex, quòd officio Clericali neglecto fluctibus sæculi, ut potestatibus placeat, se immiscuerit, & in hoc contra doctrinam Apostoli egerit, qui putavit, neminem DEO militantem, sæcularibus negotijs se immiscere & implicare debere.

CAPITULUM V.

Clericis.

Paraphrasis.

Revocat in memoriam Alexander III. Pontifex in hoc cap. Archiepiscopo Cantuariensi, quòd jam olim in Concilio Toletano prohibitum fuerit Clericis, in sacris constitutis, ut ne judicium sanguinis exerceant: unde etiam ipse prohibet, sub privatione loci & honoris, ut per se truncationes membrorum non faciant, nec per alios inferendos judicent; & cum interminatione anathematis (excommunicationis) prohibet, ne Sacerdos aliquis officium Vice-Comitis sub sæculari Principe (cui executio jurisdictionis committatur, hoc enim dicit in *hoc cap.* Vice-Comitis nomen, aut præpositi sæcularis officialis, scilicet ad exercenda judicia sæcularia constituti) in se suscipiat, ipso facto excommunicationi objciendus, si contra hanc prohibitionem venire præsumpserit, & monitus se emendare noluerit. Ulterior hujus Pontificiæ prohibitionis explicatio in *cap. 9. hoc tit.* videri potest, ubi plura prohibentur.

CAPITULUM VI.

Secundum.

PARAPHRASIS.

Tria in *hoc cap.* prohibentur sub interminatione excommunicationis. Primò, ut ne Monachi vel Clerici, (in sacris constituti, quos in his prohibitionibus intelligi, ex Rubrica patet, ubi sæcularibus negotijs Clerici se immiscere prohibentur, quod de Clericis in minoribus constitutis intelligi non potest, qui, cùm uxores etiam ducere possint, consequenter sæcularia negotia, unde victum suum habeant, in se suscipere possunt; qui neque privilegio fori gaudent, si conditiones à Tridentino requisitas non observent) negotiationem lucri causâ exerceant. Secundò. Ne Monachi vel Religiosi à Clericis vel Laicis suo nomine firmas teneant, prædia scilicet eorum aut agros conducendo, quos sibi excolant. Tertiò, ne Laici Ecclesias ad firmam, sive conductas teneant.

SUMMARIUM.

1. *Quæ negotiationes prohibita Clericis?*
2. *Religiosus in particulari ad firmam, alienas possessiones retinere non potest.*
3. *Prohibetur etiam, ne Laici Ecclesias ad firmam teneant.*

1 NOtandum primò. Negotiationem merè lucrativam, qua emitur aliquid ad hunc principaliter finem, ut illud ipsum immutatum cariùs postea, vel in alio loco vendatur, prohibitam esse Clericis & Religiosis, prout ex pluribus juribus jam patet, & in titulo priore *cap. 4. n. 5.* explicatum: non quidem si una tantùm aut altera vice taliter negotiantur, sed si ab actibus talibus frequentatis, meritò mercatoris, aut negotiatoris nomen merentur, cùm indecens sit, ut lucra talia terrena quærant Clerici in Ordinibus sacris constituti; & curis his temporalibus à spiritualibus avocentur: neque tamen prohibitum est Clericis prædiorum suorum fructus, aut quibus abundant, vel quæ ex talibus fructibus aut superfluis confecerunt, vendere aut si negotientur propter necessariam vitæ sustentationem; aut si negotientur per alios, qui totam industriam mercatorum præstant, Clerico tantùm pecuniam suggerent &c. cùm in his casibus, vel venditio talium fructuum non veniat propriè negotiationis nomine, uti *loco citat.* jam dictum, vel negotiatio necessaria sit ad vitæ sustentationem, quæ necessitas legem non habet; & si alia honesta exercere Clericis liceat, sustentationis gratiâ, uti sumitur ex *Clement. prima de vita & honest. Cleric. & ex cap. primo de celebr. Miss.* cur non liceat honestam negotiationem exercere ad vitæ necessariam sustentationem, & sine divini cultûs negligentiâ? Quæ ratio særa etiam probat, quòd illicitum non sit Clericis, per alios negotiari, pecuniam v. g. ad negotiationem necessariam suggerendo, cùm in hoc casu tantum periculum non sit divini cultûs negligendi, quàm si per seipsos negotiarentur: libenter tamen etiam fateor, urgere contra hunc casum adhuc sordidæ lucri cupiditatem, quæ Clericos non decet.

Notandum secundò. Prohiberi etiam in hoc Capit. ne Religiosi (in particulari scilicet) ad firmam recipiant, sive conducant alienas possessiones, aut prædia, fundos & agros &c. nomine suo & in sui utilitatem excolenda, sive deinde à Clericis, sive a Laicis hæc accipiant; cùm enim Religiosi in particulari nihil proprium habere possint, & talis conductio alienorum prædiorum, non tantùm speciem avaritiæ, & sordidæ cupiditatis præbeat, sed etiam negotiationis cujusdam, meritò prohibetur Religiosis talia sibi retinendo, suæ cupiditatis speciem præbere; non tamen prohibentur nomine monasterij hæc talia conducere ex causa necessitatis, si propria prædia ad sustentationem non sufficiant, & aliæ etiam conditiones

tiones observentur, quæ requiruntur, ut monasterium obligetur.

3 Notandum tertiò. Prohiberi denique in *hoc cap.* ne Laici ad firmam teneant Ecclesias, sibi, ut conductoribus elocatas, obventiones v. g. illarum Ecclesiarum, decimas, oblationes conducendo, ne videantur habere administrationem Ecclesiarum, aut ullum jus de bonis Ecclesiæ disponendi, ut ait *Gloss. fin. in hoc cap.* quamvis enim commoditas fructuum Ecclesiæ temporalium, ac decimarum colligendarum, Laicis concedi possit, nullum tamen jus illis concedi posse ad talia Ecclesiastica, ex *titulo de rebus Eccl. non alien.* jam patet.

CAPITULUM VII.

Relatum.

Paraphrasis.

Mandat Alexander III. ex Concil. Lateran. Episcopo Londonensi, ut cùm ad ipsum certis nuntijs delatum sit, quòd Monachi certi cujusdam Ordinis, sæculariter nimiùm viventes, alios suo exemplo corrumpant; ad observationem regularem, posthabita omni appellatione compellat; vel si ausu temerario pijs illius conatibus resistant, & obedire nolint, ejectis illis, alios, alterius etiam Ordinis fratres inducat, si non possit per sui Ordinis fratres dictum monasterium reformari, ut illi tandem rubore perfusi ad sui Ordinis observantiam revertantur. Quæ circa hunc clarum textum, & Pontificiam decisionem annotari possunt, possunt videri in *tit. 32. & tit. 36. h. lib.*

CAPITVLVM VIII.

Sicut te.

Paraphrasis.

Mandat in hoc cap. Innocentius III. Esculano Episcopo, ut Clericis in sacris Ordinibus constitutis (quod sine dubio etiam de Religiosis intelligi debet, juxta *cap. ut officium* 11. §. *verum. de Hæreticis in sexto.*) per beneficiorum subtractionem, postposità appellatione, interdicat, ne exerceant Tabellionatus, sive Notariatûs officium.

Summarium.

1. *Prohibetur Clericis (in sacris) & Religiosis exercere officium Tabellionis, seu Notarij.*
2. *Saltem in Tribunalibus Laicis, & causis sæcularibus.*
3. *Instrumenta tamen à Clericis Notarijs confecta valent, si officium Notarij privatim tantùm illis interdictum fuit.*

NOtandum primò. Prohiberi hoc offi- 1
cium Clericis in sacris constitutis, & Religiosis, quia periculum est, ne in criminalibus, ubi de vita & sanguine agitur, cum periculo incurrendæ irregularitatis, se ex officio immisceant; & quia hoc officium est genus quoddam negotiationis, Clericos in sacris constitutos dedecens, si beneficium competens habeant, vel ex patrimonialibus suis convenientem sustentationem: si tamen sint tantùm in minoribus constituti, non possunt prohiberi (abstrahendo saltem à criminalibus, ubi de vita & membris agitur) à Notariatûs officio, cùm honesta officia, & aliquam negotiationem exercere ad vitam sustentandam in prioribus jam concessum sit: & de his non videtur loqui *hoc cap.* cùm pœna *cap. hujus*, subtractio scilicet beneficiorum respectu horum, si non sint beneficiati, locum non habeat. Conceditur tamen etiam, ut Notarij officium exerceat Clericus beneficiatus in sacris constitutus, in causis Hæresis, ob favorem scilicet Fidei; in curia Romana, & apud Pontificem; & ubi consuetudo habet, ut Clerici etiam in sacris constituti, etiamsi beneficium habeant, Notarij tamen officium exerceant in causis Ecclesiasticis: ita ut meritò videri possit hic Canon tantùm

tùm procedere contra Clericos beneficiatos, in sacris constitutos, in causis profanis, & sæcularibus, & coram judice Laico. Et quamvis *Glossa final. hic* rigidiùs loquatur,
2 putans absolutè prohibitum esse Clericis in sacris constitutis, etiamsi beneficia non habeant, exercere officium Notarij in publicis tribunalibus, Ecclesiasticis etiam, cùm ea gratia, ut Notarij officium exerceat Clericus in sacris, in causa Fidei, ob favorem Fidei sit concessa, & licentia, quâ apud Pontificem, aut in curia Romana Notarij possunt esse Clerici in sacris, etiam beneficiati &c. ob dignitatem judicum talis curiæ specialiter concessa, extendi non debeat ad tribunalia publica alia Ecclesiastica: consuetudo tamen in nostris partibus recepta, ut in tribunalibus Ecclesiasticis in causis spiritualibus Notarij sint Clerici in sacris, condemnari non potest, cùm non censeatur Clericus in sacris, negotijs sæcularibus se propriè immiscere, Notarij officium in causis spiritualibus, coram judice Ecclesiastico exercens, modò caveat à foro Laico.
3 Notandum secundò. Valere instrumenta, quæ à Notario Clerico confecta fuerunt, priùs, quàm officium Notarij illis prohibitum fuerit, etiamsi sint in causis sæcularibus confecta, cùm illicita quidem illa esse possint, nullibi tamen in jure invalida habeantur. Imò si privatim quidem hoc illis interdictum sit, valent tamen ratione officij publici, si prohibitionem hanc illis factam ignoraverint partes, *argu. L. Barbarius ff. de off. Prætor.* Si tamen publicè, & per edictum solemniter hoc illis sit interdictum, non valent, quæ postea ab illis conficiuntur instrumenta *arg. cap. Veritatis 8. de dolo & Contumacia, & arg. leg. is cui. 6. ff. de verborum oblig.* ubi contractus nulli dicuntur, imiti cum prodigo, postquam ei per judicem bonis interdictum est.

CAPITVLVM IX.

Sententiam.

PARAPHRASIS.

Multa iterum in cap. hoc prohibet Clericis & Religiosis Pontifex, ad cavendum omne irregularitatis periculum, ut ne scilicet in causa sanguinis intervenient, sententiam ferendo, dictando, aut promulgando, legendo, vel scribendo, & quocunque modo authoritatem præstando, & cooperando ex officio, testium v. g. depositiones excipiendo, & scribendo, causam & indicia examinando, testimonium ferendo &c. imò prohibet etiam Pontifex in *hoc cap.* ne intersint tali cruentæ executioni Clerici; & ne ballistarijs aut hujusmodi viris sanguinum præponantur: nec illam Chirurgiæ artem, quæ adustionem aut incisionem requirit, exerceant; nec purgationi per aquam frigidam aut ferrum candens (prout olim Canonica purgatio fieri solebat, hodie tamen meritò exolevit) aut monomachiæ, aut duello locum vel assensum præbeant.

SUMMARIUM.

1. *Clerici, si curiosi tantùm spectatores cruentam executionem videant, aguntque quidem contra prohibitionem hujus capit. irregulares tamen non sunt.*
2. *Quomodo & quibus prohibitum sit, Chirurgiæ artem exercere?*

NOtandum primò. Quæ in prima parte hujus cap. rectè prohibentur, intelligenda sunt, non quòd omnis ille, qui spectat tantùm, ut curiosus spectator, cruentam executionem, irregularitatem aliquam contrahat, quæ contra eos tantùm lata est, qui ex officio, aut talem cruentam executionem promovent, aut suâ præsentiâ authoritatem publicam in tali executione præstant sententiam promulgandi, rei custodiam habendo, approbando, vel im-

improbando cum auctoritate publica legitimam executionem : & quamvis *in hoc cap.* prohibeatur etiam Clericis executioni tali cruentæ (solius etiam curiositatis causâ) interesse ; non habent tamen tales, quod sibi ab irregularitate aliqua ex defectu lenitatis timeant, quæ eos tantùm afficit, qui ex officio talibus executionibus , aut sententijs auctoritatem præstant : negari tamen non potest , quòd tales etiam curiosi spectatores agant contra prohibitionem Canonicam *hujus cap.* quod non tam irregularitatem , quàm honestatem attendit , pœnâ arbitrariâ digni, nisi per consuetudinem receptam excusentur.

Notandum secundò. Prohibitum in hoc cap. esse Clericis (in sacris) ut ne balistariorum , sagittariorum , aut ruptariorum (eorum scilicet , qui ad muros perfringendos , aut occidendos ex destinato homines, conducuntur) sint præpositi , aut duces ; quod genus hominum , vix ab irregularitatis periculo , sua officia excusent , vel saltem à Christi lenitate deficiunt , & ideò pœnâ Canonicâ longè magis digni sunt, quàm illi , qui curiosi tantùm , executionem cruentam spectant , quos tamen *Glossa in hoc cap. verb. sanguinis* puniendos putat.

2 Notandum tertiò. Prohibitum etiam esse *in hoc cap.* Clericis & *in cap. Tua nos. 19. de homicidio* Religiosis , ullam Chirurgiæ artem exercere , quæ adustionem aut incisionem inducat , non tantùm ad cavendum irregularitatis ex homicidio incurrendæ periculum , sed quòd talia non deceant statum eorum , qui à lenitate Christi , magis cõmendari merentur,& à cura animarũ, quàm à cura corporũ,quàm curâ sæcularibus rectiùs relinquũt.Et quamvis jura *in hoc cap.* prohibitorio tantùm loquãtur de Chirurgia, quæ fit cum incisione , vel adustione , ratio tamen , & rubrica hujus tituli , ne Clerici , & Monachi sæcularibus negotijs se immisceant , probant , etiam eam artem Chirurgiæ prohibitam esse Clericis & Monachis, quæ citra adustionem aut incisionem exercetur : semper tamen excipitur casus necessitatis , & pietatis circa personas conjunctas, aut miserabiles, ubi magis pietas urget , & nullum mortis subest periculum.

CAPITULUM X.

Super specula.

Paraphrasis.

Renovat Honorius III. Pontifex *in hoc cap.* quod supra statutum fuit ab Alexandro III. *in cap. Non magnoperè* ; & statuit ac decernit, ut ne ex suis Monasterijs ad audiendum Leges Civiles,vel Medicinam Religiosi abeant , sub excommunicationis ipso facto , & ab Episcopo denuntiandæ pœnâ , & alijs pluribus in illo *cap. Non magnoperè* determinatis: nisi intra duorum mensium spatium , à tempore exitûs (hoc animo facti computandum) ad claustrum rediverint : tam severam prohibitionem mandans non tantùm, ne Clerici , vel Monachi sæcularibus se negotijs immisceant , sed ut Theologiæ studio, ad Fidei defensionem necessario (& sacris Canonibus , quibus ad mores reformandos & dirigendos multùm indiget Ecclesia , ac semper ejusdem necessitatis , & dignitatis , cum Theologico studio ad dignitates Ecclesiasticas habebatur) se totos traderent : extendens propterea hanc prohibitionem ad Archidiaconos , Decanos , Plebanos , Præpositos , Cantores,& alios Clericos personatus habentes , ac Presbyteros , appellatione remota , firmiter observanda.

Summarium.

1. *Confirmantur dicta circa prohibitiones* in Cap. 3. h. t. *factas religiosis, circa certas quasdam lectiones non audiendas.*
2. *Quando pœna excommunicationis , & aliæ incurrantur à transgressoribus harum prohibitionum.*

3. *Extenditur prohibitio, & pœna statuta ad alios etiam Clericos.*
4. *Ita tamen, ut Bonifacij VIII. declaratio, & restrictio observari debeat, & ad privata studia non sit extendenda.*
5. *Neque tamen est excommunicatio hujus Capit. reservata; aut ad docentes hæc studia extendenda.*

1 NOtandum primò. Ex paraph. *in Cap. 3. Non magnoperè hoc tit.* jam patere, quæ studia hîc Clericis enumeratis, & Religiosis publicè audienda, prohibita sint; ex qua paraphrasi etiam patet, quas pœnas, præter excommunicationem ipso facto incurrendam, prout *in hoc Cap.* statuitur, incurrant hujus constitutionis transgressores. Circa excommunicationem tamen, quæ *in hoc Cap.* incurrenda dicitur ipso facto, advertendum, incurri eam à Religiosis, si ab egressu à claustro, animo eas lectiones au-
2 diendi, ad monasterium sive claustrum, intra duos menses, non revertantur, sive illi publicè lectiones tales frequentent, sive non: & hinc verius est, quòd incurrant hanc excommunicationem, si animo audiendi has prohibitas lectiones ex monasterio exeant (quamvis hoc fiat cum licentia Superiorum Regularium, qui tamen contra jus commune dispensare non possunt, nisi quoad hunc casum essent privilegiati) & per duos menses extra monasterium morentur hoc animo, etiamsi nullas unquam lectiones frequentaverint, cùm in hoc Cap. non excommunicentur Religiosi audientes has lectiones, sed qui ex monasterio animo audiendi exeuntes, per duos menses extra morantur, ita ut post hos menses moræ extra monasterium, incurrant excommunicationem: quòd si tamen egressus quidem fuisset monasterio Religiosus, animo has sibi prohibitas lectiones audiendi, & dum extra monasterium moratur, animum mutaret, neque moraretur extra monasterium animo audiendi has prohibitas lectiones, sed animo audiendi Theologiam vel Jus Canonicum, vel animo vagandi extra monasterium maneret, probabiliter non incurreret excommunicationem *hujus Cap.* (aut alias pœnas hîc designatas) cùm verba pœnalia in rigida proprietate sint intelligenda, & non alijs excommunicationem hanc, aut alias pœnas infligant, quàm illis, qui animo audiendi has prohibitas lectiones ex monasterio egrediuntur, & extra per duos menses (hunc animum retinentes) morantur. Ex quo fundamento etiam valdè probabile est, neque illos excommunicationem, & alias *hujus Cap.* pœnas incurros, qui vel privatim tantùm in monasterijs his studijs se applicant, vel exeunt quidem ex monasterio, ad audiendas has lectiones, ita tamen, ut semper ad monasterium revertantur absolutis lectionibus; neque extra monasterium animo eas audiendi maneant, cùm respectu horum, verba pœnalia in proprio rigore non verificentur, & privatum tale studium ad plura alia religiosorum charitati & scientiæ utilia conducere possit.

Notandum secundò. Hanc ipsam horum studiorum publicè audiendorum prohibitionem, ad Clericos etiam Sæculares extendere Honorium Pontificem, ad Archidiaconos scilicet, Decanos, Plebanos (qui sub se Capellas, sive minores Ecclesias habent) ad Clericos personatus habentes, & ad Presbyteros, seu Sacerdotes: quò scilicet se magis impendant studijs Ecclesiæ DEI necessarijs, & utilibus, ad Fidei errores depellendos, & doctrinæ sanæ memoriam, Ecclesiasticorum decorem, & puritatem &c. Quia omen etiam civilia illa studia prodesse possunt charitati Ecclesiæ, declarat *Bonifacius VIII. in Cap. 8. h. t. in 6.* non extendi hanc Honorij constitutionem ad eos, qui Ecclesias tantùm Parochiales obtinent; nisi tales Ecclesiæ plebanæ essent, in quibus Vicarius perpetuus institutus est, quæ minores Ecclesias, saltem duas, sub se habeant, sub titulo plebaniæ, aut essent Sacerdotes, quibus vi Ordinis sui hæc studia prohibentur, ut notat Glossa *in cit. Cap. Verbo declaramus.* & *Verbo Capellas.* Ex verbis tamen prohibentibus, tam in antiquis Alexandri III.

III. & Honorij III. Pontificum, quàm Bonifacij VIII. in sexto satis patet, non prohiberi his constitutionibus, Clericis in minoribus constitutis, aut Diaconis, vel Subdiaconis tantùm, audire hæc studia, cùm hæc jura prohibentia de Presbyteris tantùm loquantur, nisi tales in minoribus constituti, personatum aliquem habeant, ad quas Honorij III. prohibitionem Bonifacius VIII. etiam extensam voluit: qui uti & alij Clerici sæculares prohibiti, si Leges Civiles aut Medicinam audiant publicè, (sine privilegio) quamvis in suis ædibus privatim maneant, post duorum tamen mensium spatium ab initio auditarum talium lectionum computandum, excommunicationem *hujus Cap.* incurrunt, nisi intra prædictum horum duorum mensium tempus desiterint ab his studijs, publicè scilicet audiendis; privatum enim harum etiam scientiarum studium tam parum his Clericis sæcularibus, quàm regularibus prohibitum est. Et quamvis ob identitatem rationis videatur aliquibus extendenda prohibitio, ad privatū etiam Legum, & Medicinæ studium, rectiùs tamen plerique & alij contrarium judicant, ob majorem deformitatem, quæ ex publico harum prohibitionum contemptu, cum studiorum magis Clericos decentium neglectu, colligitur, & ex periculo, ne nimiùm se negotijs sæcularibus immisceant. Dixi tamen, etiam incursuros tales excommunicationem, si sine privilegio talia studia audiant; prætendunt enim pleræque Academiæ hodie in nostra Germania, concessa sibi, vel per communicationem in privilegijs, competere sibi privilegia, admittendi tales ad Jura etiam Civilia, & Medicinam audienda, quæ utrùm semper subsistant, viderint illi, quorum interest.

4 Notandum tertiò. Excommunicationem hanc, quæ à transgressoribus prohibitionis hujus incurritur, non esse reservatam, sed posse illam à proprijs Episcopis, cui subjecti sunt tales Religiosi, vel à Diœcesanis, in quorum Diœcesi studeant, vel etiam à suis Superioribus Regularibus, pro ratione Superiorum, & privilegiorum absolvi. Neque censendum est, quòd hanc excommunicationem, aut alias pœnas horum Capitulorum incurrant illi Regulares aut sæculares Clerici, qui publicè docent has scientias, prout post Innocentium & Abbatem plures alij docent cum Suarez *disp. 23. de censur. sect. 3. n. 18.* quamvis enim τὸ *legere*, in *Cap. Non magnoperè* adhibeat Pontifex, statuens non permittendum exitum Religiosis ad legendum has scientias, per τὸ *legere* autem in rigorosa acceptione intelligatur idem, quod *docere*, prout in *relato Capit. num. 2.* dictum, mentem tamen Alexandri declarat in *hoc Cap. final.* Honorius, quòd sub eo nomine intelligat non τὸ *docere*, sed τὸ *audire* lectiones illas (sive legere ac studere illis addiscendis) prohibens egressum ex monasterio animo audiendi eas lectiones & scientias. Neque dicas, eandem debere esse juris dispositionem de docentibus & discentibus has scientias, cùm utrobique sit eadem ratio; nego enim, quòd in pœnalibus locum habeat rationis paritas, sed in maximè proprio & rigoroso plerumque sensu pœnalis constitutio intelligi debet. Deinde nego etiam, inter docentes & audientes non esse disparitatem, quæ meritò prohibere poscit unum, absque eo, ut prohibeat alterum, cùm isti, qui primùm discere volunt hæc studia, quando jam Religiosi, aut Sacerdotes effecti sunt, nec optimo exemplo moveantur, nec optimo semper Zelo, sed ut involvantur negotijs sæcularibus contra decorem statûs sui, & sæpè cum diminutione cultûs divini, ac contra vitæ religiosæ, & clericalis honestatem; nihil autem de illis horum cogitari possit, quos competens charitas movet ad communicandas scientias Reipublicæ ordinandæ, & sanis corporibus conservandis utiles, quas nondum prohibiti didicerunt; ita ut hi tales sine scrupulo etiam gradum in talibus scientijs, quas nondum prohibiti didicerunt, assumere possint, & nihil sibi timere debeant ab incurrenda aliqua excommunicatione.

CAPITULUM I.

in Sexto.

Statutum.

Videtur hujus Capit. declaratio satis ex modò dictis intelligi posse.

CAPITULUM II.

Ut periculosa.

Paraphrasis.

Statuit Bonifacius VIII. Pontifex in hoc Cap. sub interminatione excommunicationis, ipso facto incurrendæ, in violatores hujus prohibitionis, ne quamcunque Religionem tacitè, vel expressè professi, in scholis, vel alibi, temerè habitum suæ Religionis dimittant; nec accedant ad quævis studia litterarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui Conventûs, vel majoris partis ejusdem, sibi eundi ad studia licentiam habeant, ita ut Doctores etiam & Magistri, qui Religiosos, habitu suo dimisso, Leges vel Physicam (Leges Civiles scilicet, vel Medicinam, ut ex dictis jam patet) audientes scienter docere, aut in scholis suis præsumpserint retinere, etiam ipso facto incurrant excommunicationem.

Summarium.

1. *Prohibetur Religiosis sub interminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne Ordinis sui habitum temerè dimittant; aut scholas frequentent sine competente licentia, quæ hic explicatur.*
2. *Ita ut ad evitandam excommunicationis sententiam, licentia hæc necessaria illis sit, qualiacunque studia accedant.*
3. *Et in eos etiam Magistros, seu Doctores hæc excommunicatio extendatur, qui scienter tales Religiosos, dimisso temere habitu, in scholis suis docent, vel in eis retinent.*

NOtandum primò. Prohibitionem hanc sub interminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ factam à Pontifice, ne vagandi occasio, ut ipse Pontifex ait, detur Religiosis, si pro suo placito temerè dimittere habitum liceat, vel scholas frequentare, ad studia quælibet, quæ sibi placuerint, sine Prælati sui licentia, cum consilio sui Conventûs, aut majoris partis eam concedentis; ita tamen, ut ad incurrendam *hujus Capit.* excommunicationem, alterutrum sufficiat, habitum scilicet suæ Religionis temerè dimisisse, vel sine dicta licentia studia, qualiacunque illa sint, frequentare; cùm prohibitio hæc disjunctiva sit, & horum (disjunctivè acceptorum) violator excommunicationis sententiam ipso facto incurrere dicatur. Requiritur autem ad incurrendam hanc excommunicationem. Primò. Habitum sui Ordinis totum dimisisse, ac mutato jam habitu incedere, & non tantùm v. g. ad somnum capiendum, ad currendum, & ambulandum expeditiùs, vel ad alios etiam illicitos fines ad tempus eum deposuisse, aut partem tantùm habitûs sui dimisisse, vel occultare, ita tamen ut ex retenta parte habitûs dignosci adhuc possit, quòd Religiosus sit, & cujus Ordinis sit Religiosus, cùm talibus non sit depositio talis, aut particularis dimissio habitûs, vel occultatio vagandi liberè occasio; quam tamen nem habet prohibitio hæc. Secundò requiritur, ut temerè quis dimiserit sui Ordinis habitum, sine justa causa scilicet; neque enim, quæ fiunt ex justa causa, temerè sive irrationabiliter facta dici possunt. Tertiò requiritur, ut professus ille sit in religioso Ordine approbato, qui dimisso habitu excommunicationem incurrit, de quo intelligi vult, & loquitur Pontifex. Et hinc neque ab illis incurritur hæc excommunicatio, qui professi non sunt; nec ab illis, qui e-

remi-

remiticum tantùm habitum assumpserunt, & dimittunt iterum, nullis votis in Religione approbata obstricti.

2 Notandum secundò. Excommunicari etiam in *Cap. h* eos Religiosos, qui post professionem in Ordine tali factam, ad studia, sine licentia sui Prælati cum consilio (seu consensu, ut volunt aliqui) Conventûs aut Capituli habita accedunt: quæ excommunicatio non tantùm eos Religiosos professos concernit, qui post emissam professionem ad audiendam Medicinam, vel Leges Civiles accedunt, de quibus jam dictum fuit in antiquis, *Cap. 3. & 10. h. t.* sed ad Religiosos professos, qui ad quæcunque studia etiam illis specialiter non prohibita, sine dicta licentia accedunt; ut ne scilicet vagandi talibus religiosis, sub prætextu addiscendarum scientiarum, detur occasio. Quòd si tamen ad alium locum, & monasterium tantùm accedat Religiosus, ubi est studium, & ex illo studia frequentet, probabile est, quòd non incurrat excommunicationem *hujus Cap.* si solam etiam sui religiosi Superioris licentiam habeat, nihil de ea interrogato Capitulo; cùm in tali casu non immediatè detur Clericis licentia ad studium aliquod frequentandum (ad quam licentiam dandam consilium Capituli requireretur juxta Capit. hujus decisionem) sed ad mutandum Conventum, de quo nihil *hoc Cap.* decernit.

3 Notandum tertiò. Hanc excommunicationis Censuram, in eos etiam Doctores, & Magistros ferri, qui scienter tales Religiosos habitu dimisso Leges Civiles, vel Medicinam in suis scholis docent, aut retinent: si scienter scilicet, & si habitu dimisso in scholis suis Leges vel medicinam eos doceant, aut retinere præsumpserint: ita ut ad incurrendam *hujus Cap.* excommunicationem requiratur primò, ut scienter Magistri seu Doctores, sive Regulares hi sint, sive Sæculares, Religiosos tales in scholis suis Leges, aut Medicinam doceant. Secundò requiritur, ut habitu suo Religioso dimisso in his studijs doceantur, vel in scholis retineantur, positivè scilicet rogando, consulendo, defendendo, sua authoritate, vel favore juvando, vel violentiâ aliquâ etiam eos urgendo, ut in scholis suis, quas frequentant, permaneant. Tertiò requiritur, ut Leges Civiles, aut Medicinam audiant, vel in scholis his retineantur: quamvis enim in priore parte *hujus Capit.* sub excommunicatione prohibeatur Religiosis, ne sine competente licentia, de qua in notando primo, ad studia qualiacunque se conferant, Magistros tamen seu Doctores illa excommunicatio non afficit, nisi Leges Civiles aut Medicinam, studia specialiter prohibita, eos post habitum dimissum doceant, vel in scholis liberè retinere præsumpserint.

CAPITULUM III.

Episcopus.

Paraphrasis.

Ut justitia punitiva non patiatur, & scelera non maneant impunita, statuit in h. Cap. Bonifacius VIII. Pontifex, licere Episcopis & Prælatis alijs Ecclesiasticis, seu Clericis, jurisdictionem temporalem in loco aliquo habentibus, si homicidium ibi commissum fuerit, aut aliud delictum morte, aut sanguinis pœnâ dignum, Laico alicui delegare, ut veritatem inquirat, & justitiæ debitum exequatur, absque eo, ut de irregularitate aliqua sibi timere debeant; etiamsi judex delegatus ad sanguinis pœnam, justitiâ ita exigente processerit: quamvis enim causas sanguinis ipsi Ecclesiastici agitare non possint, possunt tamen, & debent, si jurisdictionem obtineant in aliquo loco temporalem, absque metu irregularitatis incurrendæ, eam delegare.

SUMMARIUM.

Quid in Casibus delictorum sanguinis pœnâ dignorum, Prælati Ecclesiastici jurisdictionem fori externi habentes, facere debeant, ut ne incurrant irregularitatem.

NOtandum. Cavere Pontificem hâc constitutione Ecclesiasticorum lenitâti, & justitiæ, ac boni publici indemnitati; & propterea etiam hic casus specialis videtur, in quo non potest quis per se, quod potest per alium, contra regulam 72. *in sexto*. Et quamvis concedatur in hac constitutione generalem delegationem facere constituendo Laicum aliquem, qui omnes casus criminales Clerici jurisdictionem habentis loco examinet, & judicet (quod consultissimum est, quò remotior ille sit ab omni specie lenitatis violatæ) & possit etiam Clericum talis sententiam sanguinis à delegato judice justissimè latam mitigare, in pœnam v. g. pecuniariam, cùm per talem sententiæ latæ mitigationem à lenitate Christi, Clericos decente, nihil discedat; posse tamen in casu speciali etiam, specialem delegationem à Prælato Ecclesiastico fieri, absque periculo incurrendæ irregularitatis ex *hoc Cap.* patet. Neque imputari potest Prælato deleganti, si judex ab eo delegatus iniquè judicaverit, cùm delegans v. g. Episcopus, aliud illi non delegaverit, quàm ut justitiam administret, prout advertit etiam *Glossa hic verb. justitia mediante.*

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Primus Numerus Paginam, alter Columnam, tertius Numerum marginalem denotat.

Abbas.

An veniat sub nomine Monachorum. 129. 1. 4. Quinam Abbates ad Concilium Provinciale vocari debeant 220. 2. 2. Abbas eligi an possit, qui Ordinem non est expressè professus. 315 1. Abbatis officium. 444. 1. An possit super habenda proprietate cum Monachis dispensare. *Ibid. Vide* Prælatus.

Abbatissa.

Rerum ad Monasterium pertinentium administratio an pertineat ad Abbatissam. 211, 2. 1.

Actio. Actor.

Actiones seu nomina debitorum an numerentur inter bona immobilia. 244. 1. 2. Actio damni dati an transeat ad hæredes. 347. 1. An actio Injuriarum. *Ibid.* Actio pignoratitia *vide* Pignus.

Actor an possit se fundare super diversis titulis. 196. 1. 2. Allegans propriam turpitudinem an sit audiendus. 198. 1 201. 2. 307. 2. Reus an sit absolvendus actore nihil probante. 228. Judex an possit condemnare ad rei non ampliùs existentis æstimationem, si actor eam non petat. 507. 1. 3. Possitne agi judicio simul possessorio & petitorio. 462. 2. 1.

Actus.

Actus de Jure nullus an convalescat auctoritate Superioris in forma communi cõfirmatus. 207. 1. 1. An valeat exercitus ab eo, qui habet titulum coloratum, aut sine hoc errore communem. 457. *& seq.*

Adulterium.

An maritus ob adulterium uxoris possit suscipere sacros Ordines vel ingredi Religionem. 422. 1. An possit relinquere conjugem adulteram. 424. 1.

Advocatia. Advocatus.

Advocatus Ecclesiæ an idem cum Patrono. 470. 2. 483. 2. 1. An transeat Advocatiæ jus cum bonis, quibus est annexum. *Ibid.* An possit liberè donari. *Ibid.* An possit Advocatus onerare Ecclesiam. 484. 1. 3. An commoda Advocatiæ in alium transferre. 484. 2.

Ætas.

Quæ ætas requiratur ad Professionem Religiosam, 385. 2, 389. 2. 1.

Alienatio.

Consentiens in alienationem sui juris quandonam censeatur illud abdicare. 306. 1. 1. Alienatio Bonorum Ecclesiæ *Vide* Ecclesiastica Bona.

Altare.

Altare quotuplex. 512. 2. 2. Altare semel consecratum an quandoque novâ consecratione opus habeat. 512. 2. 1. Quando consecrationem suam amittat. 513. 1. 3. An ad substantiam Altaris consecrati requirantur SS. Reliquiæ. 513. 2. An Altaria debeant esse lapidea. 514. 1. An exsecratâ Arâ execretur etiam Ecclesia. 514. 2. An violatâ Ecclesiâ violata sint etiam Altaria. 516. 2. An plura simul consecrari possint Altaria. 517. 2.

Animarum cura.

Quas dotes requirat. 143. 1. 1.

Apostata.

Apostatæ & fugitivi Religiosi quâ ratione revocandi. 410. 1.

Appellatio.

An Judex Appellationis conformare se debeat causæ in prima instantia agitatæ. 258. 1. 2. Appellatio interposita an censuram impediat. 457. 1.

Arbiter. Arbitrator.

An compromitti possit in Judicem delegatum tanquam in arbitrum. 273. 1. An compromissio in arbitratorem transactionis vicem habeat. 273. 2. 2.

Archiepiscopus.

Quam jurisdictionem in Diœcesibus suorum Suffraganeorum exercere possit. 181. 2. 2. An illi debeantur procurationes à Monasterijs. 503. 2. Quando Archiepiscopo competat jus provinciam visitandi. 510. 1.

Argumentatio.

Argumentum à sensu contrario an efficax. 218. 2.

Asylum.

Asyli jure an gaudeant Ecclesiæ. 537. 2. 1. Et quæ. *Ibid.* 3. An hoc jus adversetur bono Reipublicæ. *Ibid.* 2. Quinam asylo gaudeant. 538 2. Qui non. 539. 1. 550. 1. Clerici contra suum Magistrum an illo gaudeant. 540. 1. 8. Quomodo extraki

trahi ex Ecclesia possint, qui asylo non gaudent. 540. 2. Quas pœnas incurrant violatores Asyli. 541. 2. 12. Quis sit effectus Asyli. *Ibid.* 13.

Baptismus.

Quænam statuta sint jure Decretalium de Baptismo. 524. 1. An sine Baptismo capax quis sit aliorum Sacramentorum. *Ibid.* An ad salutem sufficiat Baptismus Flaminis. 524. 2.

Benedictio.

An per admixtionem rei non benedictæ, v. g. olei, in minore quantitate, cum oleo benedicto, totum sit benedictum. 515. 1.

Beneficiatus.

Qui sint reditus sufficientes ac debiti Curatis. 77. 2. 3. Quomodo augendi, si sufficientes non sint. *Ibid.* 4. Cujus sit determinare, an sint sufficientes, 78. 2. 5. An possit consuetudine induci, ut sufficiens sustentatio Beneficiatis non præbeatur. 121. 2. 2. An reditus Curati sufficere debeant etiam pro alendo Ministro Clerico. 3. 1. 1. Beneficiatis Ecclesiarum unitarum quomodo providendum. 77. 1. 2.

Curati quâ ratione teneantur instituere populum. 3. 1. 3. Exigua in illis doctrina perinde est, ac si esset nulla. 102. 2. 3. Qualis eorum doctrina esse debeat. 120. 1. Obligatio, si quam habent Beneficiati, quotidie dicendi Sacrum, quomodo intelligenda. 76. 1. 6.

Beneficiati in hæresin lapsi an Beneficium perdant ipso jure 351. 1. An recuperent, si pœnitentiam agant. *Ibid.* An, qui Ecclesiæ suæ vel dignitati nec per se, nec per vicarium deserviunt, suo Beneficio ipso jure privati existant. 105. *& seq.*

An possint Beneficiati propriâ auctoritate resignare Beneficium. 442. 2. 2. Quando censendi sint habere Beneficium pro derelicto. 45. 1. 3. An plures esse possint Beneficiati ejusdem Beneficij. 468. 2. An teneantur exhibere titulum sui Beneficij Superiori exigenti. 195. 1. 7. Intrusi in Beneficium an habeant titulum 482. 1. Intrusorum pœnæ. *Ibid.* 2. An, qui in pluribus Ecclesijs habet Beneficium, conveniri in singulis possit 66. 1. 6.

Beneficiati curati an debeant esse perpetui. 464. 2. 1. An infirmi habeantur pro præsentibus & servientibus. 173. 2. 1. Quomodo à Prælatis tractandi sint. 174. 1. Redituum Beneficialium an sint domini. 290. 2. Sintne Usuarij, an fructuarij. 287. 1. Provisi de Beneficio an mitti in possessionem possint, non vocato altero, qui possessionem adhuc habet. 159. 2.

Beneficiati quando ea, quæ emerunt, censendi sint emisse ex reditibus Ecclesiæ. 310. 1. & 2. An acquirantur Ecclesiæ, quæ ex reditibus Ecclesiasticis emunt 311. 1. 312. 2. 324. 1. 1. An de illis testari possint. 312. 2. 320. 1. & 2. Cujus sint meliorationes, quas in terra Ecclesiæ faciunt. 313. 2.

An statuto Synodali aliquid mutari possit circa testamenta Beneficiatorum. 323. 2. Quinam eorum bonis succedant. 324. 1. 2. Quas donationes ante mortem facere possint. 324. 2. 3. Quando teneantur ad debita Antecessoris. 325. Beneficiatus quoad residentiam *Vide* Residentia.

Beneficium Ecclesiasticum.

Plura Beneficia an unus habere possit. 37. 1. 2. 2. An per secundum ipso jure vacet primum. 37. 2. 2. 79. 1. 97. 1. 2. An, si posterioris effectus nondum percipiat Beneficiatus, 157. 2. 3. Iéatne resignatio vel permutatio primi Beneficij si quis obtinuit secundum. 97. 2. Possitne ob consuetudinem vel privilegio, ut quis plura habeat Beneficia, quando unum eorum sufficit ad congruam sustentationem. 66. 1. 5. An sit tolerabilis consuetudo, ut quis in eadem Ecclesia obtineat plura Beneficia uniformia. 198. 2. 1. Præbendam Canonicalem & Personatum an quis simul habere possit. 1. 1. Cum quibus quoad pluralitatem Beneficiorum dispensari possit. 98. 2. 6. In quibus citra multiplicari Beneficia possint. 95. 1. 3. Disputatio super hac pluralitate an valeat, si narratum non sit modicum Beneficium, vel Pensio, vel quasi curati Beneficij. 151. 2. 152. 1. Quandonam censetur dispensatum super residentia, si dispensatum fuit super pluralitate Beneficiorum. 152. 1. Quandonam censendus sit Papa plura uni concedere 67. 1. 1.

Collatio Beneficiorum quotuplex 180. 2. Confirmatio in Beneficio quid sit. *Ibid.* Quid Institutio. *Ibid.* Quid Admissio. 188. 1. 2. An nomine Collationis veniat Institutio. 144. 1. 1. Collatio Beneficij an possit spectare ad plures 203. 1. 1. & debeat fieri palam. 228. 2. 1. Et intra quod tempus. 190. 1. 3. 193. 2. 1. An hoc tempus currat ante Prælaturâ. 207. 2. 4. Sibi ipsi an quis conferre possit Beneficium. 186. 2. 2.

An Parochiale Beneficium conferri possit Clerico in Minoribus. 133. 1. 1. 188. 2. 104. 2. An Seculare Regulari, & viciss. 130. 1. 237. 2. Utrùm per præscriptionem Regulare fieri possit Seculare, & viciss. 130. 1. 2. Confertur Beneficium, quod scit se non posse conferre, an teneatur conferre aliud. 83. 2. 2. An sit Simoniaca collatio, si onus Beneficiato imponatur. 118. 2. 3. An valeat absenti facta. 90. 2. An pro curatorem fieri possit. 91. 1. 3. Absenti an aggratur Beneficium, antequam accepter. 145. 2. Privilegium conferendi Beneficia an sit strictè interpretandum. 149. 1. Collatio Beneficiorum quot modis ad Canonicos spectare possit. 173. 1.

Quâ ratione curare Prælati debeant, ut idonei Beneficia promoveantur. 99. 2. Quid agendum, si idonei haberi non possint. *Ibid.* Collatio vitio

pra

gno facta an sit irrita. 100. 1. 2. Indignos promoventium pœna. 100. 2. 4. An fieri possit illi, qui aut non vult, aut non potest personaliter servire. 118. 1.

Beneficium non vacans an conferri possit alteri. 189. 1. 196. 2. 3. 302. 2. 303. 1. An incorporari Monasterio vel Dignitati. *Ibid.* Promissio Beneficii non vacantis an valeat. 189. 2. 2. Beneficium vacans an cum novo onere conferri possit. 74. *& seqq.* An sub conditione. 74. 2. 2. An sub modo. 75. 1. 3. An Beneficium vacans possit conferri duobus. 87. 1. 1. 93. 1. 2. An Episcopus possit dare licentiam conferendi Beneficij vacaturi determinati. 200. 2. Beneficium ipso jure vacans an conferri possit alteri, non vocato possessore. 159. 1. 1. Vacare Beneficium in Curia quid sit. 126. 2. 1. 127. 1. 4. 168. 2. Vacante Sede an cesset reservatio Beneficij, si in curia vacaverit. 169. 1. An Pontifex habeat plenam de omnibus vacantibus Beneficiis dispositionem 122. 2. 1. Si Pontifex Beneficium vacans in Curia non conferat intra mensem, an possit illud conferre Ordinarius. 127. 2. 5.

Beneficij nomine simpliciter prolati an veniat Beneficium curatum. 143. 1. 2. An electivum. 143. 2. 1. Beneficia electiva & patronata an accipi possint sine institutione Episcopi. 181. 1. 1. Institutio in Beneficio quandonam tribuat jus simul & possessionem. 191. 2. Jus instituendi an præscriptione acquiri possit. 181. 1.

In assecutione Beneficiorum an præferri possint indigenæ exteris. 182. 2. 1. Certæ Genti vel Familiæ an promissio fieri possit, quòd ex illa tantùm ad Beneficia assumendi sint. *Ibid.* Hæreditarium jus an in Beneficiis locum habeat. 477. 1. 1. 59. 1. 1.

Possessio Beneficii colorata, quid. 194. 1. 4. An vacet Beneficium, si ejus possessio sit solùm colorata. 194. 2. 5. Quâ ratione conferri possit alteri, si quis est in possessione colorata. 196. 1. 6. An collatio vel confirmatio, quæ manifestè est contra SS. Canones, tribuat coloratam possessionem. 198. 2. 2. An provisus de Beneficio mitti in possessionem possit, non vocato illo, qui actu possidet. 159. 2. Possitne, cui Beneficium collatum est, agere possessorio adipiscendæ. 196. 2. 4. In possessionem Beneficii an possit mittere, qui illud jure devolutionis confert. 199. 2. 1. Possitne præscribi Beneficium per bonæ fidei possessionem. 194 2. 6.

Devolutio juris Beneficium conferendi quomodo fiat propter negligentiam Collatoris ordinarij. 199. 2. 2. An sit locus devolutioni, si in Ecclesia non est determinatus numerus Canonicatuum aut Præbendarum *Ibid.* 3. Habeátne locum devolutio in casu dolosi impedimenti. 203. 1. 2.

Inter diminutionem & divisionem Beneficii quale discrimen. 70. 2. 3. Dividi an possint Beneficia. 42. 1. 1. 70. 2. 2. 182. 2. Quando fieri possit divisio. 70. 2. 94. 2. 1. An in unione unius Beneficii cum alio exprimi debeat utriusque valor. 158. 1.

Quid sit, vi occupare Beneficium: quid, se injustè intrudere. 84. 2. 1. 192. 1. 197. 2. 3. Quæ sit intrusionis pœna. 148. 1. 4. An, qui se intrudit, ipso jure sit privatus Beneficio. 147. 1.

Quâ ratione permutari possint Beneficia. 270. 1. 274. 2. An omnia Beneficia permutari possint. 271. 1. An propria auctoritate permutantes privari Beneficiis possint. 272. 1. & 2. Beneficium ex causa permutationis resignatum an conferri aliis, quàm resignantibus possit. 83. 1. Resignari an possit propriâ auctoritate Beneficiati. 442. 2. 2. Redire ad Beneficium an possit, qui illi ex errore inculpato renuntiavit 151. 1. 2. Quandonam censeatur quis Beneficium habere pro derelicto. 45. 1. 3.

Mandata Sedis Apostolicæ circa provisiones Beneficiorum, quotuplicia. 114. 1. Quo tempore ejusmodi mandata suum effectum consequantur. 115. 1. 2. Quid ad eorum valorem requiratur. *Ibid.* Num sint latæ interpretationis 128. 2. 2. Quale Beneficium intelligatur, dum Pontifex mandat cuipiam conferri. 120 2. An sub hoc nomine veniat etiam Pensio. 128. 2. 3. Vel Beneficium Ecclesiæ Cathedralis. 129. 1. 4. An valeat collatio, si non fiat illi, cui fieri mandavit Pontifex. 95. 2.

Sub facultate concedendi omnia Beneficia num comprehendantur etiam reservata Pontifici. 126. 1. 10. Executor deputatus ad Beneficium an sit etiam Judex & Cognitor. 116. *& seqq.* An possit examen alteri committere. 117. 1. 4.

Clerici conjugati an ad Beneficia sint admittendi. 26. 2. An in Sacris constituti illis priventur, si matrimonium contrahant. 25. 2. 3. Num dispensare in hoc possit Episcopus. 89. 2. 3.

Beneficia manualia an censeri debeant precariò data. 148. 2 Num in dubio possit uni litigantium adjudicari Beneficium & alteri constitui pensio. 88. 2. 3. In Beneficij fundatione an possit imponi onus. 504. 2.

Vendi an possint Beneficia. 271. 2. 2. An possessiones Beneficiis annexæ. *Ibid.* 3. Beneficium quoad residentiam *Vide* Residentia. Beneficiorum reservatio *vide* Pontifex.

Bona Ecclesiæ.

Vide Ecclesiastica Bona.

Cœmeterium.

Nomine Cœmeterii quid intelligatur. 519. 1. 1. Violatâ Ecclesiâ an etiam violatum sit Cœmeterium. 517. 1. 519. 1. 2. 521. 2. An violetur per sepulturam Excommunicati. 519. 2. 2. Quomodo sit reconciliandum. *Ibid* 3. An violetur, si nec consecratum nec benedictum sit ab Episcopo. *Ibid.* Quando censeatur esse contiguum Ecclesiæ. 522. An, si unum Cœmeterium sit contiguum alteri, violato uno censeatur violatum & alterum. 522 2.

Canonicus, Canonicatus.

In Canonicum an recipi quis possit cum promissione, quòd præbenda proximè vacans ei sit conferenda. 202. 2. An debeatur præbenda illi, cui est Canonicatus à Pontifice collatus. 139. 1. 1. Possitne quis esse Canonicus, quin sit præbendatus. 71. 2. 1. Quando Canonicatus sine præbenda conferri possit. 72. 1 2. An possit unus Canonicus habere plures præbendas. 65. *& seqq.* Qui in Canonicum recipitur sine præbenda, quale jus habeat. 86. 1. 4. Præbendam an possit petere, cùm primùm aliqua vacaverit. 86. 2. 5. 197. 2. Possintne Canonici numerum præbendarum pro arbitrio augere. 93. 1. 4. Consuetudine vel statuto induci an possit, ut in aliqua Ecclesia maior sit numerus præbendarum quàm Canonicorum. 157. 1. 1. Valeátne collatio præbendæ facta non illi, qui priùs in Canonicum receptus est, sed qui posteriùs. 84. 1.

In eadem Ecclesia an quis habere possit Personatum & Canonicatum. 172. 1. An duos Canonicatus. 131. 2. 3. Accipiens Canonicatum in alia Ecclesia an priori Canonicatui renuntiare censeatur. 55. 1. & 2. Per consuetudinem induci an possit, ut in Canonicis tantùm assumantur Nobiles sanguine. 119. 2. 3. Indigenæ præferri an possint exteris in assecutione Canonicatuum. 182. 2. 1. An fieri possit promissio certæ Genti vel Familiæ, quòd ex illa tantùm ad Canonicatus assumendi sint. 182. 2. 2.

Canonici an teneantur residere in Beneficio Parochiali. 131. 1. 2. Quâ ratione excipere possint contra eum, qui pro Canonicatu præsentatur. 181. 1. Inter Canonicos quinam censeantur maiores. 223. 2. 1. Canonici absentes an ad omnes actus capitulares vocandi sint. 173. 1. An in absentia lucrentur fructus, si sint occupati in obsequiis Episcopi. 43. 1. 1. 52. 1. 5. An distributiones quotidianas. 43. 2. 4. An consuetudine vel statuto induci possit, ut Clericus vocem habeat in Capitulo, qui Canonicus non est.

Canonicatûs possessio ex quibus actibus probetur. 92. 2. 1. Canonicatûs quando vacet, & quando extinguatur. 63. 1. 3. Si idem Canonicatus à Pontifice pluribus conferatur, quis præferendus. 132. 1. & 2. 134. 1. 3. Jus Canoniæ an cadere possit in Laicum. 179. 2. *Vide* Capitulum. Residentia.

Canonicus Regularis.

An possint Canonici Regulares transire ad Ordinem Monachalem. 393. 2. An, quæ statuta sunt in Jure de Monachis, comprehendant etiam Canonicos Regulares. 164. 2. 8. 442. 2. 3. An possint ad Parochiales Ecclesias promoveri. 442. 2. 3.

Canonizatio.

Sanctorum Canonizatio quid sit. 526. 1. An absque auctoritate Ecclesiæ licitum sit quem[quam] colere ut Sanctum. 525. 1.

Capitulum, Capitularis.

Capitulum in quibus succedat sede vacante [illegible] 1. 3. 187. 2. An succedat in collatione & institutione Beneficiorum, ac confirmatione electionum 187. 2. 207. 1. 2. An possit Sede vacante alienare bona Ecclesiæ. 206. 1. 3. An Sede vacante auferatur ad Comitia Imperialia & Electionem Inquisitoris. 206. 2. Episcopo absente an administratio Diœcesis sit penes Capitulum Cathedrale. [illegible] 2. Prælatum illegitimè absentem an Capitulum auctoritativè citare possit. 45. 1. 1.

Ad quæ negotia Episcopus requirere debeat consensum Capituli. 214. & seqq. An consensus Capituli requiratur ad contractum circa res Ecclesiæ. 209. *& seqq.* An ad alienationem bonorum Ecclesiæ. 240. 2. An ad præsentationem Beneficiati. 216. 2.

Utrùm semper valeat, quod decernit maior & sanior Capituli pars. 222. 1. Quæ sit maior pars. *Ibid.* Capitulares absentes quando vocati ad negotia tractanda debent. 222. 1. 2. An maior & sanior pars Capituli possit aliquid statuere de [illegible] nuendis reditibus singulorum. 225. 2. An teneatur quilibet Capitularis contradicere his, quæ malè decernuntur à Capitulo. 222. 2. 4. Posse unus Capitularis impedire, ne decernatur id, quod in Ecclesiæ damnum cedit. 300. 1. 222. 2. 4. Utrùm nomina Capitularium exprimenda sint in instrumento nomine Capituli erecto. 307. 2.

Capitula Ecclesiarum Cathedralium an teneantur ad Concilia Provincialia debeant. 220. 2. An [illegible] cem in illis decisivam habeant. *Ibid.* Capitula Provincialia quomodo celebranda sint. 444. 2.

Capituli nomine an comprehendatur eius Decanus. 196. 1. 1. Quâ ratione Capitulum excipere possit contra eum, qui præsentatur pro Canonicatu. 182. 1. An possint Capitula sibi de novo constituere Patronos. 244. 2.

Carthusiani.

Ordo Carthusianorum an omnium strictissimus. 406. 2.

Casus Fortuitus.

An in contractibus præstari debeat. 317. 1. 2.

Cathedraticum.

Cathedraticum & Synodicum, quid? 507. 2. Jus Cathedratici quando censeatur remissum. 507. 2.

Cautio.

Nomine Cautionis quid intelligatur. 277. 1. Quam Cautionem præstare debeat Usufructuarius. 287. 2. 288. 1. An sufficiat cautio juratoria. 288. 4. An cautio remitti usufructuario possit. 288. 2.

Cyp[illegible]

Census.

An ex præstatione censûs probetur subjectio. 496. 1. Novi census an Monasteriis imponi possint. 496. 2. An Ecclesiis. 500. 2. 502. 1. & 2. An imponi possint in prima fundatione Beneficij, vel Ecclesiæ. 504. 2. An Simoniam committat, qui paciscitur censum, ut vel ipse vel sui præsententur ad Ecclesias vacantes. 502. 1. Juramentum de novo censu solvendo, vel augendo veteri, præstitum Patrono, an sit irritum. 504. 1. 1.

Petens censum, an debeat allegare causam, ob quam ille sibi debeatur. 497. 2. 1. Monetâ mutatâ quomodo census solvi debeat. 507. 1. 1.

Cistercienses.

Cistercienſis Ordinis Institutum. 440. 2.

Clausulæ.

An clausula in fine alicujus dispositionis addita referatur ad omnia antecedentia. 304 2. 3. Quæ clausulæ in privilegiis subintelligantur. 343. 1. 2.

Clausura.

Vide Monialis.

Clericus.

Quinam nomine Clericorum veniant. 1. 2. 1. An sint obligati ad ferendam tonsuram & habitum. 3. 2. An cogi possint ad tonsuram & habitum Clericalem. 11. 2. 1. Habitum Monachorum an gestare possint vitæ strictioris ostendendæ causâ. 387. 2. An nutrire comam. 3. 2. & 4. 1. An gestare annulos. 4. 2. 4. An cogi possint, ut vivant in communi 4. 2.

Secularia negotia an possint tractare. 4. 2. 1. An esse Ministri Secularium Principum. 432. An administrare negotia Laicorum. 555. 2. 557. 1. An Judiciis Secularibus præesse. *Ibid.* An officium Notarij exercere. 559. 2. An causas sanguinis tractare. 560. 2. 566. 1. An exercere artem Chirurgiæ 561. 1. An spectare cruentas executiones absque irregularitatis periculo. 560. 2. An audire Jus Civile vel Medicinam. 562. 2. 3. Vel illa docere. 563. 2.

Clericis qualis negotiatio sit prohibita. 558. 1. An teneantur ad communia onera Reipublicæ, si negotientur 12. 2. 535. 1. 4. Quam pœnam incurrant, si tabernariorum & similia officia exerceant. 14. 1. 4.

Quàm graviter prohibita sit Clericis crapula & provocatio ad æquales haustus. 10. 2. Item spectare mimos & histriones. 9. 2. Et ludere aleis. 11. 2. 2. A quibus universim Clerici abstinere debeant. 555. 1.

Cohabitatio fœminarum quatenus prohibita Clericis. 15. 1. & 2. 23. 2. Quæ sit pœna Clerici fornicarii. 10. 1. 18. 1. & 2. Quæ, si sit familiaris fœminis. 17. 1. 2. Mulier delinquens cum Clerico an subsit foro Ecclesiastico. *Ibid.* 3. Sacerdotis concubinarij Missam audire an sit prohibitum. 19. 2. 1. 24. 1. & 2.

Matrimonium Clerici sacro Ordine initiati an valeat. 25. 1. 2. An per matrimonium attentatum ipso jure privetur Beneficio. 25. 2. 3. An fiat irregularis. 28. 2 An Beneficio privetur constitutus in Minoribus, si matrimonium contrahat. 25. 1. 1 29. 1. 1. 31. 2. Quâ ratione habeatur Laicus post contractum matrimonium. 31. 1 An dispensare cum eo possit Episcopus, ut Beneficium retineat. 29. 2. 3.

Clerici Conjugati an gaudeant privilegio fori & Canonis. 3. 2. An ad Ordines altioris & Beneficia Ecclesiastica admitti possint. 26. 2. Coniugium an congruat cum ministerio altaris. 27. 1. 1. Continentia Clericorum in Sacris, unde habeatur. 30. 1. 1. Sacerdotibus Græcæ Ecclesiæ quatenus licitum sit conjugium. 10. 2. 4. 30. 1. 2. Clerici conjugati an immunes à tributis secularibus. 32. 1. Quandonam gaudeant privilegiis Clericalibus. 32. 2. An illis licita sit negotiatio. 33. 2. 3. Clericis habentibus liberos aut nepotes an expediat committi administrationes Ecclesiasticas. 29. 1. 2.

Quomodo procedendum sit contra Clericos debitores. 290. 2. 297. 1. & 2. An compelli ad bonorum cessionem possint. *Ibid.* An propter debita incarcerari vel excommunicari. *Ibid.* An & quomodo Clerici possint torqueri. 254. 1. An possint per laicos capi. 255. 1. 6. An Clericis suspectis indicenda sit purgatio Canonica. 23. 2 5. Quandonam ab Episcopo absolvi possint, si se invicem percutiant. 5. 1. 3.

Clerici an possint fidejubere. 289. 1. 290. 1. De quibus bonis possint testari. 314. 1. 321. 1. Quis illis succedat in patrimonialibus, si non habent consanguineos. 337. 1. 338. 1. Quomodo sint subjecti suo Superiori quoad bona patrimonialia. 490. 1. 2. An recedentibus ab Ecclesia reddenda sint sua bona, quæ illi obtulerunt. 27. 2. 3. An illis debeatur sustentatio ab Ecclesia, cui serviunt, si ex patrimonialibus vivere possint. 61. 2. 81. 1.

Clerici an possint renuntiare suis privilegiis. 13. 2. 3. An illa amittant per degradationem. 14. 1. 4. An per irregularitatem. *Ibid.*

Alterius Diœcesis Clerici quando ad Beneficia vel Divina celebranda admitti possint. 41. 2. Clerici infirmi an habeantur pro præsentibus. 173. 2. 1. Constituti in minoribus an promoveri possint ad Beneficium Parochiale. 188. 2 Præsentati ab aliqua Academia aut notoriè digni an debeant examinari ad Beneficia. 111. 2. 10. *Vide* Beneficiatus Beneficium. Clericorum immunitas. *Vide* Immunitas.

Coadjutor.

Episcopis & aliis Prælatis quis Coadiutorem dare possit. 59. 2. 176. 2. An Pontifex dare possit

Coadjutorem cum jure successionis. 122. 2. 2. Quando dandus sit Coadjutor. 174. 2. 175. 2.

Quæ sint Coadjutoris officia. 175. 2. An possit alienationes bonorum Ecclesiæ facere. 177. 2. An Beneficia conferre 178. 1. 2. An teneatur rationem administrationis reddere. 178. 1. 4. Utrùm ejus officium morte vel depositione Episcopi extinguatur. 178. 2.

Collatio. Collator.

Vide Beneficium.

Colonus.

Colono damnum passo an de pensione aliquid remitti debeat. 265. 2. Quot modis prædia ad colendum tradi possint. 364. 1. Privilegium non solvendi decimas an transeat ad colonum. 364 2. An coloni teneantur ad decimas ex omnibus fructibus prædiorum. 372 2. 375. 1. Quibus colonis agri decimabiles sint elocandi. 381. 1. 1. Coloni Ecclesiæ an possint aliis locare operam. 533. 1.

Commissio.

Vide Mandatum.

Commodatum.

Commodatum quomodo differat à Precario. 247. 1. & 2. Res commodata an repeti possit nondum finito usu. 252. 2. 5. Commodatarius quando teneatur præstare culpam etiam levissimam. 151. 1. An præstare teneatur casum fortuitum. *Ibid.* 3.

Communitas. Commune.

Quâ ratione singuli possint disponere de re aliqua, quæ est Communitatis. 60. 1. 2. 144. 2. Bona communia quâ ratione dividenda. 351. 2. 2. Quid requiratur ad hoc, ut tota Communitas obligetur. 173. 2. 2. An major pars Communitatis possit aliquid statuere in præjudicium reliquorum. 225. 2. 2.

Commutatio.

Vide Permutatio.

Compromissum.

In Judicem delegatum tanquam in arbitrum an compromitti possit. 273. 1. Compromissio in aliquos tanquam arbitratores an vicem transactionis habeat. 273. 2. 2.

Concilium.

Provincialia Concilia quando habenda.. 100. 2. 5. 220. 2 Quinam ad illa teneantur venire, 101. 1. Quinam possint in illorum legibus dispensare, vel absolvere à censuris ibi statutis 101. 2. 8. An ad illa invitari debeant Capitula Ecclesiarum Cathedralium. 220. 2. 1. Quis sit ordo sessionis in Concilio Provinciali. 220. 2.

Concio.

Concionandi munus ad quos pertineat. 353. & *seqq.*

Concordata Germaniæ.

An reservationes Pontificiæ Beneficiorum [illegible] Concordata Germaniæ sublatæ sint. 143. & [illegible] An Concordatis Germaniæ derogare Pontifex possit. 140. 1. 7. Quandonam juxta illa conferri Beneficium ab Ordinario possit Papâ non confer[illegible] 150. 2.

Condictio.

Condictio Indebiti quando fieri possit. 3[illegible]

Conductio.

Vide Locatio.

Confessio.

Confessio propria an faciat plenam probationem 339. 1. An si moriturus confessus sit, se celebritorem, & postea convalescat, compelli ad petitionem possit. 339. 2. Confessio Rectoris Ecclesiæ an noceat Ecclesiæ. 462. 2. 2.

Mortuus sine Confessione Sacramentali [illegible] pelicendus in loco sacro. 345. 1. 2.

Confirmatio.

An reddat actum validum, qui de jure non [illegible] sistit. 192. 1. 2. 207. 1. 1. Confirmatio [illegible] communi an præjudicet tertio. 380. 1. 1.

Confirmationis Sacramentum quando [illegible] latum. 450. 1.

Conjux.

Conjux qua ratione ad SS. Ordines promoveri possit. 416. 1. An possit fieri Episcopus. 416. An suscipere Sacros Ordines, vel Religionem, [illegible] uxoris adulterium. 422. 1.

Conjuges an ingredi possint Religionem [illegible] consummationem matrimonii. 417. 1. An [illegible] matrimonium consummatum. 414. 1. 4[illegible] Quid requiratur ad validam conjugati professionem. 415. 2. 417. 2. 418. 1. 420. 2. 421. [illegible] conjux sine licentia conjugis ingressus possit [illegible] vocari. 414. 1. Licentia conjugis dolo obtenta an ad valorem Professionis sufficiat. 423. 1. [illegible] per vim extorta. 423. 2. Conjugum servus. Professio quâ ratione fiat valida. 418. 2. An [illegible] validè professi teneantur servare castitatem. 419. 2. 420. 2.

Conjuges separati quando possint petere restitutionem conjugis. 408. 1. 2. An cognito impedimento possint propriâ auctoritate ad alium matrimonium transire. *Ibid.* 3. An quoad debitum conjugale sint paris obligationis. 415. 1. 1. An debitum obligatio reddendi debitum conjugi hæretico [illegible] mnato. 425. 2. An possint ex mutuo consensu vovere continentiam. 425. 1.

Constitutio.

Vide Lex.

Consuetudo.

In contractibus quid possit. 245. 2.

Corpus

Contractus.

Ad valorem contractûs circa res Ecclesiasticas quæ solemnitates requirantur. 209. *& seqq.* An contractus circa res Ecclesiasticas irriti possint fieri à Pontifice. 245. 1.

An qui habet potestatem contrahendi, possit etiam pœnam conventionalem adjicere. 246. 1. 1. An cadente contractu cadat etiam pœna adjecta. 246. 1. 2. Casus fortuitus an in contractibus sit præstandus. 251. 1. & 2.

In contractibus an potissimùm spectanda mens contrahentium; & quid, si de hac non constat? 262. 2. 281. 1. 1. Consuetudo in contractibus quando attendenda. 245. 2. Quinam contractus sint latæ interpretationis. 305. 1. Unde verba contractus suam interpretationem accipiant. 455. 1.

Conventus.

Vide Capitulum.

Creditor.

An possit pignus à quovis possessore vindicare. 283. 1. 4. An alteri obligare. 284. 1. 1. Pignoratitia actione quomodo possit agere. 283. 1. 4. Ad quid teneatur, si in pignore damnum dedit. 284. 1. 2.

Crimen. Criminosus.

In crimine deprehensum an quilibet capere possit, ut ad Judicem ducat. 279. 2.

Curatus.

Vide Beneficiatus.

Damnum.

Actio damni dati an transeat ad hæredes. 347. 1.

Debitor. Debitum.

An Debitor etiam non admonitus constituatur in mora solvendi. 268. 2. 2. An, si debitum per nuntium transmittat, & hic non tradat. 286. 1. Indebitè solutum quando possit repeti. 298. 2. Debitum quando præsumatur. 299. 1. & 2.

Quinam debitores ad bonorum cessionem compelli non possint. 297. 2. Confessus debitum an possit vi suæ confessionis compelli ad solvendum 339. 2. Liber homo an possit pignoris loco detineri aut in servitutem accipi pro debito. 278. 2. An capi & incarcerari. *Ibid.* Debitor fugiens an possit propriâ creditoris authoritate capi. 279. 1.

Contra debitorem in judicio contumacem quomodo procedendum sit. 279. 1. Quomodo contra Clericum debitorem. 290. 2. 297. 1. & 2. An hic propter debita incarcerari possit vel aliter puniri. *Ibid.* Prælatus successor quando teneatur ad debita antecessoris. 294. *& seqq.* Quando Beneficiatus. 295. 2.

Decanus.

An nomine Capituli comprehendatur. 196. 1. 1.

Decima.

Decimarum varietas in Lege Veteri. 357. 1. An sint tributa. 375. 1. 381. 2. Quo jure debeantur Ecclesiæ Ministris. 366. 2. 375. 1. & 2. Decimæ personales cui solvi debeant. 371. 2. Et quomodo. 373. 2. 378. 1. An sint adhuc in usu. 373. 1. Cui solvi debeant Decimæ ex fœtibus animalium. 371. 2. Cui decimæ Novalium. 366. 1. 377. 1. Cui decimæ prædiales. 356. 2. 369. 2. Parochus an habeat fundatam intentionem ad decimas suæ Parochiæ. 379. 2. 3. Episcopo an competat quarta decimæ. 380. 2. An quandoque integræ decimæ. *Ibid.* An decimæ debeantur Religiosis ob curam Parochialem. 363. 1. 1.

Quinam debeant decimas. 374. 1. & 2. An ad eas teneantur Clerici. 357. 2. An Religiosi. 363. 2. 382. *& seq.* 385. 1. An coloni prædiorum. 372. 2. 2. Decimas ab antiquo prædij domino non solutas an teneatur solvere successor. 381. 1. 2. Quâ ratione compellendi sint Parochiani ad solvendas decimas. 361. 1. 1. 366. 2.

Ex quibus rebus debeantur decimæ. 361. 1. An ex omnibus fructibus prædiorum. 372. 2 1. An ex illegitimè acquisitis. 374. 1. 2. Fructus indecimati an transeant cum onere solvendi decimas. 361. 2. 2. Cui decimæ nondum solutæ pereant. 361. 2. 3. An solvi debeant non deductis expensis, tributis &c. 361. 2. 1. 378. 1. Quando solvendæ sint. 361. 2.

Jus decimarum an vendi vel permutari pro re temporali possit. 273. 2. 3. Parochus an possit transigere super decimis. 358. 1. Quibus colonis agri decimabiles sint elocandi. 381. 1. 1. Spoliatus decimis quando debeat ante restitutionem probare jus suum. 379. 2. 3.

An detur aliqua excusatio à solvendis decimis. 376. 1. & 2. Immunitas à solvendis decimis quot modis acquiri possit. 374. 2. 3. An dare eam possit Princeps secularis. 375. 2. Privilegium non solvendi decimas an deroget præcedenti transactioni super iisdem. 358. 2. De quibus bonis sit intelligendum. 362. 1. & 2. 364. 1. 365. 1. An transeat ad colonum. 364. 2.

Privilegium colligendi decimas an quandoque sit latæ interpretationis. 377. 2. Jus decimandi acquisitum an extendatur ad novalia. 378. 2. Acquisitum per præscriptionem an se extendat ad omnes fructus decimabiles. 379. 1. Privilegium de decimis novalium quomodo intelligendum. 384. 2.

Laicis an jus decimarum concedi possit. 367. 2. 368. 2. An hoc jus possint præscribere. *Ibid.* Infeudari de decimis an possint. 369. 1. An de decimis, quas habent, liberè possint disponere. 371. 1. An illas transferre in alios Laicos. 370. 2. 1. An Ecclesiæ, cui malunt, restituere. 218. 2. 370. 2. 2. Decimæ à Laicis detentæ an accipi in pignus possint. 383. 2. Prælatus Papâ inferior an jus decimarum in Laicum transferre possit. 367. 1.

Dominus in fundo suo decimali an possit pro arbitrio

bitrio mutationem instituere. 359. 1, 1. Quâ ratione mutentur decimæ, si fundus mutetur, v. g. ager in pratum. *Ibid.* 2. Ad quem in casu mutationis pertineant decimæ. *Ibid.* 3 An ad permutationem quandoque acquiratur immunitas à solvendis decimis. 360. 2.

Delegatus.

Potestas an magis residеat in delegante, quàm in delegato. 139. 1. 3.

Depositum. Depositarius.

In quo differat Depositum à Commodato, & Precario. 253. 1. An furtum committat, qui re depositâ utitur invito domino. 253. 2. 1. An teneatur ex depositо Monasterium, Pater &c. si depositum apud Religiosum, Filium &c. periit. 253. 2. 2. & 254. 1. 3. Præsumptio doli quandonam sit contra depositarium. 255. 2. 1. In dubio, an ejus culpa vel dolus intervenerit, cui probatio sit injungenda. *Ibid.* Depositarius quam culpam præstare debeat. 255. 2. 2. An casum fortuitum. 256. 1. An res depositа in compensationem retineri queat. 256. 2.

Dignitas.

Dignitates Ecclesiasticas plures an unus obtinere possit. 79. 1. 98. 1. An acquirens novam amittat priorem. 186. 2. An possit alicui Dignitati uniri Ecclesia Parochialis. 104. 2. 6. 113. 1.

Dispositio.

Dispositionis valor an pendeat à tempore, in quod effectus confertur. 342. 1. An Legislator verba dispositionis censendus sit accepisse juxta regionis consuetudinem. 343. 1. 1. Unde verba dispositionis accipiant suam interpretationē. 455. 1.

Distributiones Quotidianæ.

Quandonam absentes à Choro lucrentur distributiones quotidianas. 57. 1. & 2. Qualis partitio earum fieri debeat. 58. 2. 8. An circa eas statuere aliquid possit Capitulum. 58. 1. 7. Distributiones in anniversariis defunctorum quibus debeantur. 58. 2. 9. An qui absens gaudet fructibus sui Beneficii, gaudeat etiam distributionibus. 112. 2. 1.

Divisio.

Divisio bonorum communium quomodo facienda. 351. 2. 2.

Doctor.

Doctores an censeantur Nobiles. 98. 2. 6. Ædes Doctoribus locatæ an aliis locari possint ante finitum locationis tempus. 264. 1. An præferri debeant novis conductoribus, si æquale pretium offerant. 266. 2. 4.

Domicilium.

An quis possit domicilium habere in pluribus Parochiis. 348. 1. 3. An illud liberè possit mutare. 356. 2.

Dominium.

An quandoque dominium transferri possit possessione naturali penes alterum existente. 2[illegible]. Ex sola locatione an probetur dominium. 4[illegible].

Donatio.

Donatio facta Ecclesiæ à Clerico quandoque rescindatur. 27. 2. 3. Donatio facta Monachis ab ingressuro Religionem quando sit valida, et 5. Donatio Ecclesiæ facta, an censeatur facta tatis causâ. 270. 1. 1. Donationes ex bona clesiæ quas facere Prælati possint. 300. & Quantum Monasterio donare possit Episcopus 408. 2. Quando donatio illi facta revocari pos 309. 1.

Si pluribus communiter res donata vel legata an possint singuli arbitratu suo de illa disp 60. 1. 2. Donata an acquirantur donatario ignoranti. 145. 1. 2. Donatio personalis & mi quid. 184. 2. 3. Sitne in dubio censenda perso lis, an realis. *Ibid.* 4. An in Venditione quan que censeri possit interveniſſe donationem. Donationes an sint latæ interpretationis. Donatio ob ingratitudinem quando possit revo ri. 309. 2. Donatio inter Conjuges relata mu pus mortis an valeat. 342. 1.

Ecclesia.

Ecclesiæ an possint privatâ auctoritate 527. 1. 1. An sint consecrandæ, si non sint tatæ. 520. 1. 1. Quæ sit dos competens. *Ibi* Quæ conditiones fundationi Ecclesiæ aliis 304. 2. Institutio Ecclesiarum & custodia ad pertineat. 184. 1. 2. Cujus sit restaurare Ec sias collapsas, aut ruinosas. 527. 1. 3 cleſiæ nondum existenti quâ ratione concedi legium possit. 531. 2.

Ecclesia Secularis an possit commutari in Regularem & vicissim. 531. 1. Quot modis ergo fit Ecclesia Regularis in Cathedralem. 205. Quid movere debeat ad statum Ecclesiarum mu dos. 206. 1. 2. An ex reditibus Ecclesiæ epis detrahi aliquid possit ad subveniendum alteri cleſiæ pauperi. 220. 1.

Unio Ecclesiarum quot modis fiat. 72. 1. clesia Parochialis an possit uniri alicui Digni vel Præbendæ Canonicali. 104. 2. 6. Ex quas causas. 113. 1. 2. Quis tunc curam animar habeat, Vicarius an Canonicus. *Ibid.* 3. Quo donam censeatur Ecclesia Parochialis plene u unita Monasterio. 108. 1. 3. Si unita est alteri neficio, an ejus naturam induat. 131. 1. 2. Ecclesiæ posterior quando valeat contra priorem 481. 2. 2. Possitne Ecclesia mutare statum Ecclesiæ sibi unitæ. 73. 1. An possit Ecclesia parochi ta uniri alteri Ecclesiæ sine consensu Patronū. 1. & 2. An possit Episcopus Monasterio dare Ecclesiam sibi subditam. 306. 1. 2. Quo modo [illegible]

lis donatio intelligenda. *Ibid.* 3. Curatis Ecclesiarum unitarum quomodo providendum. 77. 1. 2.

Ecclesia quo modo violatur per homicidium. 516. *& seq.* An per sepulturam Hæreticorum. 345. 2. Violatâ Ecclesiâ an violata sint etiam altaria. 516. 2. Et Cœmeterium 517. 1. Ecclesia violata quomodo reconcilianda. *Ibid.* & 521. 2. A quo reconciliari debeat. *Ibid.* Quandonam novâ consecratione indigeat. 518 1. & 2.

In Ecclesia quotuplex locus distinguatur. 2, 1. 2. Laicis quis locus in Ecclesia competat. *Ibid.* Ludi theatrales an in Ecclesia exhiberi possint 9. 1. Quænam repugnent reverentiæ Ecclesiarũ. 552. 1, Pœna spoliantium Ecclesias 482. 2. Ecclesiæ utensilia an possint ad profanos usus adhiberi. 453. 1. 3.

Induci consuetudine vel statuto an possit, ut in aliqua Ecclesia major sit numerus præbendarum, quàm Canonicorum. 157. 1. 1. An, ut quis in eadem Ecclesia Personatum unà cum Canonicatu obtineat. 172. 1. In Ecclesiis Collegiatis & Conventualibus quot personæ institui debeant. 179, 1. Ecclesiæ Cathedrales & Regulares quanto tempore vacare possint. 190. 1. 3. 193. 2. 1.

Prælato pro juribus Ecclesiæ agere impedito quis agere debeat. 185. 2. 7. Ecclesiæ juribus quando obesse Prælatus possit. 301. 2. An possit Episcopus aliquid statuere in præjudicium Ecclesiarum. 265. 1. 1. Contra Ecclesiam an currat præscriptio vacante Sede. 207. 2. 4. An contra Ecclesiam agi ad supplementum possit. 303. 2. An hæres Rectoris resarcire Ecclesiæ teneatur damna ab illo data. 280. 1. 2. Bona Prælati an sint obligata Ecclesiæ pro mala administratione. 283. 2. Quando Ecclesia teneatur ad debita Rectoris. 295. 2. 296. 1. *Vide* Ecclesiastica Bona. Ecclesiæ Rector *Vide* Prælatus. Beneficiatus. Ecclesia Parochialis *Vide* Parochia. Ecclesiæ immunitas *Vide* Immunitas.

Ecclesiastica Bona.

Quotuplicia sint bona Ecclesiarum & Ecclesiasticorum. 543. 2 2. Quotuplicia sint onera, quibus illa gravari possunt. 544. 1. 3. Bona Ecclesiæ an sint censenda bona pauperum. 231. 1. 2. Quibus ex causis alienari possint. 238. 2. 233. 1. 241. 1. 4. Quid nomine alienationis hîc intelligatur. 233. 2. 3. An possint hypothecæ subjici. *Ibid.* & 278. 1. 279. 2. 1. An infeudari. 276. 1. An permutari. 268. 2. 1. An dari in Emphyteusin. 235. 2. 1. An elocari. *Ibid.* 2. An donari. 244. 1. 300. 2. An subjici Laicis tanquam Dominis & Advocatis. 243. 2. 1. An per venditionem transferatur dominium rei Ecclesiasticæ ante solutionem pretii. 246. 2. An mancipia Ecclesiæ vendi vel donari possint. 269. 2. 2. 270, 1. 2.

Ad contractus circa res Ecclesiæ earúmque alienationem qualis solemnitas requiratur. 209. *& seqq.* 241, 1. 4. An ex diuturnitate temporis præsumatur solemnitatem intervenisse. 259. 2. An alienatio sine solemnitate facta sit irrita. 214. 2. 2. An possit retinere bona Ecclesiæ, qui ea sine solemnitate emit. 242. 1. Prælatus habens jurisdictionem quasi Episcopalem an possit præstare auctoritatem in alienationibus rerum Ecclesiæ. 229. 2. 1. Contractus circa res Ecclesiæ an possit Pontifex reddere irritos. 245. 1. An sine solemnitatibus elocari possint prædia Ecclesiæ inter Canonicos distributa. 237. 1. 1.

Ecclesiæ bona malè alienata an revocari possint 232. 2. 234. 2. 3. 269. 1. 1. An Ecclesia in contractu læsa possit petere restitutionem in integrum. 238. 1, 1. An si restituitur, pretium emptor recuperet. 238. 2. 2. Quæ actio competat Ecclesiæ ob bona malè alienata. 235. 1. 5. An Ecclesiæ cujus bona alienantur, dandus sit defensor. 240. 2 2. An contra Ecclesiam ad supplementum agi possit. 303. 2.

Subscribentes alienationi malè factæ quam pœnam incurrant. 234. 2. 1. Quam illi, in quos tali alienatione bona translata sunt. 237. 1. 2. Bona Ecclesiæ dilapidans ad quid teneatur. 34. 2. 2. Ad quid teneatur, qui non acquirit Ecclesiæ dona vel legata. 312. 1. Bona Prælati an sint Ecclesiæ obligata pro mala administratione. 283. 2. An hæres Rectoris Ecclesiæ teneatur resarcire damna ab illo Ecclesiæ data. 280. 1, 2. An Rectori Ecclesiæ restitui debeat, si quid eidem ex propriis bonis impendit. *Ibid.* An acquiratur Ecclesiæ, quod Prælatus vel Beneficiatus emit ex reditibus Ecclesiasticis. 34, 1.

Res & jura Ecclesiæ an possit Episcopus pro arbitrio transferre ad aliam. 229. 2. 2. 241. 1. 3. An alienare possit Prælatus, si juravit, se non alienaturum 236. 2. An alienare possit Episcopus sine consensu Capituli. 240. 1. Bonorum Ecclesiasticorum immunitas *Vide* Immunitas.

Electio.

An consuetudo & peculiaria statuta possint aliquos reddere ineligibiles. 30. 2. 3. An electio indigni sit irrita. 100. 1. An valeat facta ab eo, qui est in possessione juris eligendi. 479. 2. Tractatus & electio quomodo differant. 220. 2. 3. An, qui ad tractatum admittitur, habeat jus eligendi. *Ibid.* Electio & Præsentatio in quo differant. 487. 2. 4.

Emphyteusis. Emphyteuta.

Emphyteusis in quo differat à Precariis. 245. 1. An etiam jura dari in emphyteusin possint. 244. 1. An fundi Ecclesiæ. 235. 2. 1. Emphytheutæ damnum passo an aliquid de canone remitti debeat. 265. 2. Quando omnino liberetur à canone solvendo. *Ibid.* An possit jus suum & meliorationes vendere. 267. 1. Quando & quâ ratione expelli possit ob non solutum canonem. 267. 2.

Emptio.

Emptio. Venditio.

Res empta, nondum tradita, cui pereat. 251. 2. Res oppignerata an per venditionem transeat cum onere pignoris 282. 2. 2. Cogi ad vendendum an quis possit. 256. 2. 2. Pretium rerum an statuere possit Magistratus. 256. 2. 1. Emptor vel Venditor ultra dimidium læsus quomodo possit agere. 258. 1. 1. 261. 2. Donatio quando censeri possit interveniſſe in Venditione. 262. 1. Res aliena an vendi possit. 263. 1, 3. Cui acquiratur, quod alienâ pecuniâ emitur 312. 2. Venditor quandonam Emptori teneatur de evictione. 263. 1. Emptionis instrumentum cujus nomine confici debeat. 34. 2. 1.

Emptio & Venditio an fieri possit cum pacto revenditionis & redemptionis. 281. 1. 2. Ad quem, si tale pactum fiat, interim fructus pertineant. *ibid.* 3. Quandonam tale pactum usuram contineat. *Ibid.* 4. & 5. Quando emptio & venditio censenda sit usura palliata. 260. & 261.

Episcopatus.

An inhabilitas ad Episcopatum aliámve Prælaturam consuetudine, aut privato statuto induci possit 30. 2. 3. Episcopatus an vacet per adeptionem alterius dignitatis aut personatûs. 193. 2. 2. Nomine Dignitatum an in materia odiosa veniat Episcopatus. 201. 1. An de bonis & juribus Episcopatûs inchoari vel continuari possit judicium, vacante Sede. 208. 1. 2. Suscipiens Episcopatum post Votum Religionis an sit transgressor Voti. 437. 1. 2.

Episcopus.

Episcopo an competat hoc nomen ante consecrationem. 219. 1. 1. An comprehendatur sub nomine Clericorum. 129. 1. 4. Electus Episcopus an possit ante consecrationem priora sua Beneficia in manus Capituli resignare. 225. 1. 2. An possit Episcopo conferri Beneficium. 193. 2. 3. Quale jus ei competat ratione Canonicatûs, si quem in sua Ecclesia habet 203. 2. Quæ negotia cum Capituli consensu tractare debeat. 214. & *seq.* 240. 2. Quomodo tractare debeat Clericos. 174. 1.

Quando sit licitum Episcopo discedere à sua Ecclesia. 303. 2. An possit vovere longam peregrinationem. 434. 2. 3. An ipso absente administratio diœcesis sit penes Capitulum. 438. 2. An possit ab uno Episcopatu propria auctoritate transire ad alium. 34. 1. An sibi eligere sepulturam. 308. 2.

Quam portionem possit petere ex piis legatis & mortuariis. 325. 2. 34. 2. 2. Quando eam petere non possit. 325. 1. An possit aliquid relinqui Ecclesiæ, ut Episcopus inde portionem non habeat. 326. 1. An sit pium legatum, quod Episcopo legatur. *Ibid.* An illi competat quarta decimarum. 380. 2. An quandoque integræ decimæ. *Ibid.*

Executio Testamenti quando ad Episcopum devolvatur. 316. 1, 2. An possit Laicos Executores ad exequendum compellere. 319. 2. 329. 1. 331. 2. 1. An mutare ultimas voluntates & fundationes 328. 2.

An possit ad mensam suam derivare, quæ ad fabricam vel ministrorum sustentationem sunt destinata. 60. 1. 1. Quandonam fundus aliquis censeatur esse de mensa Episcopi. 236. 1. Cui onera incumbant, quæ comparat Episcopus ex reditibus Ecclesiasticis. 310. & *seqq.* 314. 2.

Quoties visitare debeat Ecclesias. 450. 1. 2. Subjecta ei sint Xenodochia aliáque loca pia. 447. 1. An Regularium Monasteria & Ecclesiæ. 448. 2. 454. 1. An Vicarius secularis in Parochia Monasterio unita. 461. 2. An Vicarius Regularis. *Ibid.* Quid possit in Regulares curam animarum exercentes. 110. & *seqq.* Quam curam piorum locorum habere Episcopus debeat. 452. 1. 2. An cogere possit Abbatem vel Abbatissam, ut hunc vel hanc suscipiat in Monasterium. 397. 2.

Quando & quâ ratione dividere & multiplicare Beneficia possit. 94. & 95. An possit proborum res & jura unius Ecclesiæ transferre in alias. 229. 2. 2. 241. 1. 3. An ad subveniendum Ecclesiæ pauperi vel Beneficio detrahere ex alio equato. 220. 1. An portionem detrahere ex antiquo Beneficio vel pensionem extinguere ad erigendum novum. 42. 1. 1. An vacanti Beneficio novum annus addere. 74. & *seqq.* An aliquid statuere in præjudicium Ecclesiarum. 265. 1. 1.

An possit Ecclesiam Parochialem unire alicui dignitati vel præbendæ Canonicali. 104. 1. 2. Monasterio. 219. 1. 2. An Monasterio donare Ecclesiam sibi subditam. 306. 1. 2. Quantum donare possit Monasterio. 308. 2. An possit mutare statum Ecclesiarum Monasteriis incorporatarum. 73. 2. 3. An Monasteria transferre ad Clericos. 453. 2. An Ecclesias sibi subjectas eximere à juribus Episcopalibus. 454. 2.

Quandonam in Beneficiis patronatis liberam habeat institutionem habeat. 468. 1. 4. An possit instituere lite super jure patronatûs pendente. 475. 2. An licentiam dare conferendi Beneficium vacaturum determinatum. 200. 2.

Munus prædicandi Verbum Dei an sit proprium Episcopi. 353. & *seq.* Qualis in eo scientia requiratur. 120. 1. An possit à prædicando impediri Regulares. 353. 1. & 2. An Ordines conferre alicui non subdito. 355. 1. Ad quid teneatur, si quem ordinat absque titulo 64. 2. 81. 2. 4. 82. 2. 7. An si cui non habenti titulum det literas dimissorias generales, ei debeat providere. 170. 2. 2.

An possit Episcopus aliquid statuere contra jus universale. 50. 1. 3. An remittere obligationem residendi. 53. 2. 2. Canonici in ejus obsequiis occupati & absentes an faciant fructus suos. 43. 2. 4. 52. 1. 5. An distributiones quotidianas. 43. 2. 4. An etiam alii Clerici 52. 1. 6.

Etymo-

Etymologia.

Argumentum ab etymo vocabuli duci an possit. 81. 1. 3.

SS. Eucharistia.

Quænam contineantur in SS. Eucharistia. 523. 1. An sit asservanda. 523. 2. Et quomodo. 525. 2.

Evictio.

Vide Emptio.

Exactio.

Vide Vectigal.

Facultas.

Vide Privilegium. Gratia.

Falcidia.

Quando detrahi possit. 327. 2. 2. 330. 2. An deduci possit etiam ex donationibus mortis causâ factis. 331. 1. Modus eam detrahendi. *Ibid.* An detrahi possit ex fideicommisso ad pias causas. 334. 2. 4.

Feudum.

An fructus in sortem computari debeant, si feudum pignoris loco Domino directo est obligatum. 275. 1. Res Ecclesiæ quandonam Prælatus infeudare possit. 276. 1. 1. 277. 6. 303. 2. An teneatur res ad Ecclesiam reversas denuo infeudare. *Ibid.* 2. 277. 1. 5. Vasallus an possit feudum sine consensu Domini directi alienare. 276. 1. 3. An filiæ in dotem dare. *Ibid.* 4. An in feudis succedatur jure hæreditario, an verò sanguinis. 433. 2.

Fideicommissum.

Quid, & quotuplex. 327. 1. Hæres fideicommisso gravatus an possit deducere Trebellianicam & Falcidiam. 327. 2. 2. Hæres fideicommissa non exequens quomodo puniatur. 433. 1. An in præjudicium fideicommissi possit fieri Votum. *Ibid.* In fideicommissis an succedatur jure hæreditario, an verò sanguinis. 433. 2.

Fidejussio. Fidejussor.

Fideiussori solventi quæ actio competat. 290. 1. 3. Fidejussor quando possit petere liberationem à fidejussione. 291. 1. 293. 2. Ad quid teneatur fidejussor. *Ibid.*

Ex fidejussione Religiosi quando teneatur Monasterium. 292. 1. & 2. Prælatus an fidejubere possit absque consensu Capituli. *Ibid.* An fidejubere possint Clerici. 289. 1. 290. 1.

Filius.

Filiusfamilias an possit absque consensu patris sepulturam sibi eligere. 349. 2. 2. An per voluntatem ultimam disponere. *Ibid.* Filius an sit in potestate etiam matris. 428. 1. 2. Filium illegitimum an pater in potestate habeat. *Ibid.*

Filij an dependeant à voluntate parentum in statu amplectendo & votis edendis. 395. 2. 4. Pater, qui filium impuberem Religioni vovit, ad quid teneatur. 396. 1. 6. An statim debeatur legitima liberis, si pater Religionem profiteatur. 398. 1.

Fructus.

Fructus pignoris ad quem pertineant. 284. 1. 2. An in sortem computentur, si feudum est oppignoratum Domino directo. 275. 1. Quando & quomodo usufructuarius faciat fructus suos. 286. 2.

Fundator.

Quas conditiones Fundator addere possit fundationi Ecclesiæ vel Beneficij 304. 2. 504. 2.

Gratia.

Gratiæ exspectativæ ad Beneficium vacaturum an sint conformes Sacris Canonibus 189. 2. 1. A quo conferri possint. 122. 2. 2. 134. 1. 1. Quotuplices sint. 114. 1. Quo tempore suum effectum consequantur. 115. 1. 2. Quid ad earum valorem requiratur. *Ibid.* An exspectativam perdat, qui præbendam proximè vacantem non petit. 136. 1. Gratiæ exspectativæ an se extendant ad Beneficia resignata causâ permutationis 274. 2.

Gratia à Principe concessa an sit latæ interpretationis. 128. 1. 149. 1. 305. 1. An in dubio ita sit intelligenda, ut dispensationem contra jus non inducat. 152 3. Gratia Beneficialis quando sit strictæ interpretationis, quando latæ. 156. 1.

Specialis Gratia an deroget generali. 139. 2. An Princeps per secundam gratiam censeatur alicui velle adimere jus quæsitum. 142. 1. 1. An vitietur gratia, si taceatur qualitas de jure exprimenda. 151 2. 1. Quis sit effectus gratiæ ab inferiori concessæ & à Papa confirmatæ. 153. 2. 3. Gratiæ motu proprio concessæ quæ vitia opponi possint. 154. *& seqq.*

Gratia quando dicatur facta ad instantiam. 155. 1. 4. Gratiæ ad instantiam factæ an opponi vitium subreptionis possit. 155. 1. 2. An censeatur gratia motu proprio concessa, si id non exprimatur. 155. 1. 5. An ut Princeps conferens Beneficium vel officium, censeatur tollere inhabilitatem, necesse sit exprimi clausulam *ex certa scientia.* ibid. 6.

Gratia an exspiret per mortem concedentis. 169. 2. An gratiæ Beneficiales revocentur per mortem Pontificis. 171. 2. Decretum Gratiæ revocatorium, quid operetur. 172. 2. Gratiæ Principum an censeri debeant precariò datæ. 248. 2. *Vide* Privilegium.

Habitus.

An annus probationis debeat fieri in Habitu Religioso. 393. 1. An valeat Professio non suscepto Habitu. 397. 2. Gestatio Habitûs Religiosi an habeat vim tacitæ Professionis. 409. 2. 3. Habitum Religiosum an possint gestare Clerici seculares. 387. 2.

Hæreditas. Hæres.

Ad hæredem quando pertineat executio testamenti. 316. 1. An possit mutare voluntatem defuncti.

functi. 328. 2. Quam pœnam incurrat hæres, si non impleat voluntatem defuncti. 329. 1. & 2. 433. 1. A quo compelli ad exequendum possit. 329. 2. 329. 1. Et quomodo. 330. 2.

Hæres fideicommisso gravatus an possit deducere Trebellianicam, & Falcidiam. 327. 2. 2. Quâ ratione possit deducere legitimam hæres necessarius, si est gravatus hæreditatem restituere. 328. 1. 3. & 4. Quantum deducere possit, si legatis nimis est gravatus. 330 2. Falcidiam & Trebellianicam quando deducere non possit. *Ibid.* Ex quibus possit detrahere, & quomodo. 331. 1.

Res certa testamento relicta quando censeri debeat pars hæreditatis potiùs quàm legatum. 328. 1. 4. 332. 2. Promissio & pactum de hæreditate viventis an valeat. 189. 2. 2. Institutio hæredis quot modis fiat. 327. 1. *Vide* Testamentum.

Hæresis. Hæreticus.

An matrimonium solvatur per hæresin. 421. 2. An detur obligatio reddendi debitum conjugi hæresis damnato. 425. 2. Hæreticus an possit esse Patronus Ecclesiæ. 487. 1.

Histrio.

An histriones sint infames. 13. 2. 2. An irregulares. 14. 2. 3. An eos spectare licitum sit Clericis. 50. 2.

Hospitale.

An Episcopo subsint Hospitalia. 452. 1. Quando efficiantur locus religiosus. 452. 2. An possint in profanos usus converti. 453. 1. 2.

Hypotheca.

Vide Pignus.

Illegitimus.

An possit patri ad aram ministrare. 5. 1. 3. An sit in potestate patris. 428. 1. 2.

Immunitas Ecclesiastica.

Immunitate ab oneribus secularibus an gaudeant Ecclesiæ & Ecclesiastici. 534. *& seqq.* 550. *& seqq.* 553. 1. & 2. Immunitas Ecclesiastica unde habeatur. 534. 1. 1. 239. 2. 1. Unde oriatur ejus violatio. *Ibid.* Ejus violatores an sint ipso facto excommunicati. 240. 1. 511. 1. & 2. 535. 2. 553. 1.

Clerici an teneantur ad defensionem Civitatis. 533. 1. Quandonam Ecclesiæ & Ecclesiastici ad contributiones teneantur. 534. *& seqq.* 544. *& seqq.* Quinam Clerici gaudeant immunitate Ecclesiastica reali. 543. 1.

Judex secularis an possit jus dicere in domo ad Ecclesiam pertinente. 532. Causæ sanguinis an agitari possint in Ecclesia vel Cœmeterio. 536. 1. An causæ Ecclesiasticæ. 536. 2.

Bona Ecclesiastica à quibus oneribus sint immunia. 544. *& seqq.* 551. *& seqq.* Immunitas Ecclesiæ quoad res illuc confugientes. *Vide* Asylum.

Impubes.

Impuberes an possint ingredi Religionem. 1. 1. An votum de emittenda Professione facere. *Ibid.* 2. An revocari à parentibus. *Ibid.* An possint habitum religiosum. *Ibid.* An si à parentibus sint oblati Monasterio, possint ante puberem recedere. 394. 2. 395. 1. 1. An si sponte se ingressi. 410. 2. Quomodo ratificare post puberem possint Professionem, quam ante emiserint. 410. 2. An validè voveant 430. 1.

Injuria.

Actio injuriarum an transeat ad hæredes. 34.

Institutio hæredis.

Vide Testamentum.

Institutio Beneficiaria.

Vide Beneficium.

Instrumentum.

Irritum an sit Instrumentum, in quo scripti testes absentes, tanquam fuerint præsentes. 1. 1. 3. Confectum à Notario putatitio an valeat. 458. 1. An valeat confectum à Notario Cessante. 560. 1. Transumptum quando fidem faciat. 1. 1. 2. Quis ad edenda instrumenta cogi possit. *Ibid.*

Instrumentum quando faciat plenam probationem. 304. 2. 2. An in instrumento nominis Inventûs erecto exprimi debeant nomina Contrarium. 307. 2. 2. Instrumentum emptionis in nomine confici debeat. 311. 1. 1. Rasura vitiet instrumentum. 456. 2. Instrumentum non profit, qui illud impugnavit 506. 1.

Interdictum.

An agi possit interdicto possessorio in re etiam incorporalibus. 208. 1. 1. Interdictum quando & quomodo ferri possit. 214. 2. 1.

Irregularitas.

Irregularitas ex corporis vitio quot modis contrahatur. 174. 1. 1. An, quæ irregularitatem inducunt, si existant ante Ordines, etiam inducant si existant post illos. *Ibid.* 2. Irregularitatem contrahant Clerici, si spectent eventus eventuales. 560. 2.

Judæus.

Judæi an possint habere bona immobilia. 1. Ad quas decimas solvendas teneantur. *Ibid.* fiant capaces juris Patronatûs. 487. 1.

Judex. Judicium.

In Judicem delegatum an compromitti possit in amicabilem compositorem. 88. 2. 2. An & quam in arbitrum. 273. 1. Judex quando possit supplere, quæ à litigantibus, eorumve vocatis omittuntur. 258. 2. An possit accumulare munera. 5. *& seqq.* An in dubio adjudicans Beneficium, alteri pensionem. 88. 2. 3. An condemnare ad rei petitæ & non amplius ad

æstimationem, etsi actor hoc non petat. 507. 1. 2. An se debeat conformare causæ in prima instantia agitatæ. 258. 1. 2. An jus possit dicere in domo ad Ecclesiam pertinente, si sit Judex secularis. 532. 1.

An, qui in uno judicio succubuit, possit experiri in alio. 307. 1. An eadem res in diversis judiciis peti possit ex diversis causis. 258 1. 3. Causæ connexæ quandonam ad eundem Judicem pertineant. 142. 1. 3. In dubio, quis Judex alterum prævenerit, quid agendum. 162. 1. An valeat processus, si Judex nesciat, se esse competentem. 145. 2.

Iuramentum.

Juramentum de abstinendo an peccatoribus imponi debeat. 17. 2. 1. Juramentum præstitum circa materiam Juris quomodo intelligendum. 48. 2. Juramentum de servandis statutis & consuetudinibus quousque extendatur. 223. 1. 5. Juramentum calumniæ an remitti possit. 291. 1.

Juramento probari an possint, quæ latent in animo. 388. 2. 3. Juramentum præstitum Patrono de solvendo novo censu vel augendo veteri an sit irritum. 504. 1. 1. Quam pœnam incurrat, qui hoc juramentum præstat. *Ibid.* 2.

Iurisdictio.

Actum unum Jurisdictionis ad aliquod officium pertinentis exercens, an illam acquirat etiam ad alios ejusdem officii actus. 449. 2. 2. An possessio superioritatis faciat actum jurisdictionis validum. 457. *& seq.* Pœna impedientium jurisdictionem Ecclesiasticam. 554. 1.

Ius.

Juri scripto quando præferenda sit æquitas. 157. 2. 1. Jura quibus subveniant. 272. 2.

Jura & reditus annui an inter bona immobilia numerentur. 244 1. 2. Jura unius Ecclesiæ an possit Episcopus transferre in aliam 229. 2. 2. 241. 1. 3. Jurium resignatio quibus verbis fiat. 185 1. 5. Quo sensu dicatur, eandem rem non debere diverso jure censeri. 379. 2. 2.

Laicus.

Laicis quis locus in Ecclesia competat. 2. 1. 2. An Laicis liceat ministrare altari. 3. 1. 2. An possint agere apud Judicem Ecclesiasticum. 497. 1. Quâ ratione interesse possint Conciliis Ecclesiasticis. 220. 2. 3. An possint aliquid statuere de rebus Ecclesiasticis. 239. 2. 2. 380. 1. An illas præscribere. *Ibid.* Pœnæ Laicorum jurisdictionem Ecclesiasticam impedientium. 554. 1. Violantium Immunitatem Ecclesiasticam. 240. 1. 511. 1. & 2. 535. 2. 553. 1. Obsequia temporalia Ecclesiasticis exhiberi prohibentium. 554. 2.

An Laicis possint locari fructus ex bonis Ecclesiæ. 265. 1. 2. 559. 1. An jus decimarum concedi. 367. 2. 368. 2. An possint jus decimandi præscribere, *Ibid.* An infeudari de decimis. 369. 1. An decimas detentas transferre in alios Laicos. 370. 2. 1. An illas restituere Ecclesiæ, cui volunt. 218. 1. 370. 2. 2. An de illis liberè disponere. 371. 1.

Legatum.

Legata ad pias causas quomodo præstanda sint. 317. 1. 5. Quæ legata sint pia. *Ibid.* 6. Legata pia an dependeant à testamenti valore. 318. 1. Portionem Canonicam quando Episcopus ex piis legatis & funeralibus petere non possit. 325. 1. An possit aliquid relinqui Ecclesiæ eâ conditione, ut Episcopus inde portionem non habeat. 326. 1.

Res certa testamento relicta quando censeri debeat legatum, quando pars hæreditatis. 328. 1. 4. Legata nudis verbis relicta quæ dicantur. 317. 2. An valeant legata, si hæres non instituatur. *Ibid.* Res aliena an possit legari. 318. 2. *Vide* Testamentum.

Legatus.

Legatus à Latere quæ Beneficia conferre possit. 119. 1. An possit ea reservare pro certa persona. 153. 1. 1. Legatis Apostolicis an debeantur procurationes. 508. 2.

Legitima.

Hæres gravatus restituere hæreditatem quâ ratione possit deducere legitimam. 328. 1. 3. Patre profitente in Monasterio an statim debeatur legitima liberis. 398. 1. Legitimæ an præjudicari possit per Votum. 433. 1.

Leprosus.

An possint leprosi, si plures simul habitent, propriam habere Ecclesiam. 528. 2. 1. An teneantur ad decimas solvendas. *Ibid.* 2.

Lex.

Lex pœnalis in privatione consistens an obliget ante sententiam declaratoriam criminis. 35. 1. 2. 106. 1. Lex intelligi debet cum effectu. 39. 1. 1. Verbum *Statuimus* an legem inducat. 176. 2. 1. Legis obligatio an remitti possit ab illo, in cujus favorem lata est. 264. 2. Lex an interpretationem accipiat ex consuetudine. 369. 2. Lex prohibitoria an extendatur ad casum non expressum. 463. 2.

Libellus Iudicialis.

An possit tolerari libellus, si ordine præposteró petat. 135. 1. 3. An, si generalibus tantùm verbis judicis officium imploret. 139. 1. 2.

Liberalitas.

Viri Nobilis propria Virtus est Liberalitas, & beneficia beneficiis cumulare. 300. 1. Maximè decet Principem. 305. 1.

Licentia.

An prosit data licentia ante acceptationem. 145. 2. Licentia accipiendi Ordines in alia Diœcesi quomodo intelligenda. 170. 2. Quis adeundus sit Prælato licentiam irrationabiliter negante. 478.

Litera.

Literæ Beneficiales.

Vide Beneficium.

Literæ Dimissoriæ.

Vide Ordines Ecclesiastici.

Literæ Apostolicæ.

Vide Rescriptum.

Locatio.

An res locata uni, ante finitum locationis tempus locari alteri possit. 264. 1. An ex sola locatione probetur dominium. 456. 1. Prædia quot modis locari possint. 364. 1. Rector Ecclesiæ an fructuum perceptionem locare possit laico. 265. 1. & 367. 2. Locator an colonis damnum passis teneatur de pensione remittere. 265. 2.

Conductor quando liberetur à mercede solvenda. 265. 2. An à re conducta ante finitum conductionis tempus amoveri vel recedere possit. 266. 1. 2. Quandonam censeatur locatio renovata. 266. 2. 4. Antiquus conductor an sit præferendus novo, si æquale pretium offerat. 266. 2. 4. Religiosi an possint conducere prædia. 362. 2. Conductor prædii an teneatur ad decimas. 372. 2. 375. 1.

Ludi theatrales.

Quinam in Ecclesia fieri prohibiti. 9. 1. Sub schemate Monachi vel Ecclesiasticæ personæ, ludibrii causâ, non sunt exercendi. *Ibid.*

Mandatum.

An implendum sit, si sine scandalo impleri non possit. 68. 2. 5. Mandati revocatio quando habeat suum effectum. 140. 1. 8. Mandatum an solvatur morte mandantis. 141. 1. An casus in mandato expressus extendi debeat ad alios similes. 144. 1. 2. An extendi possit ex consensu partis. 158. 1. 1. An mandatum executioni dari possit cessante causâ principali. 160. 2. Ratihabitio subsequens quando mandato comparetur. 427. 1.

Mansus.

Quid sit. 495. 1. 1. An sit exemptus ab oneribus. *Ibid.* Ad quæ servitia temporalia Presbyteri obligentur ex manso. *Ibid.* 2.

Maritus.

An possit ob adulterium uxoris suscipere Sacros Ordines vel ingredi Religionem. 422. 1. An possit relinquere conjugem adulteram. 424 2. Maritus peregrinans an possit recusare uxorem volentem sequi. 436. 1. 2. *Vide* Coniunx. Uxor.

Matrimonium.

Matrimonium unde nomen acceperit. 428. 1. Matrimonio consummato quâ ratione liceat Conjugibus ingredi Religionem. 414. 1. 415. 2. 418. 1. 417. 2. An Professio Religiosa solvat matrimonium ratum. 414. 2.

Utrùm contrahi matrimonium possit per procuratorem vel nuntium. 421. 2. An solvatur pr[illegible] pram, vel hæresin. *Ibid.* An consistere pos[illegible] ter occisorem & occisi uxorem. 426. 2.

Minorennis.

Minor quot modis dicatur. 395. 2. 4.

Missa.

Missam celebrare absque ministro an sit [illegible] 3. 1. 2. Obligatio quotidie dicendi Sacrum [illegible] modo intelligenda. 76. 1. 6. Missa an [illegible] nâ die celebrari possit. 523. 1. Quomodo [illegible] branda sit. *Ibid.* Missæ audiendæ præcepto [illegible] bique satisfieri possit. 352. 1. & 2.

Monachus.

Vide Regularis.

Monasterium.

An possit unum Monasterium desertum [illegible] alteri. 450. 2. Quid si uniatur Monasterium [illegible] pto aut alterius diœcesis. 451. 1. 3. Jura debi[illegible] Monasterij ad quem pertineant. 451. 1. 2. An [illegible] sit Monasterium mutare statum Ecclesiæ filiæ [illegible] tæ. 73. 1. An illius proventus accipere, [illegible] 1. An jura & tituli unius Monasterii sint [illegible] municabilia aliis Monasteriis. 163. 2. An [illegible] tratu Abbatum ab uno ad alterum Monasterium [illegible] transferri possint. 164. 2. 7. Jus præsentandi [illegible] instituendi in Ecclesiis Monasterio unitis, [illegible] petat. 464. 2.

Donatio facta Monasterio ab ingressuro Religionem quando valeat. 28. 1. 5. Quantum Monasterio donare possit Episcopus. 308. 2. Quando donatio illi facta possit revocari. 309. 1. An Monasterium per Episcopum transferri possit ad Clericos seculares. 453 2.

An quis in pluribus Monasteriis possit esse professus. 164. 1. 3. Translatus ad aliud Monasterium an retineat jura prioris. *Ibid.* 5. & 453. 1.

Monasterium quando obligetur ex fidejussione Religiosi. 292. 1. & 2. Quando ex morte, quæ Religiosus accepit. 293. 1. Novi census an Monasteriis imponi possint 496. 2. An pensiones earum fundatione imponi possit ac postea augere. 504. 2.

Moneta.

Jus monetæ cudendæ quâ ratione alienari possit. 367. 2. Monetâ mutatâ quomodo census solvi debeat. 506. 2. 510. 1.

Monialis.

Monialium monasteria ingredi quâ ratione [illegible] prohibitum. 4. 2. Quæ hodie circa clausuram Monialium sint observanda. 446. 2. 1. Ad quas personas pertineat decreti de clausura obligatio. *Ibid.* 2. Quæ sint justæ causæ dandi licentiam Monialibus è clausura egrediendi. *Ibid.* 3. In mutandi Monasterium. 447. 2. 4. Quis licentiam egrediendi dare possit. *Ibid.* 5. Quis locorum

mine Clausuræ intelligatur. 448. 1. Quâ ratione compelli Moniales ad clausuram possint. 448. 2.

Fœminis non Virginibus Religionem professis quale Votum danduma sit. 388. 1. 1. An, quæ de Monachis statuta sunt, procedant etiam de Monialibus. 395. 2. 2. An debeant earum Monasteria habere stabiles reditus. 448. 1. An certus earum debeat esse numerus. *Ibid.* An possint in judiciis per procuratores litigare. 448. 2.

Mora.

Mora quandonam noceat non restituenti, si damnum inde natum est. 251. *& seqq.*

Moribundus.

Moribundi à quo possint absolvi. 346. 2. Qualis satisfactio illis imponenda. *Ibid.*

Mutuum.

Ex mutuo, quod Religiosus accepit, quando teneatur Monasterium. 293. 1. An ex mutuo, quod accepit antecessor, teneatur successor Prælatus. 294. & 295. Quid probare debeat, qui antecessori dedit mutuum. 294. 2.

Nobilitas. Nobilis.

Quotuplex sit Nobilitas. 119. 2. 3. Nobilitati generis an præferenda nobilitas Virtutis & Scientiæ. 119. 2. 4. Virorum Nobilium propria Virtus Liberalitas, & Beneficia Beneficiis addere. 300. 1.

Nominatio.

In dispositionibus an priùs nominatus, sit prior jure. 134. 2. 1.

Notorium.

Notorium Juris & Facti, quid. 20. 1. 2. Notorium facti quotuplex. *Ibid.* 3. Notorium Juris quotuplex. 22. 1. Occultum quot modis aliquid dicatur. 21. 1. 4. Publicum & Notorium quatenus differant. 23. 1. 1.

Delictum quandonam censeatur notorium. 20. 1. 24. 1. 2. Crimen Adulterii & Fornicationis quando sit notorium. 23. 1. 2. Quandonam sola criminis notorietas sufficiat ad condemnationem. *Ibid.* 3. Dicta populi extrajudicialia an faciant notorium. *Ibid.* 4.

Novalia.

Vide Decimæ.

Novitius. Novitiatus.

An Novitij gaudeant privilegiis Religionis. 341. 1. An liberum illis sit regredi ad seculum. 408. 2. 409. 2. 1. An si egrediantur, teneantur solvere expensas in sui sustentationem factas. *Ibid* 2.

Novitiatûs annus an debeat esse integer. 392. 2. 399. 2. 49. 1. An debeat peragi in Habitu Regulari. 393. 1. Qui recipere in Novitiatum possit. 397. 2. An tempus Novitiatûs sit arbitrarium. 399. 2. 400. 1. Quomodo sit computandum. 400. & 401. An in illo dies cœpta habenda sit pro completa. *Ibid.* An debeat esse continuum. 403. 1. Morbi interruptio an obsit. 404. 1. An necesse sit, ut transigatur in Monasterio. 404. 2. 8.

An denuo probandus sit, qui post completum Novitiatum egressus ad Ordinem regreditur. 404. 2. 9. An Professus transiens ad alium Ordinem in illo Novitiatum præmittere debeat novæ Professioni. *Ibid.* 10. An repetenda sit probatio, si Professio ex aliquo defectu fuit irrita. *Ibid.*

An Beneficium Novitij durante Novitiatu vacet. 412. 1. 1. Utrùm Novitio habenti Canonicatum competat jus suffragij. *Ibid.* 2. An Novitio conferri Beneficium possit. 412. 2.

Oblati.

Oblati in Monasteriis an possint aliquid retinere proprium. 338. 2. An ex eorum bonis debeatur quarta parochialis Parochiali Ecclesiæ. 344. 2.

Oblatio.

Oblationes, quæ fiunt intra fines alicujus Parochiæ, an pertineant ad illam Parochiam. 219. 2. De oblationibus faciendis an extet præceptum. 385. 2.

Obligatio.

An remitti obligatio possit ab eo, in cujus favorem est introducta. 264. 2. Obligatio satisfaciendi læsis quando transeat ad hæredes. 347. 1.

Occultum.

Vide Notorium.

Officium. Officialis.

Officia Ecclesiastica an singula singulis Ecclesiasticis committenda sint. 162. 2. Officia ad nutum concedentis auferibilia an ejusdem morte extinguantur. 249. 1. 5.

Onus.

Onera, quorum impositione violatur immunitas Ecclesiastica, quotuplicia. 544. 1. 3. Quomodo verum sit, quòd res transeat cum suo onere. 551. 1.

Ordines Ecclesiastici.

Conferri an possint sine titulo sustentationis. 59. 2. Quotuplex sit titulus, super quo Ordines conferri possunt. 62. *& seqq.* 90. 1. An Parochus ad titulum suæ Ecclesiæ possit aliquem præsentare Episcopo pro Ordinibus. 490. 2. Suscipiens Sacros Ordines sine titulo sustentationis an suspensionem incurrat. 81. 25. An incurrat, si obligationem sustentationis promissori remittat. 82. 1. 6. An, si paciscatur, quòd nihil velit petere. *Ibid.*

Quomodo sit intelligenda licentia suscipiendi Ordines in alia Diœcesi. 170. 2. An Ordines conferre possit Episcopus alicui non subdito. 355. 1.

Ordo.

Ex ordine nominationis vel scripturæ an inducatur jus prælationis. 134. 2. 135. 1.

Pactum.

Pactum retrovenditionis quando censeatur usurarium. 281. 2 4. Pactum Legis commissoriæ an valeat. 285. *& seqq.*

Parentes.

An filij dependeant à voluntate parentum in votis edendis & eligendo statu vitæ. 395 1. 4. Ad quid teneatur pater, qui filium impuberem Religioni vovit. 396. 1. 6. An possint impuberes Religionem ingressi revocari à parentibus. 378. 1. 2.

An possit filius absque consensu patris sepulturam eligere. 349. 2. 2. An per ultimam voluntatem disponere *Ibid.* Pater Religionem professus an possit disponere inter liberos. 398. An tunc liberis statim debeatur legitima. *Ibid.* Pater an solus in potestate habeat filios. 428. 1. 2. An etiam illegitimos. *Ibid.*

Parochia. Parochianus.

Ecclesia Parochialis an possit uniri alicui Dignitati vel Præbendæ Canonicali. 104. 2. 6. Et quas ob causas. 113. 1. 2. Quis tunc curam animarum habeat. *Ibid.* 3. Quandonam Parochia censeatur pleno jure unita Monasterio. 108. 13. An si uniatur alteri Beneficio, ejus naturam induat. 131. 1. 2. Fines Parochiarum an præscribi possint. 355. 2. Curati Parochiarum an debeant esse perpetui. 464. 2. 1.

An possit quis esse Parochianus plurium Ecclesiarum. 348. 1. 3. An Parochiani teneantur Sacra audire in suis Parochiis. 352. 1. & 2. An teneantur administranda Rectoribus Ecclesiæ temporalia, si spiritualia ab iis non percipiunt. 356. 2. Quâ ratione compellendi sint ad solvendas decimas. 361. 1. 1. 366. 2. An possint supplicare pro retinendo suo Parocho. 44 2 1.

Intra fines Parochiæ antiquæ an possit ædificari nova. 529. 2. 1. An sola Parochianorum multitudo sit causa sufficiens ædificandæ novæ Parochiæ. *Ibid.* 2. Qualis honor debeatur antiquæ à nova. 530. 1. An si ex reditibus antiquæ ædificetur nova, Rector antiquæ habeat jus præsentandi. *Ibid.* Cui competat jus præsentandi & instituendi in Parochiis Monasterio unitis. 464. 2. *Vide* Ecclesia.

Parochus.

Parochus an possit transigere super decimis. 358. 1. An habeat fundatam intentionem ad decimas suæ Parochiæ. 379. 2. 3. *Vide* Beneficiatus.

Patriarchalis Sedes.

Quot sint Sedes Patriarchales. 102. 1.

Patronatus. Patronus.

Jus Patronatûs unde habeatur. 467. 2. Quotuplex lex sit. 485. 1. 490. 1. 2. An sit idem cum Advocatia. 470. 2. 483. 2. An acquiratur ex sola ædificatione Ecclesiæ. 486. 1. An ex reparatione. 486. 2. An perdatur, si collabatur penitus Ecclesia. *Ibid.* An acquiratur uni cum fundo feudali, cui est annexum. 476. 1. 1. Quinam sint hujus juris capaces. 487. 1. An possit pertinere ad fœminam. 204. 1. 1. Ad quem spectet, si rebus dotalibus sit annexum. *Ibid.* 2. Cui competat in Ecclesiis Monasterio unitis. 464. 2. Quando Patronatus ex Laico fiat Ecclesiasticus. 1. Translatus in Ecclesiam an induat naturam Patronatûs Ecclesiastici 493. 1. 2. An facilius degari possit Patronatui Ecclesiastico quam Secu-ri. 489. 2. An sit Simonia, jus Patronatûs re. 471. 1. & 2. 478. 1.

Patronus qualem Clericum præsentare debe-111. 2. 10. An possit præsentare suum filium aut nepotem. 471. 1. 3. 477. 1. 3. An sesquia-477. 1. 2. 488. 2. An suum Compatronum. 47-2. An liberè possit donare suum jus loco pio, 47-1. 2. 492. 1. 1. An Episcopo Diœcesis. 491 An transferre in Compatronum. 492. 1. 1. 47-2. An cum alio patrono permutare. 47-An in præsentando variare. 570. 1. 48-in fundatione sibi reservare aliquam pensio-483. 2. 2. An præsentare, etsi sit excommu-tus. 487 2. An res Ecclesiæ conferre vel dona-231. 1. 1. An ejus juribus se immiscere. 476. Aut electioni. 488. 1. 5. An institutionem re-destitutionem in Beneficio sibi vendicare. 46-491. 2. 473. 2. 1. An Ecclesiam patronatam i-corporare Monasterio 108. 1. 1. 470. 1. 2. 47-1. 475. 1. 481. 2. 3. An teneatur congru portionem assignare Beneficiato. 121. 1.

Præsentatio an promitti possit Beneficio nondum vacante. 204. 2. An valeat facta ab eo, qui falsò est in possessione juris præsentandi. 479. 2. 3. facta à vero patrono, qui non est in possessione 480 1. 2. Facta à possessore malæ fidei an sit re-sciadenda *Ibid.* 3.

An fieri possit lite super jure præsentandi pendente. 472. 1. 3. 483. 1. 1. An à patrono absente 215. 2. Quomodo sit facienda, si plures sint patroni. 465. 2. Quid, si patroni in præsentando sint discordes. 467. 1. Intra quod tempus fieri debeat, si Clericus & Laicus sint compatroni. 49-1. 3. Præsentatio & electio in quo differant 487. 2. 4.

Præsentatus an per præsentationem jus acquirat 187. 2. An debeat institui. 468. 1. 3. 471. 2. 490 1. 1. Quandonam censeatur malitiosè rejectus. 490. 1. 1. An possit patrono præstare juramentum de novo censu solvendo aut vetera augendo. 504. 1. 1. Possitne præsentari absens 215. 2. Removeri à Beneficio an debeat præsentatus à putatitio patrono. 472. 1. 2. Præsentatus ab aliqua Universitate seu Collegio studij generalis vel notoriè digni, an possint examinari ab Episcopo. 111. 2. 10.

Episcopus an possit unire Beneficium patronatum

cum alteri Ecclesiæ sine consensu patroni. 481. 1. & 2. An motu proprio patronum in Beneficio instituere. 488. 2. 2. Lite pendente an institutionem differre debeat. 475. 2. 483. 1. 2. 489. 1. Quandonam in Beneficio patronato liberam institutionem habeat. 468. 1. 4.

Paupertas.

Quantum conferat ad perfectionem. 440. 2. 3. An possit in paupertate religiosa dispensari. 444. 1.

Pensio.

Vide Census.

Permutatio.

Res Ecclesiæ quandonam permutari possint. 268. 2. 1. An ejusmodi permutationes illegitimè factas possit revocare successor. 269. 1. 1. Permutari an possint Beneficia partium conventione. 270. 2. 1. Pœna permutantium Beneficia propria auctoritate. 272. 1. & 2. Jus decimarum an permutari pro re temporali possit. 273. 2. 3.

Pignus.

An bona Ecclesiæ per generalem hypothecam obligari possint. 278. 1. 1. An etiam suppellex sacra. *Ibid.* 2. An liber homo possit pro debito pignoris loco retineri. 278. 2. An pater filium oppignerare possit. *Ibid.*

Res oppignerata si vendatur, an transeat cum onere pignoris. 282. 2. 2. Actio pignoratitia qualis sit. 284. 2. Hac actione quomodo agendum sit. 283. 1. 4. Creditor an possit pignus à quovis possessore vindicare. *Ibid.* An pignus alteri obligare. 284. 1. 1. Ad quid teneatur, si damnum dedit in pignore. *Ibid.* 2.

Fructus pignoris ad quem pertineant. 284. 1. 2. An in sortem sint computandi, si feudum est oppigneratum Domino directo. 275. 1. Pactum Legis commissoriæ an valeat. 285. & *seqq.*

Plus.

Quomodo in eo, quod plus est, contineatur minus. 158. 2.

Pœna.

An aliquando liget innocentem. 224. 1. 3. Pœnam Conventionalem quinam possint contractibus adjicere. 246. 1. An cadat hæc pœna, si contractus infirmetur. *Ibid.*

Pontifex.

An concedat privilegia contra decreta Concilii Generalis. 463. 2. 3. An censeatur derogare Concilio Generali. 113. 1. 1. An consuetudini vel juri particularium Ecclesiarum, si id non exprimat. 157. 1. 3. An derogare suæ potestati, si dat alicui gratiam aut potestatem. 171. 1. An in Beneficialibus agere secundùm plenitudinem potestatis. 191. 1. 2.

An penes Pontificem sit plena dispositio de Beneficiis vacantibus. 122. 2. 1. An possit dare Coadjutorem perpetuum, seu cum jure succedendi. *Ibid.* 2. An cum aliis Collatoribus concurrat. 123. 1. 3. Quæ sibi beneficia reservet, & quas ob causas. *Ibid.* 4. Effectus ejusmodi reservationum. 123. 2. 5. Utrùm per Concordata sublatæ sint. 123. *& seqq.* An, si Pontifex manum apponit ad Beneficium, illud ab Ordinario conferri possit. 150. 2.

Gratia à Pontifice concessa an sit latè interpretanda. 128. 1. 149. 1. An possit Pontifex in Votis Religiosis dispensare. 444. 1.

Portio Canonica.

Portionem Canonicam quando Episcopus ex Legatis & Funeralibus petere non possit. 325. 1. 332. 1. Quanta sit hæc Portio. 325. 2. An possit aliquid relinqui Ecclesiæ, ut Episcopus portionem inde non habeat. 326. 1.

Portio Canonica an debeatur Ecclesiæ Parochiali, & ex quibus. 340. 1. 344 1. 2. 348. 1. & 2. An ex bonis Novitiorum decedentium. 341. 1. An ex bonis Oblatorum vel Conversorum. 344. 2. Cui Ecclesiæ debeatur hæc portio, si quis in duabus Parochiis habuit domicilium. 348. 1. 2. Ecclesiæ Cathedrali quando debeatur. 342. 2. An in ea spectanda sit loci consuetudo. 343. 2.

Possessio, Possessor.

In dubio an melior sit causa possidentis. 191. 2. 1. 449. 2. 1. Quâ ratione post litem contestatam censeatur aliquis esse possessor malæ fidei. 252. 1. Possessor spoliatus quando debeat ante restitutionem probare suum jus. 379. 2. 3.

Possessio Superioritatis an faciat actum jurisdictionis validum. 457. *& seqq.* An possessio juris præsentandi, eligendi &c. 479. 2. Possessorio simul & petitorio judicio an quis possit agere. 462. 2. 1. Interdicto possessorio an agi possit in rebus incorporalibus. 208. 1. 1. Possessio Beneficij colorata, quid. 194. 1. 4.

Præbenda.

Vide Beneficium.

Præceptum.

An inchoari possit à comminatione censuræ. 97. 1.

Prælatus.

An teneatur tueri jura inferiorum Ecclesiarum, etiam motu proprio. 186. 1 7. Prælato impedito agere pro juribus Ecclesiæ, quis agere debeat. 185. 2. 7. An possit obesse Ecclesiæ quoad jura acquirenda 301. 2. 366. 1. 3. An quoad bona acquisita. *Ibid.* Ad quid teneatur, si Ecclesiæ non acquirat dona vel legata. 312. 1. 3. Aut si bona Ecclesiæ dilapidet. 311. 2. 2.

Sitne dominus, an procurator rerum Ecclesiæ. 300. 2. An possit donationes facere ex bonis Ecclesiæ. *Ibid.* An revocare donationes ab antecessore factas. 301. 2. 3. An res Ecclesiæ infeudare. 276. 1.

176. 1. An oppigneraro. 278. 1. 279. 2. 1. An jubere absque consensu Capituli. 292. 2. 296. 1. Aut alienare. 209. *& seqq.* An alienare possit ex causa, si juravit se non alienaturum. 236. 2. An ejus bona sint obligata Ecclesiæ pro mala administratione. 283. 2. Quando teneatur ad debita antecessoris 294. 1. & 2. Quandonam suo juri renuntiare possit absque Ecclesiæ consensu. 185. 1. 6. Patronum Ecclesiæ de novo an constituere possit. 244. 2.

Quandonam fundus aliquis censeatur de mensa Prælati esse. 236. 1. Utrùm acquirantur Ecclesiæ, quæ Prælatus ex reditibus Ecclesiasticis emit. 310. *& seqq.* An de illis testari possit. 312. 2. Cujus sint meliorationes, quas in terra Ecclesiæ fecit. 313. 2.

Ob quam negligentiam Prælatus sit amovendus. 445. 2. An ad ejus depositionem sufficiat processus summarius. 446. 1. 2. Quandonam ob impotentiam dandus ei sit Coadjutor. 174. 2. Quâ ratione curare debeat, ut idonei ad Beneficia Ecclesiastica promoveantur. 99. 2. Quam pœnam incurrat, si indignos promoveat. 100. 2. 4. Quàm benignè tractare debeat Clericos. 174. 1. In causis sanguinis quid possit, si habeat jurisdictionem externam. 566. 1. Quis Prælatus possit auctoritatem præstare alienationi rerum Ecclesiæ. 229. 2. 1. Et quâ ratione. *Ibid.* 3. Quinam Prælati ad Concilium Provinciale vocandi sint. 210. 2. 2.

Prælatus Regularis quas donationes absque Capituli consensu facere possit. 301. 1. 302. 1. Cujus Superioris consensum requirere debeat ad alienationem rerum Ecclesiæ. 230. 2. 5. An possit jura & bona unius Monasterij transferre in aliud. 164. 2. 7.

Præscriptio.

Unus actus continuatus an sufficiat ad præscriptionem. 130. 2. 3. An præscriptio unius actûs extendatur ad omnes similes. 360. 1. An contra Ecclesiam currat præscriptio vacante Sede. 207. 2. 4. Fines Parochiarum & Diœcesium an præscribi possint. 355. 2.

Præsentatio.

Vide Patronatus.

Præsumptio.

In dubio an actus præsumatur justus. 88. 1. 1.

Pragmatica Sanctio.

Quid sit. 269. 1.

Precariæ. Precarium.

Precariæ quid sint. 245. 1. In quo differant ab Emphyteusi. *Ibid* In quo à Precario. 250. 2. 7. Quando renovari debeant. 245. 2.

Precarium & Commodatum in quo conveniant, & differant. 247. 1. & 2. Precariò datum an revocari possit pro arbitrio concedentis. 248. 1. 6. An in pactum deduci possit, ut precarium non revocetur. 248. 2. An Precarium transeat ad successorem. 249. 1. 4. An extinguatur morte concedentis. *Ibid.* 5. An, qui emit rem precariò datam, possit eam revocare. 249. 2. 6. Quæ cauta in Precario præstetur. 251. 1. 2.

Pretium.

Pretium rebus an Magistratus statuere possit. 256. 2. 1. Venditor rei alienæ an pretium suum. 263. 1. 3. *Vide* Emptio.

Primitiæ.

Primitiæ frugum quomodo à Veteribus oblatæ. 357. 1. An hodiedum sint in usu. 385. 2.

Prior. Prioritas.

Prior Conventualis an sit verus Prælatus & dignitatem habeat. 440. 1. 3.

An prioritas juris nascatur ex prioritate nominationis vel scripturæ. 134. 2. 135. 1. Regula *Qui prior tempore, potior est jure* quomodo intelligenda. 136. 2.

Privilegium.

An sit strictæ interpretationis. 305. 2. Cui sit interpretari. 365. 2. In dubio situe cedendum reale, an personale. 184. 2. 4. An cedendum sit precariò datum. 248. 2. Privilegium non solvendi decimas quomodo intelligendum. 364. 1. 365. 1. Quæ clausulæ in privilegiis intelligantur. 343. 1. 2.

An ex parte favorabile, & ex parte odiosum sit. possit. 112. 2. 2. Odiosum quandonam se tendat ad accessoria. 67. 2. 2. Speciale an derog Generali. 139. 2. An dari possit privilegium quod nihil ultra jus commune contineat. 4. An profit privilegium ante acceptationem. 1. 2. An transeat cum re, cui inhæret. 4. Privilegium non solvendi decimas an transeat colonum. 364. 2. Privilegium concessum in liorum præjudicium quando censeatur subrep tium. 54. 1. 4. Quâ ratione concedi privilegium possit Ecclesiæ vel Monasterio nondum ex stenti. 531. 2. Pontifex concedens privilegium an censendus sit suæ potestati derogare. 171. 1.

An revocari possit privilegium, si cui nondum fieri incipiat. 54. 1. 3. An tunc ipso jure cesse *Ibid* 4. 363. 1. 2. An cesset, si cessat ejus fun 441. 1. An desinat per abusum *Ibid.* Per quos actus contrarios tollatur. 89. 2. An revocatum sit, antequam revocatio veniat in notitiam privilegiati. 140. 2. *Vide* Gratia.

Probatio.

Plures probationes insufficientes an & quando faciant unam plenam. 339. 1. Confessio parochi an plenè probet. *Ibid.* Probatio contra Professionem Religiosam cui incumbat. 395. 2. 3. Probatio Religiosa. *Vide* Novitius.

Procuratio.

Nomine Procurationis Visitantibus debitæ quid intelligi-

inte litigatur. 498. 1. Quomodo solvendæ sint hæ procurationes. 498. 2. Procurationes an debeantur Archiepiscopo à Monasteriis. 503. 1. An Legatis Apostolicis. 508. 2. 549. 2. An contra eas præscribi possit. 505. 1. 507. 2. 509. 2. Earum quantitas an desumenda ex consuetudine. 508. 1. An ex Oratoriis privatis exigi possint. 510. 1.

Procurator.

Quâ ratione Beneficium Ecclesiasticum per Procuratorem conferri possit. 91. 1. An laicus Procurator nomine Clerici in Beneficio investiri possit. 91. 2.

Professio Religiosa.

An valida sit Professio mox morituro. 341. 1. Quæ ætas ad validam Professionem requiratur 385. 2. An sit irrita, si non est spontanea. 386. 1. 3. Intra quod tempus reclamari possit contra invalidam Professionem. 387. 1. 3. Probatio contra Professionem Religiosam cui incumbat. 395. 2. 3. Minoribus Religionem professis cur non detur restitutio in integrum. 396. 1. 5.

Quâ ratione fiat Professio tacita. 388. 1. & 2. 392. 13. 409. 2. 3. An fieri possit etiam ante absolutum Novitiatum. 392. 2. An differri possit post finitam probationem. 409. 1. An annus probationis integer ad valorem Professionis requiratur. 392. 2. 399. 2. 411. 1.

An Professio requirat scripturam aut certam verborum formam. 396. 2. 405. 1. Quis eam debeat excipere. 397. 1. An fieri possit per Procuratorem. *Ibid.* Num opus ad eam sit consensu Capituli. 397. 1. 2. 413. 2. An fieri possit non suscepto Habitu Religiosi. 397. 2. Facta ab impotente mentis quomodo postea ratificetur. 399. 1. Invalida quo modo ratificetur. 411. 1.

Votum simplex profitendi in una Religione an tollatur per Professionem in altera. 413. 1. An per eam solvatur matrimonium ratum. 414. 2. An Professio invalidè facta valeat in vim simplicis voti continentiæ 415. 1. 2. 420. 2. An votum Religionis à Conjuge ante consummationem emissum impleri debeat. 422. 1.

Publicum.

Vide Notorium.

Ratihabitio.

Quandonam mandato comparetur. 427. 1.

Reditus Beneficiales.

Vide Beneficiatus.

Regnum.

Successio in Regno an deferatur jure hæreditario, an verò sanguinis. 433. 1. 2. Bona Regni seu Coronæ an possint gravari Votis vel alienari. 433. 1. 1. Nepos Regis quando in successione Regni præferatur Patruo. 433. 2.

Regularis.

Religiosum quid efficiat. 315. 1. Religiosi an possint habere peculium. 440. 3. 2. An testari. 315. 2. An exequi testamenta. 335. 2. An sui Ordinis habitum dimittere. 8. 2. 564. 2. An tractare secularia negotia. 11. 2. 1. An causas sanguinis. 560. 2. An officium Notarij exercere. 559. 2. An studere Legibus Civilibus vel Medicinæ. 556. 2. 557. 1. 562. *& seq.* An conducere prædia. 558. 2. 562. 2. 2. An pro susceptione ad Religionem aliquid petere ut pretium. 439. 2. An vota commutare. 489. 2. Quam potestatem habeant concionandi. 353. *& seqq.* An habeant jus sepeliendi in suis Ecclesiis. 340. 2.

Religiosi in suis Ecclesiis an possint habere curam animarum. 461. 1. An viâ præscriptionis aliquam Ecclesiam acquirere. 474. 2. Quænam Ecclesiæ Monasteriis incorporatæ pleno jure ipsis sint subjectæ. 108. *& seqq.* Quid in ejusdmodi Ecclesiis possint. *Ibid.* An in illis pro arbitrio Vicarios constituere possint. 108. 1. 2. An possint promoveri ad Ecclesias Parochiales. 442. 2. 4. An si præsint Parochiis, socium Ordinis secum habere debeant. 443. 1. 5. 464. 1. Quâ ratione Episcopo sint subjecti, si Parochias administrant. 110. 1. 7. An puniri ab Episcopo possint, si delinquant in cura animarum. 111. 1. 9. An debeantur illis decimæ ob curam Parochialem. 363. 1. 1. An debeant ipsi decimas. 363. 2. 385. 1. 382. *& seq.*

Ab uno Monasterio ad aliud an possint transire Religiosi. 389. 1. 1. 390. 1. Quinam dicantur transire temerè. 389. 1. 2. Revocari an possint, qui temerè transierunt. *Ibid.* 3. An detur obligatio recipiendi redeuntem. 389. 2. Quis licentiam transeundi dare possit. 390. *& seqq.* An ad transitum cogi possint à Superioribus localibus. 164. 2. 6. An à Capitulo Generali. 165. 1. 9. An à Generali totius Ordinis. *Ibid.* 10. Translati ad aliud Monasterium an retineant jura prioris. 164. 1. 459. 2. 2. Quâ ratione transire possint ad alium Ordinem. 406. *& seqq.* Religiosi fugitivi quâ ratione revocandi. 410. 1.

Quam pœnam incurrant Religiosi, si quem fraudulenter inducant ad eligendam apud ipsos sepulturam. 344. 2. 3. 347. 2. Quam, si lucri causâ aliquem pelliciant ad Religionem. 392. 1. 2. Quam, si avertant Fideles à dandis decimis. 384. 1. Quam, si sint proprietarij. 441. 2. 1. An fiant irregulares, si spectant cruentas executiones. 560. 2.

Impuberes an possint ingredi Religionem. 387. 1. An gestare habitum religiosum. *Ibid.* An revocari à parentibus. *Ibid.* An consultum sit, adolescentes blandè ad Religionem trahere. 392. 1. 1. Religionem ingressurus an possit liberè de suis bonis disponere. 341. 1. Quis succedat, si ante Professionem non disposuit. *Ibid.* An compelli quis possit ab Episcopo, ut finito probationis anno professionem edat. 409. 1.

Nomine Monachorum an veniat Abbas. 129. 1. 4. An, quæ in Jure de Monachis decernuntur, comprehendant etiam Canonicos Regulares, aliósque

Religiosos. 164. 2. 8. Habitum Monachorum an possint gestare Clerici seculares. 387. 2.

Religiosus quâ ratione sit obligatus suo Monasterio. 389. 1. 3. 390. 1. An contra Religionem & subjectionem præscribere possit. 405. 2. 2. An quis in pluribus Monasteriis possit esse Professus, 164. 1. Ex fidejussione Religiosi quando teneatur Monasterium. 292. 1. & 2. Quando ex mutuo, quod Religiosus accepit. 293. 1. Quâ ratione Religiosi possint judicialiter conveniri. 423. 1. Quænam circa eorum vestes, victum, silentium & administrationes sint statuta, 443. 2. An eorum Monasteria & Ecclesiæ Episcopo sint subjectæ. 449. 1. Novum Institutum Religionis an quis præter Summum Pontificem introducere possit. 459. 2 1. 460 1. An audientes Missam in Ecclesiis Regularium satisfaciant præcepto. 352. 2.

Religio. Religiosus.

Vide Regularis.

Reliquiæ Sacræ.

An requirantur ad essentiam Altaris consecrati, 513. 2. Cultui publico an privatâ auctoritate exponi possint. 526. 2.

Renuntiatio.

Renuntiatio Jurium quibus verbis fiat. 185. 1, 5.

Rescriptum.

An implendum, si sine scandalo impleri non possit. 68. 2. 5. An Princeps per secundum rescriptum censeatur alicui auferre jus quæsitum. 142. 1. 1. Rescripta Papalia quandonam derogent patronatui laico. 143. 2. 2 An possint extendi ut gravent plures. 144. 2. Quando sint suspecta. 463. 2. 1.

Per verbum generale in rescripto positum an derogetur particularibus Ecclesiarum institutis. 160. 1. 2. Verba rescripti Beneficialis quâ ratione verificari debeant. 194. 2. 7. Rescriptum specialem concedens gratiam, an possit extendi ad alios casus similes. 201. 1. An rescriptum Principis procedat in omni simili casu. 441. 2. 3. *Vide* Mandatum.

Residentia.

Quanta sit obligatio Beneficiatorum ad residendum. 34. 2. An quodlibet Beneficium Ecclesiasticum residentiam personalem postulet 38. 1. 53. 1. 1. 103. 2. An consuetudine induci possit, ut quis nec per se nec per Vicarium resideat in Beneficio simplici. 104. 1. 4. An, ut non resideat in Curato. *Ibid.* 2. & 3. Consuetudo non residendi an aliquando possit esse legitima. 542. 5. An tolli ab Episcopo possit. *Ibid.* Ubi residere debeat, qui diversarum Ecclesiarum Beneficia obtinet. 104. 2. 7.

Quæ sint pœnæ non residentium. 34. *& seqq.* 42. 2. 3. 45. 2. Quæ sit pœna conferentis Beneficium Clerico, qui residere non potest. 38. 2. 5. Non residens quando privari possit Beneficio. 44. 2. 45. 1. 2. 54. 2. 1. Quomodo contra non residentes sit procedendum. 47. 1. 3. Quomodo sint citandi, &c. 2. An ob absentiam depositus restitui ab Episcopo possit. 47. 1. 4. Capitulum an Prælatum illegitimè absentem auctoritativè citare possit, 47. 1. Quâ ratione contra talem Præsulem proceditur. *Ibid.* 2. An qui diu abest à Beneficio, cedere eidem renuntiare. 44. 1.

Quæ requirantur ad legitimam absentiam, &c. 2. 2. Quæ sint causæ legitimæ non residendi, &c. 1. 4. An studiorum causâ abesse quis possit à Beneficio. 40. 2. 6. 48. 1. Canonici, si communem Episcopum, an ob absentiam perdant fructus, &c. An qui in obsequiis Legati Apostolici moratur, &c. 2. 8. An qui in servitio Sedis Apostolicæ, 49. 2. An qui est absens in negotiis Ecclesiæ vel Reipublicæ, &c. 2. 7. Fictione Juris præsens an gaudeat privilegio verè præsentiũ. 51. 2. 3. An lucretur distributiones quotidianas. 56. 2. 1. 57. 1. & 2. 112. 2. 1. Quis possit dare facultatem non residendi. 39. 2. 3. 52.

Restitutio.

Mora restituendi quandonam noceat non restituenti, si damnum inde natum sit, 151. *& seq.* Non damnatus quæ bona recuperet, si à Principe restituatur in integrum, 351. 1. & 2. Restitutio quando sit de jure Naturæ. 549. 2.

Reus.

An, si ex pluribus correis unus condemnetur, obsit etiam reliquis. 94. 1. Reus an possit uti pluribus defensionibus inter se contrariis. 196. 2. An audiendus sit, si propriam alleget turpitudinem. 198. 1. 201 2. 307. 2. An absolvendus sit re nihil probante. 228. 1. An ex mendacio contra eum fiat præsumptio. 299. 2. Quæ bona recuperet, si restituatur in integrum. 351. 1. & 2.

Scholares.

An ædes Scholaribus locatæ locari possint ante finitum locationis tempus. 264. 1. An præferri debeant novis conductoribus, si æquale pretium offerant. 266. 2 4.

Scientia.

Quotuplex 120. 1. Qualis in Episcopis, aliisque Curatis requiratur. *Ibid.*

Scriptura.

An ad contractum circa res Ecclesiasticas requiratur scriptura, 209. 1. & 2.

Sepultura.

Ubi sepiliri quisque debeat, 340. 1. 348. *&* Episcopus ubi sepulturam sibi possit eligere, &c. 2. An filio impuberi sepulturam possit eligere pater. 349. 2. 1. An filiusfamilias eam possit eligere absque consensu patris. 349. 2. 2. An Religiosus absque consensu Superioris. 350. 2. An uxor absque consensu mariti. 308. 2. 2. 1.

Jus sepulturæ quibus Ecclesiis competat. 342. 2. An competat etiam Ecclesiis Regularium. 343. *& seq.* 344. 1. 1. Quam pœnam incurrant Regulares, si quem fraudulenter inducant ad eligendam apud

apud ipsos sepulturam. 344. 2. 3. 347. 2. An sit Simoniacum sepulturam vendere. 346. 2.

Sitne in loco sacro sepeliendus, qui sine sacra Confessione decessit. 345. 1. 2. An Religiosus proprietarius. 441. 2, 1. An Excommunicatus. 345. 2. An per sepulturam Excommunicati profanetur locus sacer. *Ibid.* An per sepulturam Hæretici. *Ibid.* An Excomunicatus è loco sacro sit exhumandus. 345. 2. 346. 1. 2. An Hæreticus 346. 1. 441. 2. 2.

Servus.

Servi Ecclesiæ quâ ratione manumitti possint. 231. 2. Libertis Clericis quis succedat ab intestato. 338. 1.

Simonia.

An sit Simonia transactio, vi cujus pro jure spirituali datur aliquid temporale 273. 2. 4. Pro susceptione ad Religionem aliquid accipere ut pretium, an sit Simoniacum. 439. 2.

Statutum.

Statutum circa materiam Jure communi determinatum quomodo explicandum. 51. 1. & 2. Verbum *Statuimus* an legem indicat. 176. 2. 1.

Stuprum.

Stupri vitandi causâ an sit licitum se in foveam vel flumen præcipitare cum certo mortis periculo. 345. 1, 1.

Subsidium Charitativum.

Quid sit. 499 2. 1. Quid requiratur ad hoc subsidium exigendum. *Ibid.* 2. An possit sæpius peti. *Ibid.* 3. A quibus, 500. 1. 4. An possit remitti. *Ibid.* 5.

Substitutio.

Substitutio testamentaria, quotuplex. 327. 2. Quibus verbis significetur. 332. 2. Substitutus impuberi an consequatur hæreditatem, si impubes moriatur post pubertatem. 333. 2. 3. Substitutus filio, in quibus bonis succedat. 333. 1. Substitutio pupillaris quid & quotuplex. *Ibid.* Substitutio quando censeatur compendiosa 334. 1. & 2. An pater filio substituere possit matre penitus exclusâ. 335. 2.

Successio.

In successione ab intestato quinam præferantur. 327. 2. Quis Clericis non habentibus consanguineos succedat in patrimonialibus. 337. Quis Religiosis, qui ante Professionem de suis bonis non disposuerunt. 341. 1.

Superior.

Superioris taciturnitas & tolerantia an inducat consensum aut dispensationem. 84. 2. Nomine Superioris quis intelligatur. 335. 2.

Synodaticum.

Vide Cathedraticum.

Tempus.

Regula *Qui prior tempore, potior est jure* quomodo intelligenda, 136. 2.

Tempus in jure præfixum an currat impedito, 192. 2. 3. An si jura requirunt certum tempus, dies cœpta sit habenda pro completa. 401. & 402.

Diuturnitas temporis in malefactis an augeat culpam. 405. 2. 3

Testamentum.

Quot modis accipiatur. 322. 1. 1. Testamenta aliæque ultimæ Voluntates an sint largæ interpretationis. 305. 1. Perspecta testatoris voluntas an sit præferenda verbis. 327. 1. 234. 1. Res certa testamento relicta quando censeri debeat legatum, quando pars hæreditatis. 328. 1. 4. 332. 2.

De quibus bonis testari possint Clerici. 314. 1. 320. *& seqq.* Testari an possint Religiosi. 315. 2. An filiusfamilias. 349. 2, 2.

In testamentis aliisque ultimis voluntatibus ad pias causas an requirantur solemnitates Juris Civilis. 323, 1. Ad valorem testamenti quot testes requirantur. 322. 1. 1. Quot ad testamenta Clericorum & in Terris Pontificiis. *Ibid.* 2. Institutio testamentaria quot modis fiat. 327. 1. An intestatus dicendus sit, qui ultimam suam voluntatem alterius dispositioni committit. 324. 2. 1. An possit alicui testamento relinqui proprietas bonorum, alteri usufructus. 286. 2.

Executio testamenti ad quem pertineat. 316. 1. 1. In casu negligentiæ ad quem devolvatur. 319. 1. & 2. Quando devolvatur ad Episcopum 316. 1. 2. Intra quod tempus fieri debeat. *Ibid.* Quis compellere ad exequendum possit. 319. 2. 329. 1. An cogi quis possit ad suscipiendum munus executoris. 331. 2. 2. Quæ sit pœna non exequentis. 319. 1. & 2. An executor teneatur reddere rationem. 331. 2. An Religiosus possit esse executor. 335. 2. Executoris officium an transeat ad hæredem. 336. 1. 1. An ad successorem, sicui nomine dignitatis demandatum sit. *Ibid.* 2. An ex pluribus executoribus possit unus exequi, si reliqui nolint aut non possint. 336. 2. Relicta à testatore ad certum usum vel locum, an transferri possint ad alium. 316. 2, 4.

Testis.

Testium præsentia quatenus requiratur ad valorem instrumenti. 215. 1. 3. Testis absens à quo examinandus. 291. 1. Testis unus quantum probet. 339. 1.

Titulus sustentationis.

Vide Ordo.

Transactio.

An compromissio in arbitratorem transactionis vicem habeat. 273. 2. 2. An valeat transactio, vi cujus detur temporale pro jure spirituali. *Ibid.* 4. In transactione aliâve dispositione quando utile per inutile vitietur. 86. 1. 2. Transactioni an præjudicetur per subsequens privilegium. 358. 2.

Trebellianica.

Quando detrahi possit 327. 2. 2. 330. 2. 333. 1. Ex quibus detrahi possit & quomodo. 331. 1.

an deduci possit ex hæreditate restituenda piæ causæ. 334. 2. 4.

Tributum.

Vide Vectigal.

Vasallus.

Vide Feudum.

Vectigal.

Quæ sit pœna Canonica imponentium sine justa causa collectas, contributiones, & vectigalia. 501. 2. 502. 2. Vectigalia & tributa an exigi possint ab Ecclesiis & Ecclesiasticis Personis. *Vide* Immunitas Ecclesiastica.

Venditio.

Vide Emptio.

Vicarius.

Vicariis Parochiarum quales reditus assignandi. 77. & 78. An eorum præsentatio admitti debeat, si reditus non sint sufficientes. 78. 2. 5. Vicarij Ecclesiarum Monasteriis incorporatarum, cui subsint. 108. 1. 2. 461. 2. Quis curam animarum habeat, Vicarius, an Canonicus, si Ecclesia Parochialis unita est Præbendæ Canonicali. 113. 2. 3.

In dubio, Vicariúsne an Episcopus prævenerit in conferendo Beneficio, quid agendum. 162. 1. 3. Vicarij Generalis officium an possit dici precariò datum. 249. 2.

Vicinia.

Vicinus quis dicatur. 168. 2.

Visitatio.

Quomodo instituenda. 510. 2. Archiepiscopus quando suam provinciam visitare possit. 510. 1. Procuratio visitantibus debita. *Vide* Procuratio.

Ultima Voluntas.

Vide Testamentum.

Universitas.

Vide Communitas.

Votum.

Simplex propositum an sit votum. 430. 2. Impubes an valide voveat. 430. 1. Votum editum ante legitimam ætatem quomodo ratificari possit. 394. 2. Votum Continentiæ quâ ratione omitti possit à Conjugibus. 420. 1. Materia voti si non est determinata, an ex consuetudine desumenda sit. 505. 2. Bona Coronæ an possint Principes voto gravare. 433. 1. Votum Peregrinationis Jerosol. an sit reservatum Summo Pontifici. 436. 2.

An per Professionem Religiosam tollantur reliqua vota. 431. An votum profitendi in una Religione tollatur per Professionem in altera. 433. 1. Votum an cesset cessante causâ. 435. 1. 5.

Votum quando sit exequendum. 431. 2. Difficultas exequendi quâ ratione suspendat aut tollat executionem. 435. 2. Executionem differens an sit transgressor voti. 437. 1.

Cujus sit in votis dispensare. 429. 1. Dispensatio sine causa an sit valida. 434. 1. An dispensari possit in præjudicium tertij. 430. 1. Voti dispensatio aut commutatio quando ob scandalum omittenda. 434. 2. 4. Votum mixtum quomodo commutandum. 435. 1. 4. An vovens possit propriâ auctoritate commutare votum. 429. 1.

Usufructuarius. Usufructus.

Quando & quomodo Usufructuarius fructus faciat suos. 286. 2. An possit dici dominus. 287. 2. An possit usumfructum sine consensu proprietarii transferre. *Ibid.* An commoditatem usufructûs. *Ibid.* Quam cautionem præstare debeat. 287. 2. Quandonam damna compensare debeat. *Ibid.*

Usufructus in quibus rebus constitui possit. 287. 2. 288. 1. An sufficiat cautio juratoria. *Ibid.* 4. An cautio remitti possit. 288. 2. Differimen inter Usumfructum propriè & impropriè dictum. 287. 4.

Usura.

Pactum retrovenditionis quando censeatur usurarium. 281. 2. 4.

Utile.

Utile per inutile quando vitietur. 86. 1. 1.

Uxor.

Uxoris consensus in alienationem rei propter nuptias donatæ an valeat, & quando præsumatur. 259. 1. 2. An possit uxor conveniri ob delicta vel obligationes mariti. 282. 2. 1. Quâ ratione possit agere, si dos periclitetur. 283. 1. 5. An potior illius securitate habeat tacitam hypothecam in omnibus bonis mariti. *Ibid.* 6.

Uxor an possit sibi eligere sepulturam à marito diversam. 308. 2. 342. 1. 349. 1. 4. An etiam post mortem mariti retineat ejus domicilium & honorem. 349. 1. 3. Quâ ratione possit vovere continentiam. 420. 1. An cogi possit ad ingressum Monasterij, si post ingressum viri & votum continentiæ à se factum, incontinenter vivat. 424. 1. Uxor quando restituenda sit marito repetenti. 435. 2. 3. An teneatur sequi maritum peregrinantem. 436. 1. 2.

Emendanda.


Erratum.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Legendum.*
secundi	97.	1.	7. *à fine*	primi
Episcopus	181.	2.	18.	Archiepiscopus.
siquidem	222.	2.	4.	siquid
& infeudare	276.	1.	21.	*dele* &
quod ad	359.	2.	4.	quoad
tactus	360.	1.	9. *à fine*	actus

Omnia ad majorem Dei Gloriam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
4794


Layman
lib. II
Decret.
Tit. II